

13

ANALECTA ECCLESIASTICA

SEU

ROMANA COLLECTANEA

DE DISCIPLINIS SPECULATIVIS ET PRACTICIS

CIRCA

Theologiam - Ius Canonicum - Administrationem in Foro contentioso et gratioso - Sacram Liturgiam - Historiam - etc.

Ubi Petrus  *Ibi Ecclesia*

MODERATOR

FELIX CADÈNE, Antistes Urbanus

SCRIPTORES

Annus Decimus tertius **Fasciculus Primus** **Januarius 1905**

Pretium annuae adsociationis, lib. 25

Rogantur Rmi adsociati ut statim pretium transmittere velint, ac annus incoeptus evaserit, qui pro completo tenebitur

ROMAE

ADMINISTRATIO ET DIRECTIO

Via Cavour, 295.

(*Telefono 34-81*)



Imprimatur: Fr. ALBERTUS LEPIDI, O. P., S. P. Ap. Magister.

Imprimatur: JOSEPHUS CEPPETELLI, Patr. Constant., Vicesger.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS PRIMUS - JANUARIUS 1905

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Breve Beatificationis V. S. Dei Stephani Bellesini.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Euge serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Quae verba evangelicus ille dominus peregre proficiscens loquutus erat servo bono et fideli, qui totidem atque acceperat talenta superlucratus erat, eodem ipsa iure meritoque attribui possunt Stephano Bellesini Parocho Genestano, cuius singulares virtutes resque praeclare gestas hodierno die commemorandas suscipimus. Quod quidem Nos eo libentius facimus quo magis opportunum et salutare scimus proponi exemplar non solum quibusque Parochis, vel etiam omnibus Sacerdotibus in religiosas familias cooptatis qui in Bellesini vita et moribus habent non pauca quae facile possint imitari. Neque enim de homine agitur claritate generis vel bonorum amplitudine, vel ingenii doctrinaeque laudibus commendabili; sed de eo res est, qui communem in coenobiis aut in parochiali aede vitam perpetuo traduxit, de homine simplici, non de alio studio sollicito nisi pauperum iuvandorum deque aeterna proximorum salute flagrante. Atqui talis vir extitit omnibus numeris absoluta perfectaque virtute, tanta in pauperes charitate est inflammatus, tam constanti patientique animo adversae valetudinis molestias pertulit, ut vere ille apparuerit « spectaculum factus mundo et angelis et hominibus ». Tridenti in oppido oecumenico concilio celeberrimo honestum iam ab avis et proavis locum obtinuit gens Bellesini, quae partum a maioribus decus studuit semper non tam amplitudine bonorum quam pietatis laude retinere. Ex hac gente exeunte anno MDCCLXXIV post duos fratres et unicam sororem, quartus natus est Aloisius, Iosephus, Ioachimus, qui postea in solemni votorum nuncupatione in alterum nomen Stephani commutavit.

Iosephus pater non ille quidem in florente fortuna publici Tabellarii munus Tridenti in patria nitide exercuit. Mater pari genere Maria Ursula Meinchembek e suburbio Valsugana: ambo filiorum diligentissimi, qui facile nollent ab optima natura seiungi disciplinam. De prima Aloisii pueritia id constat nihil unquam pueriliter fecisse: nugas enim ineptiasque, quibus illa aetas plerumque maxime delectari solet, fastidivit, et supra aetatem saepius iam tum opportune quaerebat sanctum aliquod exemplar imitandum proponeret. Parentibus ita esse obsequens ut ex eorum nutu omnino penderet, periculosis coetibus et ludis abstinere; templorum cultor frequens sacris adstare concionibus, pias preces flexis genibus fundere ad modestiam sic compositus ut fratribus suis et aequalibus exemplo esset. Quamobrem non mirum est si Tridentinus Curio, rogata prius optimae genitricis sententia, Aloisium peridoneum iudicaverit qui etiamsi aetate minusculus esset quam frater, cum eo tamen ad sacram Synaxim accederet. Quo facto incredibile fere est, quanto quam inflammato studio sese ad omnia pietatis opera contulerit quantaque contentione animo virtutibus excolendo se dederit. Quare Aloisium hunc prout alterum Aloisium Gonzaga populares sui susciperent et praedicarent, multaque et magna ex iis, quae tunc apparebant, praeludiis, futurae sanctitatis vaticinarentur. Neque eorum spem fefellit eventus. Vix enim e pueris excesserat steteratque illi annus sextus supra decimum cum Dei quodam instinctu ad claustralem vitam sese sensit impelli. Erat eo tempore Tridenti coenobium quoddam S. Marci dictum Ordinis Eremitani S. Augustini, cui praeerat vir non communis prudentiae et sanctitatis, Fulgentius de Meinchembek germanus Mariae Ursulae matris Aloisii. Qui quidem in re tam gravi tantique momenti ne temere quicquam aut inconsulto faceret mentem suam cum matre communicavit. Haec autem, nulla interposita mora, percontatum ivit Fratrem remque omnem exponit et sententiam eius rogavit. Homo prudens et conscientiae Nepotis non ignarus, post aliquod temporis spatium concepta a nepote suo vota a Deo esse clare perspiciens, eumdem in sancto proposito confirmavit utque adhuc ignari genitoris assensum consequerentur ad parochum adiit, exoravitque ab eo ne gravaretur, Iosephi patris, apud quem ipse erat admodum gratiosus, animum flectere et Patri Filium conciliare. Pater qui piissimus erat, et divinae voluntatis observantissimus, nuntio audito, primum obstupuit novitate, postea in memoriam revocans anteactam Aloisii vitam et singularem pietatem, non solum exoptatum assensum dedit et reclamitantis naturae voces oppressit, sed acquievit omnino voluntati Dei et prae gaudio lacrimans et animo gratias egit quod ex familiola sua Deus hostiam optavisset. Post aliquot dies avunculus ipse cum Bononiam proficisceretur, Aloisium recentem Eremitam iam tunica indutum, in Bononiae coenobium S. Iacobi Maioris secum adduxit, ubi ille tirocinium posuit alacritate tanta, quanta deinceps eius sanctitas declaravit. Nam eremitanae vitae studio, orationis amore, sui ipsius neglectu et abnegatione, agendi diligentia, obediendi celeritate, morum denique gravitate, candore, suavitate tirunculus ille tamquam veteranus miles caeteris omnibus praestitit. Exacto iam probationis anno, cum iam ita esset probatus, ut bene sperare de eo et confidere omnes praepositi possent, ad solemnem votorum nuncupationem Aloisium cunctis suffragiis admittendum decreverunt. Recens eremita Stephanus philosophicis studiis operam daturus Romam missus est. Quum animum suum ditare studiis sacris, unde magnam sibi obventuram sperabat utilitatem proximis iuvandis, statuisset, tanto incubuit fervore ut magna cum laude Prodefendentis honorem adeptus sit. Res ita se habebant cursumque suum Stephanus tam bene initum conficere statuerat, cum repente exorta est foeda illa atque atrox tempestas quae Europam fere totam iactare et pene absorbere visa est. Non solum enim in legitima imperia, sed in Romanum etiam Principatum, in ipsum Summum Pontificem Pium VI, qui per magnum dedecus exulatum abiit, saevitum est. Inter iniqua scita et nefaria privilegia quae nefastis illis diebus lata et promulgata sunt, prodiit illud etiam ut quisque vir religiosus peregre consistens terram repeteret natalem. Quapropter Stephanus emensus Theologiae curriculum in coenobio Bononiensi, nondum Sacerdotio initiatus in patriam remigrare coactus est, et ad coenobium S. Marci rediit invitus. Illud etiam inauspicatum obtigit atque inopportunum, ut ad Sacram ordinationem suscipiendam et a loci Ordinario ad eamdem cum admitteretur, gravi correptus morbo domi suae cubaret. Verum cum par esset in Stephano atque in Superioribus desiderium Sacerdotii, vix a lectulo excitatus est, nondum firmata valetudine in Cathedralem invectus lectica est, et Sacerdos evasit. Sacris sic admotus, apud se reputans non amplius se sui iuris, sed divinae maiestati perpetuo nexu obligatus enitendum esse sibi vigilantius ut aeterna proximorum salus et Dei gloria in maius proveheretur. At vero cum ad vitam recte instituendam plus intelligeret Sacerdotum mores quam mera praecepta valere sanctoque exemplo populum multo plus quam verbo tribuere, ita se impertire studuit, ut intuentium animos vel externo corporis habitu ad modestiam alliceret, provocaret. Saeviente interea procella, Stephanus de sempiterna proximorum salute nullo non tempore sollicitus, contra novos ludos litterarios, qui Normales vocabantur, domi suae magno animi ardore et ingenti charitate proprio sumptu et industria regendas nonnullas scholas aperuit, in quibus pueri puellaeque tenuioris nominatim plebis ad prima litteraturae elementa et ad christianae praecepta doctrinae erudirentur, remissa impensa. Quam quidem provinciam satis arduam et duram, quam ille ob eximium iuvandorum animorum studium et fervorem in divina confidens providentia coeperat, quadriennium totum tenuit et invicta constantia sustentavit. In illas omne peculium, licet tenue, omne suum minerval, omnem suam, quam ex aere publico recipiebat, exiguam pensionem et quidquid a suis vel propinquis vel amicis vel liberalibus suis popularibus stipis corrogabat, libenter impendebat. Non semel in gravi annonae charitate sanctus vir visus est cum famulo panibus onusto scholas circumire et egentioribus discipulis propriis manibus dispensare panem, verba adiiciens quae charitatem ornant. Tandem tranquillatis Europae rebus et Pio VII Pontifice Maximo, Stephanus, cuius singulares virtutes eum apud Superiores iam claraverant, Romam arcessitus est et Tironum Collegio, quod tunc in Generalitio S. Augustini de Urbe coenobio erat, regundo plaudentibus Eremitis omnibus praeficitur. Ibi in huiusmodi prudentiae et vigilantiae officio velut speculum religiosae vitae praelucidum, in quo Ordinis candidati inspicerent, se impertivit, omnesque in eo admirati sunt Patris benignitatem, Fratris familiaritatem, servi officia, amici consilia, Angeli consolationem omniumque virtutum compendium.

Quintum post annum ex quo Stephanus tanto suae vitae splendore et magno eorum, quibus praeerat, emolumento munus suae fidei commissum integre explebat naviterque, accidit ut Tirocinii Collegium ex illo Coenobio auferretur et institueretur in alio Umbriae apud Civitatem Plebis. Ibi dum more modoque solito omnes explebat delati muneris partes non sine magna sua tironumque utilitate, factum est Dei providentis consilio, ut ob sublimioris etiam vitae et perfectionis amorem incenderet hominem desiderium absolutae vitae communis, prout ea quae proxima erat et quasi compendiaria a S. P. Augustino in Eremitana regula praescripta. Pari desiderio non solum tirones suos suscepit, sed ut eadem in aliquo Ordinis Coenobio ubi exerceri posset, instauraretur suppliciter Deo preces effundere non cessaret. Occurrit benigne Deus in precibus eorum et quod poscebant exaudivit et largitus est. Nam per id tempus Leone XII Pontifice Max., prope celebre Sanctuarium Genestanum B. Mariae Virginis a Bono Consilio cum continens coenobium Eremitarum S. Augustini reficeretur, Moderator summus eiusdem Ordinis Iosephus Maria Mistretta eiusmodi vitam restituendam curavit, anno MDCCCXXVI. Postquam inibi in hoc ipso ministerio aliud quadriennium exegerat, Sacrario illius Genestani B. Mariae Virginis a Bono Consilio delubri dirigendo a Superioribus est applicitus et cum paucos post menses parochialis eiusdem templi Curia ob mortem Parochi vacaverit, Stephanus Curio creatus est, approbante Praenestino Episcopo et eum confirmante. Tum quidem ampliorem atque uberiorem campum nactus est ubi eius industria magis elaboraret et ubi pietas eius et ingens animarum studium eluceret. Ac proinde "nullum sane est onus quod Dei causa sibi recens Parochus non suscipiendum existimet, nullum sacri muneris officium quod ille non naviter exequatur. Propterea de Catholicae fidei veritatibus crebras ad populum habere conciones, poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta, quibus nihil est humano generi salutarius, ministrare, visere domum aegrotos etsi magno saepe sui incommodo aut periculo; solari miseros, calamitosos opitulari, eosque consilio, opera aut re, prout poterat adiuvare. Facultatum atque opum in tuitionem sui tantum addixit, quantum superfuit egenorum. At ubi charitas Stephani maxime elucebat, erat in cura infirmorum: ubicumque enim audivisset homines aegrotare gravius, praesertim pauperes, celer, etiamsi gravi hernia laboraret, illuc Stephanus advolabat subsidium miseris duplicaturus solator corporum et animorum. Magna quidem haec omnia, quae Stephanus pro insigni suo divinae gloriae studio et singulari in proximum charitate patrabat; non tamen nova sunt neque inusitata. Director enim scholarum in Patria et Magister tironum in claustris semper dederat praeclarae huius virtutis testimonia, ita ut de eo dici possit quod de Xaverio dictum fuit « quasi sidus matutinum praecipue resplenduerat charitas ». Sed Deus voluit ut ille huius praeclarissimae virtutis praemium ferret et charitatis victima occumberet. Nam anno MDCCCXL saeviente epidemia ataxicae febris, dum cum aliis confratribus ad chorum accedit, ita aliquibus saxis in medio prostantibus pedem inscius offendit. Procubuit et vulnus non leve tibia infracta suscepit. Cum tamen nonnullos infirmos pauperes visum iverit ipse hernia laborans et vulnere ataxicum morbum facile contraxit. Quare paucos post dies, compos mentis suae die festo Purificationis hora quam ipse praedixerat placidissimo exitu animam efflavit.

Magna cum iam esset virtutum commendatio tum post eius obitum aucta magis est ac latius diffusa. Quapropter f. m. Leone XIII Decessore Nostro absolutis omnibus quae in huiusmodi iudicio erant necessaria, in Congregatione Cardinalium sacris ritibus praepositorum disceptari coeptum est de virtutibus, quibus Venerabilis Stephanus Bellesini Ordinis Eremitarum S. Augustini, Parochus in oppido Genestano, inclaruit easque de eiusdem Congregationis assensu heroicum attigisse culmen ipse Leo PP. XIII declaravit pridie Idus Maias anni MDCCCXCVI (1). Postea quaestio agitata est de miraculis quae Venerabili Stephano Bellesini deprecante a Deo patrata ferebantur, rebusque omnibus severissimo iudicio ponderatis, duo miracula vera et explorata sunt habita: ideoque Nos, ponderatis de utroque miraculo diligenti inquisitione instituta confectis Apostolicis tabulis, decretum edidimus octavo kalen. Iulias anno MCMIV (2) de eorumdem miraculorum veritate atque ad ulteriora procedi concessimus. Illud supererat ut dictae Congregationis Cardinales rogarentur num tuto procedi censerent ad Beatorum honores Venerabili Stephano Bellesini decernendos, et in generali conventu coram Nobis habito septimo kal. Augustas vertentis anni tum ii tum omnes qui aderant Consultores unanimi consensu tuto id fieri posse responderunt. Nos tamen in re tanti momenti Nostram aperire mentem distulimus donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quo facto tandem decimo octavo kalend. Septembres huius anni (3) accito Dilecto filio Aloisio S. R. E. Card. Tripepi, S. Rituum Congregationi Pro-Praefecto, loco etiam Venerabilis Fratris Nostri Vincentii S. R. E. Card. Vannutelli, Episcopi Praenestini, Causae Relatoris, necnon Ven. Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Titulari Laodicen., Sacrae eiusdem Congregationis Secretario, et Rev.do D.no Alexandro Verde, Praesule S. Fidei Promotore, Eucharistico Sacro per Nos litato, solemni decreto pronunciavimus procedi tuto posse ad sollemnem Venerabilis Dei famuli Stephani Bellesini Ordinis Eremitarum S. Augustini Beatificationem. Quae cum ita sint, Nos precibus permoti universi Ordinis Eremitarum S. Augustini, Auctoritate Nostra Apostolica ut idem Venerabilis Dei famulus Stephanus Bellesini Beati nomine in posterum nuncupetur, eiusque corpus et lypsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur atque imagines radiis decorentur, decrevimus. Praeterea eadem auctoritate concedimus ut de illo recitetur officium et missa singulis annis de communi Confessorum non Pontificum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Dioecesibus Tridentina et Praenestina templisque omnibus et oratoriis Ordinis Eremitarum S. Augustini ab omnibus christifidelibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quoad missam attinet ab omnibus sacerdotibus saecularibus et regularibus ad Ecclesias, in quibus festum agitur, convenientibus, servato decreto S. Rituum Congregationis, n. 3862, Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei famuli Stephani Bellesini in templis supra dictis celebrentur ad normam seu instructionem S. Rituum Congregationis die

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. IV, p. 224.
(2) *Item*, Vol. XII, p. 252.
(3) *Item*, p. 384.

XVI Decem. MCMII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando cum Officio et Missa duplicis maioris ritus, quod quidem fieri praecipimus die ab Ordinario designando postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii supradictae Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus etiam iudicialibus habeatur quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die 1 Novembris 1904, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

II.

Breve Beatificationis VV. SS. Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis, ex Ordine Franciscalium Capulatorum.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Africam, terram triumphis divitem, iam veteres terrarum orbis domini, appellarunt Romani; sed illa hoc potius fatidico nomine vocari a christiano populo tunc potuit, cum Martyrum purpurata sanguine, a primis humanae Redemptionis annis ad praesens usque aevum, innumeris ac vere in conspectu Dei gloriosis triumphis enituit. Et sane eadem in terra fortissimorum heroum seriem, qui effuso sanguine testimonium Christo reddidere, nulla unquam aetas conclusit, sed fastorum ipsorum tabulas novi semper tituli adaugent. Etenim post primas in Romana provincia Imperatorum persequutiones, post cruentas haereticorum Regum caedes, post crudelissimas Arianorum in Christi asseclas animadversiones, Mauritaniam, Gaetuliam, Numidiam, Ægyptum, Lybiam, Nubiam, et ipsas interioris Africae male cognitas plagas, nova semper atque insignia Christi militum trophaea ornarunt. Has ad regiones christiani nominis provehendi studio adducti, divini verbi praecones certatim properarunt, ad gentes immanitate barbaras cultuque efferatas Evangelii lumen allaturi. Non eos coeli inclementia, non itinerum asperitas, non belluarum hominumque silvestrium ferocia, ab incoepto deterruit, nullis difficultatibus, nullis laboribus fracti, saepe doctrinam quam praedicatione vulgaverant constanter tolerata morte confirmarunt, proprio videlicet sanguine, quam verbo et sudore severant arborem irrigantes. Certam quisque nacti provinciam, auspice Congregatione Fidei Propagandae praeposita, Religiosi potissimum Ordines spectatos doctrina et sanctimonia viros, sui etiam sanguinis ob salutem proximorum, prodigos, ad Sacras in Africam expeditiones designarunt; hosque inter Ordines de causa religionis et humanitatis optime meritos, inclyta etiam Capulatorum Franciscalium familia numeratur. Haec nobilibus floret coronis et palmis alumnorum suorum quorum effusus cruor inge semen fuit Christianorum; haec in gloriosis Ordinis Martyrum tabulis, nomina quoque habet inscripta Venerabilium Dei Famulorum Agathangeli et Cassiani, qui ob Catholicae Fidei testimonium in Æthiopia mortem crudelissimam oppetierunt. Venerabilis Dei Servus Agathangelus, in paterna domo Franciscus Nourry, Vendôme in urbe Galliae ortus est die XXXI mensis Iulii anno MDXCVIII. Eo nondum bilustri Nanneti prodiit in lucem die XV mensis Ianuarii anno MDCVII futurus illi in apostolatu et passione socius Consalvus Vaz Lopez Netto, cui postea nomen Cassianus. Uterque claris piissimisque parentibus usi sunt, non ad rem sibi gloriamque amplificandam, sed ad maturanda consilia sanctitatis. Docti ab infantia timere Deum, et ab omni culpa abstinere, late pervadentis corruptionis esse potuerunt expertes, Tobiaeque similes, « cum irent omnes ad vitulos aureos, ipsi pergebant soli in Hierusalem ad templum Domini ». Quae morum innocentia utrumque disposuit ad perfectioris vitae institutum amplectendum in familia religiosa Capulatorum Franciscalium, qui tunc in Gallia ut novis erroribus sese opponerent versabantur. Posthabitis ideo familiae commodis, locique natalis deliciis, in ipso aetatis flore rudes ac pauperes Seraphici Patris lanas induere. Franciscus Agathangeli nomen in religione sortitus, in Coenobio Cenomanensi tyrocinium posuit, dein in Pictaviensi philosophicas, in Rhedonensi theologicas disciplinas magno cum plausu didicit. Consalvus autem Andegavense Coenobium ingressus Cassiani nomen assumpsit, ac vix e tyrocinio excessit in Conventu Rhedonensi, eodem atque Agathangelus sacrae Theologiae magistro usus est. Hoc in domicilio virtutis aucti Sacerdotio et doctrina, quo pares forent errantium saluti procurandae, sacrarum expeditionum et martyrii desiderio flagrare coeperunt, sed probe noscentes « longum esse iter per praecepta, breve per exempla », uterque recte iudicans, seipsos abundare oportere iis omnibus laudibus ad quas alios excitarent, virtutum omnium exercitationi ac perfectioni sese penitus assiduo studio dediderunt. Gloriosum in conspectu Domini vitae exitum parum abfuit quin praeoccuparet Cassianus, grassante pestis contagio in urbe Rhedonensi; sed non obiit martyr charitatis, qui Fidei martyr erat moriturus. Itaque ut convaluit, in Ægyptum missus est, deinde Cairum, ubi Agathangelum invenit, annum iam ibi commorantem sacrisque illis expeditionibus, ob meritorum praestantiam, praepositum. Inde simul Aleppum profecti sunt, Syriamque aliasque Orientis regiones uberrimo cum fructu peragrarunt, proposito sibi maxime Coptorum dissidentium reditu ad Catholicae fidei unitatem, hisque in negotiis pertractandis, maxime rei sacrae provehendae profuit Cassiani in variis Orientalibus linguis peritia. Post longa eaque asperrima itinera, post ingentes exantlatos pro Christi causa labores, cum rescivissent atrox in Æthiopia flagrare odium in Catholicum nomen, eo se contulerunt incommodis obiecti plurimis, maxime vero « periculis in falsis fratribus ». Nam opera cuiusdam Petri Leonis, lutherani hominis vaferrimi, schismaticus Episcopus Abyssinus, quocum antea Cairi, piis adhortationibus permoto, Venerabiles Dei Servi de Missionibus in Æthiopia habendis coniunctissime egerant in suspicionem ductus edictum provocavit, quo Catholici viri religiosi comprehenderentur omnes, quicumque in Æthiopiam pedem inferrent.

Qua comminatione ipsi nimirum petiti Agathangelus atque Cassianus, perfidiae ignari, vix Dibauriam ingressi, illico vinculis crudelissime obstricti in carcerem proiiciuntur. Pauli imitatores, etiam in custodia, licet fame, siti ac squallore

quasi enecti, tamen schismaticorum ad Romanam fidem conversionem per solidum mensem praedicare non cessant; donec funibus ad quadrupedum caudas, queis satellites insidebant, alligati, longo viae spatio, sub ardenti sole, ad supplicii locum raptantur. Ante vero quam ibi plecterentur, in ius vocati, et coram Æthiopiae imperatore constituti, Catholicam fidem publice sunt strenueque professi. Quam liberam confessionem illico poena suffocationis excepit addito opprobrio nuditatis in conspectu confertissimae turbae clamoribus ac sibilis prosequentis ferum spectaculum. Truncis appensi, tortoribus quaeritantibus funes invicti Christi athletae suas, quibus erant cingi soliti, indicarunt. At his, quippe crassioribus, quum cito confici non possent, plebs eos, levitae Stephani beatos aemulos, crepitantium saxorum turbine oppressit die VII mensis Augusti a. MDCXXXVIII. Continuo innocentem horum sanguinem de coelo signa sunt prosequuta; ipso martyrii vespere distinctae visae luces ex imis lapidum, quorum sub acervo sepulta corpora iacebant, prodeuntes, seque in unum veluti ardentis columnae corpus attollentes; quo viso plures sunt illico ad Catholicam fidem conversi. Paullo post teterrima auctoris caedis Petri Leonis mors, aliaque plurima prodigia, gloriosi huius triumphi splendorem auxerunt ac famam. His de causis factum est, ut de utriusque religiosi viri martyrio institueretur actio, et canonicae inquisitiones auctoritate primum Ordinaria dein Apostolica fierent. Propterea Apostolicis actis confectis aliisque quaestionibus ac attento sedulo studio perpensis cum VV. Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Sacris tuendis Ritibus praepositis, Nos per Decretum decimo quinto Kal. Maias anni vertentis editum (1) de utriusque Venerabilis Dei Servi Martyrio eiusque causa necnon de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus constare ediximus. Illud supererat ut VV. Fratres Nostri eiusdem Sacrorum Rituum Congregationis Cardinales rogarentur num stante, ut superius dictum est, approbatione martyrii et caussae martyrii pluribus signis ac miraculis a Deo illustrati ac confirmati, tuto procedi posse censerent ad Beatorum honores eisdem Venerabilibus Dei Famulis decernendos. Quod praestitit dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Cardinalis Ferrata, Causae Relator, in generali conventu coram Nobis habito sexto idus Maias labentis anni: omnesque tum Cardinales Sacris tuendis Ritibus praepositi, tum qui aderant Patres Consultores, tuto id fieri posse, unanimi consensione responderunt. Attamen in tanti momenti re Nostram aperire memtem distulimus, donec fervidis precibus a Patre luminum subsidium posceremus. Quod cum impense fecissemus, tandem Dominica prima post Pentecosten huius anni, Ecclesia festum diem Trinitati Augustae sacrante, Eucharistico litato Sacrificio, adstantibus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus Aloisio Tripepi S. Rit. C. Pro-Praefecto et Dominico Ferrata Causae Relatore, necnon R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, sollemni Decreto sanximus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis Beatificationem (2). Quae cum ita sint, Nos moti precibus universi Ordinis Capulatorum Franciscalium, harum Litterarum vi facultatem facimus, ut Venerabiles Dei Famuli Agathangelus Vendomensis et Cassianus Nannetensis ex Ordine Franciscalium Capulatorum, in odium Catholicae religionis nefarie in Æthiopia a schismaticis interfecti, Beati in posterum appellentur, eorumque Corpora et Lypsana seu reliquiae non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae publicae venerationi proponantur, atque Imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra Auctoritate concedimus, ut de illis recitetur Officium et Missa singulis annis de communi Martyrum cum Orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus, intra limites Vicariatus Apostolici Abyssiniae, atque in templis omnibus atque oratoriis continentibus conventibus sive monasteriis Ordinis Franciscalium Capuccinorum, ab omnibus Christifidelibus qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missam attinet ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servato Decreto S. R. C. num. 3862 *Urbis et Orbis* 9 Decembris 1895. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilium Dei Famulorum Agathangeli et Cassiani in Vicariatu ac templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu Instructionis S. R. C. diei XVI Decembris MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando; quod quidem statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac decretis de non-cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum Litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi, hisce Litteris ostensis, haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIII Octobris MCMIV Pontificatus Nostri Anno Secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

III.

Breve Beatificationis V. S. Dei Ioannis Mariae Baptistae Vianney, Parochi vici *Ars*.

PIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Divinae semper fuit Providentiae consilium, ut in Ecclesia sancti viri nulla aetate deessent, quibus et praeclara ad imitandum extarent exempla, et catholicae fidei veritas non minus quam virtus summopere confirmaretur. Inter hos apprime recensendi sunt religiosorum ordinum sodales, saeculares presbyteri et ii quidem, qui pastorali munere sanctissime functi, vitam pro sibi concredito grege strenue profuderunt. Singularem ab his postremis gloriam sibi comparavit Venerabilis Dei Servus Ioannes Maria Baptista Vianney, Parochi « d'Ars » vulgo nomine pernotus, qui licet in humili et quasi abdita sede maneret, adeo tamen sanctitatis fama inclaruit, ut omnium non animis modo, sed prope oculis adhuc quasi vivus obversetur. Ortus in pago vulgo « Dardilly » nuncupato Dioeceseos Lugdunensis VIII idus Maias anno MDCCLXXXVI, quum eodem die sacro Baptismate

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*. Vol. XII, p. 208.
(2) *Item*, p. 253.

ablueretur, auspicata Ioannis ac Mariae nomina accepit. Parentes fuerunt Matthaeus et Maria Beluse, domesticis copiis instructis agricolae, qui eximia religione pariter atque effusa in pauperes praestantes charitate, Ioannem ad assiduas preces, horrorem peccati et suavissimum in Deiparam Virginem amorem usque a puero instituerunt. Pecoris custos naturam attento animo intuetur. Deum Creatorem omnium adorat, et ante parvum Mariae simulacrum, a matre sibi donatum, preces effundens, alios pastores, ut idem faciant, verbo atque exemplo excitat atque movet. Pro viribus nititur ut Sacrosancto Missae Sacrificio adsit quotidie, et cum propter temporum iniuriam Sacrum in suo pago fieri nequeat, longum pedibus iter ad proximum vicum, quem « Ecully » vocant, crebro conficit, ne tanto careat solatio. Ibi pariter tertium ac decimum annum suae aetatis agens ardentissimum animi desiderium explevit, omnibus enim angelicam ipsius pietatem et innocentiam mirantibus, Sancta de Altari primum libavit. Incredibile est dictu quam multos Ioannes e coelestibus epulis fructus perciperet; in laborando mente Deum orat, precarium sertum simul ac potest, omnium in conspectu recitat, seque a quolibet piaculo sartum tectumque servans, omnigenae virtutis exemplum aliis praebet. Publica autem in Galliis reddita religioni dignitate, Ioannes septendecim annos natus almo Chrismate a Cardinali Fesch Antistite Lugdunensi inunctus est, primo suo nomini illud Baptistae addidit, ac Sacerdotium inire constituit. Magnas ac pene invictas in studiis difficultates expertus, piam eas exsuperaturus ad S. Francisci Regis sepulcrum peregrinationem suscepit, victum quaeritans, et quocumque iter faceret, probris maledictisque vexatus. Verum ex eo die, ac si Deus praemio ob tantam animi demissionem eum afficere voluerit, visus est disciplinas facilius addiscere, et cum gravia sibi eo tempore obiecta impedimenta mira constantia devicisset, magnum ipsi tamen Lugdunense Seminarium ingredi licuit. Ibi, divina fretus ope, quam assidue flagitabat, summa se scientiis voluntate excolendum tradidit, atque in eis, periculo facto, satis idoneus habitus fuit, qui Sacerdotio initiaretur. Dignum suis laboribus pretium! Nam cum se aetate progressum variisque disciplinis minus excultum animadverteret, totis viribus contendebat, precibus potissimum et opera, ne sibi negaretur divinae maiestati hostiam immolare. Ardentis huiusmodi voti compote facto, tum manifesto apparuit Ioannis anima sacerdotalis; in peccatores enim et in egenos charitas, plurimum studii et curae in poenitentium confessionibus excipiendis diu noctuque collocatum, prudentiae denique ac sapientiae omnibus tradita consilia universam in eum admirationem statim concitarunt. Sed campus ubi Venerabili Dei Servo duo et quadraginta annos aeternae vitae colligendi fructus erant, ille pagus extitit qui in Dioecesi Bellicensi positus vulgo « Ars » audit, et quo Ioannes triennio post sacros susceptos ordines, quasi angelus e coelo missus fuit. Duo primum sibi Dei famulus animo molitur, religionis cultum instaurare, ac fidelibus peramanter adesse, et haec quidem non minus pro suggestu, quam tribunali admissis expiandis obtinere. Enimvero Sacramentum augustum novis honoribus colit, ac teneram et filialem in Mariam Virginem pietatem simul cum Dei et Ecclesiae legibus observandis altius in animis defigit, ex quo protinus factum est, ut Sacro nunc plures adstarent profestis diebus quam antea festis. Parochialis aedis decorem auget, ac dum se vel necessariis orbat, omnes suas opes, interdum sibi divinitus traditas, ad illam extruendam exornandamque decernit. Neque id satis habuit fecisse, nam tria pericula, quibus aeterna incolarum salus in discrimen adducebatur, propulsare sibi proponit; violatum idest Domini diem, insolentem chorearum usum, et in cauponis frequentiam. Quae ad rem ex aequo et bono iudicandam et animos conciendos facere potuerint, ut sanctum hunc finem assequeretur, omnia Dei servus effectui dedit, et nec laboribus nec lacrymis parcens, tandem a fidelibus suo magno gaudio exoravit ut a pravis huiusmodi consuetudinibus discederent. Tunc vicus munitissimum oppidum videbatur contra errores in tanta temporum calamitate undique irrepentes, non minus quam contra effraenatam morum licentiam. Quin etiam fidelium erga coelites religio quibus sanctus vir sui templi altaria dedicaverat, magis magisque in dies crevit, et sive ob pias ab ipso institutas Sodalitates, sive ob Sacramenta frequenter excepta, viculus ille felix virtutum asylum ab omnibus ducebatur. Tanti viri sanctimonia diutius occultari non quita est, sed longe lateque pervulgata id brevi effecit ut homo Dei ad alias regiones invitaretur de rebus divinis ad populum dicturus. Multifariam igitur Ioannes concionari aggressus, hic dolorem abstergit, illic affert consilia, omnes excipit benigne, unde vehemens illud exortum est sui desiderium quod postea ad eum consulendum innumeros peregrinantes in Ars pagum allexit. Neque animabus imprimis prospiciens corpora obliviscitur; cum enim inter caeteros egenos puellas vidisset alias orbitate laborantes, alias pene relictas, cunctam suam rem familiarem in erigendo hospitio insumpsit eique Providentiae nomen indidit. Et vere hanc domum tuta est Providentia, nam saepenumero in extrema rerum inopia mirum in modum iterum instructa fuit. Sed si Ioannes alienos colit agros, suum incultum non deserit, christianae enim perfectionis culmen intuens semper novos in ea potioresque gradus attingit; super nudos asses exiguo stramento tectos, paucas horas, ac non sine curis obdormire, acrem miserumque cibum sumere, et eo saepissime prorsus abstinere, demum unam sibi, obsoletam quidem ac laceram induere vestem. Huc accedit quod genium suum vel in minimis defraudaret seque flagellis exquisitisque maceraret tormentis. Atque ita fortis animi virtutes in dies elucebant, et simul cum incenso amore in Deum, in Deiparam Virginem atque in defunctos admissa expiantes, tam insignis in proximum charitas suique contemptus coniungebatur, ut mente in Domino penitus defixa et corpore consumpto neutiquam sibi sed prorsus aliis in vita commorari videretur. Sed ubi Ioanni patuit fecunda suae gloriae seges, in peccatorum fuit conscientiis iudicandis moderandisque; vix enim eius fama post sacras in viciniis confectas expeditiones quam maxime vulgari coepit, fideles tam ingenti numero ad eum accurrerunt, sui animi plagas in Confessionis sacramento ei detecturi, ut neque curiale templum, neque vicus ipse illos capere posset; idque non modo e finitimis regionibus vel paullisper, verum etiam ex omnibus Galliae provinciis et usque a Belgiis, ex Anglia ac Germania et quinque ac viginti annos, nullo intermisso temporis intervallo. Erant omnis conditionis et aetatis homines, qui Ioannis sanctitate permoti, illuc ducebantur studio virum visendi supernis donis ditatum, intimas ipsorum latebras scrutantis, ac praenoscentis futura. Non longum iter vel mora, non multitudo, non pervigilium vel alia huiusmodi incommoda fideles deterrebant, quominus consolationis verba a Dei famulo quaeri-

tarent, hoc uno beati, quod eum viderent, audirent ac de suis miseriis alloquerentur. Cum vero sacra diurna ac nocturna confessione singulis, tum crebris concionibus praesto omnibus erat. Dei verba ab electo viro populo facta tanta suavitate, tanta de animorum salute sollicitudine, tantoque erga coelestes et homines amore redundabant, ut ipse primus, auditores deinde lacrymas effunderent. Sanctum hoc fidelium desiderium, quibus se Ioannes frustra subducere tentavit, ac tam uberes poenitentiae fructus, facere non poterant quin humani generis osor de illius exitio cogitaret. Et quo facilius herois vires infringeret, brevia eius somnia omni strepitus fragorisque genere abrumpere nitebatur. Curialis domus usque ab imis fundamentis quassari ac pene dilabi interdum visa est, et dum Ioannis sodales, qui eadem haec omnia audiunt et vident, totis artubus contremiscunt, ipse unus tranquillo animo consistens, dolosas daemonis artes minime pavet. Verum malus genius, qui ex hoc praelio discesserat inferior, graviore odio Ioannem persecutus, novas ei insidias parat. Nonnullos itaque illius collegas subornat, qui suam ei ignorantiam obiiciant, ardens eius studium in salutem fidelium intempestivum denuncient, eique crimini vertant. Sed Ioannes utpote sanctus ideoque humillimus tanta animi demissione pariter ac suavitate has accusationes excepit, tantoque candore se omni poena dignum asseveravit, ut eius inimici in admiratores commutarentur, et inclyta eius virtus novo lumine praefulgeret. Denique strenuus hic miles pugnando cecidit; postquam enim suo more septemdecim circiter horas in exedra admissis audiendis consedit, potius laboribus quam aetate absumptus, gravi morbo correptus est. Quare cum sibi vitae finem adesse praeciperet, se Deum totum obtulit, ac singularia patientiae aliarumque virtutum exempla dedit. Morte autem appropinquante, et sacro Convivio, quod sibi ipse iusserat afferri, summo devotionis sensu in viaticum celebrato, Paroeciae operibus incoeptis, ac Missionariis suis adiutoribus tremente manu benedixit, et die S. Dominico, Confessori sacro, anno MDCCCLIX placidissime in Domino requievit. Fidelium multitudo quae diu noctuque sui Curionis vitam omnibus a Deo precibus contenderat, in luctu ac moerore iacuit, hoc uno solatio acquiescens, quod si Apostolum in terris amiserit, pollentem in coelo haberet Patronum. Illius venerabile Corpus, quod omnes adire et deosculari discupiebant, biduo expositum est, ac postremo non solum omni civium ordine, sed etiam frequentissimo clero undique accurso, funus honestantibus, ad curiale templum sollemni pompa elatum fuit. Ex hoc igitur tempore cum sanctitatis fama in dies augeretur, ob coelestia quoque prodigia, quibus Deus eam confirmasse tradebatur, illius Beatificationis et Canonizationis causa apud Sacrorum Rituum Congregationem suscepta fuit, ac singulis probationibus ex Ordinariis et Apostolicis processuum tabulis rite expensis, rec. mem. Leo Papa XIII Decessor Noster, solemni decreto VII Kalendas Augustas anno MDCCCXCVI edito, sanxit Venerabilem Dei Servum Ioannem heroicis inclaruisse virtutibus (1). Deinde quaestio de miraculis agitari coepta est, quae ipso intercedente a Deo patrata ferebantur, ac rebus omnibus severissimo iudicio ponderatis, in triplice disceptatione de eis actum fuit, quarum in ultima VII Kalendas Februarias volventis anni coram Nobis habita Venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales sacris Ritibus tuendis praepositi, Praesules Officiales et Patres Consultores suffragium singuli tulerunt. Nos vero in re tanti momenti mentem Nostram aperire distulimus, et adstantes monuimus suppliciter Dei consilii lumen exquirendum fore. Quo facto sollemni alio decreto nono Kalendas Martias in vulgus edito huius pariter vertentis anni (1), declaravimus de duobus miraculis constare per intercessionem eiusdem Venerabilis Ioannis a Deo patratis. Postea illud unum dubium supererat proponendum, an Venerabilis Dei Servus inter Beatos coelites recensendus foret. Quod propositum fuit a dilecto filio Nostro Francisco Desiderato S. R. E. Cardinali Mathieu causae relatore in comitiis generalibus coram Nobis habitis, octavo idus Martias huius anni, et in quibus omnes qui aderant tum Cardinales, tum Sacrorum Rituum Congregationis Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis comparemus. Tandem Dominica secunda post Pascha, qua Christus exhibetur in Evangelio exemplar et forma Boni Pastoris, qui « animam suam dat pro ovibus suis », adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacrorum Rituum Congregationis Pro-Praefecto, ac praefato Francisco Desiderato Mathieu, relatore, necnon Ven. Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo titulari Laodicen., Sacrae eiusdem Congregationis Secretario, et Rev. P. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, auctoritate Nostra pronunciavimus, tuto procedi posse ad solemnem Venerabilis Dei Servi Ioannis Mariae Baptistae Vianney Beatificationem (2). Quae cum ita sint, enixa catholici nominis et praesertim Bellicensium et Francorum omnium vota implentes, Apostolica Nostra auctoritate harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei Servus Ioannes Maria Baptista Vianney, « Ars » Vici Parochus, Beati nomine in posterum nuncupetur, et eius Corpus seu lipsana seu reliquiae non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus, ut de illo recitetur officium et Missa singulis annis de Communi Confessoris non Pontificis, cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in Civitate et Dioecesi Bellicensi ab omnibus christifidelibus, qui Horas canonicas recitare teneantur, et quod ad Missas attinet ab omnibus sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus, servetur decretum S. Rituum Congregationis N. 3862 Urbis et Orbis IX Decembris MCCCXCV. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis Venerabilis Ioannis Mariae Baptistae Vianney in templis supradictis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis XVI Decembris MCMII de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod quidem fieri praecipimus die per Ordinarium designanda intra annum, postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac Decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii praefatae Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus fides in disceptationibus iudicialibus

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. IV, p. 303.

(1) *Item.* Vol. XII, p. 80. (2) *Item.* p. 205.

habeatur, quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die VIII Septembris MCMIV, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

IV.

Breve Beatificationis VV. SS. Dei Marci Crisini, Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii.

PIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

De fortissimis Hieromartyribus verba facturis obversantur Nobis animo quae olim Paulus et Timotheus conscripsere Philippensibus suis: « Vobis donatum est pro Christo non solum ut in eo credatis, sed ut etiam pro eo patiamini ». Quod quidem beneficium largitus est Deus tribus lectissimis viris, qui sunt Marcus Stephanus Crisinus Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis Canonicus, Stephanus Pongraczius et Melchior Grodeczius e Societate Iesu, quorum res praeclare gestas et effusam pro Christo vitam commemorandas suscipimus, ne desint catholicis viris in hisce adversis Ecclesiae temporibus inclyta fidei et fortitudinis exempla quae possint, si res postulet, imitari. Marcus Stephanus Crisinus, Crisii natus est in Croatia, nobili genere, qui partum a maioribus decus suarum virtutum laude provexit. De prima eius pueritia id constat ex toto corporis habitu egregiam animi indolem emicuisse. Illud quoque memoriae proditum eum vix trimum puellulum mirifico amore prosequutum fuisse coelestem matrem Mariam eamque deinceps semper in trepidis rebus ac praecipue in crudelissimae mortis agone confidenter invocasse. Paulo grandior factus et in Collegium Ferdinandaeum adscitus, quae a parentibus virtutum documenta exceperat moribus ad modestiam compositis constanter expressit et in Congregationem Marianam protinus adscriptus nova et eximia in Beatam Virginem pietatis exempla dedit. Specimen etiam sane optimum ingenii praebuit in scholis, ubi sedulitate et industria aequalibus praeluxit; adeo ut in philosophia et physica magister fuerit renunciatus. Cum vero se divino quodam instinctu ad sacerdotium sentiret impelli, re cum sapientibus viris communicata, de pientissimorum parentum consensu clericalem habitum induit ac theologicis studiis proludere coepit. Quod ut animadvertit pater Gregorius Rumer Societatis Iesu, cum nec pauca neque exigua de eo polliceri posse speraret, egit ut in Almam Urbem in Collegio Germanico-Hungarico alendus mitteretur, studiorum curriculum tam bene in patria institutum confecturus. Romam igitur venit et in Collegium receptus est annos natus duo et viginti. In praenobili hac virtutis et doctrinae palaestra optimi cuiusque brevi non imitator solum sed aemulator evasit. Absoluto theologiae curriculo et iam sacerdotio initiatus, prae caeteris aptus iudicatus est, qui universam theologiam publica et solemni disputatione defenderet. Inde in patriam reversus omnia Apostolici viri munia exercere coepit, idque eo successu ut eius fama per omnem circa regionem vulgaretur; qua permotus celeberrimus ille Strigoniae Archiepiscopus et Hungariae Primas Petrus Pazmany, eum in suam dioecesim accivit, quo ad omne sacri officii munus uteretur, praesertim contra Lutheri et Calvini errores, qui eo tempore longe lateque per Hungariam grassabantur. Nec multo post inter Canonicos Metropolitanae Ecclesiae cooptatus et Archidiaconatu Comoromiensi auctus est; indeque a Canonicis Szeplacensis Abbatiae administrandae, quae prope Cassoviam est, provinciam suscepit. Id non sine Dei numine factum est, qui ibidem martyrii palma servum suum donare decreverat, et socium addere duobus aliis fortissimis viris e Societate Iesu, qui Cassoviae et in viciniis per id tempus in catholicis confirmandis et haereticis reducendis insudabant. Horum alter fuit Stephanus Pongraczius. Is ortus anno MDLXXXII e gente inter Hungaros satis illustri ac piissima in domo educatus atque in litteris excultus, ubi adolevit se ad Societatem Iesu ineundam vocari sensit, eo etiam tum animo ut patriae ab Lutheri et Calvini placitis infectae et civilibus turbis exagitatae in subsidium veniret. Et sane in Societatem admissus et absolutis multa cum laude philosophiae ac theologiae studiis, anno MDCXV missus est Homonnam in Hungaria superiori ut sacris expeditionibus intentus, catholicos in fide ac pietate confirmaret et haereticos vel ad catholicae religionis gremium reduceret, vel in suis erroribus pervicaces confunderet. Quod munus satis profecto arduum flagranti zelo, nec tamen minori prudentia, quatuor circiter annos executus est, Cassoviae praesertim, quo ab Andrea Doczy regio gubernatore vocatus, in ipsa regia domo una cum Melchiore Grodecz receptus rem catholicam sustentabat. Consuetudine cum Marco Crisino inita, quem saepe hospitem habuit, sub festum Sancti Patris Ignatii anno MDCXIX cum eodem Homonnam secessit, ut sacris exercitationibus animum excolerent ac novas vires ad pugnandum pro Christo sumerent: quod non sine Dei consilio factum est, qui eos ita ad capitale praelium parabat quod brevi erat subeundum. Tertius accedit ad hos duos pater Melchior Grodeczius. Eum in Silesia ortum et in Societate Iesu variis muneribus perfunctum Andreas Doczius Cassoviam acciverat, ut milites, quos in praesidium habebat, excoleret. Quo in Apostolico ministerio memoria proditum est eum simili charismate donatum fuisse quo olim Apostoli et ipse Franciscus Xaverius ditati fuerunt: nam sive bohemice sive germanice loqueretur, ab utriusque gentis hominibus aeque intelligebatur. Dum hi tres Christi pugiles sacris ministeriis impense vacabant, accidit ut Georgius Racoczy Cassovia potiretur nomine Gabrielis Bethlenii, qui, Turcarum auxilio fretus, et ab haereticis Bohemiae et Hungariae accitus, cum magno exercitu regionem invaserat ut eam Imperatoris auctoritati subtraheret sibique et suis addiceret. Racoczyus illico iussit tres catholicos sacerdotes domi a militibus custodiri et, coacto civitatis consilio, de eorum caede decretum est. Igitur, post mediam noctem inter diem sextam et septimam mensis Septembris anno MDCXIX, immissi carnifices primo occurrentem Pongraczium clavae ferreae ictu prosternunt: dein omnes tres pugnis, calcibus, colaphis ac probrosis etiam vulneribus Iesu et Mariae nomina ingeminantes caedunt. Crisinus oblatam sibi Racoczyi nomine salutis spem, si a fide catholica descisceret, constanter reiecit. Tunc vestibus exutos ac laquearis trabibus suspensos ardentibus facibus ustulant, donec detectis costulis viscera diffluerent. Demum adventante iam die demissos e trabibus Crisinum et Grodeczium capite obtruncant, Pongraczium

acinace in capite bis percutiunt et uti iam mortuum in latrinam, una cum aliorum corporibus, detrudunt. Verum hic spirabat adhuc, nec nisi post viginti et amplius horas, vulneribus et foetore confectus, Mariae et Iesu nomina ingeminans, illucescente die octava Septembris, ad coelestem coronam evolavit. Huius tam atrocis caedis fama undique perlata, ut contra auctores summam omnium indignationem movit, ita in fortissimorum virorum gloriam cessit. Quorum corpora paucos post menses a pientissima foemina Comitissa Pallfy a Bethleno dono accepta honestiori loco, primum in quodam sacello, dein prope sacrarium Ecclesiae sororum a S. Ursula Tirnaviae condita sunt, ubi pluribus signis a Deo sunt illustrata. Nec multos post annos ab ipso Cardinali Pazmanyo Archiepiscopo Strigoniensi iuridica inquisitio de Martyrio, fama Martyrii et signis est instituta et Romam ad Urbanum VIII Pontificem missa. At propter adversas rerum vicissitudines causa haec diu fuit interrupta et nonnisi medio saeculo decimonono resumpta est, cum auctoritate Apostolica novae iuridicae inquisitiones Strigonii peractae sunt. His Romam missis et validis in Congregatione Rotali recognitis, a Decessore nostro Leone PP. XIII particularis Congregatio est instituta ad cognoscendum de Martyrio, causa Martyrii et signis horum trium fortissimorum Christi Militum, atque omnibus probationibus accurate perpensis, Nos per decreta lata VIII idus Ianuarias hoc ineunte anno MCMIV (1) de Martyrio eiusque causa et signis Martyrium confirmantibus constare ediximus. Reliquum erat ut inquireretur utrum Caelitum Beatorum honores tuto praedictis Martyribus decerni possent. Mox in conventu universo habito coram Nobis VII kalendas Martias vertentis anni, cum dilectus filius noster Andreas S. R. E. Cardinalis Steinhuber causae Relator dubium proposuisset an, stante approbatione Martyrii et causae Martyrii, signis et miraculis a Deo illustrati et confirmati, tuto procedi posset ad solemnem horum Venerabilium Servorum Dei Beatificationem, tum Cardinales Sacris Ritibus tuendis praepositi tum omnes qui aderant Consultores unanimi consensu « tuto id fieri posse » responderunt. Nos vero in re tam gravis momenti distulimus iudicium in alium diem. Dominica prima Quadragesimae idest decimo kalen. Martias volventis huius anni MCMIV (2) adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, ac praedicto Andrea Steinhuber causae Relatore, necnon Ven. Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Titulari Laodicen., Sacrae eiusdem Congregationis Secretario, et Rev.do D.no Alexandro Verde S. Fidei Promotore, suprema nostra Apostolica auctoritate decrevimus tuto procedi posse ad solemnem Venerabilium Servorum Dei Marci Crisini, Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii Beatificationem. Quae cum ita sint, moti precibus universae Societatis Iesu, auctoritate Nostra Apostolica harum litterarum vi facultatem facimus ut Servi Dei Marcus Crisinus croata Canonicus Strigoniensis, Stephanus Pongraczius hungarus et Melchior Grodeczius silesius e Societate Iesu Beatorum nomine in posterum nuncupentur eorumque corpora et lipsana seu reliquiae, non tamen in solemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi fidelium proponantur et imagines radiis decorentur. Dein eadem Nostra auctoritate concedimus ut de iis quotannis recitetur Officium et Missa de communi plurimorum Martyrum cum orationibus propriis per Nos approbatis iuxta rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri concedimus in dioecesibus Strigoniensi et Cassoviensi, et in omnibus Ecclesiis et Oratoriis quibus utitur Societas Iesu ab omnibus qui horas canonicas recitare teneantur, et quoad Missam attinet ab omnibus sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur convenientibus, servato decreto S. Rituum Congregationis N. 3862 Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut solemnia Beatificationis supradictorum Servorum Dei in supradictis Dioecesibus et templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis S. Rituum Congregationis diei XVI Decembris MCMII (1) de triduo intra annum a Beatificatione solemniter celebrando, quod statis legitima auctoritate diebus fieri praecipimus intra annum postquam eadem solemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis, caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis, dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die I Novembris MCMIV Pontificatus Nostri anno II.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

V.

Pius X Caecilianae Societati germanicae, de musica sacra optime meritae, grates et hortamenta rependit.

PIUS PP. X.

DILECTE FILI (2), SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Non parum delectati sumus eis litteris quas tu, dilecte fili, ceterique istius Societatis Caecilianae moderatores, quum in unum de more convenissetis, ad Nos proxime dedistis. In his placuere expressa animi vestri sensa erga Nos grati ob laudes, sane meritas, quibus, ad Dilectum Filium Nostrum Cardinalem Archiepiscopum Coloniensem rescribendo, vos ornavimus: in eisdem vero novum testimonium vestri in Apostolicam Sedem obsequii observantiaeque perplacuit. Quod ceteroqui obsequium quum exploratum Nobis sit, non minus quam vestra et doctrina et peritia et sedulitas, omnino confidimus fore ut quae de cantu gregoriano et de sacro musicae genere praescripsimus, vobis adiutoribus, apud vestrates ii omnes, quos optamus, consequantur fructus. — Auspicem divinorum munerum ac paternae Nostrae benevolentiae testem tibi, dilecte Fili, societatique Caecilianae universae Apostolicam benedictionem amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die X Novembris anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 22.
(2) *Item*, p. 79.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. III, p. 490.
(2) Rmo Francisco Xaverio Habert.

VI.

Pius X encomia rependit Instituto a Caritate.

PIUS PP. X.

Dilecto Filio religioso viro Bernardino Balsari praeposito generali Instituti a caritate.

Dilecte Fili, religiose vir, salutem et Apostolicam Benedictionem. — Equidem gaudemus pium, cui praesides, Institutum eam praeseferre benemerendi de Ecclesia industriam, ut iure videatur a caritate duxisse nomen. Cognitum enim est, quam diligenter utiliterque non modo apud vestrates, sed apud exteros quoque, maxime in Anglia, ad incrementum religionis, ad salutem animarum laboretis. Quapropter, quod ipse vehementer cupis, id Nos libenter facimus, ut divinam benignitatem coeptis operisque vestris, bene precando, conciliemus. Idque eo libentius facimus, quia ex litteris officii plenis, quas abs te proxime accepimus, impensum studium amoremque perspicere licuit, quo erga Apostolicam Sedem affecti estis. Pergite, dilecti filii, mente animoque cum romano Pontifice coniuncti, secundum praescripta Instituti vestri pro Ecclesia contendere; et vobis ubertas, quam enixe imploramus, supernorum munerum nunquam defuerit. — Horum auspicem eamdemque benevolentiae Nostrae paternae testem, tibi, dilecte fili, religiose vir, et universae tum *Societati a caritate*, tum etiam *Sodalitati sanctimonialium a Providentia*, quibus item praesides, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die X Februarii anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

VII.

PIUS PP. X.

Pius X prosperum ominatur exitum Tertio Conventui ad abolendam captivitatem, Tarenti coadunando.

Venerabilis Frater,
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Si progressione temporum progrediatur etiam civilis cultus oportet, commendandum maxime consilium putamus unde sodalitas captivitati abolendae adducta tertium Tarenti parat ad rem eamdem conventum. Unde viginti saeculorum praeterlapsa serie, ex quo Redemptor humani generis Christus homines iniquissima captivitate daemonum exuit, id certe refugit considerare animus hominem tamen captivitate hominum premi. At Christi, remedii unici loco, manent perficienda iussa, miserisque si afferenda Religionis libertas est, nullo id fieri meliori ratione potest, quam illustrata prius hominum mente, et charitate deinde mota. Id esse tertio captivitati abolendae coetui propositum vehementer laetamur, eique memorem profitemur animum, quod, optatis congruenter Nostris, communem excitare curam pietatemque adlaboret. Tarenti autem, in urbe catholicorum congressionibus non semel hospitali, congregatum iri coetum, non minori Nobis laetitiae est, qui probe scimus nec consultandi lumen, nec deliberandi istic ardorem deesse. Restat ut vota et preces, uti prospero coetus concludatur exitu, addamus, idque pro eo, quo flagrat Nobis animus, subveniendi captivis studio, libenter facimus, Apostolicam Benedictionem tibi ac singulis e conventu peramanter in Domino impertientes.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX Decembris MCMIV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

Venerabili Fratri
Petro Archiepiscopo Tarentinorum
Tarentum.

VIII.

Pius X grates rependit observantiamque testatur industrio populo Americae Superioris.

Dilecto Filio Nostro Jacobo tit. S. Mariae trans Tiberim, S. R. E. Presbytero Cardinali Gibbons, Archiepiscopo Baltimorensium.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Americae regionem, inter praestantes humanitate gentes multiplici re commendatam Nobisque apprime caram, tuae Nobis cariorem reddidere litterae, quas nomine Praesulum Foederatarum Americae Superioris civitatum haud ita pridem dedisti. Affectos enim istic mirifice in Romanum Pontificem esse animos, quamquam et saepe alias, et a te ipso etiam, quum primum fuimus ad Petri Sedem evecti, didicimus, novo tamen placuit constitisse argumento. Quod communi annui conventus voto gratulari Nobis dignitatem sacerdotii summam voluistis, id humanitati plane congruit comitatique vestrae. Ecclesiam autem quum simili prosequendam gratulatione putastis, quippe cui eum Christus Vicarium praefecerit qui instaurare omnia in eodem Christo constitutum habeat, id enimvero non sine óbsecratione ac prece vos fecisse censemus, ea Nobis e coelo subsidia impertiri, e quorum vi debet proficisci tota, si quae erit unquam in Nobis, sollicitudinis Nostrae efficacitas. Vobis demum ipsi satis ea de re gratulatis, quod nempe propensissima Nostro in animo insit erga Americanam gentem voluntas. Hunc porro sensum e quo tam multum voluptatis, perinde quasi e vestri argumento amoris luculentissimo, cepimus, afficere non modo laude, sed confirmare etiam gaudemus. Quam enim observantiam caritatemque catholicus Americae populus, optimorum exemplo Praesulum obsecutus, exhibendam Nobis, pro filiorum officio, censuit, eam studiosissima voluntate rependimus. Nostrae vero impertiendae demonstrandaeque in vos benevolentiae si assidua se occasio praebebit, erit Nobis id ad laetitiam, plurimumque procul dubio conducet ad necessitudinem arctius devinciendam, quae illustri vestro industrioque populo cum Apostolica Sede intercedit. Testem interea animi Nostri coelestiumque munerum auspicem Apostolicam Benedictionem tibi, collegis tuis, universisque dioecesium vestrarum fidelibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 13 Iunii anno 1904, Pontificatus Nostri primo.

PIUS PP. X.

IX.

Indulg. conceduntur recitantibus quamdam iaculatoriam precem in honorem SS. Cordis Iesu Eucharistici.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum Nobis nihil antiquius est nec suavius quam ut per universum terrarum orbem fidelium pietas erga Sacratissimum Cor Iesu propagetur, amplificetur, votis annuentes dilecti filii Aloysii Palliola, Sacerdotis e Congregatione SS.mi Redemptoris et Rectoris Pontificalis Ecclesiae Sancti Joachimi de Urbe, in qua erecta existit Archisodalitas Eucharistici Cordis Iesu, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum Eius auctoritate confisi, per praesentes omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu ubique terrarum existentibus quoties iuxta exemplar quod in Tabulario Secretariae Nostrae Brevium asservari iussimus, quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, contrito saltem corde recitaverint hanc iaculatoriam precem: « Adorons, remercions, supplions et consolons avec Marie Immaculée le très sacré et très aimé Cœur Eucharistique de Jésus », toties de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta ducentos dies expungimus. Iis vero qui per solidum annum quotidie semel saltem iaculatoriam piam precem pie recitaverint ac festivitate Immaculatae Virginis Deiparae Conceptionis vere poenitentes et confessi, ac S. Communione refecti quodvis templum publicum sive sacellum visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, Plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Largimur insuper fidelibus iisdem, si malint, liceat plenaria et partialibus hisce indulgentiis vita functorum labes poenasque expiare, contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium authenticum exemplar transmittatur ad Sacram Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositam, alioquin praesentes nullae sint. Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XIX Decembris MCMIV, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Pro D.no Card. MACCHI

L. ✠ S.

N. MARINI, *Substit.*

Praesentium Litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc S. Cong.nem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong.nis die 19 Decembris 1904.

L. ✠ S.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

NULLIUS SEU SANTAREMSIS ET BELEMENSIS DE PARA IN BRASILIANA REPUBLICA.

Denuo definiuntur limites Praelaturae Nullius seu Santaremsis, et Dioecesis de Para, in Republica Brasiliana.

Decreto Consistoriali, cuius initium *Romani Pontifices* die 21 Septembris anno elapso edito, praevia dismembratione perampli territorii in parte septentrionali Brasilianae Reipublicae prope trium Gaianarum Gallicae, Hollandicae et Anglicae fines siti e dioecesi Belemensi de Para, cui pertinebat, nova ex eodem condita est Praelatura Nullius seu Santaremsis, cuius fines ita constituti sunt: ad Meridiem, flumen, quod Amazonas vocant, qua ex parte ad Orientem vergit, usque ad Aequatorem, adiectis insuper civitate Santaremsi citra flumen posita insulisque Caviana et Mexiana; ad Ortum, linea aequatorialis iuxta Oceani Atlantici oras usque ad Orangicum seu Sancti Vincentii promontorium, seclusa tamen ea territorii parte, quae circa idem promontorium Gallicae Reipublicae subiacet; ad Boream, flumen Oyapoc seu Vincente Pinzon dictum usque ad montes Acaray, iuxta fines qui Brasilianam Rempublicam a tribus supramemoratis Gaianis separant; ad Occasum, flumen Iamunda usque dum in Amazonas influit. Ipsa vero in executione decreti erectionis compertum statim est descriptos fines minus apte adsignatos fuisse iuxta locorum fideliumque necessitates, ad iisque occurrendum necesse esse, ut constituti fines latius protraherentur et novae evectae Praelaturae territorium magis amplum adiudicaretur; cumque in rem R. P. D. Franciscus do Reyo Maia, Cathedralis ecclesiae Belemensis de Para Episcopus assensum suum praestitisset, et Apostolicae Sedi supplicasset, ut occasione novae circumscriptionis Praelaturae Nullius seu Santaremsis, fines etiam dioecesis Belemensis de Para Apostolica auctoritate magis exacte describerentur, totius negotii accurata relatio SS.mo D. N. PP. X facta est.

Sanctitas Sua, rebus omnibus mature perpensis, atque rei sacrae procurationi spiritualique animarum saluti, meliori qua fieri potest ratione consulere cupiens, attento consensu Antistitis Belemensis de Para, necnon utendo facultate in Apostolicis Litteris, quarum initium *Ad universas Orbis Ecclesias*, die 27 Aprilis an. D.ni 1892 datis, Apostolicae Sedi reservata, novas circumscriptiones in dioecesibus Brasilianae Reipublicae, nulla etiam adiecta territoriali compensatione, peragendi, quandocumque id in Domino expedire visum fuisset, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, Santaremsem Praelaturam, suppressis iis qui supra descripti sunt, novis finibus definiendam censuit in eum qui sequitur modum:

Ad Boream noviter erectae Praelaturae Nullius seu Santaremsis fines iidem erunt ac illi qui Brasilianam Rempublicam a tribus Gaianis Gallica, Hollandica et Anglica dividunt, flumen nempe Oyapoc seu, uti aiunt, Vincente Pinzon usque ad montes Acaray; ad Ortum, Oceanus Atlanticus, comprehensis tamen insulis Caviana et Mexiana usque ad ora fluminis, cui nomen Xingù, idem deinde flumen usque

ad locum Pedra Secca dictum; ad Meridiem, nova Praelatura linea continebitur, quae a loco Pedra Secca per dictum flumen Xingù usque ad fluminis Sancti Emmanuelis ora vulgo Tres Bocas, in loco qui Sete Quedas nuncupatur, protenditur; ad Occasum tandem, incipiendo ab oris fluminis Sancti Emmanuelis, vulgo Tres Bocas dicti, circumscribetur hoc flumine usque ad aliud Tapajoz vocatum, ad oppidum usque Munducurù et fines politicos et civiles, quibus regiones de Gram Para et Amazonum ad invicem separantur.

Cum totum hoc territorium Praelaturae Nullius seu Santaremsi adiudicatum e dioecesi Belemensi de Para fuerit integre distractum, huius dioecesis amplitudo imminuetur. Cathedralis itaque ecclesia Belemensis de Para in posterum iis qui sequuntur limitibus constricta erit: ad Boream Oceanus Atlanticus eius finis erit, ita tamen ut exceptis insulis Caviana et Mexiana, quae territorio Praelaturae Nullius seu Santaremsis attributae sunt, reliquae omnes inter locum Macapà dictum et ora fluminis Xingù existentes Belemensi de Para dioecesi addictae remaneant; ad Ortum, eadem dioecesis fluminibus Guruny et Araguaya vulgo nuncupatis, quibus regio de Gram Para a regionibus Sancti Ludovici de Marantiao et Goyasensi dividitur, circumscribetur; ad Austrum vero continebitur linea, quae ab insula Bananal dicta fluminis Araguaya prosiliens ad locum usque Pedra Secca vocatum prope Xingù flumen pertingit; denique ad Occasum, qua parte dioecesis Belemensis de Para neo-erectam Santaremsem Praelaturam attingit, ipsa a praedicto loco Pedra Secca usque ad Oceanum Atlanticum flumine Xingù limitabitur.

Documenta vero respicientia personas et loca Santaremsi Praelaturae attributa et a territorio dioecesis Belemensis de Para separata ab huius archivo extrahenda erunt, ut in posterum in tabulario Praelaturae supradictae serventur.

Ad praemissa autem exequenda Beatitudo Sua deputare dignata est R. P. D. Iulium Tonti Archiepiscopum Titularem Ancyranum et in Brasiliana Republica Nuntium Apostolicum cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi ad effectum, de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, nec non definitive pronuntiandi super quacumque difficultate aut oppositione super praemissis quomodolibet oritura, iniuncta eidem obligatione intra sex menses ad Sacram Congregationem mittendi exemplar authentica forma exaratum executionis peractae, mandavitque praesens hisce super rebus edi decretum consistoriale perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae sub plumbo vel in forma Brevis expeditae fuissent, et decretum ipsum referri inter Acta Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die 25 mensis Octobris anno Domini 1904.

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Secretario
IULIUS GRAZIOLI, *Substitutus.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 21 Ianuarii 1904, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. SIGNINA. — Distributionis. — R. *Lectum.*

II. MANIZALEN. — Dubiorum quoad S. Ordinationem. — R. *Attentis omnibus, pro gratia ad triennium, firmo iuramento ad tramitem Bullae* « Speculatores » *et cum testimonialibus ad tramitem iuris, facto verbo cum SS.mo.*

III. IACIEN. — Dismembrationis. — R. *Scribatur Episcopo iuxta mentem.*

B. — In folio.

I. MASSILIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam, vetito viro transitu ad alias nuptias inconsulta S. Congregatione.* (Sub-secreto).

II. PETROCORICEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative ad cautelam.* (Sub-secreto).

III. PICTAVIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

IV. PARISIEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.* (Sub-secreto).

V. MUTINEN. — Oneris missarum et residentiae. — R. *Ad 1um Affirmative quotidie. Ad 2um Affirmative quotidie iuxta mentem fundatoris. Ad 3um Affirmative iuxta tabulas fundationis et ad mentem. Ad 4um Provisum in praecedentibus. Ad 5um Serventur tabulae fundationis.*

VI. TAURINEN. — Dismembrationis. — R. *Attentis omnibus, modo non expedire.*

VII. TOLETANA. — Distributionum. — R. *Ad 1um Negative. Ad 2um Affirmative favore canonici Magistralis Toletani Capituli per duos dies ad quinquennium.*

VIII. PARISIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto. Extra-ordinem).

A. — Per Summaria precum.

3278/3 I.

Signina — Distributionis.

Recursum obtulerat beneficiatus N. contra dispositionem capitularem, ex qua praetendebat sibi grave obvenire damnum *quinque obulorum!* Sed quum, praetermissa ridiculae summae entitate, sat iuridicae non adessent causae recurrendi, Emi Patres rescripserunt: *Lectum.*

Iuxta constitutiones Capitulares in Ecclesia cathedrali Signina vigentes, singulis hebdomadis quatuor canonici una cum clerico beneficiato seu mansionario a choro abesse possunt, lucratis interim distributionibus quotidianis et illis etiam dictis inter praesentes, dummodo fixis et certis, quod Episcopus asserit concessum ex quodam rescripto H. S. C. non tamen allegato.

In sequelam huius privilegii, quod vulgo tertiaria audire solet, hoc inconveniens praesertim ultimis temporibus promanare coepit, quod publicis supplicationibus Litaniarum Maiorum seu S. Marci E. et Rogationum pauci admodum canonici et beneficiati interessent cum fidelium admiratione. Nam praeter exemptos uti supra vi constitutionum Capitularium, alii facile a dictis processionibus vacabant praetexentes valetudinis causam vel aliud incommodum, neque quoad hos punctaturae suum scopum sortiebantur.

Utique anno 1860 in Synodo dioecesana, *cap. VI, De sacris supplicationibus* sequens lex sancita fuerat: « Processionibus in die festo SS.mi Corporis Christi, *in Litaniis Maioribus in Rogationibus* atque in quibuscumque aliis publicis et consuetis vel pro bono et causa publica a Nobis indictis, universus clerus tam saecularis quam regularis ac laicorum sodalitia omnino interesse teneantur sub poena trium iuliorum (libella 1, et cent. 50) favore Ecclesiae principalis sacrario omnino persolvendorum »; attamen, ut idem Episcopus fatetur, haec mulcta nunquam fuit applicata et hinc lex parvipendi coepit, et quasi in desuetudinem abierat.

Ut itaque huic malo Capitulum occurreret, partim sequens praedefuncti Episcopi Sibilia consilium, et partim etiam imitans remedium adinventum in simili casu pro choralibus negligentibus vicinae Cathedralis Anagninae, in coetu Capitulari diei 23 Maii 1901, decrevit ut singulis canonicis praefatis processionibus interessentibus dimidium libellae, beneficiatis autem centes. 25 pro unaquaque vice ex massa communi ceu praemium assignarentur.

Proposita ratio alliciendi Capitulares ad interessendum processionibus salutarem consecuta est effectum. Nam, teste Episcopo, « ora tutti intervengono alle processioni, non solo « i quattro canonici esenti dal servizio corale, ma pure gl'in« fermicci: il premio stabilito fa miracoli: *aegri surgunt « sani* ».

At contra hanc resolutionem Capitularem querelas movit unus ex senioribus beneficiatis nempe Paschalis Iannucci, qui supplici oblato libello apud H. S. C. petit eam revocari utpote sibi et choralibus infirmis laesivam et cum relata synodali lege pugnantem.

Beneficiatus Iannucci primo impetit Capitularem decisionem utpote contrariam relatae praescriptioni synodali fundatae in *cap. 13, sess. 25, de Regular.* Conc. Trid. quod praescribit, omnes clericos tum saeculares tum regulares etiam exemptos ad interveniendum publicis processionibus ab Episcopo compelli.

Sane per citatum actum capitularem dum ex una parte statuta mulcta trium iuliorum videtur remitti negligentibus Capitularibus, ex altera hi alliciuntur ad munus suum adimplendum alia via, proposita mercede. Hoc autem, praeterquamquod supponit legem Ecclesiae generalem, et specialem Synodi dioecesanae in themate nihili esse faciendas et fuisse otiosas, redolet etiam quamdam avaritiae speciem in Capitularibus; si enim hi nunc processionibus adsunt, id peragunt non ratione officii et religionis inducti, sed potius lucro. Quare remedium a Capitulo excogitatum ad compellendos chorales ad processionibus assistendum incongruum dici debet, praesertim si expendatur quod alii clerici sive saeculares sive regulares et etiam ipsae laicorum sodalitates his intersunt nullo proposito pecuniario praemio: proinde iuxta beneficiatum Iannucci concludi debet, satis sufficientem esse ad negligentes chorales in officio continendos tum praefatam statutam mulctam in synodo, tum legem punctaturae in Capitulo vigentem.

Quin regeratur hanc punctaturae legem afficere non posse chorales absentes in vim privilegii tertiariae: reponit enim dictus mansionarius, hos processionum desertores effugere quidem valere punctaturae poenam, sed non mulctam a Synodo statutam. At quidquid sit, hi chorales semper sunt coarguendi, quia ut ait S. Caesarius Arelatensis in homilia de Litaniis « quicumque sine aliqua infirmitate aut certa occupatione in istis diebus (processionibus non intervenit) est quidem talis quasi fugitivus et desertor castrorum coelestium ».

Insuper advertit sacerdos Iannucci in dicto coetu Capitulari actum esse de assignatione portionis massae communis favore choralium qui processionibus interveniunt. Iam vero ad illam massam omnes componentes Capitulum ius habent, hinc nihil decerni poterat, singulis membris non auditis vel etiam invitis: quia iuxta notam iuris regulam, *quod omnes tangit debet ab omnibus approbari.* Hoc principium eo fortius in themate est applicandum, quia per propositam portionis massae distractionem praeiudicium choralibus infirmis affertur, qui ut alii praebendati vel canonici ius habent ad ipsius participationem uti *ex cap. unic. de cler. non resid. in 6* et ex Conc. Trid., *sess. 24, cap. 12 de Refor.* Neque Capitulum se tueri potest invocando dispositionem, *cap. 1, De his quae fiunt a maj. parte Capit.* in quo ad instar regulae ita statuitur « praevaleat semper et suum consequatur effectum, quod a maiori et saniori parte Capituli fuerit statutum ». Nam Maschat in suis *Instit. canon.* explicans hoc *cap. lib. 3. tit. 11,* refert varias super citata regula exceptiones, ut e. g. si agatur de actibus merae facultatis et donationibus liberalibus, et praesertim de actibus neque necessariis et utilibus, qui potius in praeiudicium vergunt singulorum, in his enim requiritur singulorum consensus. At si id de quo agitur applicandum sit operi extraneo specialiter non necessario vel utili, maior pars nihil decernere potest in praeiudicium minoris, sed etiam unus contradicendo, impedire potest tale decretum, cum hic procedat regula: Quod omnes... in 6° ».

Iam vero applicatio portionis reddituum massae communis canonicis vel beneficiatis supra relatis processionibus interessentibus nedum non est necessaria et utilis, cum iam satis sit provisum per mulctam a Synodo decretam et legem punctaturae, sed etiam est praeiudicialis et exitialis choralibus infirmis. Ergo nullimode admitti potest et proinde resolutio capitularis est revocanda et infirmanda.

Ex adverso Capitulum in primis expendit beneficiato Iannucci ius non esse impugnandi Capitularem resolutionem, quia ipse cum non sit canonicus, a Capitularibus conventibus est extraneus, uti eruitur ex Capit. Constit. in *cap. VII, n. 2, de Capitulis habendis.* « In eo Capitulo nullus alius locum habeat nisi soli canonici ». Hinc est quod beneficiatis tantum spectat parere ordinationibus a Capitulo factis circa Ecclesiae servitium ut tradit Pignatelli, *tom. 6, discep. 49.* « Capellani de massa sunt subiecti Capitulo in iis quae spectant ad servitium Ecclesiae, prout subsunt Capitulares et alii eiusdem Ecclesiae ». Hisce praenotatis Capitulum denegat inter legem synodalem et Capitularem ordinationem esse contradictionem.

Nam primo lex synodalis quae applicat mulctam trium iuliorum est lex generalis pro tota Signina dioecesi et pro omnibus publicis processionibus, e contra Capituli ordinatio afficit tantum membra ecclesiae Cathedralis et taxative respicit quatuor processiones. Insuper, uti iam notatum est, praefata mulcta ob nunquam factam eius applicationem iam in desuetudinem abiit. Nullo itaque iure asseri potest in themate adesse contradictionem inter utramque legem tum quia casus sunt penitus diversi, tum quia decretum quoad mulctam cum sit abolitum, iam deficit contradictionis terminus.

At posito etiam quod Synodalis lex mulctatitia adhuc vi-

geret, non ideo sequitur, ait Capitulum, decisionem Capitularem ei repugnare. Sane scopus utriusque legis est compellere renitentes ad processionum interessentiam: lex synodalis id contendit obtinere ope inflictae mulctae trium iuliorum, lex seu resolutio Capitularis idem sibi proponit consequi, statuto praemio idest tenui distributione 50 vel 25 centesimorum favore Canonicorum aut beneficiatorum diligentium; non itaque hae duae leges inter se pugnant sed potius conveniunt quoad finem.

Insuper, pergit Capitulum, si in controversa distributione admittitur contradictio cum statuto synodali, et in aliis articulis constitutionum Capitularium eam admitti oportet.

Post haec Capitulum progreditur ad alteram difficultatem a beneficiato Iannucci propositam diluendam, et quae in eo versatur, quod cum dicta distributio inter praesentes sit desumpta ex massa communi et infirmis Capitularibus sit praeiudicialis, ea profecto decerni non poterat in coetu capitulari absque omnium consensu iuxta notam regulam iuris — *quod omnes tangit, ab omnibus debet approbari.*

Praemittit Capitulum etiam alias duas extraordinarias distributiones inter praesentes extare in ecclesia Cathedrali Signina pariter desumptas a massa communi et quas capitulares infirmi non lucrantur: harum una in libellis 2,68 pro officio in nocte Nativitatis Domini, et alia pariter in eadem summa pro funere a Capitulo annuatim persolvendo in oppido Montelanico, a singulis tantum interessentibus ab immemorabili percipitur, quin tamen unquam nemo ex capitularibus obmussitaverit. Inde Capitulum disiicit contrarium argumentum super quo praecipue fundat suum recursum sacerdos Iannucci.

Demum hic ad magis dilucidandam ab utraque parte invocatam regulam operae pretium duco referre etiam quae super ea tradit Barbosa in *Collectaneis doctor. in lib. 5, sexti Decretal. de Reg. Iur.* « Pro solutione multorum quae solent obiici in contrarium, communis distinguit inter ea quae pertinent tamquam ad singulos, vel in speciali, et inter ea quae pertinent tamquam ad universos vel in communi veluti ad collegium ut in illis tantum procedat haec regula *29 quod omnes...* in iis vero sufficiat maior pars *cap. 1, de iis quae fiunt a maiori parte Capit....* ».

Verum quia adhuc huius distinctionis membra peculiares habent difficultates, videtur melius dicendum, quod ea quae pertinent ad aliquos veluti ad singulos, de quorum praeiudicio principaliter agitur, debent ab omnibus approbari, nec sufficit maior pars nisi ex iusta causa aliud expressum reperiatur. Dixi *de quorum praeiudicio etc.* tum ad excludendos illos de quorum praeiudicio secundario agitur, quorum approbatio non est necessaria *arg. l. 1,* § *Denunciari* — ibi — *primo gradu ff. de ventre insp.* docet *gloss. magistra 2 in leg. de unoquoque 47, ff. de re iudic.* communiter recepta... tum etiam quia verbum *tangit* de quo hic per prius et non per posterius verificatur tantum in iis, quorum detrimentum principaliter agitur iuxta *d. l. de unoquoque...* Dixi insuper *nisi ex iusta causa etc.* quia per illam iure induci potest ut maior pars in iis sufficiat *cap. 2, de iurepatr.* — ibi — *plurimorum,* in quo speciale est ut in negotio praesentationis quae ad singulos patronos pertinet, sufficiat maior pars... vel quia alias sequeretur absurdum aliquod vel iniquitas, quae vitari debent, vel quia exiguum est praeiudicium *leg. scio ff. in integ. restit.* vel tandem quia utilitas et bonum publicum maxime urgent *l. Lucius 11, ff. de evict.*

Hisce pro meo munere relatis viderint EE. VV. pro sueta sapientia et prudentia, quid in proposito casu sit sentiendum.

Quare etc.

Responsum fuit: *Lectum.*

3263/4 II.

Manizalen. — Dubiorum quoad S. Ordinationem.

Conceditur ad triennium, facto verbo cum SSmo, ut Ordinarius N. ordinare possit ratione domicilii, praevio iuramento et habitis testimonialibus, alienigenas adolescentes, qui in Seminario per triennium commorantur, cum intentione permanendi in Dioecesi, dummodo inibi ad sacros ordines recipiantur.

Die 13 Iulii mox elapsi anni Rev.mus Episcopus H. S. C. proposuit sequentia:

« Sunt in Seminario Manizalensi adolescentes qui familias « et domus relinquentes, iustis de causis e Dioecesi originis « recesserunt et ad ordines promoveri desiderant in hac « Dioecesi, animo hic permanendi modo ad ordines admit- « tantur; unde eorum animus permanendi quasi conditionalis « est dicendus.

« Quum Episcopus originis eos permisisset huc transire « iustas existimans causas vel rationes transeundi, ab eo « petii pro dictis adolescentibus, litteras dimissorias eo fine « ut omne dubium circa licitudinem ordinationis remove- « retur, animo denuo flagitandi pro ipsis excardinationem « cum in ordinibus ecclesiasticis essent constituti. Horum « iuvenum aliqui habent in Seminario gratuitum locum, et « cum poene iam habeant studiorum ecclesiasticorum cur- « riculum expletum, non est possibile magis quam per trien- « nium protectionem producere, sed flagitantes iteratis sup- « plicationibus, litteras dimissorias a proprio Pastore, obti- « nuerant tantum testimoniales et spem obtinendi dimissorias « prorsus amiserunt, eo quod Episcopus eorum proprius, « quamvis non postulet neque velit ut ad se redeant, tamen « nixus quadam consuetudine, affirmat eos domicilium per- « fectum quoad ordines acquisiisse, modo in Seminario huius « Dioeceseos permanserint per triennium cum animo per- « petuo hic manendi si ad ordines admitterentur, adiuncto « domicilii iuramento ».

Hisce praenotatis sequentia dubia subiicit:

« I. Utrum talis consuetudo ordinandi alienigenas ratione « domicilii, eo quod in Seminario novae Dioeceseos usque « ad triennium commorati sint cum intentione permanendi « perpetuo in loco promotionis si ad ordines reciperentur, « sustineri possit post publicationem Concilii Plenarii Latini « Americani in regionibus nostris, vel talis consuetudo contra « spiritum constitutionis Innocentii XII « *Speculatores* » in- « veniatur.

« II. Utrum alienigenae etiam filiifamilias, ab alio « quam a proprio Episcopo possint ordinari cum litteris tan- « tum testimonialibus, modo in Seminario novi Episcopi per- « manserint per triennium et iuramentum praestent sibi « semper fuisse in animo permanere in loco promotionis, si « ad ordines reciperentur.

« III. Utrum qui ratione salutis vel alterius iustae « causae recesserunt a propria Dioecesi ad explendum stu- « diorum alibi curriculum et in loco novae commorationis « ante decennium, ad ordines promoveri desiderant, cum « animo perpetuo manendi in loco promotionis modo ad- « mittantur ad ordines, egeant non tantum testimonialibus, « verum etiam dimissoriis litteris, quando utilitas vel ne- « cessitas Ecclesiae postulet eorum ad triennium ordina- « tionem.

« IV. Utrum ad domicilium perpetuum quoad ordines « acquirendum secundum Constitutionem Innocentianam, his « qui actu bona mobilia non habent, sufficiat commoratio « in Seminario novae Dioeceseos, per considerabile tempus

« ad arbitrium novi Episcopi, modo iuramentum accedat, « sibi semper fuisse in animo si reciperentur ad ordines « permanere perpetuo in loco ordinationis, modo supra dicto.

« V. Utrum liceat Episcopo Manizalensi in casu con« creto de quo agitur in promotione iuvenes tales ordinare « transacto triennio, attenta opinione et voluntate Episcopi « originis et etiam necessitate Ecclesiae, et periculo voca« tionum in his quibus protectio suspendatur, vel quid fa« ciendum in casu ».

Ut proposita dubia rite intelligantur, et facilior eorum evadat solutio, praemittere in primis iuvabit, et integre referre, verba quae leguntur in Actis et Decretis Concilii Plenarii Americae-Latinae Romae habiti anno 1899, eo vel magis quod in primo ex propositis dubiis, de hoc Concilio aperta fit mentio.

Iamvero satis erit illa verba sub oculos ponere ut quis statim, quin ulla addatur adnotatio, certior fiat nullam innovationem in iure communi, inductam fuisse per Patres Americanos, super hanc, de clericis alienigenis non ordinandis, disciplinam. Et sane in *cap. VII, tit. V*, § *583* haec explicite edicuntur: « Quis sit subditus alienus et quis proprius, « ad effectum suscipiendi ordines, aperte declaravit *Inno« centius XII* in Constitutione *Speculatores* diei 4 Nov. 1694. « Poenae autem latae in ordinantes alienum subditum vel « proprium, contra praescripta canonica, habentur in Con« stitutione *Pii IX*, *Apost. Sedis*, diei 12 Oct. 1869. Prae « oculis etiam haberi debent normae praescriptae in De« creto S. C. C. « *A primis Eccles. saeculis* » diei 20 « Iul. 1898 (1) ».

Totam igitur dubiorum solutionem ex iure communi repetendam esse aperte constat. Hoc est autem exploratissimum in iure, praeter Romanum Pontificem eiusque delegatum, nullum inter Episcopos, nisi *unum Episcopum proprium* licite peragere ordinationes usque ad presbyteratum inclusive. Hanc enim generalem regulam statuit Conc. Trid. in *sess. XXIII, cap. VII de refor.* reassumens plures canones contentos in corpore iuris et ab ipsomet Concilio confirmatos. « Unusquisque a proprio Episcopo ordinetur ». Quae regula peropportune statuta est ad gravissima incommoda evitanda quae manifeste sequerentur, si quilibet Episcopus sua potestate ordinandi uteretur pro libito, erga omnes. Quinam censendi essent Episcopi proprii, hac de re, non semper eamdem extitisse regulam, ex historia constat, praesertim prioribus Ecclesiae saeculis, in quibus quilibet Episcopus erat proprius pro *laici* ordinatione. Sed post Constitutiones *Clem. IV (in cap. I, De temporibus ordinationum)*, *Bonif. VIII* (*in cap. III eiusdem tituli in 6°*) et tandem Conc. Trid. *(sess. XIV, cap. II, De refor.)*, quatuor tantum habiti sunt tituli quibus Episcopus dici poterat proprius, seu cui ius reservatur licite tonsuram et ordines conferendi, nempe ratione *originis, domicilii, beneficii et familiaritatis*. Quae omnia confirmata sunt ab Innoc. XII in Constitutione *Speculatores*.

Cum proposita dubia in hoc tantummodo versantur, scilicet quinam habendus sit Episcopus proprius ratione domicilii, ut brevitati prospiciatur, eas tantum conditiones inquiram, quae a SS. canonibus requiruntur, ut quis sortiatur *Episcopum proprium* ratione domicilii. En, ad rem, quae statuit Innocentiana Constitutio: « Episcopus est proprius « ratione domicilii pro gradibus clericalibus conferendis, si « candidatus licet alibi fuerit natus, illud domicilium tamen « adeo stabiliter constituerit in alio loco ut vel per decen« nium saltem in eo habitando, vel maiorem rerum ac bo« norum suorum partem cum instructis aedibus in locum « huiusmodi transferendo, ibique insuper per aliquod consi« derabile tempus commorando, satis superque suum per« petuo ibidem permanendi animum demonstraverit, et nihi« lominus ulterius utroque casu se vere et realiter animum « huiusmodi habere iureiurando affirmet ». Pauca sufficiat adnotare. *Domicilium* tum in genere, tum in specie pro ordinibus suscipiendis acquiritur in parochia *facto commorationis, et animo* ibidem perpetuo manendi. At hic animus perpetuo manendi debet exterius manifestari ut Ecclesiae innotescat, aliter domicilium nec in foro interno acquiri potest. Quae animi manifestatio fieri poterit vel partis confessione vel aliis indiciis, puta per decennalem commorationem, per larium, rerumque translationem, etc... Ad abusus tollendos et ambages evitandas Innoc. XII statuit domicilium pro ordinibus suscipiendis probandum esse *vel* per decennalem commorationem, *vel* per translationem rerum familiarum, etc. Illud *vel* cum vim habeat disiunctivam manifeste indicat, unam vel alteram probationem sufficere, tamen utraque ut plena probatio evadat, firmanda erit iuramento, ita ut absque iuramento esset tantum semiplena probatio, et iuramentum, absque facto debitae commorationis et translationis nullam efficeret probationem.

Ex verbis Innocentianae Constitutionis superius allatis, hoc etiam evincitur, eos qui nulla fortunae bona transferenda habent, domicilium sibi constituere nequire nisi per decennalem commorationem. Permanentia *per notabile tempus* (quod iuxta nonnullos doctores ad triennium producitur) tunc sufficit ad probationem domicilii efficiendam, quando bonorum translationem sequatur. Qua de re concludere licet, quoties commoratio ad decennium producta non habeatur, aut nulla facta fuerit bonorum translatio, nullum alienigenam ad ordines admitti posse absque litteris dimissoriis Episcopi originis, nec litteras testimoniales sufficere. Litteras enim testimoniales toto coelo differre a litteris dimissoriis neminem latet, cum ipsae tantum testimonium contineant de idoneitate promovendi, nec ullam tradant facultatem ordinandi, uti videre licet in fol. S. H. C. in *Pientina seu Ilcinensi Ordinationis 8 Aug. 1733.* Episcopus tamen originis absque rationabili causa litteras dimissorias denegare nequit quas si irrationabiliter denegarit, recurrendi semper in promptu erit facultas ad Sedem Apostolicam, quae re mature expensa, vel mandat Ordinario ut dimissorias concedat, vel ex plenitudine potestatis suae, ab his litteris dispensat; quod non una vice factum esse constat ex pluribus S. H. C. decisionibus, uti ex. gr. ex *Illerdensi 9 Ian. 1692*, ex *S. Miniatis et Collen. 20 Mart. 1830*, ex *Aniciensi 23 Mart. 1878* et aliis.

Videndum nunc restat utrum in casu habeantur conditiones a iure requisitae, ut quis Episcopum proprium ratione domicilii sortiatur. Primo intuitu deesse videntur. Et sane, deest *animus perpetuo manendi*, qualis a iure requiritur; nam etsi praefati adolescentes iustis de causis ex sua dioecesi originis recesserunt, familiis et domibus relictis, tamen ita animo dispositi exhibentur, ut in nova dioecesi Manizalensi perpetuo manerent, ea tantum conditione, si ad ordines promoverentur. Eorum animus esset igitur *consequens actum ordinationis, non antecedens*, uti supponi debet. Ipsi indifferenter se habent utrum in hac vel in alia dioecesi domicilium sistant, dummodo Episcopum qui eos ad ordines promoveat, inveniant. Quare dici non posset eos iam domicilium constituisse in dioecesi Manizalensi. Cum ergo sacri canones praescribant domicilium iam constitutum, non constituendum, nullimode Episcopus Manizalensis videtur dici posse Episcopus proprius illorum adolescentium *ratione domicilii*. Si hic animus conditionalis uti sufficiens admittatur ad domicilium, pro ordinibus suscipiendis acquirendum, difficile esset fraudes et abusus in hac re cavere, sed facile finis legis frustraretur.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VI, p. 351.

Rebus sic stantibus, supervacaneum est adnotare, quod in casu, etiamsi conditio purgaretur et animus conditionalis evaderet absolutus, deficeret adhuc probatio. Triennalis enim commoratio quae ab Episcopo Manizalensi affertur, sufficeret si qua bonorum translatio facta fuisset; at nihil de peracta translatione innuitur: quare diuturnior seu decennalis commoratio requirenda esse videtur.

Ex alia parte vero adesse consuetudinem asseritur iuxta quam iis locis triennalis commoratio sufficeret ad domicilium *pro ordinibus* constituendum, et consuetudinem habere vim legis nemo ignorat. Dubitari tamen potest an contra hanc Innocentianam Constitutionem inolescere possit consuetudo. Non desunt doctores qui hanc tenent sententiam inter quos cl. Gasparri in suo opere *de S. Ord., vol. II*, qui ait « se non videre rationes, pro generali responsione negativa ». Neque ex proposito casu aliquid deduci valet ad allegatam consuetudinem firmandam. Caeterum illam dubiam faciunt responsum a Clemente XI datum Archiepiscopo Mexicano die 20 Nov. 1719, et aliud responsum S. C. de Propaganda Fide die 21 Iul. 1821, quibus praeceptum imponitur, ut Innocentiana Constitutio in omnibus Ecclesiae partibus servetur.

Omne dubium de valore istius consuetudinis auferre videntur verba Concilii Plenarii Americae-Latinae initio allata. Illa verba nullam mentionem faciunt de consuetudine, quin imo etiam eam suppositam destruunt, nam in plenum vigorem per ipsa revocantur Constitutiones Innocentiana *Speculatores* et Piana *Apostolicae Sedis*, quae consuetudinem contrariam respuunt.

Inficiandum tamen non est in casu nonnulla contineri, quae aliquam indulgentiam suadere videntur, ita ut adolescentes illi per quamdam benigniorem interpretationem, revera considerari possint subditi Episcopi Manizalensis et idcirco ab eo ordinari licite, cum litteris testimonialibus suorum Ordinariorum. Isti reapse domos et familias reliquerunt, at cum adhuc filii familias sint, nulla profecto bona transferenda neque immobilia neque mobilia habere possunt, propterea nisi per irrisionem ab eis bonorum translatio requireretur. Insuper eorum Ordinarius non solum, quominus e dioecesi discederent eos non prohibuit, quin imo ne vult quidem ut revertantur, sed ut ab alio ordines recipiant, ultro permittit.

Haec sane agendi ratio potest optime ita interpretari quasi suo iuri valedixisset et quasi adolescentes illos e sua potestate solvisset, ita ut amplius in posterum sui subditi dici nequeant. Ad haec adde factum de gratuitis alimentis quae hucusque a Seminario Manizalensi nonnulli ex illis adolescentibus acceperunt. Tandem si spiritus potius quam littera Innocentianae Constitutionis attendatur, benignior interpretatio contraria omnino non apparet menti legislatoris. Mens enim fuit ut compescerentur abusus et « sacrilega scilicet illorum impudentia in dies crescens, qui propriae salutis immemores, clericales ordines, sibi forsan a propriis praesulibus denegatos, seu quos, aliquibus canonicis sibi obstantibus impedimentis, denegari merito verentur, ab alienis Episcopis, non quae Iesu Christi, sed eas quae ad ipsos non pertinent, oves in animarum suarum perniciem quaerentibus, nec tot canonicas damnationes contra usurpantes alienae plebis hominem latas perhorrescentibus absque suorum praelatorum commentis, hoc est, dimissoriis commendatiisve eorum litteris destituti, quin imo eis insciis et saepe etiam invitis.... illegitime suscipiunt ». Ex quibus verbis colligi videtur ideo requiri domicilium per decennium productum ut Episcopus ordines conferens adaequatum iudicium de ordinandorum idoneitate sibi efformare valeat, ne quis indignus vel a proprio Episcopo reprobatus furtim in Sanctuarium ingrediatur. Sed in casu Episcopus ordinans hoc iudicium de ordinandorum idoneitate, triennali spatio sibi efformare potuit, et Episcopus originis favorabile testimonium de ordinandis tradidit.

Ex hucusque enucleatis forte ad proposita dubia negativum responsum dari posset nempe – standum iuri communi a Constit. Innocentiana et aliis decretis sancito, et pro dispensatione in casibus particularibus recurrendum esse ad S. Sedem.

Verum attenta *opinione et voluntate Episcopi* originis, et *etiam necessitate Ecclesiae et periculo vocationum*, utrum indulgentiae potius quam stricto iuris rigori locus dandus sit, videbunt EE. VV. pro ea qua pollent benignitate et iuris prudentia.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Attentis omnibus, pro gratia ad triennium, firmo iuramento ad tramitem Bullae* « Speculatores » *et cum testimonialibus ad tramitem iuris, facto verbo cum SS.mo.*

$\frac{4235}{3}$ **B. — In Folio.**

Mutinen. — Oneris missarum et residentiae.

Quum suborta fuissent dubia circa ultimam voluntatem testatoris, tum quoad missarum celebrationem et applicationem, tum circa alias dispositiones a testatore taxative impositas, Emi Patres rescripserunt interpretationem fieri debere iuxta mentem testatoris et tabulas fundationis.

Testamento diei 2 Octobris 1322 iudex Iacob de Casariis, dioeceseos Mutinensis, nomine proprio suaeque uxoris Thomasinae in eiusdem civitatis ecclesia Cathedrali simplex beneficium sub titulo S. Aegidii fundavit, cum congrua assignatione dotis, quae hodie ad annuum redditum nitidum libell.* 1328,22 ascendit. Tunc temporis eleemosyna Missae erat 38 cent., modo autem iuxta dioecesanam taxam est unius libellae.

Beneficiarius imprimis (sunt verba testatoris) « teneatur « in ipsa *(civitate nempe Mutinae)* perpetuam residentiam « facere, nec possit, post meum decessum et praedictae « uxoris meae per aliquem successorum meorum seu praedictorum patronorum, sibi dari licentia, quod a dicto beneficio ultra tres dies et duas noctes per quemlibet mensem se valeat absentare ».

Praeterea, prosequitur pius testator, idem beneficiarius « in praedicta ecclesia maiori teneatur quotidie divinis officiis omnibus et exequiis mortuorum cum caeteris beneficiariis interesse, ac in ea in omnibus deservire secundum « provisionem ac ordinationem D. Episcopi Mutinensis sub « poena, quae in Constitutionibus synodalibus continetur. « In omnibus principalibus et maioribus solemnitatibus Missam et officium totum solemnitatis occurrentis solemniter « celebret iuxta morem ecclesiae. Cessantibus autem solemnitatibus supradictis, diebus ferialibus Missas celebret in « hunc modum: videlicet ut, feria secunda et quinta, Missas « celebret defunctorum nominatim pro anima mea, uxoris « meae praedictae et omnium suprascriptorum *(nempe parentum)*; tertia vero feria, Missas celebret in honorem « B. Aegidii; quarta in honorem B. Geminiani; sexta de « Cruce; Sabbato vero in honorem N. D. V. Gloriosae ».

Iamvero abhinc a saeculo nonnisi 36 Missae quotannis celebrantur, quin aliquo modo constet de obtenta a legitima

auctoritate dispensatione; item ab eodem tempore beneficiarii S. Aegidii choro ecclesiae Cathedralis non intersunt. Quapropter Capitulum Mutinense primo a. 1835 et dein a. 1843 apud beneficiarios ac patronos instilit pro quotidiana Missae celebratione nec non pro quotidiana divinis officiis praesentia; at illi opposuerunt Missas ad 36 reductas fuisse, atque beneficiarium ad choro interessendum minime teneri. Constat dumtaxat unum ex praefatis beneficiariis expostulasse a Sede Apostolica dispensationem a chorali servitio.

In praesentiarum autem Sacerdos Celsus Cavazzoli, 45 annorum natus, a patrono Comite Claudio Boschetti legitime nominatus beneficium S. Aegidii obtinuit. Hic, quamvis admittere videatur ipsum teneri iuxta tabulas testamenti ad quotidianam Missae celebrationem in ecclesia Cathedrali Mutinen., contendit tamen iuxta easdem tabulas ad duas tantum Missas in qualibet hebdomada, imo iuxta memoratam consuetudinem centenariam ad 36 Missas applicandas teneri. Recognoscit insuper se quotidie obstringi servitio chorali; nihilominus ab H. S. C. petit ut facultas, sibi a fundatore concessa abessendi scilicet per tres dies et duas noctes in quolibet mense, in integrum mensem quotannis commutetur, eaque, si fieri potest, ad tres menses continuos extendatur.

Praeterea testator Iacob de Casariis capellano S. Aegidii onus imposuit quotannis solemniter celebrandi festivitatem S. Aegidii et anniversarium ipsius fundatoris, nec non quamdam pecuniae summam impendendi inservientibus Cathedralis ecclesiae atque civitatis pauperibus. Quae obligatio a praecedentibus beneficiariis adimpleta non videtur, et iuxta actualem beneficiarium compensata fuit per annuam eleemosynam libell. 25 cuidam pio Operi Pauperum Christi nuncupato.

Comes Boschetti capellaniae patronus rite interrogatus, decisionibus H. S. C. se plene subiecturum professus est.

Quibus omnibus de more expletis causam iussi poni *in folio* et disceptari sub infrascriptis dubiis.

Modo praestat rationes, quae hinc inde deduci possunt, pro meo munere subiicere.

Affirmandum in primis videtur capellanum S. Aegidii ad missam quotidie celebrandam in ecclesia Cathedrali Mutinen. adstrictum non esse. Sane iuxta Apostoli effatum « *littera occidit, spiritus autem vivificat* », testamenti verba accipienda sunt non materialiter uti sonant, sed iuxta pii testatoris mentem atque iuxta totum contextum interpretari debent. Mens testatoris praecipue in eo fuit ut ecclesiae Cathedralis cultus magis ac magis adaugeretur; quemadmodum ipsum Cathedrale Capitulum fatetur. Cultus vero augmentum obtineri optime valet per adsistentiam divinis officiis atque aliis sacris functionibus, quin necesse sit quotidie missam celebrare.

Sed hoc etiam praetermisso, viget plus quam centenaria consuetudo, vi cuius 36 missae tantum quolibet anno celebrantur. Et, praeter actualem beneficiarium et Capitulum, ipse Episcopus Mutinen. fatetur: « da più di cento anni se « ne sono celebrate annualmente 36 messe ». Centenaria autem consuetudo inducit, si non praescriptionem de qua infra, saltem praesumptionem de Apostolico Indulto rite impetrato ad hoc ut testatoris voluntas immutaretur; quippe scitum est defunctorum dispositiones Apostolica posse auctoritate commutari.

Sed insuper quaelibet consuetudo iuxta *Decret. (lib. 1, tit. 4, c. 11)* « si fuerit rationalis et legitime praescripta » aequivalet privilegio Apostolico, meliorem titulum de mundo praebet, atque « vel ipso iuri positivo praeiudicium generare » valet. Hinc Benedictus XIV *(De Syn. dioec., lib. 12, c. 8, n. 8)* ita citatum Decretalium caput interpretatur: « Nihil magis tritum quam legem quamlibet humanam, « etiam canonicam, posse contraria consuetudine, quae sit « rationalis et legitime praescripta, abrogari ». Cfr. etiam Digest. *(lib. I, tit. 3, l. 32 et 35)*; Schmalzgrueber *(Ius eccl., part. I, tit. 4, n. 20 et 21)*; Pignatelli *(Cons. can. 25, n. 2, tom. 10)*, etc. Quinimo etiam quadragenaria consuetudo sufficit ad praescribendum contra ecclesias, decimas et iura episcopalia iuxta Decret. *(lib. II, tit. 26, c. 6, 8 et 9)*; Reiffenstuel *(lib. I Decret., tit. 4, n. 105 seq.)*.

Neque obiici potest quod rationalis et legitima praescriptio contra missarum onera non est admittenda, quum *contra non valentem agere non currat praescriptio.* Nam praescriptio iuxta generalia iuris principia potest invalescere contra quodcumque ius aut bonum alterius etiam ignorantis, nisi in lege adsit specialis exceptio; at in iure canonico nulla omnino invenitur exceptio quod non currat praescriptio contra defunctornm voluntatem; ac proinde etiam contra missarum onera praescribi potest.

Praeterea fundatio et beneficium admittunt praescriptionem, uti eruitur ex cap. 5 Decret. in 6°; ergo a fortiori onera ipsi beneficio adnexa. Regula vero generalis, vi cuius *contra non valentem agere non currit praescriptio* non videtur facere ad rem; nam si testator defunctus nequit per se ipsum agere, potest imo debet agere per testamenti executores, per proprios haeredes et patronos et praesertim per Episcopos, qui a Conc. Trid. *(Sess. 22, cap. 8, de Reform.)* iubentur ut: « etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati, « in casibus a iure concessis, omnium piarum dispositionum « tam in ultima voluntate quam inter vivos sint executores ».

Quam doctrinam de onerum missarum praescriptione tuentur graves et magnae notae Doctores, uti Layman *(Theol. mor., lib. III, tract. I, c. 8, n. 13)*; Pasqualigo *(De sacrif. novae legis, quaest. 1192)*; La Croix *(lib. IV, n. 852)*; Pellizarius *(Manuale Regularium, tract. V, c. 9, n. 92)*, qui insuper testatur viros doctos a se consultos esse eiusdem mentis; aliique plures a Ferraris citati *(Bibl. can., v.* Usucapio, § *1, n. 17)*, inter quos nonnulli, hanc sententiam secutam esse Rotam, fidem faciunt.

Quibus accedunt resolutiones H. S. C., uti in *Perusina Cappellaniae*, 15 Sept. et 24 Nov. 1827, in qua recognita fuit praescriptio centenaria celebrandi tres tantum missas in hebdomada contra fundationem quotidianae missae; necnon in *Imolen. – Legati pii*, 27 Febr. 1858, ubi S. H. C. imminuta imo et perempta fuisse onera missarum propter contrariam consuetudinem bona fide inductam declaravit; demum in *Oxomen. – Fundationis Cappellaniarum*, 26 Iunii 1897, (1) in qua magni aestimata est pro missarum reductione contraria invecta consuetudo.

Caeterum ipsi Many *(De Missa, n. 72, p. 137, nota 2)*, qui contrariae sententiae assentit, inefficacia videntur eiusdem sententiae argumenta, si unum demas, quod supra refutatum est. Imo D'Annibale *(Sum. theol. mor., tom. III, n. 67, pag. 76, nota 14, ed. III)*, quamvis veriorem dicat sententiam eorum negantium onera missarum posse consuetudine saltem quadragenaria deleri vel minui, admittit tamen hac in re vim praescriptionis immemorabilis seu centenariae, et rationem addit, quia « haec loco tituli pene est ». Quod ad unguem facit in casu praesenti. Ferraris *(Bibl. can. v.* Usucapio, § *1, n. 17-19)* utriusque opinionis placita in medium affert, se ipse ab eligendo abstinet. Unde recte concludendum est hanc quaestionem de praescriptione onerum missarum saltem obscuram et dubiam esse: quo posito, locum habere debet regula iuris 9, ff. *de div. reg. iuris:* « semper in obscuris, quod minimum est sequamur »; vel regula 30 iuris in 6° « in obscuris minimum est se-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. V, p. 288.

quendum », nempe imponenda non est certa obligatio celebrandi quotidianam missam, quum non satis de ea constet.

Duo demum heic subiicienda censeo, 1° quod nullo pacto insimul conciliari potest numerus 288 missarum, quem Capitulum Cathedrale in epistola ad Episcopum Mutinen. diei 1 Sept. 1843 postulaverat, prout hodiernum Capitulum asserit, cum numero 365 missarum seu cum quotidiana missae celebratione.

2° Quod cum Canonici tunc temporis in facta protestatione contra S. Ægidii Cappellanum ab Episcopo exauditi non fuerint, implicite ab eodem Episcopo recognitus fuit numerus missarum celebrandarum. Si enim Mutinensis Episcopus exceptionem Capituli uti legitimam habuisset, revocare debuisset cappellanum ad onera fundationis plene adimplenda; sed hoc minime constat factum fuisse. Concludendum igitur est praefatam consuetudinem veluti legitimam etiam tunc recognitam fuisse.

Hisce tamen non obstantibus non videntur deesse graves rationes quae prorsus suadeant, cappellanum S. Ægidii teneri ad quotidianam missae celebrationem in Cathedrali ecclesia Mutinensi. Vinculum enim a testatore impositum adeo clarum est, ut nullam ambiguitatem inducere valeat, uti constat ex ipsius verbis supra relatis. Ibidem enumerantur dies singuli, in quibus cappellanus celebrare debet imo et ritus missae indigitatur, quod vel ipse actualis beneficiarius admittit: ait enim: « fermo restando nell'investito l'obbligo di celebrare ogni giorno ». Conveniunt Capitulum et Episcopus.

Insuper nullum exhibetur indultum Apostolicum, quo comprobari saltem possit numerum missarum ad 36 reductum fuisse. Episcopus admittit factum celebrationis 36 missarum iam a saeculo, sed statim addit: « senza che consti di riduzione chiesta ed ottenuta dalla competente autorità ».

Quoad praescriptionem vero, quae existere dicitur relate ad missarum reductionem, animadvertendum est, quod ut praescriptio currat seu ut suos obtineat effectus, necesse omnino est ut omnibus vestiatur conditionibus praerequisitis. In themate autem praescriptio haberi nequit, quia non fuit pacifica. Sane Episcopus fidem facit, Capitulum a. 1835 et deinde a. 1843 reclamasse apud cappellanos ipsosque patronos; sed incassum...

Capituli votum est, quod beneficiarius S. Ægidii teneatur quotidie missam celebrare in Cathedrali...

At his etiam praetermissis, non videtur utiliter invocari posse praescriptionem contra missarum onera, ac proinde standum esse tabulis testamentariis, quacumque consuetudine in contrarium non obstante. Hoc pluribus argumentis evincunt Theologi et Canonistae, uti videre est penes S. Alphonsum *(lib. VI, n. 324)*; sed praecipuum reponendum videtur in illa iuris naturalis regula, quod nempe *contra non valentem agere, non currit praescriptio.* Huiusmodi regula deprompta est ex iure romano, in quo res pupilli, durante pupillari statu, praescribi nequiverant, quemadmodum liquet ex Dig. *(lib. 41, tit. 1, l. 48)*, necnon ex Cod. *(lib. VII, tit. 39, lib. 3)*, ubi « pupillari aetate dumtaxat, « quamdiu sub tutoris defensione consistit, huic eximenda « sanctioni », videlicet statutae ibidem praescriptioni. Quae praescriptio habebatur ut poena negligentiae illius contra quem praescribebatur, uti constat ex Cod. *(lib. VII, tit. 40, l. 1)*, quae sic finitur: « Quis enim incusare eos poterit, si hoc non fecerint, quod etsi maluerint, minime adimplere lege obviante valebant? »

Haec regula ex iure romano in canonicum pertransiit, quemadmodum liquet tum ex Decret. (*lib. II, tit. 26, c. 1*), in quo declaratur praescriptionem non currere contra Ecclesiam Cathedralem, si sit vacans, vel titularis sit schismaticus; tum ex Decret. (*c. 10, eiusdem tit.*) ubi declaratur tempore pestilentiae non currere praescriptionem. Atqui defunctorum animae, pro quibus Missae sunt celebrandae, agere prohibentur non solum lege, sed tamquam pupillae etiam ipso statu: « Sicut enim, ait Ferraris (*Bibl. can., v.* « Usucapio, *n. 18*), pupilli ob defectum aetatis, ita animae « ob defectum status causam agere non valent. Unde sicuti « negligentia aut carentia tutoris non potest cadere in detri« mentum pupilli, ita nec negligentia aut carentia haere« dum, etc., in detrimentum illarum animarum; adeoque « contra eas non datur praescriptio », quare nulla negligentia imputari posset animabus defunctorum, Confer etiam Amostazo, (*De causis piis, lib. II, c. 10, n. 43-48*); S. Alphonsum, (*lib. IV, n. 324*); Lucidi, (*De Visit. SS. Liminum, c. VII, n. 11-18*); D'Annibale, (*Sum. Theol. mor., tom. 3, n. 67, p. 76, nota 14, ad. III*); et alios passim. Imo D'Annibale (*loc. cit.*) addit: « Quod et aliam rationem habet, « quia applicata (*onera nempe Missarum*) praeter inten« tionem constituentium perinde sunt ac si applicata non « fuerint ».

Nec iuvat dicere, hanc exceptionem favore defunctorum non inveniri in iure; nam ipsa, saltem implicite continetur in iure sive romano, sive canonico, veluti constat ex communi doctorum interpretatione, qui regulam generalem *contra agere non valentem non currit praescriptio* induxerunt. Cfr. Reiffenstuel (*Ius can., lib. II, tit. 26, n. 200 et 201*); Barbosa (*De officio et potest. Episcopi, part. III, alleg. 132, n. 16*).

Item non obstat quod defuncti, licet agere non possint per se, agere tamen possunt per alios, nempe per haeredes, patronos, episcopos; haec enim facultas agendi per alios hac in re non attenditur, uti liquet ex supra citatis regulis iuris, quae praescriptionem non admittunt contra pupillos, quamvis tutores habeant, et contra vacantem Ecclesiam, licet adsit Capitulum et Vicarius capitularis.

Altera nunc quaestio est expendenda circa missarum nempe a testatore impositarum applicationem, vel simplicem celebrationem. Ex textu tabularum fundationis clare eruitur capellanum teneri ad applicationem feria secunda et quinta cuiusque hebdomadae, dummodo aliqua solemnitate non impediatur; in aliis vero diebus et in ipsis solemnitatibus sermo est tantum de simplici celebratione.

Uti primo intuitu apparet, testator feria secunda et quinta applicationem missae praescribit pro anima sua suorumque, e contra aliis in diebus vult ut missae celebrentur in honorem sanctorum, quos recenset, et erga quos maiorem devotionem fovebat. Heic enim locum habet argumentum, quod discretivae locutionis vocatur. Sane Benedictus XIV (*De sacrif. Missae, lib. III, c. 9, n. 3*) habet: « .... Si « fundator iusserit certum sibi missarum numerum applicari, « de aliis vero nihil amplius dixerit, quam ut eae cele« brentur, ex hoc diverso loquendi modo, diversa oritur « ratio; quamobrem aliquando Sac. Congregatio respondit « nullam obligationem esse applicandi eas missas, quas fun« dator dumtaxat iusserit celebrari, nec quidquam dixerit « de earum applicatione. Nam praesumitur eum, quemad« modum in iis, quas voluit sibi applicari diserte id ipsum « iussit, ita reliquarum, de quarum applicatione nihil decla« ravit, voluisse sacerdoti liberam applicationem relinquere ». Ad rem faciunt sequentes H. S. C. resolutiones, uti in *Collen. Applicationis sacrificii*, 28 Aug. 1683; *Romana. Applicationis sacrificii*, 8 Aug. 1711; *Ferrarien. Applicationis sacrificii*, 11 Iunii 1729. Cfr. Ferraris (*Bibl. can., v. Missa, art. III, n. 15 in fine*); Gasparri *(De Eucharistia, c. 4, n. 494)*; Many *(De Missa, n. 54 ad 4)*. Qui omnes in hoc conveniunt, quod diversus loquendi modus quo utitur fun-

dator in praecipiendis Missis celebrandis, diversitatem quoque ipsius testatoris voluntatis inter unum et alium casum manifestat; hinc in themate onus applicationis coarctandum est ad duas tantum Missas in hebdomada.

Praeterea Ferraris *(loc. cit. n. 15)* addit: « Si beneficium « sit ex antiquis, in quibus pro penuria sacerdotum intendebatur principalius commoditas populi, honor loci vel « templi, vel sancti, Navarrus, Rosignolus, Gobat, Fraxi- « nellus, Riccius, Genuensis, et alii sustinent capellanum non « obligari ad applicationem sacrificii ».

Beneficium autem in casu non solum est ex antiquis, sed ex antiquissimis, quum initio saeculi decimi quarti fundatum fuerit.

Congruunt insuper plures H. S. C. decisiones, uti in *Brixien. - Legati pii*, 12 Iunii 1858, in qua declaratum fuit impositam obligationem celebrandi in commodum fidelium non semper importare onus applicationis missarum; item *Tridentina Applicationis Missarum*, 27 Feb. 1760; *Mediolanen. - Oneris Missarum quoad applicationem*, 21 Nov. 1903 (1), in qua concessa fuit, ad cautelam tamen, dispensatio ab onere applicationis pro fundatore; necnon nuperrime in altera *Mediolanen. - Applicationis Missarum*, 19 Nov. 1904 (2), in qua rescriptum fuit: « Standum praxi hucusque servatae », celebrandi nempe quotidie sed tantummodo applicandi tribus singulae hebdomadae diebus.

In themate autem pius testator, quemadmodum iam visum fuit, intentionem habuit augendi cultum divinum in Ecclesia Cathedrali, non solum, sed etiam colendi sanctos, quos singillatim nominat, praesertim vero S. Aegidium, in cuius honorem fundavit beneficium.

Ipsum Capitulum, prouti constat ex supra relato voto, interpretatur testamentum in casu ut saltem quater in hebdomada applicatio Missae sit omnino libera; imo subiungit hanc et non aliam fuisse interpretationem e praecedentibus Capitularibus factam.

Caeterum in hanc interpretationem adducit, et ipsa regula 57 iuris in 6°: « Contra eum, qui legem dicere potuit apertius, est interpretatio facienda » seu quod idem est, testator quod voluit expressit, quod non voluit, non expressit. Atqui pius legator de Casariis tantum in duobus diebus velle applicationem quoque missae praescripsit.

Praeterea fundatoris intentio exigendi solam celebrationem in caeteris hebdomadae diebus, non autem applicationem missarum, apparet ex ipsa centenaria consuetudine applicandi solum 36 missas. Consuetudo enim, sicut legum ita etiam fundationum optima interpres est. Sane S. C. Rituum in una *Monasterien.*, 14 Iunii 1845, n. 2892 ad 1, permitti posse respondit consuetudinem in dioecesi Monasteriensi extantem, vi cuius Missa tantum celebratur et non applicatur pro anima fundatoris, quum in tabulis fundationis nihil statutum sit de certa ipsius fundatoris intentione.

Item recenter in supra citata *Mediolanen. - Applicationis Missarum*, 19 Nov. 1904, in qua S. H. C., non amplius extantibus tabulis fundationis, rescripsit « standum praxi hucusque servatae », celebrandi videlicet quolibet die et ter dumtaxat in hebdomada applicandi.

Accedit quod, ut supra est relatum, adest praxis plus quam centenaria celebrandi atque applicandi dumtaxat 36 Missas quotannis; quae praxis, si non observantiam praescriptivam, saltem praesumptivam Apostolici privilegii inducit.

Demum nullimode admittenda videtur praetensio Capituli. Etenim huiusmodi onus tunc temporis modo transitorio impositum fuit capellano S. Aegidii. Hodie autem, nulla habetur ratio sufficiens concedendi quod Canonici petunt, sive quia onera beneficiarii non sunt dubia, uti Capitulum insinuare vult, sed certa et determinata uti constat ex dictis; sive quia ageretur contra explicitam voluntatem testatoris, qui onus canendi quartaliter in mense missam conventualem non imposuit. Quod « nonnisi ex iusta et necessaria causa fieri debet » ut docet Conc. Trid. *(Sess. 22, c. 6, de Reform.)*, cum defunctorum voluntates sunt inviolabiliter servandae ex quolibet iure et ex communi doctorum sententia.

Ad summum igitur capellanus praefatus teneretur tantummodo ad 36 missas celebrandas, iuxta praxim hucusque servatam. Imo, etiamsi constaret de quotidiana Missae applicatione, videtur concedenda capellano sanatio pro praeterito et reductio applicationum ad 36, quemadmodum ipse postulat, pro futuro. Ipse enim est pauper; familiam habet pauperem; gratuito fungitur munere Custodis Sanctuarii S. Mariae de populo; substinere debet servitium chorale quotidianum; necessitates vitae quotidie augentur etc. Adest praeterea praxis centenaria 36 missas applicandi. De caetero ipse promittit quotidie celebrationem missae, quod non fecerunt praeteriti capellani. Haec autem missarum reductio ex eo videtur etiam concedenda, quia redditus beneficii sunt imminuti, quae est causa sufficiens uti constat ex *Tudertina - Reductionis onerum*, 27 Ian. 1827; *Romana*, 27 Iunii 1829, etc.; et nuper ex *Limburgen. - Applicationis Missarum*, 15 Sept. 1903 (1), et ex *Romana - Reductionis et translationis Missarum*.

At ex adverso sustineri etiam potest beneficiarium teneri nedum ad missam quotidie celebrandam, sed etiam applicandam ex sequentibus motivis. In primis hoc erui potest ex verbis ipsius testatoris, qui praeter missae celebrationem et applicationem, diversum quoque praescripsit ritum celebrandi; nempe solemniter in diebus solemnibus, in aliis vero diebus seu ferialibus voluit ut bina vice in hebdomada Missa esset de defunctis, in aliis quatuor diebus de Sanctis ibidem recensitis. Ante enim reformationem Missalis Romani aliorumque librorum liturgicorum sub Pio V peractam, praeter dies dominicos, paucissimi erant dies solemnes, si excipias festa Apostolorum; alii dies erant feriales vel uti nunc vocari solent semiduplices vel simplices. Hinc nil mirum si missam pro defunctis vel de Sanctis testator statuit.

Aliud non indifferens argumentum in themate desumitur ex subsequentibus testamenti dispositionibus: « In omnibus « autem missis superius nominatis volo et prout possum in- « violabiliter servandum mando, ut idem sacerdos, sub poena « sacramenti praestandi, debeat infra canonem Missae, ubi « agitur commemoratio defunctorum, haec nomina expresse « proferre (*testatoris nempe, uxoris et parentum*), et ita « feriatim volo in libro Missali ipsius beneficii fore scripta ». Iamvero oratio, quam fundator praescribit faciendam pro se suisque in missa, per se missae ipsius applicationem importat, uti eruitur ex causa *Ventimilien.*, 27 Apr. 1700, quam refert Benedictus XIV *(De sacrif. Missae, lib. III, cap. 9, n. 3)*, ubi haec habentur: « Gubernatores humiliter « supplicant pro declaratione an sacerdos ad celebrationem « missae eligendus, teneatur illam applicare attentis verbis « testatoris et in ea orare pro anima ipsius testatoris, nulla « facta mentione applicationis, cum aliud sit orare, aliud « Missam applicare »; et S. C. Concilii respondit: « Sacer- « dotem teneri ad applicationem Missae ». Cfr. Gasparri *(De Eucharistia, n. 494)*.

Praeterea idem evincitur ex verbo *celebrare*, quo fundator utitur etiam quando nullimode applicatio Missae excludi potest; sane ipse prosequitur quod beneficiarius facere

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 445.

(2) *Item.*, vol. XII, p. 445.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 484.

debet anniversarium, et « quod omnes presbyteri ea die « pro animabus praedictorum Missam debeant *celebrare* ». A pari ergo dicendum quod in aliis locis, ubi hoc verbum *celebrare* invenitur, pro applicatione accipiendum est.

Quin imo actualis capellanus ad tramitem testamenti, uti fatetur, missae applicationem quotidianam admittit; ait enim: « Chiedesi infatti *(nempe a subscripto beneficiario)* « se l'applicazione della S. Messa *ad mentem fundatoris* « debba tenersi obbligatoria giornalmente, ed inclinando a « tenerla tale per lo spirito che anima nel suo insieme la « fondazione... », quamvis postea aliunde desumat rationem dubitandi. Capitulum vero saltem dupliciter in hebdomada applicationem missae admittit.

Haec quoad factum, in iure sequentia sunt prae oculis habenda.

Regula generalis est, quod, quando in beneficiorum fundatione imponitur Missae celebratio, quin aliud addatur de eiusdem applicatione, praesumendum omnino est appositum fuisse quoque applicandi onus pro fundatoris intentione. Nam iuxta regulam iuris 114 ff. *de div. reg. iuris:* « In obscuris inspici solet, quod verisimilius est, aut quod plerumque fieri solet »; necnon iuxta regulam *45 iuris in 6°:* « Inspicimus in obscuris quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit », concludendum est, esse verisimilius, eum, qui fundaverit beneficium et Missae celebrationem imposuerit, voluisse eamdem etiam sibi applicari. Et haec est constans S. H. C. iurisprudentia, prouti liquet in *Tinen. – Applicationis sacrificii*, 18 Martii 1668; *Ferrarien.*, 26 Martii 1718; *Alexandrina*, 11 Martii 1719, etc.; necnon in causa *Applicationis Missarum, absolutionis et reductionis*, 9 Apr. 1870. Cfr. Benedictum XIV *(De sacrif. Missae, lib. III, c. 9, n. 2; Institutiones eccl. 56, n. 9)*; Ferraris *(Bibl. can., v. Missa; art. III, n. 15)*.

Hinc sequitur postulandam esse a S. Sede sanationem pro praeteritis applicationibus omissis. In posterum autem non videtur concedenda reductio Missarum ad 36, veluti postulat actualis beneficiarius, quia ut ait Episcopus nulla habetur in praesenti ratio sufficiens. Testimonium Episcopi, praesertim hac in re, magni faciendum est, quum ipse bene noscat omnia particularia adiuncta. Sed etiam praecisione facta ab hoc, certe redditus *libell. 1328.22*, quem nunc fert beneficium, videtur satis sufficiens ad occurrendum necessitatibus et placitis, tum praesentibus quam futuris beneficiarii. Eo vel magis quod actualis capellanus alia emolumenta percipit ex munere coadiutoris, quod penes proprium parochum exercet. Paupertas familiae non videtur ratio sufficiens reductionis Missarum, quum eiusdem paupertati aliqualiter, prout sacerdotes decet, provideri possit.

Praeterea missarum reductio est odiosa, et non potest concedi nisi ex iusta et necessaria causa, uti docet Conc. Trid. *(Sess. 22, c. 6, de Reform.)*, et uti eruitur ex *Florentina, Reductionis onerum*, 2 Aug. 1823, ex *Feretrana, Reductionis onerum*, 14 Aug. 1824, et ita passim. Quin imo H. S. C. interdum potius alia onera quam numerum Missarum coërcere voluit, uti in *Taurinen. – Reductionis*, 28 Nov. 1791, et in aliis resolutionibus videri potest; hanc etiam ob rationem, quia defuncti uberiorem fructum a sacrificio Missae quam ab aliis piis operibus consequuntur.

Quod ad servitium chorale attinet, videtur capellanum S. Aegidii minime teneri quotidie choro interessendi. Non impugnatur tabulas testamentarias imponere servitium chorale quotidianum; nihilo tamen secius id contenditur ex consuetudine saltem centenaria, iuxta quam dictus beneficiarius divinis officiis in Cathedrali ecclesia non intersit. De hac enim consuetudine fidem facit vel ipsa Canonicorum protestatio capellanis et patronis exhibita a. 1835 et a. 1843, ut quotidiana choro assistentia obtineretur; sed capellani semper sese abstinuerunt ab hac officiatura praestanda.

Quae praxis saltem centenaria induit vim praescriptivam contra tabulas testamentarias, vel saltem praesumptivam Apostolici Indulti; quemadmodum loquendo de missae celebratione ostensum est.

Accedit praeterea acquiescentia tum Capituli, et quod maioris ponderis est, ipsius Curiae dioecesanae, quae ex officio tenetur curare, ut fideliter adimpleantur omnia legatorum onera, et tamen super servitio quotidiano chorali a beneficiario praestando semper altum silentium tenuit.

Sed etiam dato et non concesso, quod capellanus S. Aegidii debeat quotidie choro interesse, non ex hoc sequitur quod volunt Canonici, quod scilicet ipse punctaturae subiiciatur.

Imprimis sese opponit actualis beneficiarius; deinde haberetur immutatio voluntatis testatoris, qui nullam admittit punctaturam, imo quodlibet onus excludit a suo capellano hisce verbis: « Et nolo quod sacerdoti qui pro tempore « fuerit in dicto beneficio, vel ipsi beneficio seu possessio- « nibus ipsius nulla possit imponi colecta, procuratio vel « alia quaevis exactio, quocumque nomine censeatur per « aliquem cuiuscumque conditionis existat, vel etiam digni- « tatis, nec ad ipsa solvenda dictus beneficiarius, beneficium, « sive possessiones et bona ipsius beneficii ullatenus te- « neantur ».

Nec officit Conc. Trid. *(Sess. 22, c. 3, de Refor.)* concedens Episcopis, etiam tamquam delegatis Apost. Sedis, facultatem statuendi distributiones quotidianas ex tertia parte fructuum quorumcumque, quam amittere debent servitio chorali non interessentes; nam huiusmodi depositio respicit tantum beneficia liberae collationis, non autem beneficia iurispatronatus, in quibus patroni ius habent etiam conditiones apponendi in limine fundationis, quae iuri communi obstare possunt. Hoc autem verificatur in casu praesenti; eo vel magis quod praebenda huius beneficii est distincta a reliqua massa chorali.

Ex adverso animadverti potest pro certo habendum esse capellanum in casu teneri ad quotidianam officiaturam in Ecclesia Cathedrali praestandam. Testamenti verba sunt luce meridiana clariora: « Praeterea volo et ordino *(habet te- « stator)* quod dictus beneficiarius meus in Ecclesia maiori « teneatur quotidie divinis officiis omnibus et exequiis mor- « tuorum cum caeteris beneficiariis interesse, ac in ea in « omnibus deservire secundum provisionem ac ordinationem « D. Episcopi Mutinensis, sub poena quae in Constitutionibus « synodalibus continetur ».

Insuper ipse actualis beneficiarius recognoscit hoc sibi onus impositum esse. Cui congruit Capitulum.

Nec quidpiam valet obiectio ex eo deprompta quod a centum annis beneficiarii chorum non frequentent; nam consuetudo etiam centenaria, ut iam fuit probatum, nequit praescriptionem contra fundationum onera inducere. Eo vel magis quod haec consuetudo non fuit pacifica, ob Capituli protestationem patronis ac beneficiariis factam. Sed nec privilegium Apostolicum admitti debet, quippe quod si revera extitisset, Capitulum Cathedrale praeterito tempore non reclamasset onerum adimplementum. Quinimo constat unum saltem ex beneficiariis dispensationem abessendi a choro postulasse a S. Sede; quae dispensatio inutilis evaderet, si admittatur praeexistens Apostolicum indultum.

Videtur praeterea exaudienda petitio tum Episcopi tum Capituli, ut nempe beneficiarius S. Aegidii aequipararetur aliis mansionariis cum omnibus honoribus et oneribus, praesertim vero subiiciatur punctaturae chorali. Nam imprimis ob defectum huiusmodi taxae evenit ut capellani S. Aegidii

tam frequenter abfuerint a choro, quod fiat etiam pro futuro. Praeterea Conc. Trid. *(Sess. 21, c. 3, De Reform.)*; et *(Sess. 22, c. 3, De Reform.)*, vult, ut omnes beneficiarii amittant distributiones quotidianas, vel, quod idem est, subiiciantur puncturae, quando, sine causa a iure recognita, non intersunt divinis officiis. Ratio est quia distributiones, seu puncturae, invectae sunt et a iure statutae ut chorali servitio addicti de negligentibus diligentes, de tardis assidui fierent, et iuxta Conc. Trid. (*Sess. 21, c. 3, De Reform.*), « ne qua in parte minuatur divinus cultus sed ei debitum « omnibus in rebus obsequium praestetur ».

Ultimo loco capellanus Cavazzoli ab H. S. C. petit ut facultas sibi concessa a fundatore abessendi a residentia per tres dies et duas noctes in quolibet mense commutetur in mensem continuum, et etiam, si fieri potest, extendatur ad tres menses. Et non immerito. Nam fundator, in hoc onere imponendo, vetuit dumtaxat propriis successoribus et haeredibus ut maiorem concederent absentiam beneficiariis, sed ex hoc plane fluit facultatem illimitatam reliquisse auctoritati ecclesiasticae. Ergo legitima auctoritas potest aliter statuere, praesertim si iustae dispensationis causae adsint. Quae revera inveniuntur in themate; nam actualis capellanus infirmitate est affectus, ob quam, iuxta medici attestationem, indiget: « nelle stagioni estive di cure idroterapiche e climatiche collo scopo di impedire la recidiva »; quae cura saltem aliquem mensem postulat. Uniformis atque constans est iurisprudentia S. H. C. ut quoties de infirmitate constet, nunquam denegetur indultum vacationis a choro et absentiae a residentia; id enim aperte fluit ex celebri capite *De Cler. non resid. in 6°*, iuxta quod distributiones percipiunt « quos infirmitas, seu iusta et rationabilis corporalis necessitas; aut evidens Ecclesiae utilitas excusaret ». Ita ut huiusmodi naturalem benignitatem nullo modo impedire potest nec oppositio Capituli nec aliorum interesse habentium, uti constat, caeteris omissis, in *S. Severinae, Indulti*, 5 Sept. 1903 (1).

Eo vel magis quod in casu non agitur de indulto concedendo sed tantum de commutatione temporis abessendi a residentia. Imo Conc. Trid. *(Sess. 24, c. 12, De reform.)* concedit omnibus Capitularibus facultatem abessendi a residentia per tres menses etiam continuos; ergo iustum et aequum est ut etiam in themate applicetur ius generale.

Accedit quod praefatus Cavazzoli in maxima parte sustinere debet onus paroeciae, in qua est coadiutor, quum etiam Parochus ob infirmitatem a paroecia saepe saepius discedere obstringatur. Quinimo idem Cavazzoli gratuito omnino ob cleri defectum regit Sanctuarium B. M. de Populo, ac proinde non immerito concedi eidem potest indultum abessendi a residentia per tres menses continuos saltem ad tempus limitatum puta per triennium.

Sed e converso in contrarium notari posset rationes adductas ad obtinendam petitam facultatem abessendi a residentia non videri sufficientes, ut gratia concedatur. In primis huic facultati sese explicite opponit testator, qui taxative statuit ut suus capellanus per tres dies et duas noctes tantum in quolibet mense abesse possit, nec illi conceditur maior facultas. Praeterea saltem esse necessaria causa gravissima, quae in themate non habetur, tum quia attestatio medici quum non sit iurata, fidem facere nequit, tum quia infirmitas non est tam gravis ut indultum petitum concedendum sit.

Quoad dispositionem Conc. Trid. *(Sess. 24, c. 12, De reform.)* observandum est quod nihilominus debent esse salvae earum ecclesiarum (ac proinde fundationum) constitutiones « quae longius servitii tempus requirunt ». Munus coadiutoris parochialis necnon Praesidis Sanctuarii B. M. V. nihil prodesse potest, quum potius capellanus Cavazzoli teneatur utrumque derelinquere, ut possit debita diligentia et cura adimplere officium beneficiarii S. Ægidii. Dicendum heic esset aliquid de commutatione aliorum onerum a capellanis facta in erogationem annuam libellar. 25 favore pii Operis Pauperum Christi, sed huic quaestioni aptari facile possunt superius allegata principia.

Hisce adnotatis modo proponuntur sapientiae et prudentiae EE. VV. pro solutione sequentia

DUBIA

I. *An et quot missas capellanus teneatur in Ecclesia Cathedrali celebrare in casu.*

II. *An et quot missas capellanus teneatur quotannis applicare pro fundatore in casu.*

III. *An et ad quale chori servitium capellanus teneatur in casu.*

IV. *An et quomodo annuendum sit postulatis tum circa missarum onus, tum circa chorale servitium capellani in casu.*

V. *An et quomodo servanda sit praxis inolita circa festivitatem S. Ægidii et anniversarium pro fundatore in casu.*

Emi Patres rescripserunt: *Ad 1um Affirmative quotidie. Ad 2um Affirmative quotidie iuxta mentem fundatoris. Ad 3um Affirmative iuxta tabulas fundationis et ad mentem. Ad 4um Provisum im praecedentibus. Ad 5um Serventur tabulae fundationis.*

485/4 II.

Taurinen. — Dismembrationis.

Denegata fuit petita paroeciae dismembratio, etiam ab ipso Emo Archiepiscopo enixe efflagitata, quia in casu neque distantia notabilis existit, neque parochianorum numerus est exorbitans, neque allatae aliae causae, veritati vel iuri satis innituntur; dum e contra, grave damnum eveniret tum ipsi paroeciae dismembrandae, tum familiae FF. Capuccinorum, qui illam regunt.

In regione Septentrionali Occidentali extra moenia Augustae Taurinorum paucis abhinc annis domus extrui coeptae sunt, quae sensim sine sensu de die in diem excrescentes suburbium efformarunt, quod audit *Sobborgo della Vittoria* ita nuncupatum, quia initio saeculi XVIII auspice B. Maria V. exercitus Pedemontanus inibi fugavit Gallo-Hispanicas hostium copias. Hoc territorium, in quo prius paucae sparsim rurales domus extabant, continetur intra fines non longe distantis ecclesiae paroecialis S. Mariae ad Agros vulgo *Madonna di Campagna*, quae regitur a familia Regulari PP. Capuccinorum.

Ob auctum in ea regione fidelium numerum et quo facilior his evaderet satisfactio christianis officiis, instante Regulari Parocho P. Bernardino Sabena usque ab an. 1884 proponi coepit aedificatio inibi subsidiariae ecclesiae pro religiosis functionibus. Anno 1887 opera et zelo enunciati Parochi in hunc scopum ab hebraica societate aedilitia nuncupata « *Ditta Emmanuele Levi e figli* » concessa fuit titulo donationis sub nonnullis conditionibus perampla et conveniens area, et mense Augusto eiusdem anni ab Archiepiscopo Taurinensi Alimonda concessa fuit licentia constructionis novae ecclesiae sub titulo Sanctuarii B. Mariae Virginis a Salute.

(1) Cfr. Anal. Eccl., Vol. XI, p. 382.

Donationi erat apposita lex ut aedificium intra quinquennium esset inauguratum et intra decennium perfectum, secus donatio in commissum caderet, seu rescinderetur. Anno 1888 dictus Parochus ab eadem societate emit contiguum fundum pro convento pretio libell. 18,381.95. Interea coetus ex primoribus civibus suburbii constitutus est, qui novae ecclesiae aedificationem promoveret et anno 1890 precaria aedicula cultui et sacris functionibus aperta fuit. Huius associationis praeses et anima erat sacerdos Carolus Giaume, qui munus Vice-Cancellarii in Curia Taurinensi exercebat. Hic primum per factam a societate Levi cessionem extincto debito Parochi, obtinuit etiam ut appositae donationi conditiones tollerentur: deinde suum creditum erga Parochum remisit.

Anno 1892, quo liberius et efficacius novi operis molitioni animum admoveret, muneri Vice-Cancellarii nuntium misit, et ab Archiepiscopo uti Rector ecclesiae provisoriae fuit electus. Mens erat eidem sacerdoti ut nova ecclesia in autonomam paroeciam erigeretur; hinc ipse una cum sua sorore Silvia occasione factae nominationis institerat iam apud Curiam, et ad hunc finem obtulerat redditum libellarum 500 in versuris publicis sibi iuspatronatum activum et passivum, sorori vero tantum activum reservans quoad nominationem futuri Parochi. Die 17 Novembris eiusdem anni sacerdos Giaume iterum petiit ab Archiepiscopo ut capella precaria B. M. Virginis a Salute in paroeciam erigeretur assignato novae paroeciae suburbio *della Vittoria* et parte territorii circumstantium paroeciarum S. Caietani et SS. Simonis et Iudae.

Propositae erectioni acriter obstiterunt duo Parochi saeculares S. Caietani et SS. Simonis et Iudae et novus regularis Parochus P. Cornelius S. Mariae ad Agros. Verum iterum instante sacerdote Giaume pro publicatione edictorum contra praetendentes, Archiepiscopus tantum edidit petitas litteras quoad dismembrationem dicti suburbii a paroecia S. Mariae ad Agros, cum ex dismembratione territorii aliarum duarum paroeciarum gravia sequerentur incommoda. Post editas litteras, cum factae a Parocho S. Mariae ad Agros observationes ab Archiepiscopo uti solidae recognitae fuerint, erectioni novae paroeciae locus fieri non potuit, tum quia per hanc erectionem grave damnum familiae Capuccinorum inferebatur, tum quia ipsa non videbatur necessaria, cum satis esset ut Sanctuarium B. M. V. a Salute frueretur his amplis privilegiis quibus in dioecesi Taurinensi pollent ecclesiae Confraternitatum.

Contra hanc agendi Archiepiscopi rationem sacerdos Giaume apud H. S. Congregationem conquestus est. Super oblato recursu idem Archiepiscopus interrogatus die 26 Iulii anni 1894 sequentia retulit: « Conchiudo pertanto che la chiesa « di N. S. della Salute, quando sia fabbricata, resti un « santuario, una chiesa coi favori delle Confraternite di « Torino, ovvero, e sarebbe meglio, sia dichiarata succur- « sale della parrocchia della Madonna di Campagna, e am- « ministrata dagli stessi Cappuccini ».

Hac habita informatione die 5 Septembris 1894 recursus canonici Giaume dimissus fuit ab H. S. Congr. rescripto — *Lectum.* — At animo non despondit dictus sacerdos, qui pluries institit tum apud Curiam Taurinensem tum etiam apud H. S. Cong.nem ut tandem aliquando petita erectio concederetur: auditi fuerunt super hisce recursibus tum Procurator Generalis PP. Capuccinorum, tum praesertim E.mus actualis Archiepiscopus Taurinensis qui referret, an perpensis omnibus petitam dismembrationem et erectionem novae paroeciae canonicis rationibus innixam censeret. Procurator Generalis mordicus contendit dismembrationem non esse concedendam, tum quia desunt canonicae causae, tum quia, ea admissa in pessum iret nedum paroecia S. Mariae ad Agros, sed etiam plura opera pia quae aluntur proventibus incertis ex incolis praefati Suburbii.

E contra E.mus Archiepiscopus plene sese exhibet favorabilem petitioni canonici Giaume ex sequentibus motivis: 1° quia nova parochia omnino necessaria est pro *borgo della Vittoria*; 2° uti iam erat necessaria quando ecclesia extrui coepta est; 3° quia fines nunc propositi, alii sunt ab iis qui ab Archiepiscopo praedecessore non fuerunt ammissi; 4° quia post divisionem factam, numerus parochianorum adhuc maior esset, ac erat nonnullis abhinc annis.

Modo meum est partium allegationes compendiatim exhibere. Procurator sacerdotis Giaume in primis sustinet adesse in themate omnia requisita pro erectione novae paroeciae. Primo enim Parochus citatus fuit per publicum edictum contra praetendentes: adest Episcopi assensus, quia petitae dismembrationi nedum actualis E.mus Archiepiscopus assentitur uti ex supra allata epistola scatet sed etiam videtur consensisse suus praedecessor, quando in decreto nominationis sacerdotis Giaume in Rectorem provisoriae ecclesiae his verbis usus est: « Lodo la sua determinazione di darsi « a tutto potere per l'erezione della nuova chiesa e parrocchia « di N. S. della Salute ».

Neque tertio deest congrua dos pro nova paroecia, quae iam a 13 annis est in promptu. Quin obiiciatur dotem in annuis 500 libellis esse tenuem: nam uti talem non censet Ordinarius cuius iudicio maxime deferendum, neque maior dos constituta fuit pro noviter erectis paroeciis in civitate Taurinensi: ratio est quia locale Municipium supplere solet tenuitati congruae novae erigendae paroeciae, uti factum ait cum aliis noviter erectis paroeciis.

Potius censet advocatus commorandum esse in expendendo utrum in themate adsint legitimae et canonicae causae pro proposita dismembratione. Harum prima est nimia distantia parochianorum a propria ecclesia. Haec autem quanta esse debeat regula generali decerni nequit, sed diiudicandum a particularibus adiunctis: « Regula generalis (ait Card. Luca *in adnot. ad Conc. Trid., cap. 16*, § 3) cuicumque casui adaptabilis statui nequit... quoniam possunt stare simul ut in uno casu... eadem distantia vel itineris asperitate aliisque causis accedentibus id denegandum sit, ac in altero concedendum, eo quia diversi mores regionis vel maior seu minor contiguae parochialis maiestas vel decor in uno casu permittant, in altero prohibeant ». Idem concinit Ferraris, *Bib. can., v. Dismembratio in addit. n. 12, 13* qui ait in hac materia multum standum esse iudicio Episcopi.

Sed et praeter allegatam causam et alia adest pergit patronus, nempe auctus parochianorum numerus, quae hodie magno in pretio haberi solet, quamvis aliquando non adsit nimia distantia fidelium a parochia. Probat id iurisprudentia recepta in H. S. C. Ita in causa *Massanen. et Populoniae* diei 22 Aug. 1840: « Distantia haud ultro unum milliariam extendebatur et via facilis erat et commoda », uti legitur in folio dictae causae; tamen ex aucto fidelium numero novae paroeciae erectio fuit concessa. Ita factum esse tradit pro oppido Feloriano in insula Melitensi « tametsi nec unius lapidis distantia adesse videretur nec via incommoda sed facilis perhiberetur », in *Melevitana* diei 4 Febr. et 29 Iulii 1843.

Quod potiori iure obtinere debet in urbibus ubi saepius novarum instituendarum paroeciarum occurrit occasio. Etenim nisi auctus populi numerus esset legitima dismembrationis causa, erectio novae paroeciae in his admodum raro et difficulter eveniret, cum distantia et viarum asperitas, plerumque in vicis et oppidis extat, et in urbibus exulet.

Hisce praestitutis circa legitimas dismembrationis causas,

advocatus primo enititur evincere in casu adesse distantiam, quae quamvis duo millia passuum non attingat, tamen iudicio E.mi Archiepiscopi parochianos retrahit a sacramentorum perceptione in Ecclesia paroeciali, uti patet ex supra relatis ipsius litteris.

Adest insuper et altera dismembrationis causa nempe auctus parochianorum numerus. Sane ubi nunc exurgit suburbium antiquitus tantum pauci villici commorabantur. At in praesentiarum abhinc triginta annis ita incolarum numerus ex immigratione opificum et operariorum in ea regione excrevit, ut 2500 capita nunc censeantur; et paroecia S. Mariae ad Agros, quae antiquis temporis vix 2500 animas numerabat, nunc coalescit ex 6500 fidelibus, et hinc parochianorum numerus fuit triplicatus.

At, pergit advocatus, praeter auctum parochianorum numerum, in casu et altera specialis ratio succurrit pro facienda dismembratione. Nam cum incolae novi suburbii ab Ecclesia paroeciali sint seiuncti, et sentiant sese veluti ad urbem pertinere, malunt sacramenta percipere et sacras functiones frequentare in ampla Ecclesia S. Mariae de Salute tamquam in centro suburbii posita, quam Ecclesiam paroecialem adire. Neque, ait, audiendi sunt adversarii quando asserunt ad praefatam disiunctionem negandam « che dalla « Barriera di Lanzo siavi una catena non interrotta di case « fino alla parrocchia » haec enim assertio uti falsa evincitur ex exhibita planta topographica.

Neque item aliquid ponderis meretur iuxta advocatum aliud argumentum adversariorum ex eo desumptum quod in paroecia unicum extet palatium pro scholis, unica sectio excubitorum vulgo *guardie*, unicus medicus beneficentiae: reponit enim quoad primum etiam in suburbio Victoriae haberi 5 classes elementares pro scholis puerorum: ex facto vero excubitorum vel medici beneficentiae nil potest argui, cum intra civitatem hi quoque sub se complectantur plerumque diversarum paroeciarum territorium.

E contra tam suburbium Victoriae, quam illud ecclesiae S. Mariae ad Agros, unumquodque proprium habet officium epistolarum diribitorium separatum, infantile asylum et suum promptuarium medicinarum. Sed quidquid sit, illud prae oculis habendum putat, quod refert E.mus Archiepiscopus in supra relata epistola « pel bene delle anime, al « quale senza alcuna animosità guarda il Vescovo lo asse- « gnare ad una parrocchia fuori della città case poste entro « le mura è o inutile o dannoso, volendo gli abitanti ve- « nire anzi alle parti centrali, dove trovano modo di sod- « disfare ogni commodo, che non nelle parti più lontane ». Neque insuper adnotare omittit parochianorum numerum de die in diem auctum iri tum ob novas extruendas domos, tum ob succrescentem officinarum numerum; et cum hoc populi augmentum locum habeat praecipue in parte Orientali regionis maiorem exhiberi necessitatem erectionis novae paroeciae.

Huc oratione perducta, advocatus nonnulla disserit de contrariis incolarum suffragiis ex adverso collectis et productis. Praemittit ea in praesenti quaestione nihili esse facienda, cum in huiusmodi iudiciis suprema lex sit spiritualis animarum salus. Sed hac observatione seposita, illa impugnat tamquam dolo captata parochi artificio ideoque nullam fidem mereri ait.

Praeterea allata suffragia aliis eliduntur, quae erectioni novae paroeciae adstipulantur.

Post haec patronus difficultatem diluere satagit ex adverso oppositam, quod in casu curae animarum consuli possit deputatione Vicarii, erigendo novum templum B. Mariae V. de Salute in paroeciam succursalem ecclesiae B. Mariae ad Agros. Praemittit hoc remedium frequenter antiquitus fuisse usurpatum, sed nostro aevo ob novos semper gliscentes errores et serpentem morum corruptionem, praesertim quando res est de novae institutione paroeciae in urbibus, fere exolevisse. Nam Vicarius paroecialis qui ad instar mercenarii considerari solet, non ea valet solertia et zelo fideles a depravatione et corruptione deterrere, qua pollere solet proprius pastor: atque hoc ait comprobari innumeris H. S. C. resolutionibus quarum nonnullas subiicit. Ita in una *Sedunen.* cum in oppido Camperiaco deputatus fuisset Vicarius parochialis, proposito dubio: « *An populo villae et territorii Camperiaci satis consultum sit per deputationem Vicarii iuxta instrumentum fundationis stipulatum auctoritate Ordinarii* », S. H. die 15 Dec. 1742 respondit: « *Affirmative, addita presbytero deputato facultate sepeliendi cadavera* ». Verum recentiori aevo ob mutatas temporum conditiones iterum causa reproposita sub dubio: « *An sit locus dismembrationi paroeciae in casu* », S. V. O. die 23 April. 1853 respondit: « *Affirmative* ».

Ita resolutum refert in alia *Reatina*. Parochus Alabrensis contendebat satis esse provisum curae animarum per nominationem capellani in quodam vico a se dependenti nuncupato Villa Colle: huius tamen incolae instabant pro erectione novae paroeciae. Disceptata quaestione sub rogandi formula: « *An et quomodo sit locus dismembrationi Villae Collis a paroeciali ecclesia Alabri et erectioni novae paroeciae in ecclesia S. Mariae Magdalenae Collis seu potius deputationi capellani curati* », die 20 Septembris 1817 responsum fuit: « *Affirmative ad 1am partem, negative ad 2am* ». Idem decisum tradit in causis *Novarien.*, die 20 Septembris 1760, in *Verulana* diei 22 Maii 1784, in *Urbinaten.* dierum 27 Novembris 1852 et 20 Novembris 1853, in *Brixien.* 26 Septembris 1857. Hinc Ferraris Bib. can. v. *dismembratio in addit.*, tradit quod licet antiquitus raro animarum curae per dismembrationem consulebatur sed potius per Vicarii designationem, novissime tamen S. Concilii C. in diversam abiit sententiam et profert quamdam causam Comensem de an. 1750. Idem principium, prosequitur advocatus, sancitum invenitur in folio cuiusdam causae agitatae, die 16 Dec. 1876 coram eadem S. C. per haec verba « Praxis est S. C. Concilii quae consuevit commendare et confirmare dismembrationem et paroeciae erectionem... non obstante oblatione facta providendi per capellanum ».

Novam autem hanc in foro disciplinam invectam esse contendit ex duplici causa. Primo quia erectio novae paroeciae melius respondere videtur menti Tridentinae Synodi quae in sess. 24, c. 13, Episcopis praescribit « ut distincto populo in certas propriasque paroecias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum assignent, qui eas cognoscere valeat et a quo solo licite sacramenta suscipiant ». Secundo quia cum praesertim in Italia post bonorum ecclesiasticorum passam iacturam, Ecclesia non habeat unde novas dotet paroecias, si forte aliquis sese offert munificus dotem offerendo, eam acceptare convenit, ne eveniente casu quo amplius cura animarum per Vicarium exerceri nequeat, novae paroeciae erectioni locus amplius fieri nequeat ob dotis defectum.

Hucusque exposita adhuc lucidiora evadunt, si ad praesentem casum conferantur; sane maior suburbii Victoriae pars coalescit gente adscititia inibi ex aliis paroeciis immigrata ad victum comparandum: gravem religioni et bonis moribus inferunt cladem sectae subversivae, quae sive publicis sermonibus, sive aliis mediis sibi lucrari nituntur praesertim rudes et indoctos, ad quae ingruentia damna avertenda opera parochi S. Mariae ad Agros impar est. Canonicus Giaume, actualis Rector novae Ecclesiae B. V. Mariae a Salute, enisus est haec mala propulsare institutione nonnullorum piorum operum, uti sunt scholae gratuitae pro

utroque sexu, asylum infantile, Oratorium festivum, laboratorium pro puellis sub religiosarum directione, idque sine concursu PP. Capuccinorum. Sed remedia allata adhuc insufficientia sunt: profecto necessaria est erectio novae paroeciae et assignatio proprii et peculiaris pastoris, qui directe super sibi commisso grege invigilans, eum ad rectum tramitem reducat. Quare concludit advocatus institutio in praefato Suburbio novae paroeciae nedum utilis sed etiam est stricte necessaria, idque eo magis quia congrua dos iam in promptu est.

At huic erectioni acriter obstat parochus S. Mariae ad Agros, causans magnum sibi damnum obventurum ex dismembratione. Obiectioni ita reponit advocatus. Nullum damnum parochus primo habet in dote suae paroeciae, quia haec intacta remanet et imminuta post secutam dismembrationem. Si aliqua imminutio intercedit haec ad summum accidit in lucris adventitiis seu in iuribus stolae. At secuta dismembratione adhuc maior parochianorum numerus superest parocho S. Mariae ad Agros, quam habebat antequam esset efformatum Victoriae suburbium.

Nam ante aedificationem novae regionis paroecia circiter 2500 incolas in suo territorio complectebatur: at nunc erecta nova paroecia, Ecclesiae S. Mariae ad Agros adhuc remanent 4000 parochiani, et eorum numerus in dies aucturus est, cum quotidie nova excitentur aedificia pro succrescentibus incolis. Quare obiectum damnum vel minimum est vel cito evanescet.

Demum advocatus purgare satagit sacerdotem Giaume a nonnullis accusationibus ex adverso factis et praesertim ab illa, qua dictus sacerdos insimulatur dolose cessionem obtinuisse ab actuali parocho P. Innocentio quoddam pium legatum Lerda.

Observat nullum dolum in hac cessione intercessisse, cum uti ex tabulis testamentariis pii disponentis patet, dictum legatum non fuerit factum favore parochi, sed pro novae Ecclesiae B. M. Virginis de Salute erectione, cuius aedificationi ipse tamquam praeses incumbit. Hinc iure a parocho illud vindicavit.

Ex altera vero parte Procurator Generalis Capuccinorum in allegatione quam per extensorem concinnari curavit, iura parochi S. Mariae ad Agros strenue propugnans petitam dismembrationem negandam esse contendit. Suam orationem in duas partes dispescit in quarum prima quaestionem agit in iure, in altera expendit quaestionem in facto. Relate ad ius primo quaerit quibus de causis dismembratio fieri possit: et observat quod quamvis in praxi nulla certa regula tradi posset singulis casibus accommodanda, quia id pendet a diversitate circumstantiarum uti tradunt Card. De Luca *in adnot. ad Conc. Trid., cap. 16*, et Leurenius *For. Benef. lib. cap. 3, n. 159*, in iure tamen taxative designantur causae quae dismembrationem vel suadent vel prohibent.

Revera in hac materia rem absolvere ait *cap. 4, sess. XXI, Concil. Trid. de Reform.*, quod ita se habet: « Episcopi etiam tamquam Sedis Apostolicae delegati in omnibus ecclesiis parochialibus, in quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant Rectores vel alios ad quos pertinet, tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quod sufficiunt ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias, etiam invitis Rectoribus iuxta formam Const. Alex. III quae incipit *Ad audientiam* constituere possint ». Duos itaque casus, observat extensor, distinguit Concil. Trid. nempe numerositatem populi ita auctam, ut unus parochus vel Rector insufficiens sit ad sacramenta ministranda; et magnum incommodum parochianorum accedendi ad parochiam ad percipienda sacramenta vel divina officia audienda ob distantiam vel difficultatem locorum.

Iam vero quoad primum casum diserte statuitur in citato capite, quod numerositas populi, quamvis perampla ea sit, non sit ratio et causa sufficiens ad paroeciarum dismembrationem peragendam, cum curae animarum consuli possit per deputationem unius vel plurium Vicariorum. Hanc autem doctrinam ait communiter admissam esse nedum a canonistis uti a Ferraris in *Bib. can. v. dismembratio*, a Barbosa in *collect. ad Conc. Trid. in cit. cap.*, a Garcia *de Benef., p. 12, cap. 3, n. 10*, sed etiam receptam a S. Rota et, quod magis est, etiam sancitam ab H. S. C. in *Ostunen.*, diei 12 Iulii 1636, in *Toletana* 4 Maii 1697, in *Gerunden.* 29 Ian. 1701 et praesertim in una *Messanen.* diei 9 Maii 1840 in cuius folio haec edisseruntur « ... verum admonent Doctores ob solum parochianorum numerum, etsi exorbitanter sit auctus in eodem loco Ecclesiae parochialis ad subsidiarium dismembrationis remedium non deveniri, cum succurri possit per unius vel plurium vicariorum deputationem ».

Concludit itaque auctum populi numerum non esse per se motivum sufficiens ad paroeciae dismembrationem decernendam.

Transiens deinde extensor ad secundum casum in Conc. Trid. propositum, plures Doctorum auctoritates et H. S. C. resolutiones cumulat ad illum enucleandum. Nonnulla tantum seligam et subiiciam quae magis ad rem facere videntur, interim rogans EE. VV. ut non graventur caetera perlegere in diribita allegatione. Duo igitur, ait extensor, iuxta citatum caput tantum recensentur motiva apta pro dismembratione seu erectione novae paroeciae, nempe distantia locorum, et difficultas seu magnum incommodum parochianorum accedendi ad paroecialem ecclesiam.

Quoad primum, quamvis quanta haec distantia practice debeat esse, generaliter praefiniri nequeat, certum tamen videtur quod distantia unius milliarii non sit sufficiens uti pluries decisum esse refert ab H. S. C. praesertim in *Placentina, Dismembrationis* diei 18 Maii 1791, in *Ariminen., Erectionis paroeciae* diei 18 Iunii 1789, in *Lancianen.*, 18 Novembris 1847. Hinc Doctores communiter tradunt distantiam saltem ad duo millia passuum extendi debere, ceu docent Bouix, *de parocho, pag. 263*, et Fagn. in *cap. ad Audientiam n. 18*, qui ita ait: Distantia sufficiens ad constabiliendam dismembrationem est ea, qua parochianis non sine magno incommodo pateat accessus ad parochialem ecclesiam, scilicet duorum vel trium millium passuum.

Quoad alterum motivum nempe difficultatem vel incommodum parochianorum petendi ecclesiam parochialem, haec magna esse debet uti colligitur tum ex citato *cap.* Conc. Trid. tum ex const. Alexand. III, *Ad audientiam.* Quare Van Espen *Ius eccl. univ. tom. 1, p. 2, tit. 16 de eccles. aedif.* ait: « Praecipua causa, quae iustificat erectionem novae parochiae est magna difficultas, seu magnum incommodum parochianorum adeundi ecclesiam matricem ad percipienda sacramenta et divina officia audienda, ut hic patet expresse ex praeallegat. decreto Conc. Trid. et tenet glossa... in ver. *sine magna difficultate* et alii supracitati. Aliqualis ergo incommoditas non sufficit secundum Abb. et Fagnan. *de eccles. aedif.* » Confer etiam Ferraris, *l. c. n. 14, 15.*

Quaenam autem sint graves difficultates vel magnum incommodum, passim doceri ait ab auctoribus, qui rem exemplis explicant. Ita Fagn. *l. c. n. 19* id evenire tradit: « Si inter populum alicuius villae et parochialem torrens vel

flumen aliquod intercedant, quae nec pontem habeant, nec vado transiri possint, vel agatur de via non secura ». Ita Pignatelli, *t. 4, consult. 230* recognoscit causam pro erectione novae paroeciae: « Si constiterit quod via sit montuosa, aspera, lutuosa ac ita ardua, ut parochiani sine magno incommodo imo etiam periculo pro recipiendis sacramentis ad parochialem accedere nequeant ». Cfr. etiam Ursaya *Discip. eccl. t. 1, p. 1, Dis. 14*.

Neque praetereundum esse censet iuris principium, quod paroeciarum divisio vel dismembratio a ss. canonibus ut res odiosa habetur cum redoleat alienationem, ut passim auctores innuunt cum Fagn. *l. c. n. 16*. Hinc innumerae adsunt H. S. C. resolutiones, quarum nonnullas refert, in quibus petita dismembratio fuit denegata, etiamsi id graves causae suadere viderentur. Utique recenti aevo in ea concedenda aliquando habita fuit ratio non tantum strictae necessitatis, sed etiam magnae utilitatis: sed caute, ait, in re tanti momenti esse procedendum, cum saepe qui dismembrationem petunt non salutem animarum sed potius proprium interesse quaerunt: et ut ait Van Espen *l. c. n. 22*: « Non tamen facile ob aliquorum interesse ad iam suggestum remedium est confugiendum ».

In altero capite suae primae partis extensor breviter disserit de solemnitatibus servandis in paroeciae dismembratione facienda, quarum prima est ut audiantur interesse habentes et praecipue Rector ecclesiae dismembrandae: quod si paroecia sit vacans, defensor ex officio est constituendus ab Episcopo. Deinde pauca alia recenset, quae tamen utpote valde nota in foro ecclesiastico omitto et, si libet, videri possunt apud Ferraris loco cit. et apud alios canonistas in *tit. de ecclesiis aedific.*

Absoluta disceptatione iuris quoad dismembrationem in genere, proprius extensor accedit ad tractandam in secunda suae orationis parte hodiernam quaestionem, quam, ut iam visum fuit, ipse vocat quaestionem facti. In primo huius partis capite contendit deesse canonicas causas ad petitam a sacerdote Giaume dismembrationem concedendam. Praemittit assertionem sacerdotis Giaume, quod necessitas erectionis novae paroeciae fuerit etiam in intentione parochi P. Bernardini Sabena, nullo solido niti fundamento: nam praeterquam quod dictus parochus in ultimis quatuor annis suae aetatis non fuit integrae mentis ob morbum subitaneum quo usque ab ann. 1887 fuerat correptus, observat ipsum ab anno 1883 usque ad ann. 1890 adlaborasse ad suam ecclesiam amplificandam et exornandam. At ecclesiae paroecialis amplificatio supervacanea fuisset, si nova paroecia ob auctum parochianorum numerum erat erigenda. Neque item, ait, talis intentio argui potest ab acceptatione areae quam parochus ab hebraica societate Levi titulo donationis habuit: nam hodiernus parochus ita rem explicat, nempe, in mente P. Bernardini, ecclesiam noviter erigendam, in subsidium parochialis evasuram. Deficit itaque prima ratio allegata a canonico Giaume, concludit extensor.

Sed neque adest necessitas erigendae novae paroeciae in suburbio Victoriae. Sane cum haec ex duplici capite argui possit, nempe vel quia populus nimis auctus sit, vel quia magna distantia habeatur a domibus novae regionis ad ecclesiam S. Mariae ad Agros, utramque rationem ad trutinam revocat.

Quoad primam causam, omisso, quod uti alibi fuit notatum, parochianorum auctus numerus per se non est titulus sufficiens ad novae paroeciae constitutionem, animadvertit paroeciam S. Mariae ad Agros sub se complecti 6290 incolas iuxta censum an. 1901. Iam vero hic fidelium numerus est ter quaterve inferior prae illo quem continent plures paroeciae Taurinenses in quibus parochus uti solet opera duorum vel trium capellanorum. E contra parochia S. Mariae ad Agros cum sit regularis et adnexam habeat religiosam familiam, parochus in curae animarum exercitio uti potest religiosis. Hinc ex aucto populi numero nullum spirituale dispendium obvenire potest.

Neque item ex adverso utiliter invocari potest, ait extensor, suburbii Victoriae distantia ab ecclesia paroeciali, quae iuxta supra allegatas auctoritates saltem ad 2 millia passuum pertingere deberet. Nam iuxta mensuram captam in folio topographico in officio census, actualis parochus refert maximam distantiam, m. 1004 adesse. Idem scatere ait ex testimonio praedefuncti parochi P. Cornelii qui anno 1894 referebat. Sed, prosequitur, res clarior etiam fiet demonstratione plantae ichnographicae.

Insuper communicationis viae cum ecclesia paroeciali sunt faciles et percommodae, praesertim cum iam a duobus annis vehiculum electricum viam *Borgo Vittorio* usque ad ecclesiam S. Mariae ad Agros percurrat. Neque dicatur quod dictum Suburbium autonome regatur, cum e contra pendeat a paroeciali ecclesia S. Mariae ad Agros. Una enim tantum habetur scholarum municipalium domus ecclesiae proxima, quaeque pueros colligit totius paroeciae: una tantum est excubitorum statio, unus medicus territorialis, et unum coemeterium pro tota paroecia.

Quin in contrarium aliquid concludant, subscriptiones incolarum suburbii a sacerdote Giaume allegatae. Primo enim hae non sunt spontaneae, ut declarat parochus actualis; insuper in ultima subscriptione inveniuntur nomina quorumdam patrumfamilias, qui nunquam petitae dismembrationi adhaeserunt. Quare hisce subscriptionibus, et aliae maioris ponderis et numeri a parocho opponuntur contra dismembrationem uti ex summario documentorum.

Pergens deinde extensor ad loquendum de dote oblata a sacerdote Giaume una cum sua sorore Silvia in libellis 400 nitidis debiti publici, relevat in primis ipsius sacerdotis aequivocum, qui putat dotis oblationem esse unam ex causis ad obtinendam erectionem novae paroeciae.

Si profecto ita res esset, erectio paroeciarum a dotem constituentibus penderet, et pro re nata novae paroeciae possent haberi. Quare dotis constitutio potius uti conditio *sine qua non* ad erectionem novae paroeciae, haberi debet. Hisce declaratis extensor sustinet factam dotis oblationem non esse accepto habendam, tum quia est incongrua, tum quia legi patronatus licet temporanei est alligata. Primo dos est incongrua, quia iuxta leges civiles ea saltem in redditu libellar. 900 in praesentiarum est recognita neque spem poni licet in supplemento ex parte Gubernii, quia hoc conceditur paroeciis iam constitutis, non vero constituendis. Secundo cum oblatores sibi reservent ius nominationis futuri parochi, activum et passivum si agatur de sacerdote Giaume, activum tantum si de eius sorore, id importat servitutem in novo erigendo beneficio. Atqui ut ait Conc. Trid. *in Sess. 25, cap. 9, de Reform.* huiusmodi onera in beneficiis caute et nonnisi ob magnam et evidentem ecclesiae utilitatem permitti possunt: quae profecto utilitas in themate prorsus exulat.

Demum in ultimo capite suae orationis extensor propugnat erectionem novae paroeciae non esse admittendam, quia id secumferret veteris paroeciae ruinam: quod probat testimonio hodierni parochi.

Post haec extensor summatim perstringens rationes dati et accepti, quae in summario partialiter designatae inveniuntur, sequens exitus et introitus schema perhibet ut inde appareat damnum ex dismembratione obventurum;

RIEPILOGO FINANZIARIO.

		Entrata	Uscita
Parrocchia	L.	4,339 —	4,462 —
Piccola Casa di Carità	»	6,447 —	7,035.40
Laboratorio, Orat., Teatrino	»	300 —	623.25
TOTALI	L.	11,086 —	12,120.65

CONCLUSIONE.

Uscita	L.	12,120.65
Entrata	»	11,086 —
DEFICIT	L.	1,034.65

Ultimo loco extensor ad examen revocans favorabile votum actualis E.mi Archiepiscopi iam in principio relatum pro erectione novae paroeciae, ostendere satagit illud non esse satis concludens. Profecto prima ratio in eo adducta haec est, quod per erectionem ecclesiae B. M. V. de Salute in paroeciam dum facilior praebetur occasio incolis suburbii obligationes religiosas in ea explendi, ex alia parte ipsi nequeunt amplius excusationem distantiae afferre « per non frequentare le sacre funzioni domenicali ». At respondetur quod praeceptum divinis officiis assistendi diebus festis et dominicis expleri etiam potest in ecclesiis non parochialibus.

Insuper ecclesia perfecta parochus ope Vicarii Curati vel Capellani in nova ecclesia peragere poterit functiones dominicales: et sic nulla extat necessitas eam in paroeciam autonomam erigendi.

In voto asseritur quod: « La Madonna di Campagna alle « funzioni domenicali non vede gente di detto Borgo ». Haec non respondere veritati declarat hodiernus parochus in epistola diei 17 Augusti mox elapsi anni data ad R.mum Procuratorem Generalem Ordinis Capuccinorum. « La popola« zione di Borgo Vittorio (in cui si è aperta al culto una « piccola parte della Chiesa di N. S. della Salute) viene « molto volentieri nella Chiesa parrocchiale della Madonna « di Campagna per adempiere i suoi doveri religiosi, e S. E. « non avrebbe altro da fare, per persuadersi della verità di « quanto affermo, di inviare qualcheduno della sua R.ma Curia « nei giorni festivi alle funzioni parrocchiali per il neces« sario controllo ».

Demum E.mus Archiepiscopus praevidens ingentia damna ex dismembratione derivatura familiae religiosae ecclesiae S. Mariae ad Agros, his occurrit aiendo quod « eretta la « nuova parrocchia i Cappuccini possono collettare in essa, « come in tutte le altre parrocchie ». Hoc argumentum ita diluit Procurator Generalis Ord. Capuccinorum in epistola ad H. S. C. missa die 24 Aug. iam elapsi: « Possono col« lettare!? Ma ciò è proibito dalle leggi di soppressione, e « di fatto i religiosi della Madonna di Campagna dopo quella « legge non andarono più a collettare. Ma ciò è contrario « al detto di S. Paolo che: *qui altari inservit, de altari* « *vivere debet.* Eppoi? Bel premio allo zelo e fatiche del « parroco di Madonna di Campagna e de' suoi antecessori « e de' suoi aiutanti, che tanto fecero e spesero pel bene del « popolo e pel decoro del culto! tanto che non mai meritarono « rimproveri, ma sempre elogi; togliere oggi a loro la « miglior parte della parrocchia tanto piccola e costringerli « a collettare per vivere!? ».

Haec allegationum summa quae utrinque circumferuntur: modo sequens sit

DUBIUM:

An et quomodo locus sit dismembrationi in casu?

Responsum fuit: *Attentis omnibus, modo non expedire.*

1426/3 III.

Toletana. — Distributionum.

In plerisque ecclesiis cathedralibus Hispaniae, sive vigore Concilii Provincialis Compostellani, sive ob immemorabilem consuetudinem, sive attentis Statutis capitularibus, viget praxis tribuendi distributiones quotidianas canonico magistrali a choro absenti sive per integram hebdomadam, sive per tres aut quatuor dies, ad parandam concionem. Hanc praxim non esse sustinendam, Emi edixerunt sed, ex gratia, Canonico Magistrali Toletano concessi sunt ad quinquennium, duo dies absentiae absque amissione distributionum quotidianarum.

In Ecclesia Cathedrali Toletana sicut et in aliis Ecclesiis Cathedralibus Hispaniae, mos est, ut praeter Canonicum Theologum et Canonicum Poenitentiarium iuxta dispositionem Conc. Tridentini, habeatur etiam Canonicus Magistralis. Huic onus incumbit concionem dicendi Capitulo et populo quibusdam solemnioribus diebus: eique quasi in mercedem laboris, conceditur indultum a praesentia in choro non amissis distributionibus per totam hebdomadam, ante concionem die festo habendam, excepta tantum assistentia Missae conventuali. Origo huiusmodi privilegii apud varias Ecclesias Hispaniae, non eodem fundamento videretur inniti. In nonnullis enim ecclesiis auctoritas Concilii Provincialis Compostellani, habiti anno 1565, in aliis Statuta Capitularia, vel immemorialis consuetudo solet invocari.

Iamvero H. S. C. circa hanc praxim Ecclesiarum Cathedralium Hispaniae, ultimis hisce temporibus, iterum atque iterum suum tulit iudicium. Sane, in *Vallisoletana* diei 29 Aprilis 1899 (1) ad proposita dubia: — I. *An probanda sit consuetudo, qua canonicus magistralis et alii tum canonici tum beneficiati, ratione muneris concionandi in Ecclesia Cathedrali habentur praesentes in choro ad effectum lucrandi distributiones quotidianas per totam hebdomadam ante diem concionis una tantum excepta hora canonica in casu.* Et quatenus negative

II. *An indultum absentiae, iuxta Ordinarii petita, concedere expediat in casu.*

S. H. C. respondit: Ad I^um^ *Negative.* Ad II^um^ *Affirmative per duos dies, ad quinquennium.* — Item in *Ovetensi* diei 27 Aprilis 1901 (2) ad dubium: *An possit tuto retineri praxis ecclesiae Ovetensis, iuxta quam canonicus praedicator seu magistralis censetur praesens in choro ad effectum distributionum lucrandarum per octo dies integros, quoties concionem est habiturus in Ecclesia Cathedrali,* Responsum fuit: *Consuetudinem, de qua quaeritur, non sustineri.*

Ex hisce decisionibus exorta sunt dubia utrum hae essent applicandae caeteris Capitulis Hispaniae, in quibus talis vigebat praxis. Ratio dubitandi in eo fundatur, quod hoc indultum Canonico Magistrali in hisce Capitulis conceditur non tantum vi consuetudinis ex supra allatis decisionibus reprobatae, sed potius vel a Concilio Provinciali Compostellae quod fertur a S. Sede approbatum, vel a particularibus ecclesiarum statutis in eo fundatis.

Quare E.mus Archiep. Toletanus, cui, cum nil sit antiquius quam suam agendi rationem sapientissimis Sacr. Congregationum decisionibus conformare, ad tollendas plurimorum anxietates, quaestionem circa Canonicum Magistralem,

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VII, p. 153.
(2) *Item.* Vol. IX, p. 156.

sapientissimo EE. PP. iudicio, reverenter submittere censuit.

Porro rationes quae iuxta epistolam E.mi Archiepiscopi adducuntur ab iis, qui tuentur privilegium concessum Canonico Magistrali, sequentes recensentur.

Decisiones S. Congr. Concilii in *Vallisoletana* et in *Ovetensi* viderentur non posse applicari, quia in dubiis propositis sermo est tantum de consuetudine. Atqui ficta praesentia Canonici Magistralis non fundatur tantum in consuetudine (quae etiam ipsi favet) sed potius lege Concilii Provincialis. Deinde E.mus Archiepiscopus ita ipsorum argumenta referre prosequitur.

« Porro lex illa particularis habetur *in Cap. 39, Sess. II, Conc. Compostellani* legitimi, quod dicitur approbatum a R. Pont. S. Pio V. In quo capite de Canonico Magistrali haec caventur: *Praedicatori liceat, quoties sermonem est habiturus, per octo dies integros abesse* (a choro) *dum tamen Missae sacrificio adsit.* Haec dispositio vim legitimae disciplinae obtinere dicitur, etiam praescindendo ab ulla approbatione R. Pontificis; quod inde manifeste apparet, quia Conc. Compostellanum in ea lege ferenda, nullatenus, ut asseritur, praetergressum est limites suae potestatis. Etenim Conc. Trid. *Sess. XXIV, cap. 2, de reform.* de provincialibus conciliis loquens dicit: *Provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis, renoventur.* Quibus verbis manifeste tribuitur Conc. Provinciali potestas vere legifera. Qua in re Trid. consonant generatim omnes canonistae: nam, antiquioribus omissis, quorum longus catalogus facile fieri posset, Wernz, *Ius decret. T. I. pag. 109,* inter Congregationes, quibus competit iurisdictio spiritualis ad veras leges ecclesiasticas ferendas, enumerat concilia Provincialia.

« Fatendum est per illa verba Tridentini: *aliisque ex sacris canonibus permissis,* vago modo circumscribi ac determinari amplitudinem materiae circa quam possit versari potestas legifera Conc. Provincialis; at pariter concedendum est communi Canonistarum consensu ita interpretari, ut sub illis verbis optime intelligi posse videatur potestas concedendi illos octo dies absentiae a choro de quibus controvertitur. Sic Schmalzgrueber (*Dissert. prooem., n. 358*) loquens de potestate Concilii Provincialis, dicit: *Decreta morum facere quidem possunt, sed haec ultra provinciam vim obligandi non habent.* In qua amplissima materia *decreta morum* manifeste videtur comprehendi lex Compostellana. *Praedicatori* (id est Canonico Magistrali) *liceat, quoties sermonem est habiturus, per octo dies integros abesse* (a choro). Magis explicite adhuc Fagnanus in Cap. *Sicut olim V, De Accusationibus,* postquam *n. 59,* generaliter exponit Conc. Provinc. debere suis decretis procurare, ut observentur quae de vita, honestate, *cultu et eorum officiis et functionibus* a sacris canonibus, maxime in ultimo generali Concilio (Trid.) decreta sunt; *n. 65,* subiungit: *De his quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus Ecclesiae ministris quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi, pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet.* Tandem *n. 78,* addit potestatem Conc. Provinc. ad alia multa extendit *quae totam provinciam concernunt et sunt praeter ius commune* (Comment. *in V. Decret. De accusat., cap. 25, Sicut olim*).

« Fagnano consonant generatim canonistae, qui pariter Conc. Prov. agnoscunt potestatem condendi leges praeter ius commune, quorum citationes multiplicare, esset prorsus inutile.

« Iam vero lex Compostellana, quae Canonico Magistrali sive Praedicatori concedit octo dies absentiae a choro, quoties ex officio concionem in Ecclesia Cathedrali est habiturus, est, ut asseritur *praeter ius commune* nec proinde excedit limites potestatis Conc. Provinc. concessae. Quod exinde deducitur: 1) quia lex statuens *licitam* talem absentiam versatur in *materia morum,* et ex Trident. supra citato *morum* disciplina est materia circa quam leges ferre potest Conc. Provinc. 2) Quia Canonicus Magistralis, utpote pertinens ad solas Ecclesias Hispaniae; est omnino *extra ius commune,* nullibi enim ius commune loquitur de Canonico Magistrali; qui licet *ut Canonicus* subiiciatur praescriptionibus iuris communis, at non ut Magistralis, seu Praedicator ex Officio; ac proinde bene potuit Conc. Compostellanum concedere illos dies absentiae quin ius commune laederet, unde inferunt in casum non recte allegari contra hanc legem *Cap. unic. de Cleric. non resid. in 6, et Cap. II, sess. 24, Conc. Trid.;* huiusmodi enim allegationes desumuntur ex iure communi quod nullatenus comprehendit Magistralem, ut talem.

« Quodsi Conc. Compostellani dispositio vim legitimae dispositionis obtinet in Provincia pro qua lata est, pari ratione, ut dicitur, eamdem vim obtinere debet in universa Hispania propter acceptationem reliquarum Provinciarum vel ecclesiarum. Ex qua acceptatione, cum illa dispositio transformata fuerit in generalem disciplinam pro universa Hispania, iam nulli Episcopo licet eam immutare sine reliquorum Episcoporum Hispaniae consensu.

« Aliunde videtur illi legi Compostellanae accessisse saltem tacitus consensus R. Pontificis, cum per tot saecula illum canonem Compostellanum Sedes Apostolica non ignoraverit.

« Neque praedictae legi Compostellanae legitimum deesse videtur fundamentum ex ipso iure communi desumptum. Nam canonicus Magistralis in casu exercet munus suo officio adnexum et censetur agere in utilitatem ecclesiae choralis, sicut Poenitentiarius et Lectoralis sive Theologus. Atqui exercentes munus suo officio adnexum et agentes in utilitatem Ecclesiae censentur praesentes in choro, etiam ad effectum lucrandi distributiones, ut patet ex allatis exemplis Lectoralis et Poenitentiarii, quorum alteri pro diebus, quibus legit, alteri pro horis quibus confessiones audit ficta praesentia conceditur. Ergo canonico Magistrali ius competit fictae praesentiae toto tempore quo debet se praeparare ad concionem habendam; quod tempus, cum ex Conc. Compostellano ad octo dies se protendat, legitimum est dicendum. Ita illi qui partes canonici Magistralis tuentur ».

Cum H. S. C. votum exquisiverit ab E.mo Archiepiscopo Compostellano, haec E.mus retulit.

Praemisso quod Concilium Compostellanum celebratum fuit post duos annos a Conc. Trid. et quod innumeri Patres qui interfuerunt dicto Concilio Compostellano, iam interfuerant Concilio Tridentino, non posse, ait, absque iniuria Patrum Concilii Compostellani affirmari ipsos transgressos fuisse recentissima Decreta Concilii Tridentini circa residentiam canonicorum: e contra tenendum esse ipsos interpretatos fuisse et applicasse pro sua provincia decreta Concilii Tridentini. Iamvero Concil. Trid. *Sess. V, cap. 2,* statuit ut Episcopi sive per se sive per alium praedicent S. Evangelium. Et in Hispania vi Bullae: *Creditam nobis* Xisti IV, iam erat in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis canonicus Praedicator, qui vices ageret Episcopi legitime impediti, quemadmodum canonicus Poenitentiarius ab ipso Concilio Trid. institutus, vices agit Episcopi in sacro tribunali poenitentiae. Si igitur Concil. Trid. concessit canonico Poenitentiario absentiam a choro, dum audit confessiones, nil mirum, si Concilium Compostellanum concedit canonico Ma-

gistrali octo dies fictae praesentiae in choro, ut praeparet concionem suam.

Praeterea nemo reprehendit Concil. Compostellanum pro concessione facta canonico Doctorali, ita ut censeatur praesens in choro, quoties causam Ecclesiae agere debeat. Ergo nemo debet reprehendere ipsum Concilium, quando tale privilegium extendit ad canonicum Magistralem.

Insuper inter causas legitimas abessendi a choro numeratur procuratio negotiorum ipsius Capituli, cui competit ius aliquos canonicos mittendi ad defendendam Ecclesiam quin necessaria sit venia S. Sedis vel Episcopi. Porro si talia potest capitulum, eamdem potestatem habere convenit pro canonico Magistrali Concilium Provinciale Compostellanum. Si enim Capitulo onus incumbit curandi bona temporalia, pari contentione si non fortiori saltem curare debet aeterna.

Demum adnotato, quod potestas Conc. Provincialis non adeo restringitur, quin multa statuere possit quae concernunt totam provinciam, praeter ius commune (Fagnanus *cap. sicut olim V, de Accusationibus N. 73*) et quod Xistus IV per concessionem factam Ecclesiis Castellae et Legionis ut in iisdem erigeretur praebenda Magistralis sanxit specialem disciplinam pro Eccl. Hispaniae ita pergit. Haec disciplina Concilii Compostellani concordat cum iure communi.

Nam ex iure communi lucrantur distributiones illi qui choro non adsunt ob evidentem ecclesiae utilitatem.

Porro ad evidentem ecclesiae utilitatem pertinet munus canonici Magistralis, magis quam munus canonici Poenitentiarii. Quia dum capitulum nullam habet utilitatem ex eo, quod aliquis audiat confessiones, magnam e contra habet in audienda concione, cui Capitulum praesens esse tenetur.

Insuper munus adnexum alicui praebendae ius tribuit percipiendi distributiones pro tempore necessario ad illud exercendum. Si igitur aliquot dies canonico Doctorali conceduntur, canonico etiam Magistrali pari iure aliquot dies concedi possunt.

Quare E.mus Archiepiscopus votum suum, cui in omnibus suum Capitulum et Canonicus Magistralis adhaeret, sequentibus concludit verbis: « 1.° Nullo modo vocanda est consuetudo nec praxis, sed e contra lex data cum sufficienti facultate per Decretum 39, sess. 2, Concilii Compostellani vi cuius canonico praedicatori concessum est ut per octo dies vacet compositioni concionis habendae in cathedrali, dummodo quotidie assistat Missae conventuali.

« 2.° Haec lex data a Concilio Compostellano gaudet possessione tercentum triginta septem annorum, quae possessio neutiquam confundenda est cum consuetudine de qua sermo est in Decretali Bonifacii VIII, sed magnum robur accipit per tam longum temporis spatium.

« 3.° Apostolicae Sedi cognitum fuit Decretum 39, sess. 2, Concilii Compostellani; nec enim Nuntius Apostolicus potuisset agere, uti par erat cum Episcopis et capitulis huius provinciae Compostellanae pro ineunda concordia, quam Summus Pontifex Pius V confirmavit, nisi Acta eiusdem Concilii Compostellani exhibita fuissent ipsi Nuntio Apostolico, et incredibile prorsus est illi notum fuisse Decretum 38 et 40, eiusdem sessionis, occultum autem illi fuisse 39.

« 4.° Romae cognitum fuit Decretum 39, sess. 2, Conc. Compostellani, nam ibidem facta fuit editio Conciliorum Hispaniae ab E.mo et R.mo Cardinali Aguirre anno 1693 et tamen nunquam fuit improbatum nec a Romanis Pontificibus nec a Cardinalibus Sanctae Romanae Eccl. nec a Nuntiis Apostolicis nec ab Episcopis Hispaniae nec a Capitulis Cathedralibus. Sed e contra in Hispania omnes tuta conscientia manebant in observantia eiusdem Decreti, cui favet traditio trium saeculorum et amplius.

« Igitur pro gloria Dei, pro Romani Pontificis honore, pro Sanctae Romanae Ecclesiae decore et pro reverentia debita legitimo Concilio Compostellano, nihil innovandum est in Decreto 39, sess. 2, Compostellani ».

Verum ex adverso haec recoli possunt. In iure communi habetur *Cap. unicum de Clericis non resid. in 6°* quod incipit *Consuetudinem*, vi cuius reprobatur et prohibetur consuetudo tribuendi canonicis et aliis beneficiatis non interessentibus distributiones. Imo qui aliter distributiones sic acceperint, eas non faciunt suas. Idem statuit Conc. Trid., *Sess. 24, Cap. XII.* Sola autem causa fictae praesentiae, praeter infirmitatem, est *utilitas* Ecclesiae. Et ex hac utilitate explicatur quomodo ex pontificio iure tamquam choro praesentes habeantur Can. Theologus tota die qua legit: Canonicus Poenitentiarius, dum audit confessiones; et Canonicus Parochus dum parochialia munera actu exercet.

Similiter apud iuris peritos communiter receptum est, causam fictae praesentiae esse illum utilitatem Ecclesiae, quae resolvitur in utilitatem Capituli, sive haec spectet ad eius personas sive ad eius bona. Sicut e contra receptum est non haberi ut causam iuridicam utilitatem ecclesiae in qua residet beneficium, quando huiusmodi utilitas vergit in favorem Episcopi, Dioecesis, cultus et animarum, absque ulla relatione ad praebendam seu massam capitularem, ad universitatem Canonicorum et ad negotia Capituli.

Hinc in *Æsina - Distributionum* - diei 29 Iulii 1848 inter supplices libellos sequentia traduntur: « Quoad hanc utilitatis causam ea communiter recepta est regula, ut ad effectum lucrandi quotidianas distributiones in absentia utilitas esse debeat ipsius ecclesiae, cuius sunt distributiones, non autem ecclesiae universalis aut dioecesanae, aut alterius cuiuscumque: praeterea necesse est ut munera adimpleantur vel ratione praebendae, quam possidet, vel ex deputatione Episcopi aut quandoque etiam superioris vel praefecti chori et absque ullo stipendio aut remuneratione (et res exemplificatur variis H. S. C. resolutionibus). Quod si Capitularium absentia, minime directe respiciat bonum ac utilitatem eiusdem ecclesiae, cuius sunt distributiones, eae nunquam absentibus tribuuntur: (et res pariter comprobatur pluribus H. S. Cong.nis exemplis) Cfr. Lingen et Reuss - *Causae selectae per Summaria Precum, pagina 701.*

Atqui in themate munus concionatoris canonici seu Magistralis directe vergit in utilitatem Episcopi, cuius ipse gerit vices in praedicatione. Ergo exceptio utilitatis in propriam ecclesiam non videtur posse invocari.

Quin aliquid suffragetur citata dispositio Concilii Provincialis Compostellani. Nam cum ipsa aperte refragetur iuri communi, ut sustineatur necessaria omnino est approbatio R. Pontificis, et quidem non in forma communi, sed in forma specifica ut aiunt canonistae. Hanc autem adfuisse non videtur posse probari. Ut que allegantur indicia ad arguendum tacitum R. Pontificis consensum, sed de ratificatione adducti articuli facta, causa cognita, nullimode constat.

Sed praestat heic exscribere ex ipsius E.mi Archiepiscopi Toletani litteris conclusiones illorum qui tenent dispositionem synodi Compostellanae in casu nullam et irritam esse et proinde canonicos Magistrales morem gerere debere dispositionibus S. C. Trid. et resolutionibus H. S. C. in causis *Vallisoletana* et *Ovetensi* initio relatis: « Ad dispositionem Concilii Compostellani quod attinet, patet eam esse nullam et irritam, utpote quae sit contraria *cap. un. de cleric. non resid. in 6° et cap. XII, sess. 24 Concilii Trident., de reform.:* concedit enim canonico Magistrali distributiones in absentia extra casus a iure vel Apostolico privilegio permissas.

« Quae sanctiones iuris communis vim habent erga canonicum Magistralem sicut erga alios omnes Canonicos, cum ille, non secus ac alii legibus residentiae teneatur. Quare, sicut canonicus Magistralis regitur iure communi in causis favorabilibus, v. gr. dum distributiones percipit cum infirmatur, ita etiam quoad alias leges residentiae. Munus quidem concionandi est praeter ius commune, ideoque bene competit Conc. provinciali, aut etiam statutis capitularibus decernere numerum concionum habendarum, vel dies in quibus ipsi concionandum sit; legem autem residentiae immutare pro canonico Magistrali Concilio provinciali [vetitum est.

« Cum igitur haec dispositio concilii Compostell. nulla sit per se et irrita, convalidari nequit nisi approbatione apostolica in forma specifica. Atqui Conc. Compostellanum nulla donatur apostolica approbatione, nedum in forma specifica, sed neque in forma communi, imo neque constat eius acta fuisse ad hanc S. C. C. transmissa, nec ab ea recognita. Breve S. Pii V quod pro asserenda confirmatione affertur non est confirmatio generalis Conc. Compostell., sed particularis nonnullorum decretorum inter quae non est illud de quo agitur: est enim confirmatio, non ipsius Conc. sed Concordiae inter Archiepiscopum Compostellanum et suos suffraganeos eorumque capitula. Quae omnia evidenter patent si conferantur inter se confirmatio huius Concordiae, quae reperitur in Bullario Rom. Taur. *Vol. 7, pag. 777-780* cum alio brevi eiusdem Pii V pro confirmatione Concordiae inter Praesidentem episcopos et capitula provinciae Toletanae, quod pariter invenitur *l. c. pag. 780-782*, et cum decisione S. Rotae Romanae in *Toletana* 18 Maii 1584 *coram D. Aldobrandino*, quam affert Garcia, *Tract. de Beneficiis, Vol. I, part. 5ª, cap. 4, n. 166.* Cum igitur acta huius Concilii recognita a S. C. fuisse non videantur, nihil mirum si plura in illis reperiantur, quae menti Tridentini adversentur, ut apparet, tum quoad cap. III eiusdem sess. 2ªᵉ, quod fuisse a S. C. Concilii, utpote contrarium menti Tridentini referunt Garcia *l. c. cap. VII, n. 11* et Bened. XIV, De Synodo dioec. *lib. 4, cap. 7, n. 11;* tum quoad *cap. 33, sess. 3ªᵉ* quod pariter nullum et irritum est ex declaratione huius S. C. Concilii, prout refert idem Garcia *l. c. part. 7ª, cap. 7, nn. 45, 46 et 47.*

« Nec consuetudine induci potuit ut Magistrali debeantur distributiones per totos illos octo dies, quia talis consuetudo percipiendi distributiones in absentia omnino reprobata fuit in dicto *cap. unic. de cleric. non resid. in 6°*, innovato per Conc. Trid. *l. c.*

« Quod evidenter patet ex responsionibus H. S. C. *in Vallisolet. et in Oveten.:* nec videtur negari ab adversariis. Quod si consuetudo haec quoad canonicum Magistralem sustineri nequit, utpote quae sit contra ius commune, a fortiori id erit dicendum de praedicta lege Compostellana permittente id ipsum quod in consuetudine reprobatur; cum consuetudines debitis ornatae conditionibus, vim habere possint, propter consensum legalem Summi Pontificis ad derogandum iuri communi; qui Concilio Provinciali nunquam est concessus.

« Quae magis confirmantur ex litteris Eminentiss. Card. Praefecti H. S. C. ad Episcopum *Oveten.* in quibus dicitur: *Dum hoc responsum A. T. communico, gratissimum mihi est addere quod si tum ob antiquam consuetudinem, tum ob alias causas reputas unum aut duos vacationis dies esse necessarios, Emi Patres alieni minime sunt, ut ex gratia concedatur indultum ut in Vallisoletana, licet expositam consuetudinem, iure inspecto, uti abusum non tolerandum retineant.* Quare consuetudo tribuendi distributiones canonico Magistrali in absentia per totos illos octo dies, quamvis antiquissima sit, quamvis roborata decreto Concilii provincialis, iure inspecto, censetur, ex sententia S. C. abusus non tolerandus, Nec restricta ad unum vel duos dies valere videtur, nisi ex speciali gratia Sedis Apostolicae.

« Nec ius certum competere Magistrali probatur percipiendi distributiones per octo dies absentiae ex eo quod dum concionem est habiturus, exercet munus adnexum suae praebendae, ideoque censeatur agere in utilitatem evidentem suae ecclesiae.

« Nam tale ius ipsi non competit ex eo quod concionem sit habiturus; per se enim distributiones non debentur concionatoribus absentibus a choro, ut resolvit haec Sacra Congregatio *in Adiacen.* 10 Sept. 1678 et *in Franen.* 20 Decembr. 1862 quamvis de hac ultima quaestione relatum fuit ab Episcopo parochialem curam residere habitualiter penes capitulum et conciones habendas esse intra fines ipsius parochiae. Nec ex eo quod exerceat munus adnexum praebendae; quia quamvis Lectoralis, dum lectionem Sacrae Scripturae habet, exerceat munus suae praebendae adnexum, S. C. interrogata primis post Concilium Trid. temporibus semper constanterque respondit canonicum theologum quotidianas distributiones non lucrari in absentia; donec recurrente canonico Lectorali *Egitanen.* ecclesiae *an per horas quibus legit, quotidianas distributiones lucrari posset* S. C. C. censuit *Distributiones quidem non deberi, sed agendum cum SSmo pro gratia*, ut refert Card. Petra in *Com. ad Const. Innoc. VI, n. 53*, et habetur etiam in *Carthagin.* 11 Apr. 1891. Unde postea S. C. rescribere consuescebat, uti in *Tropien.* 9 Maii 1597, *Auctoritate sibi tributa S. C. indulget, ut eo die quo Theologus sacram legit scripturam ex munere sui officii, ad praescriptum Concilii, percipere possit distributiones quotidianas quamvis divinis non intersit.*

« Ergo per se, exercere onus praebendae adnexum, non confert ius strictum accipiendi distributiones in absentia, nisi accedat specialis gratia Romani Pontificis. Quare nonnisi ex gratia deberi distributiones Lectorali pro diebus quibus legit testantur Barbosa, *De canonicis* etc., *cap. 27, n. 33;* Hier. Gonzalez, *Com. ad Reg. 8 Cancellariae § 7. proemial. n. 180;* Garcia, *De beneficiis part. 3, cap. 2, n. 119 et seq.;* Trullenh, *In Decal. lib. 1, cap. VIII, n. 12, § 6.* Idem probatur ex causa in *Oxomen.* ubi S. C. resolvit non deberi distributiones canonico Doctorali docenti absque retributione in seminario ex munere suae praebendae adnexo, salvo iure oratoris recurrendi pro gratia.

« Nec debentur eo quod utrumque copulative in Magistrali concurrat, scilicet, quod debeat concionari, et hoc ex munere suae praebendae adnexo. Scribit enim Fagnanus in cap. *Licet, De Praebend. et dignit., n. 114; Ampliatur decimoctavo in canonico legente et sermocinante ex debito sui officii, cui similiter responsum est deberi fructus praebendae sed non distributiones.* Quod evidenter censuit haec S. C. in *Vallisolitana* et in *Ovetensi* dum ius percipiendi distributiones in absentia competere negavit non modo canonicis gratis et sponte concionantibus in ecclesia cathedrali, sed etiam aliis canonicis concionem habentibus ratione beneficii iuxta decreta cum Sede apostolica concordata et praeterea ipsi canonico Magistrali.

« Nec valet paritas cum canonico Poenitentiario, quia hic habet privilegium a Tridentino concessum, quod Magistrali concessum aliquando fuisse pro illis octo diebus nullibi constat. Imo ex sententia Bonacinae: *Poenitentiarius Ecclesiae cathedralis non potest speciato iure antiquo distributiones capere dum in confessionibus excipiendis detinetur. Ratio est quia hic non dicitur abesse in evidentem*

Ecclesiae suae utilitatem, sed in commodum civitatis ac dioecesis, seu Ecclesiae specialis vel universalis. Dixi spectato iure antiquo, quia iure novo sancitum est in Trident. sess. 24, c. 8 etc. (De horis canonicis disp. 2, q. 5, punct. 3, § 5).

« Nec omittendum videtur canonicum Magistralem illo tempore quo parat concionem non exercere munus suae praebendae adnexum, sed parare se tantum ad illud munus exercendum.

« Hinc mirum non est quod Garcia de hac Constitutione Compostellana scripserit quod « *non careat etiam difficultate; bene enim potest sermo componi et addisci de nocte quae est tempus ordinarium studii et etiam de die ante, vel post horas, et officium divinum; maxime cum commendari soleat per plures dies ante*; *et ad summum videbatur sufficere indulgentia horarum post meridiem* » *(De beneficiis, p. 3, cap. 2, n. 126).*

« Tandem dici nequit censendam esse approbatam hanc praxim tacito Romani Pontificis consensu, cum non constet ad Sedem Apostolicam huiusmodi statuta delata fuisse; imo ex quo Sacrae Congregationi haec praxis innotuit, eam veluti abusum non tolerandum extirpare curavit. Pariter reiiciendum est dispositionem Compostellanam fuisse a coeteris Hispaniae dioecesibus admissam, cum sint plurima capitularia statuta quae Magistrali tres tantum dies vel duos vel unum dumtaxat fictae praesentiae concedant ».

Hucusque actum de valore citatae dispositionis Concilii Provincialis Compostellani. At cum in aliis [Capitulis sive Cathedralibus sive Collegiatis aliarum Hispaniae Provinciarum dicta dispositio sit applicata sive per statuta Capitularia sive per consuetudinem vel sit restricta ad tres vel quatuor dies ex statutis iisdem ad instar canonici Doctoralis qui simili indulto ex eodem Concilio fruitur quoties super negotio aliquo Capituli sententiam vel verbo vel in scriptis dicere debet, hinc etiam super hoc Emus Archiepiscopus Toletanus exquirit iudicium H. S. C. Profecto neminem latet Constitutiones Synodi Provincialis ipsam provinciam non egredi. Neque, dato etiam et non concesso, quod praecitata dispositio valida extaret ex placito Pontificio, ideo sequeretur, quod eius vigor posset extendi ad Capitula aliarum provinciarum Hispaniae habentia canonicum Magistralem. Ad hoc enim requireretur ut esset clausa in corpore iuris, iuxta id quod monet Bened. XIV, *de synodo dioec. libr. 13, cap. 3, n. 5.*

Hinc ex hoc titulo praefata capitularia statuta nullum robur consequi possunt. Neque item ullum valorem ex se ea habere possunt, etiamsi canonico Magistrali minus tempus fictae praesentiae concedant puta duos vel tres dies vel quatuor. Nam Capitulo nulla inest facultas leges statuendi contra ius commune absque Pontificio beneplacito ut tenent Barbosa *de can. et dignit. cap. 42, n. 17;* Scarfant. ad Ceccop., *tom. I, libr. 4, tit. II, n. 32.*

Demum Emus Archiepiscopus Toletanus proponit, quatenus praedicta dispositio Conciliaris et statuta Capitularia non sustinentur, ut canonicus Magistralis ex gratia censeatur praesens ad effectum lucrandi distributiones, tum die quo concionem dicit tum die praecedenti sermonem: et hanc gratiam esse concedendam ut alia omittam, suadet ipsa resolutio data in supra allegata causa *Vallisoletana* in responso ad 2um dubium, quae praeter canonicum Magistralem extensa etiam est ad alios sive canonicos sive beneficiatos concionantes in ecclesia Cathedrali.

Verum utrum expediat uno velut ictu dirimere quaestiones ab Emo Archiepiscopo Toletano propositas de canonico Magistrali et attingentes Capitula sive Cathedralia sive Collegiata totius Hispaniae, his inauditis eorumque Episcopis, erit EE. VV. decernere quibus merito facultas inest tum iuris Tridentini applicationem curandi, tum illud interpretandi.

Meum interim est sequentia subiicere

DUBIA

I. *An sustineatur invecta praxis tribuendi distributiones quotidianas canonico Magistrali a choro absenti sive per hebdomadam integram, sive per tres aut quatuor dies, ad parandam concionem in casu?*

Et quatenus negative ad utrumque,

II. *An et quot dies absentiae absque amissione distributionum quotidianarum concedi possint canonico Magistrali in casu?*

Emi Patres rescripserunt: *Ad 1um Negative. Ad 2um Affirmative favore canonici Magistralis Toletani Capituli per duos dies ad quinquennium.*

IV.

METEN.

Dispensatur ad triennium ab applicatione missae pro populo in diebus festis suppressis, et permittitur perceptio eleemosynae pro secunda missa, etc.

Beatissime Pater,

Episcopus Metensis S. V. quae sequuntur, devotissime exponit: Post restaurationem cultus catholici initio saeculi XIX, ab Episcopo Metensi in aedibus conventus quondam Eremitarum S. Augustini in oppido Bitensi (vulgo Bitsch nuncupato) consentiente Municipio loci, cui post spoliationem rerum sacrarum in Gallia proprietas dicti conventus attributa fuerat, instauratum est pium Institutum a S. Augustino nuncupatum, ad informandos litteris et pietate pueros qui clericali militiae nomen dare intendebant. Lapsu vero temporis vetustate collabuntur aedes conventus S. Augustini, quin ab Episcopo potuerint refici, cum sint proprietas Municipii, et insuper propter vetustatem vix opportune refici queant. Gubernium etiam civile iterum atque iterum ab Episcopo petivit, ut nova domus aedificaretur Instituti necessitatibus et scholarum usui magis accommodata. Episcopus igitur necessitate coactus, statuit in territorio eiusdem oppidi novam ex toto aedem erigere, quae omnino respondeat scopo Instituti. Huius autem domus aedificandae impensae computantur ad fere 800,000 francorum summam, quibus solvendis aerarium dioecesanum omnino impar est. Porro cum in finem intendit Orator Episcopus annuam collectam in sua Dioecesi indicere et sperat fore ut fideles libenter ad iuvenes clericos informandos pecuniam conferant.

Ulterius autem a S. V. postulat ut sibi facultas concedatur, qua Parochis et caeteris sacerdotibus Dioecesis concessio fiat: 1) accipiendi stipendium pro secunda missa, quam diebus dominicis et festis pro necessitate populi plures sacerdotes celebrant; 2) accipiendi stipendium et applicandi missam ad intentionem offerentis diebus festis suppressis, loco applicationis missae *pro populo*, cum onere in utroque casu integrum stipendium sic acceptum sive missae lectae sive missae cantatae transmittendi ad Episcopum pro reaedificando praefato pio Instituto, retentis solummodo si quae sint iuribus casualibus seu parochialibus, simulque supplicat

ut S. V. de thesauro Ecclesiae supplere dignetur pro missis *pro populo* sic non applicatis.

Die 11 Novembris 1904, Sacra Congregatio Conc. Tridentini Interpres, auctoritate SS.mi Domini Nostri Pii PP. X, attentis expositis licentiam dispensandi parochos ab applicatione missae *pro populo* in diebus festis suppressis, ad effectum de quo in precibus, nec non licentiam permittendi perceptionem eleemosynae secundae missae, ut integra erogetur ad eumdem finem, Episcopo Metensi Oratori benigne ad triennium tantum impertita est.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenest., *Praef.*

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

DECRETUM.

Archiepiscopalis residentia transfertur ab urbe Verapoli ad urbem Ernaculam.

Rev.mus D.nus Bernardus Arguinzonis Archiepiscopus Verapolytanus nuper petiit ab hac S. Congregatione, ut residentia Archiepiscopalis ex urbe Verapolis in urbem Ernaculam transferretur, eo quod urbs Verapolytana numerum valde imminutum fidelium latini ritus post erectionem trium Vicariatuum Apostolicorum Syrianorum a Leone fel. rec. PP. XIII peractam et ob relationum difficultatum cum caeteris Archidioeceseos fidelibus, amplius haberi nequeat uti centrum religiosum, sicut nec politicum centrum habetur.

Porro cum in Generalibus Comitiis diei 28 superioris mensis Nov., sapienti iudicio EE. PP. Cardinalium S. huic Consilio fidei propagandae praepositorum, sequens dubium propositum fuerit: « An sit conveniens residentiam Archiepiscopalem ex Verapoly in Ernaculum transferre », iidem EE. ac RR. Patres, attentis expositis, respondendum censuerunt: « affirmative ».

Hanc autem EE. PP. sententiam SS.mo D.no Nostro Pio div. prov. PP. X in audientia diei 20 huius vertentis mensis Decembris a R.mo D.no Secretario huius S. Congregationis relatam, Sanctitas Sua benigne adprobare ratamque habere dignata est, praesensque ad id Decretum confici iussit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 29 Decembris 1904.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

A. VECCIA, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

PLURIUM DIOECESIUM.

Circa qualitatem cerae pro sacris functionibus usurpandae.

Nonnulli Sacrorum Antistites a Sacrorum Rituum Congregatione semel atque iterum reverenter postularunt: « An attenta etiam magna difficultate, vel veram ceram apum habendi, vel indebitas cum alia cera commixtiones eliminandi, candelae super Altaribus ponendae, omnino et integre ex cera apum esse debeant; an vero esse possint cum alia materia seu vegetali seu animali commixtae? ».

Et Sacra Rituum Congregatio, in Ordinario Coetu die 29 Novembris hoc vertente anno in Vaticanum coadunato, omnibus perpensis, una cum suffragio Commissionis Liturgicae, anteacta decreta mitigando, rescribere rata est: « Attenta asserta difficultate, *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, et ad mentem. Mens est, ut Episcopi pro viribus curent ut cereus paschalis, cereus in aqua baptismali immergendus et duae candelae in Missis accendendae, sint ex cera apum, saltem in maxima parte; aliarum vero candelarum, quae supra Altaribus ponendae sunt, materia in maiori vel notabili quantitate ex eadem cera sit oportet. Qua in re parochi aliique rectores ecclesiarum et oratoriorum tuto stare poterunt normis a respectivis Ordinariis traditis, nec privati sacerdotes Missam celebraturi de qualitate candelarum anxie inquirere tenentur ». Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

DUBIORUM.

Circa iura Titularium Abbatiae destructae aut penitus extinctae.

Expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione:

I. An Ecclesiastici, quibus a quacumque potestate etiam regia titulus conferatur alicuius Abbatiae vel Praepositurae iampridem destructae, aut penitus extinctae, functiones pontificales celebrare possint?

II. An saltem iidem Abbates, vel Praepositi titulares insignia, quibus utuntur Abbates mitrati, sive pontificalium usum habentes, uti sunt crux pectoralis, mitra et baculus gestare unquam possint?

III. An iidem, qua tales, benedictionem ullam recipere possint et praesertim illam, quae invenitur in Pontificali Romano?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis die 29 Novembris hoc labente anno ad Vaticanum coactis, exquisita prius sententia Commissionis Liturgicae, re maturo

examine perpensa, rescribendum censuit: « *Negative* in omnibus ».

Atque ita rescripsit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

SOCIETATIS PARISIENSIS MISSIONUM AD EXTEROS.

Color violaceus adhibeatur pro missa votiva de Fidei propagatione.

Rev.mus P. Petrus Xaverius Cazenave, Procurator Generalis Societatis Parisiensis Missionum ad exteros, SS. Rituum Congregationi ea quae sequuntur humiliter exposuit; nimirum:

Die 5 Martii 1787 approbata fuit Missa votiva de Fidei Propagatione pro omnibus et singulis Missionariis ubique gentium existentibus, et die 21 Aug. 1841 concessa fuit etiam Dioecesibus, in quibus adest Societas Propagationis Fidei in Gallia instituta. Nunc autem ambigitur et quaeritur: Quinam sit color paramentorum in praedicta Missa votiva adhibendus?

Et Sacra eadem Congregatio in Ordinariis Comitiis die 29 Novembris hoc vertente anno ad Vaticanum habitis, re sedulo perpensa una cum voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: « *Adhibendum esse colorem violaceum* ». Atque hanc Sacri Consilii resolutionem SS.mus D.nus Noster Pius PP. X ratam habuit et probavit, die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

CONGREGATIONIS MISSIONIS.

Providetur circa translationem duorum festorum propriorum cum in diem impeditam inciderint.

Rev.mus P. Augustinus Veneziani, Procurator Generalis Congregationis Missionis, exponens Festum Manifestationis Immaculatae Virginis Mariae a Sacro Numismate, die 27 Novembris a Sacerdotibus ipsiusmet Congregationis ac Puellis a charitate recolendum, saepius impediri occursu Dominicae primae privilegiatae Sacri Adventus; Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X. supplicibus votis rogavit, ut in casu eiusmodi impedimenti, tamquam in sedem propriam enunciatum Deiparae Festum in diem 28 sequentem transferri valeat. Itemque expetivit ut festum secundarium translationis Reliquiarum S. Vincentii a Paulo dominicae secundae post Pascha affixum, quoties ea dominica impeditum occurrerit, in feria secunda immediate sequenti liceat reponere. Sacra porro Rituum Congregatio utendo facultatibus sibi specialiter ab eodem Sanctissimo Domino Nostro tributis, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces: Servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 2 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

IANUEN.

Toleratur consuetudo recitandi Officium Defunctorum durante missa, exceptis festis per annum solemnioribus.

Proposito dubio a Praesidibus Archiconfraternitatis B. M. V. in coelum Assumptae, quae erecta est in Paroecia loci *Pra* nuncupati, Archidioeceseos Ianuen., nimirum:

An possit continuari consuetudo immemorialis, qua recitatur vel cantatur a Confratribus Officium Defunctorum Dominicis aliisque festis de praecepto, dum iidem adstant Missae de die currente?

Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attentis expositis et commendationis officio R.mi Ordinarii Ianuensis, rescribendum censuit:

« *Posse continuari*, exceptis tamen festis per annum solemnioribus, nempe duplicibus primae classis et Dominicis privilegiatis item primae classis ».

Atque ita rescripsit. Die 6 Septembris 1904.

D. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

VI.

Nota Congregationum Sacrorum Rituum pro anno 1905.

Ianuarius. — 17. Congregatio Generalis super virtutibus Ven. Magdalenae Sophiae Barat.

31. Congregatio Praeparatoria super miraculis Beati Pompilii Pirrotti.

Februarius. — 21. Congregatio Antepraeparatoria super virtutibus Ven. Ioannis Nepomuceni de Tschiderer.

Martius. — 14. Congregatio Praeparatoria super miraculis Beati Ioseph Oriol.

28. Congregatio Rotalis.

Aprilis. — Congregatio Ordinaria.

Maius. — 2. Congregatio Generalis super virtutibus Ven. Fr. Gabrielis a Virgine Perdolente.

23. Congregatio Antepraeparatoria super virtutibus Ven. Bartholomaei Menochio.

Iunius. — 6. Congregatio Particularis super martyrio VV. Hieronymi Hermosilla Episcopi, Valentini Berrio-Ochoa Episcopi et Petri Almato Missionarii, Dominicani, et Ioseph Kang Indigenae; et VV. Theresae a S. Augustino et Sociarum Monialium Compendiensium Carmelitarum Excalceatarum.

20. Congregatio Rotalis.

27. Congregatio Praeparatoria super virtutibus Ven. Annae Mariae Taigi.

Iulius. — 11. Congregatio Generalis super virtutibus Ven. Margaritae a SS. Sacramento.

25. Congregatio Antepraeparatoria super miraculis Ven. Bonaventurae a Barcinona.

Augustus. — 1. Congregatio Praeparatoria super virtutibus Ven. Juliae Billiart.

8. Congregatio Ordinaria.

22. Congregatio Praeparatoria super miraculis Ven. Joseph Benedicti Cottolengo.

November. — 14. Congregatio Generalis.

21. Congregatio Rotalis.

28. Congregatio Antepraeparatoria super virtutibus Ven. Magdalenae Marchionissae a Canossa.

December. — 5. Congregatio Ordinaria.

19. Congregatio Antepraeparatoria super virtutibus Ven. Benigni Joly.

E SECRETARIA STATUS

Pius X iubet Hispanicum Collegium S. Ioseph de Urbe, *Pontificium* appellari.

EX AUDIENTIA SANCTISSIMI.

Die XVI Decembris 1904.

SS.mus Dominus Noster Pius Divina Providentia Papa X, Suam erga Hispanicum S. Iosephi Collegium de Urbe voluntatem cupiens argumento novo profiteri, praemioque Collegium idem volens afficere, in quo nobilis Hispaniarum gens praeclarum fovet virtutis doctrinaeque domicilium, benigne iussit Collegium ipsum appellari *Pontificium*, ita quidem ut clerici, ad Religionis ac patriae spem in eodem succrescentes, non modo praecellenti, ut antea, animorum studio aut explorata fidelitate Apostolicae Sedi coniungantur, verum etiam amplissimi dignitate nominis Pontifici Maximo adhaereant.

Datum e Secretaria Status, die, mense et anno supradictis.

L. ✠ S.

R. Card. MERRY DEL VAL.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

In praeteritis Ephemeridis nostrae voluminibus, perplura iam edidimus inedita documenta tum S. Officii de Urbe, tum S. Cong. Episc. et Regul. Modo, gratam iri putamus eruditis *Analectorum* lectoribus, edendam seriem documentorum ineditorum S. Congregationis Concilii, ab anno scilicet 1676 ad annum 1717.

Iuxta morem nostrum, singularum Congregationum causas *omnes* enumerabimus, cum relativis responsionibus. Dein, illas ex integro edendas curabimus quarum solutio interesse poterit. Si quis tamen alicuius causae, a nobis non editae, *folium* cognoscere voluerit, accedat, et statim satis illi fiet.

Non est cur dicamus quantam prae se ferat utilitatis copiam, haec miranda documentorum seges. Hoc clarius patebit ex successiva et chronologica omnium foliorum editione. Documenta numerantur centena et centena, quae in hisce *Analectis* ex nunc in posterum edentur.

I. Die Sabathi, 28 Septembris 1676 in palatio apostolico Quirinali, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua praeter alia proposita sunt infrascripta iuxta stylum eiusdem Sacrae Congregationis de iure resolvenda.

MECHLINIEN. — Iuris eligendi. — R. *Ad mentem.*

AMERINA. — Matrimonii. — R. *Affirmative.*

DUBIUM. — Restitutionis Vestis Regularis. — R. *Restituendum esse valorem vestis iuxta praecisum tempus vestitutionis.*

ASCULANA seu FARFEN. — Deputationis Cappellani. — R. *Dismembrationem non substineri, et recedendum a decisis sub die 27 Novembris 1673.*

FERRARIEN. — Legitimitatis. — R. *In decisis.*

TAURINEN. — Erectionis Cappellaniae. — R. *Cappellaniam esse erigendam iuxta petitionem Oratoris post adimpleta alia onera.*

PISTORIEN. — Reductionis Missarum. — R. *Affirmative.*

DUBIUM. — Cambiorum. — R. *Non proposita.*

SENEN. — Officiorum. — R. *Affirmative, et in utroque casu eligendum esse punctatorem de gremio capituli.*

1. Amerina. — Matrimonii.

Episcopus Amerinus ad hanc Sacram Congregationem litteras dedit tenoris sequentis:

« Casus quidam mihi se praebet in continuatione publicationum pro indagandis impedimentis, si quae forsan adsint legitima in contrahendo matrimonio.

« De mense Octobris 1685 (?) fuerunt in thoro iacentes a birruariis insimul reperti, Cecilia Leonori et Vincentius Cozzius, uterque natus in terra Iovii, ubi extat etiam propria domus, in qua Cecilia taliter deprehensa fuit accessu Birruariorum, in quo dixit Cozzius in uxorem se ducturum Ceciliam, sed paulo post, advocato parocho, negative respondit, quia pro suis indigentiis ibi moram faceret, tertiam licet, vel quartam noctis horam tale factum attingeret; quare omnibus, sine matrimonii conclusione et sine captura, dimissis, alienam Cozzius iurisdictionem petiit in terra scilicet Mugnani, ubi cum alia muliere, nempe Eusebia Bernardini contrahere desiderans, testes induxit in mense Decembris prox. praet., liberum deponentes illius statum de tempore quo habitavit in mea dioecesi, et vigore liberi status Eusebiae hic producti, fuit in forma consueta matrimonii publicatio commissa. Ex habita notitia publicationis huiusmodi, Cecilia (ut mihi parochus denunciavit) se opposuit priorem deducendo promissionem sibi a Cozzio factam, ipsamque obiectionem pluries coram me Cecilia repetiit, ex quo proclamationum continuatio suspensa fuit.

« His itaque stantibus, ad instantiam Cozzii tres fuerunt praefixi termini ad probandum quidquid Cecilia vellet, quae tamen duos solummodo testes ad perpetuam rei memoriam in Cancellaria examinari curavit, qui testes iidem vere sunt,

alias pro Curiae informatione a Gubernatore Iovii examinati deponentes inquam Cozzii reperitionem in domo in lecto et in fragranti cum dimissione insuper libertatis.

« In eodem termino probatorio Cecilia copiam authenticam hic pervenire fecit sententiae condemnatoriae latae contra Cozzium die 1 Aprilis proximi praeteriti in poenam triremium ad quinquennium si devenerit in fortiis Curiae, et in scutis centum in causa dotis.

« Ratio dubitandi movetur ex quo condemnatus in poenam triremium, et in solutionem tantummodo scutorum centum, dicit non teneri ad illam in uxorem ducendam, quia sententia non obligat ad contrahendum matrimonium, eoque magis, quia ex testibus ad perpetuam rei memoriam examinatis, neque oritur probatio, neque orta si formiter repeterentur relevaret, ut invitus cogi posset ad contrahendum matrimonium cum eadem Cecilia, et e contra ipsa Cecilia omnino intendit in virum sibi dare Cozzium, ne sine viro dehonestata remaneat, attenta praecipue facti diffamatione per sententiam, ut dixi latam, et quamquam probationes super promissione desponsandi formiter coram me non fecerit, de iuris tamen benignitate succurrendum putat, propter evidentem (perquam dolenter allegat) propriae conditionis paupertatem ».

Reliquum est igitur, ut E.mi Patres respondere non graventur:

An sit procedendum ad ulteriora in denunciationibus matrimonii, de quibus agitur?

Resp. *Affirmative.*

2. Dubium. — Restitutionis vestis regularis.

Cum in Sacro Concilio Tridentino, Cap. 16, Sess. 25 de Regular. caveatur, ut « Abeuntibus ante professionem, omnia restituantur, quae sua erant » dubitari contingit:

An vestis regularis propriis novitii pecuniis confecta restitui debeat eidem novitio ante professionem a religione abeunti, vel saltem eidem novitio restituendus sit eiusdem vestis valor?

Resp. *Restituendum esse valorem vestis, iuxta praecisum tempus vestitutionis.*

3. Asculana seu Farfen. — Deputationis Cappellani.

Sub praetextu, quod duorum milliariorum distantia et asperrima montium iuga intermedia impedirent hyemali praesertim tempore, ne populus Villae Fleni ad matricem Ecclesiam Sanctae Mariae Favori pro audienda missa et recipiendis sacramentis accederent, et ne istius Ecclesiae parochus spiritualibus necessitatibus dicti populi praesto esset, episcopus Montius in actu visitationis decrevit in ecclesia dictae Villae Fleni deputandum esse cappellanum, qui missam celebraret, et sacramenta ministraret, assignatis eidem redditibus, quos parochus Farni ex bonis, et decimis dictae filialis ecclesiae percipere consueverat.

Verum quia mortuo d. Episcopo Silvester Cantarellus parochus Farni executioni dicti decreti se opposuit, populus Villae Fleni recursum habuit ad hanc Sacram Congregationem, quae in relatione supplicum libellorum habita die 27 Novembris 1673 ad simplicem relationem vicarii capitularis respondit locum esse deputationi cappellani.

Deputato proinde in cappellanum Marco Valporico cum assignatione praefata, adversus illam reclamatum fuit non solum a dicto Cantarello parocho Farni, verum etiam nomine E.mi D.ni Cardinalis Barberini Abbatis Farfen., uti Ordinarii Collatoris dictae Parochialis ecclesiae Farni, necnon S. Petri de Fleno et S. Gregorii ab illa dependentium, ea ratione, quia non doceatur de veritate causarum propter quas episcopus Montius huiusmodi Cappellani deputationem decrevit, vel in omni casu, quo dictae deputationi sit locus, subtrahi nequeant a parocho Farni redditus illi debiti in bonis, et decimis ecclesiae filialis Fleni, sed homines ipsius Villae teneantur de proprio praestare congruam d.o Cappellano.

Modernus episcopus auditus, inter caetera refert in contradictorio coram eo habito inter parochum Farni, et homines Villae Fleni, conclusum fuisse, redditus Cappellano assignatos, consistere in duobus rubris frumenti, illisque detractis, remanere pro parocho redditus ecclesiae Farni, qui calculantur ad scuta 15, necnon dictae ecclesiae S. Gregorii ascendent. ad scuta sex.

His ergo positis, et utraque parte informante, dignabuntur E.mi PP. respondere:

An standum, vel recedendum sit a decisis?

Resp. *Dismembrationem non substineri, et recedendum a decisis sub die 27 Novembris 1673.*

4. Senen. — Officiorum.

Postquam haec Sacra Congregatio sub die 13 Iulii prox. nulla facta expressione, quisnam esset punctator Cleri Ecclesiae Metropolitanae Senen. decrevit Punctatorem teneri coram deputante iurare de fideliter ministrando munus suum; Capitulum sub die 24 eiusdem mensis congregatum confirmavit, et ad cauthelam denuo deputavit Sacristam in punctatorem, qui punctet cum assistentia, et de mandato expresso Prioris chori si adfuerit, sin minus Camerarii, vel Canonici antiquioris iuxta deliberationem ab eodem Capitulo habitam usque sub die 23 Aprilis 1631.

Verum quia sacristae, qui in dicta ecclesia sunt duo alternis hebdomadis exercentes, nec sunt de gremio capituli noluerunt punctandi munus assumere, nec iurare iuxta formulam a capitulo statutam relative ad praefatam deliberationem anni 1631, Procurator fiscalis Curiae Metropolitanae exponit id iuremerito contigisse, quia cum iuramentum super facto proprio non autem alieno praestandum sit, sacristae, quorum factum prope nullum est uti consistens in sola, et simplici scriptione de mandato expresso prioris, sive Camerarii, vel Canonici antiquioris, non habent super quo iurent.

Quo circa Capitulum ad informandum monito, supplicat responderi:

An Capitulo praefigendus sit congruus terminus ad declarandum punctatorem, qui libere, et sine aliena dependentia exerceat munus suum, et de illud sedulo et fideliter exercendo iuramentum praestet coram Deputante ita ut huiusmodi termino elapso, et declaratione non facta, ius deputandi Punctatorem devolvatur ad Archiepiscopum?

Resp. *Affirmative, et in utroque casu, eligendum esse punctatorem de gremio capituli.*

Deinde (1) proponentur nonnulli supplices libelli plerumque a SS.mo D.no Nostro et a Dataria remissi.

Asten. Beneplaciti. — Acquipendii. — Alexandrina, Beneplaciti. — Albiganen. Residentiae. — Adiacen.

(1) Pro hac vice tantum ponimus elenchum libellorum pro causis minoribus, quae nunc per *Summaria precum* ventilari solent, sed quae tunc temporis et multo plures proponebantur, et oretenus dirimebantur. *N. D.*

Civitatis Castellae. — Caputaquen., Irregularitatis. — Condonationis missarum.

Firmana, Dispensationis. — Forosempronea, Beneplaciti. — Florentina, Translationis oneris. — Fulginaten., Beneplaciti. — Firmana, Beneplaciti.

Leodien., Prorogationis Indulti. — Lucana, Distributionum.

Ordinis Cappuccinorum.

Perusina, Beneplaciti. — Perusina, Beneplaciti.

Romana, Indulti.

Senonen. — Senen., Irregularitatis. — Sorana, Processionum.

Taurinen., Beneplaciti. — Tuscanea. — Tranen.

Viterbien, Rescissionis. — Valentina, Commutationis.

Postmodum referentur status Ecclesiarum:

Toletana et Theanen., Visitationis Sacrorum liminum.

II. Die 13 Nov. 1676.

Bononien. — Ordinationis. — R. *Affirmative ad primum. Ad 2um arbitrio E.mi Archiepiscopi Bononien., et per E.mum Commendatarium moneatur Vicariatus Nonantulae.*

Ianuen. — Matrimonii. — R. *Affirmative ad utrumque, ex deductis.*

Mediolanen. — Matrimonii. — R. *Dilata, et reformetur dubium.*

Granaten. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative et amplius non proponatur.*

Cracovien. — Unionis. — R. *Negative.*

Venafrana. — Oblationum. — R. *Negative, et amplius non proponatur.*

Calaritana. — Iurisdictionis. — R. *Negative.*

Dubium. — Suspensionis. — R. *Negative ad utrumque.*

5. Bononien. — Ordinationis.

Vicarius generalis Bononiae proponit infrascriptam facti speciem, ac supplicat pro resolutione. Iacobus de Fiocchis prima tonsura initiatus anno 1672 deinde ad Ostiariatum promotus anno 74, approbatus ad lectoratum quem tamen non suscepit anno 1675 ante Dominicam de Passione in examine ad reliquos minores ordines non fuit approbatus. Die 13 Septembris 1675 Patruus Iacobi sub iurisdict. Nonantulae fundavit simplex beneficium de Iurepatronatus Scut. 24 monetae Bononiae, quae faciunt Scut. 12 1[2 monetae romanae, cum onere missarum 24. Hoc beneficium eadem die collatum fuit Iacobo. Cum dimissoriis vicarii Nonantulae ub festum S. Crucis anno 75 promotus fuit ad reliquos minores ordines, in quadragesima 1676 ad subdiaconatum, post festum S. Crucis ad diaconatum, in sabbato ante dominicam Passionis 1677 ad presbyteratum: ex his, ob non servata interstitia, ob insufficientiam beneficii, et quia non intendebat ibi habitare, sed in Dioecesi Bononiae suae originis, videtur praesumenda fraus, fuit ab Ordinario Bononiae suspensus et quaeritur:

1° An dictus Iacobus sit illicite promotus.

2° An relaxanda suspensio quoniam, de mandato Ordinarii suppleri fecit patrim., et ex hactenus repertus fuit habilis quoad scientiam et bonis moribus praeditus aestimatur.

R. *Affirmative ad primum; ad 2um arbitrio E.mi Archiepiscopi Bononien., et per E.mum Commendatarium moneatur Vicariatus Nonantulae.*

6

6. Venafrana. — Oblationum.

Die 18 Septembris proximi praeteriti, proposito infrascripto dubio capta fuit resolutio negativa: Intendens modo Episcopus probare consuetudinem aff.vam ex iis documentis quae dantur in Summario citata parte, supplicat iterum examinari:

An ex oblationibus, quae fiunt ad imaginem Beatissimae Virginis in Ecclesia rurali, quae d. familiae de Dattilis, debeatur quarta Episcopo.

R. *Negative, et amplius non proponatur.*

7. Calaritana. — Iurisdictionis.

Anno 1459 Pius II, s. m., ad supplicationem Communitatis et Incolarum civitatis et dioecesis Calaritanae, ut pyratorum periculis obviaretur pro iis, qui in recursu ad urbem occasione appellationum, saepe captivi fiebant, instituit in insula Sardiniae iudicem; « qui causas ecclesiasticas (sunt verba brevis) tam beneficiales quam alias quarumcumque app.num ac personarum in eadem insula residen. a quibusvis diff.vis S.niis, aut gravaminibus tam ab Ordinariis, quam aliis Iudicibus sup.tis interpositarum et in antea interponendarum inter appellantes, et appellatos audire, decidere ».

Atque ut s. m. Urban. VIII declaravit inter A. C. et d. Iudicem datur praeventio.

Attentis facultatibus huiusmodi fr. Ordinis S. Augustini a suo provinciali ad biennalem relegationem condemnatus extra regnum appellationem interposuit ad d. Iudicem qui illi detulit. E contra tamen conservator conventus Calaritani praetendit id non esse in facultatibus d. Iudicis, qui non intendens plus sibi arrogare, quam ei competat, citato procuratore generali Ordinis per libellum a SS.mo remissum cum rescripto: *Alla S. Congregazione del Concilio per la dichiarazione, sentiti gli interessati,* supplicat declarari:

An iudex praedictus possit cognoscere praedictam et alias causas appellationum a sententiis definitivis PP. Provincialium inferentibus Regularibus poenam corporalem.

R. *Negative.*

8. Dubium. — Suspensionis.

Pro Clerico Messanen. dioecesis expeditum fuit breve extra tempora cum clausula ut parentibus suis solatio esse posset. Sed quia tempore impetrationis mater et pater defuncti erant, per libellum a SS.mo remissum suo voto supplicatur decerni:

1° An possit breve executioni demandari sub consideratione, ut parentum animabus per sacrificiorum suffragia solatio esse possit.

2° An dicta causa verificari possit respective fratrum, sororum, avunculi, aliorumque consanguineorum.

R. *Negative ad utrumque.*

III. Die 23 Ianuarii 1677.

Romana seu Taurinen. — Alimentorum. — R. *Negative in omnibus.*

Gadicen. — Renunciationis. — R. *Negative ad primum, et quoad secundum, audiantur interesse habentes coram Sacra Congregatione.*

Cathacen. — Matrimonii. — R. *Episcopus procedat prout de iure, et quam citius causam expediat.*

Dubium. — Residentiae. — R. *Dentur scripturae.*

INDIARUM. — Negociationis. — *Affirmative, esse comprehensos omnes ecclesiasticos.*

ULIXBONEN. — Decimarum. — R. *Affirmative.*

CAMERINEN. — Spolii. — R. *Affirmative.*

9. Gadicen. — Renunciationis.

Quoniam in Cap. 16, Sess. 2, de regul. ita cavetur: « nulla quoque renunciatio valeat nisi cum licentia Episcopi sive eius Vicarii fiat », revocatur in dubium cuiusnam Episcopi debeat esse talis licentia, scilicet an Episcopi loci professionis, an Episcopi loci originis. Quare cum Dominicus de San Juan oriundus Gadicen. professionem emiserit in ordine fratrum Discalceatorum redemptionis captivorum in dioecesi Hispalen. et bonorum renunciationem fecerit cum licentia Ordinarii Gadicen. Franciscus de S. Juan et Anna Munoy renunciatarii supplicant declarari:

1° An licentia dicti Ordinarii originis fuerit sufficiens et quatenus negative;

2° Supplicant talem renunciationem quoad hunc defectum sanari et convalidari.

R. *Negative ad primum; et quo ad secundum, audiantur interesse habentes coram Sacra Congregatione.*

10. Indiarum. — Negociationis.

Anno 1669 a sa. me. Clemen. IX emanavit constitutio motu proprio per haec verba: « Omnibus et singulis personis ecclesiasticis tam saecularibus, quam regularibus cuiuscumque status, gradus, conditionis et qualitatis, ac cuiusvis Ordinis, Congregationis et Instituti tam mendicantium quam non mendicantium etiam Soc. Iesu, et earum cuilibet, quae ad insulas provincias et regna indiarum orientalium a Sede Apostolica Congregatione aut earum superioribus sub nomine missionariorum, aut quovis alio titulo pro tempore missae fuerint, aut in illis partibus quomodolibet morabuntur, sub excommunicationis, ac privationis vocis activae et passivae et officiorum dignitatum et graduum quorumcumque ac aliis Nostro et congregationis arbitrio imponendis poenis prohibemus, et interdicimus, ne mercaturis, et negociationibus specularibus huiusmodi per se aut mediantibus ministris directe vel indirecte tam nomine proprio, quam suarum respective religionum, seu congregationum, aut Societatum etiam Iesu, vel aliorum quorumlibet, et alias quovis modo, et qualitercumque se ingerant, vel immisceant.

Nunc per libellum a SS.mo remissum cum rescripto ad Congregationem Concilii, quae provideat, pro parte ecclesiasticorum Indiarum petitur declarari:

An praedicta Constitutio comprehendat clericos, qui non sunt missionarii.

R. *Affirmative, esse comprehensos omnes ecclesiasticos.*

11. Ulixbonen. — Decimarum.

Eques commendatarius S. Mede Loures de subtili rusticorum calliditate conqueritur: siquidem isti in terris, ex quibus Commendae decimae solvebantur a nonnullis retro annis fruges amplius non serunt, sed aurea mala, aliasve arbores plantant, easque vix adultas explantant, et vendunt, unde quasi fructus non percipiantur, decimas denegant Commendatario. Quare orator, qui de praemissorum veritate docet per relationem Ordinarii supplicat decerni:

An ex dictis plantis, quae in fructu esse videntur ipsis decimae solvendae sint.

R. *Affirmative.*

IV. Die 6 Februarii 1677.

DE SUBCOLLECTORIBUS. — R. *Publicentur decreta, addita clausula: reservato arbitrio S. Congregationis mutandi, moderandi, et ampliandi in omnibus.*

HERBIPOLEN. — Dispensationis. — R. *Negative.*

DE CONCILIS PROVINCIALIBUS IN USUM REVOCANDIS. — R. *Dilata et scribatur iuxta mentem.*

BAMBERGEN. seu HERBIPOLEN. — Reformationis. — R. *Fiat Congregatio particularis EE. DD. Pii, Albitii, Carafa, Otthoboni, De Albitiis, et Praefecti, et Sigismundi Chisii.*

V. Die 20 Februarii 1677.

PRAGEN. — Matrimonii. — R. *Ex deductis matrimonium esse nullum. Ad 2um. Contrahentes esse liberos a vinculo matrimonii et respectu poenarum servandas esse dispositiones Sacrorum Canonum.*

TUDERTINA. — Concursus. — R. *Ad primum.., negative. Ad secundum, negative.*

LIMANA. — Dispensationis. — R. *Ad primum et secundum, dispensandum ad cautelam.*

NEAPOLITANA. — Indulti. — R. *Quoad primum in casu de quo agitur, in reliquis negative.*

AQUINATEN. — Erectionis. — R. *Affirmative ad utrumque de consensu tamen Capituli collegiatae.*

DUBIUM — DISTRIBUTIONUM. — R. *Affirmative, exceptis distributionibus quotidianis.*

12. Tudertina. — Concursus.

Sequuta vacatione Parochialis S. Sylvestri Civitatis Tuderti, Vicarius generalis, qui est unus ex examinatoribus, concursum indixit, et edictum subscripsit. Verum constituta die concursus, celebratus fuit coram episcopo et vicarius intervenit uti examinator una cum canonico Luchino, et fratre Francisco Maria de Vicis aliis examinatoribus. Examini autem se subiecerunt infrascripti in quorum singulis sub expressae qualitates repertae sunt.

1. Ioannes Casa presbyter, et Civis Tudertinus I. V. D. aetatis annorum 50, et alias Archipresbyter curatus in Terra Civitellae eiusdem dioecesis, et ad p.ns vicarius foraneus in dioecesi Viterbien., optime explicavit Concilium, et bene moralizavit evangelium, et casibus propositis respondit, sed, ex trium examinatorum suffragiis, duo t.m favorabilia reportavit, et unum contrarium.

2. Iacobus Marchinus presbyter Aesinas annorum 41 familiaris episcopi, optime explicavit Concilium, bene moralizavit, casibus respondit, ab omnibus, nemine discrepante approbatus.

3. Phortunatus Stephanuccius presbyter annor. 29 male se gessit in explicando Concilium, mediocriter in moralizando, et parum bene super casibus respondit, et nihilominus reportavit omnia tria vota favorabilia.

4. Ioannes Bap.ta Astancollus presbyter annorum 32 male explicavit Concilium, mediocriter moralizavit, et tamen duo favorabilia reportavit et unum contrarium.

Post haec, episcopus processit ad declarationem magis idonei per sequens decretum:

Ill.mus etc. sedens etc., praesentibus auditis, perpensis, et mature consideratis pro declaratione magis idonei exquisivit votum praedictorum DD. examinatorum, qui omnes concurrentes bene cognoscunt, iisdemque auditis, et communiter designantibus dictum R. D. Iacobum de Marchinis

eumdem R. D. Iacobum iuxta eorum omnium sententiam declaravit magis idoneum.

Ex his autem omnibus per acta concursus verificatis, praetendit Casa resultare nullitatem concursus, et irrationabilitatem iudicii. Proinde citata parte supplicat declarari:

1. An concursus fuerit nullus, ex quo vicarius, qui concursum indixerat et subscripserat, assumpsit partes examinatoris.

2. An constet de irrationabilitate iudicii.

R. *Ad primum, negative. Ad secundum, negative.*

13. Limana. — Dispensationis.

Dum causa divortii agitabatur ac post divortium mulier cum presbytero rem habebat; sequuto autem iudicialiter divortio concepit, exindeque natus fuit Dydacus orator. Is apud dictum presbyterum, et tamquam eius filius educatus tandem ad sacerdotium aspirans, matrem consuluit. Ipsa filio testata est, ipsum natum esse ex concubitu cum marito quoniam etsi divortium praecesserat, aliquando tamen occulte cum eo cohabitabat. Orator itaque etiam ex DD. consilio sacros ordines suscepit, ac denique parochialem Carvamai ab archiepiscopo obtinuit, et in concursibus ad beneficia nunquam ei talis defectus fuit oppositus, siquidem cum eius patria sit locus angustus, et distans a civitate, inibi de eius statu non innotescit; nihilominus ad omnem scrupulum removendum, decrevit, ad S. Sedem recursum habere. Indeque scrupulus magis auctus est quia mater id sciens nihil replicavit. Itaque supplex instat decerni.

1. An secundum ea, quae proponuntur, indigeat dispensatione. Et quatenus affirmative:

2. An concedenda ad ordines, beneficia, Dignitates, Canonicatus et Parochiales, cum nova provisione obtentae.

R. *Ad primum et secundum, dispensandum ad cautelam.*

14. Aquinaten. — Erectionis.

Cum alias S. Congreg. 5 Iulii 1608, episcopo Clodien. ita rescripserit:

« Archipresbyteratum 2am dignitatem in Cathedrali ab amplitudine tua erigi potuisse, si ad id Capituli consensus accessit »;

Ioseph et Alexius fratres de Crispinis, intendentes pia fundatione divinum cultum augere, instant decerni:

1. An possit episcopus erigere praeposituram secundam dignitatem in collegiata.

2. An in collegiata, in qua non est praefinitus Canonicorum numerus, possit erigere Canonicatum.

R. *Affirmative ad utrumque de consensu tamen Capituli collegiatae.*

15. Dubium. — Distributionum.

Supplicatur per Sacram Congregationem declarari:

An pro litibus, et indigentiis Capituli expensae sumi possint ex massa distributionum.

R. *Affirmative, exceptis distributionibus quotidianis.*

ANALECTA VARIA

I.

De coniugio clandestine inito in loco exempto a peregrinis qui domicilium in loco Tridentino asservant.

DISQUISITIO ALTERA POLEMICE INSTITUTA

(Vide Vol. praec., pag. 459).

§ IX.

Formalis difficultatis secundae solutio. — Aliae obiectiones.

Arduum nunc non est ea ipsa atque alia quae obiiciuntur, in forma diluere: " Concilium Tridentinum non tantum praescripsit *formam substantialem* contractus matrimonialis sed etiam *personas* aliter contrahentes *directe* reddidit inhabiles. At *status* alicuius *personae* est diiudicandus secundum ius *loci* cui manet adscripta, licet *extra* illum versetur. Ergo parochianus, quamdiu *manet parochianus* paroeciae Tridentinae, ligatur lege Tridentina etiam in loco exempto, nisi ibidem obtineat domicilium vel quasi-domicilium ". Wernz, vol. IV, pag. 259, n. (155).

Respondeo: *distinguo* maiorem: *personas* aliter contrahentes *directe* reddidit inhabiles, *praecepto* personali, *nego*, quia gratis asseritur, ut mininum dicam; — *lege*: *subdistinguo*: lege inhabilitationis fundatae unice ex parte subiecti, in actione eius qua aliter nubere attentet *concedo* maiorem; lege inhabilitationis fundatae, in qualitate morali *domicilii*, iterum *subdistinguo*: tamquam in immediato *inhabilitationis* fundamento, *nego* maiorem; quod domicilium est mera conditio praerequisita, tamquam obligatio moralis, *concedo* maiorem. Distinguo minorem; *status* etc. quoad praecepta personalia vel inhabilitatem fundatam in qualitate physica vel in habituali reatu poenae, *transeat*; quoad inhabilitatem fundatam in mera *actione* subditi: *subdistinguo*: si lex sit universaliter promulgata, iterum *transeat*, sed negatur suppositum; si lex sit particulariter promulgata, iterum *subdistinguo*: vi solius legis, *nego*; vi exceptionis, si speciatim et expresse statuatur, *concedo*.

Ergo parochianus etc.... *distinguo* consequens: vi solius capitis *Tametsi*, *nego*; vi exceptionis postea statutae saltem in casu fraudis obiectivae etiam non dolosae, *concedo*.

Obiicitur ulterius: admissa ea sententia, " novum decretum Tridentinum celebrandi nuptias coram *proprio* parocho in *casibus* a PP. Concilii *praevisis* et praesertim in *confinibus* territorii Tridentini factum esset plane *illusorium* „. Respondeo, Patres praevidisse, uti testatur Pallavicino l. c., suam legem non omnia ex se sola posse arcere incommoda: minora, idcirco, quae necessario sequebantur ex speciali promulgationis forma requisita, ut arcerentur maiora, curae reliquerunt posteriorum Pontificum. Ceterum, neque incommodum exaggerari debet: magnum bonum iam erat ut matrimonia clandestina intra tot territoria Tridentina abolerentur: qui voluissent extra illa nubere, vel erant boni, vel mali; si boni, ab abusu satis detinebantur prohibitionibus clandestini coniugii quae usque atque ubique vigebant; si mali erant, plerumque parati fuissent etiam concubinatum matrimonio aequiparare, et tunc remedium facile paratum habebant in coniugio valide ineundo in territorio forte contiguo, exempto: si secus, malitiae eorum, non autem legi abusus imputandus erat. Porro huiusmodi casus tantae malitiae, certe exceptiones erant, non casus universales; hisce autem lege providetur, illis, decretis et ipsis exceptionalibus. Utique forte optimum fuisset, si Patres Concilii non tantum legem condidissent sed ipsa exceptionalia decreta etiam statuissent (1). Atvero in praesenti quaestio est de eo quod reapse fecerunt: id autem quod fecerunt, potissime dignoscitur iuridica analysi instituta ipsius ab eis conditi decreti, non vero ex eo quod sancire *potuissent*: atque in hac conditi decreti analysi, si omnia iuxta iuris communis normas explicari possunt, revera non apparet ratio cur, ut decretum iam ex se sanciens *bonum* trahatur ad sanciendum *optimum*, adstringamur ad singularitates contra ius commune excogitandas neque necessarias, neque in re comprobatas.

Vitium itaque hic profluit in adversarii ratiocinationem, ex supposito non vero: supponitur enim sola lege Tridentina debuisse omnibus omnino incommodis occurri: inde cum in hac hypothesi, si decretum interpretamur iuxta iuris communis principia, ipsum reperiamus per se solum non omnibus occurrere incommodis quae illa praesertim aetate contingere poterant, sed peioribus tantum, ut salvetur suppositum, vim terminis decreti inferimus qua subtrahi possit normis iuris communis, ipsumque proclamamus ius omnino singulare: quo statuto, arduum non est significationem ipsi attribuere quam volumus terminosque eius ad eam accommodare. Utrum huiusmodi interpretandi processus sit vere iuridicus, alii decernant; mihi autem magis arridet alter, quo imprimis assumo decretum iuxta iuris communis definitiones et principia esse intelligendum, quia Concilium expresse non monuit se velle eidem iuri derogare, legem singularem condendo; quam derogationem non admitto nisi in eo in quo reapse video esse aperte factam, in modo nempe promulgationis; hanc tamen tantum admitto quantum reapse valet, iterum iuxta prima iuris principia. Deinde finem decreti ex eo imprimis inquiro quod in ipso authentice significatur: quod ut distinctius perspiciam, acta inedita in historicis documentis consulo, ex quibus invenio Concilii intentum historia manifestatum iis respondere quae in actis authentice editis manifestata sunt. Tandem doctrinalem interpretationem communiter receptam inquiro, unde meam possim, omnibus perpensis, firmare sententiam, de ipsius decreti significatione ac virtute. Posteriores S. Sedis authenticas interpretationes accipio uti comprehensivas vel uti extensivas, prouti et in se sub omni respectu spectatae et comparatae cum ipso decreto Concilii, sese exhibent vel uti comprehensivas vel extensivas, omnia intelligendo iuxta communis iuris principia, neque sino me deflecti a prima decreti interpretatione mihi demonstrata, nisi evidens error iuridicus antea admissus et nunc mihi legitime demonstratus ad eam mutandam me cogat.

Ultimo obiicitur: " Quodsi fraus nemini debet patrocinari, qui dolo sese subducere studet proprio Superiori, id potissimum valet in gravissimo negotio matrimonii coram proprio parocho celebrandi „. Wernz l. c.

Cui animadversioni opponere sufficit Januarii Bucceroni responsionem superius p. 423 transcriptam ex qua sequitur negari posse *suppositum*, in praesenti quaestionis stadio in quo nondum agitur de exceptione ab Urbano statuta sed de solo decreto Tridentino in se perpenso: intentio quidem subiectiva huius subditi adversus parochum proprium poterit esse peccaminosa ex alio capite; sed medium adhibitum in casu, non est dolosum, cum nemo dolose agat *utendo iure suo* exeundi e territorio, ultra quod ideo praecise *impune non paretur* quia superioris iurisdictio ac virtus obligandi ipsa deficit. Utique, iterum dico, optimum *forte* fuisset si PP. tunc, ultra legem etiam exceptionem Urbani statuissent. Sed quaestio est de eo quod fecerunt; non de eo quod fecissent vel forte potuissent facere, ut etiam huic incommodo iam tunc obviarent.

(1) Recordari iuvat Cerronium Episcopum Almeriensem in mediis discussionibus Concilii animadvertisse gravia incommoda posse etiam sequi exinde quod parochus proprius et non solum alius quivis testis a nupturientibus statueretur advocandus. Incommodis ergo occasio dabatur in utroque casu, ideoque optimum erat, ut plerumque in humanis, non *omnia* praesentibus praepedire incommoda, quod impossibile est, sed *maiora* pro rerum adiunctis, idque intenderunt PP. Tridentini. Ratio etiam haberi debet gravissimae oppositionis quae ex parte multorum PP. et gravissimorum, legi condendae obiecta est; sive quia eam autumarent excedere Ecclesiae potestatem, sive quia minus opportunam fore reputabant. Qui dissensus in causa *etiam* potuit esse cur cum lege, exceptio simul non firmaretur. Cf. de his Pallav. libr. 22, 23 passim.



***

Hucusque igitur thetice simul et polemice verus vindicatus est sensus decreti Tridentini, atque ex intrinsecis rerum rationibus, ex analysi terminorum eius, ex historia vicissitudinum discussionis in sinu Concilii, demonstratum habemus non solum nihil obstare quominus inhabilitatio in eo statuta naturam sequatur legis promulgatione restrictae, iuxta communissimam antiquorum sententiam; sed etiam hanc determinatam inhabilitatem aliter statui ne potuisse quidem. Consequenter eo ipso probatum est decretum capitis *Tametsi* nullatenus, neque explicite, neque implicite comprehendere eos qui in fraudem legis e suo territorio Tridentino mere *peregrinantur* in locum non Tridentinum. Nunc itaque idem probandum est perpensis Urbani VIII responsis.

§ X.

Urbani VIII responsa, 3ª. difficultas: Incompetentia S. Congregationis. Defectus promulgationis. — Responsio.

Primum praeiudicium contra vim extensivam in praecedenti meo opusculo attributam responsis Urbanianis relate ad caput *Tametsi*, in eo repositum est quod a potestate *incompetenti* processissent ac sufficienti caruissent promulgatione haec responsa ut novum ius condere valerent. Ita optimus canonista Argenteanus: " Arduum... erit demonstrare decretum Urbani *extendisse* legem capitis *Tametsi*, cum dictum decretum a S. Congregatione Concilii emanaverit quae non *extendit* sed *interpretatur* leges Tridentinae Synodi; neque Urbanus aliud egerit quam ipsum ratum habere, postulationi, non quidem Congregationis (cuius sollicitatio sine dubio deficere non poterat, cum ageretur de *extendenda* lege Tridentina), sed procuratorum Archiepiscopi Coloniensis, qui Pontificiam responsorum ratificationem accipere cupiebat, qua possent ipsa in Synodi dioecesanae statutis inseri. (Cf. constit. Bened. XIV *Paucis abhinc* apud Gasparri de matr. II, allegat. VII p. 525) (1) ".

Ad primum quod obiicitur, S. Congregationem Concilii competentem non esse ad *novum* ius condendum, sed ad ius disciplinare Tridentini Concilii solummodo interpretandum, interpretatione nempe *comprehensiva;* Urbanum autem nihil aliud egisse quam ratum habere eius responsum, respondeo:

Verum quidem est quod, uti scribit Wernz vol. II p. 754, " potestas interpretandi S. C. C. minime complectitur potestatem legiferam condendi novas leges pro universa Ecclesia "; nisi tamen, uti idem auctor prosequitur, " mandatum speciale R. Pontificis praecedat *aut confirmatio in forma specifica sequatur* ". Ergo, sive mandatum speciale praecesserit sive non, dummodo *confirmatio Pontificis secuta fuerit in forma specifica,* haec interpretationem a Concilii Congregatione virtute *ordinariae* eius competentiae datam ita sibi assumit ut vitium incompetentiae, si forte occurrerit, sanare ipsa Pontificis competentia *valeat;* neque oportet Pontificem in hac a se data *specifica* confirmatione, expresse monere, se vitium incompetentiae reapse sanare, praesertim vitium non certum sed dubium: nisi enim Pontifex in hac sua confirmatione specifica expresse dixerit se non alia uti potestate quam ea ordinarie iam communicata Congregationi (quod revera in edenda *specifica* confirmatione nunquam dicit, uti reor, quia tunc *specifica forma* nihil *ordinariae confirmationis formae* adderet, quod implicat), *ipso facto* formae *specificae* in confirmatione adhibitae Pontifex censetur responsum *plenae suae* competentiae attribuere, sive vitium intercesserit sive non.

Quando itaque in obiectione dicitur: Urbanum autem nihil aliud egisse quam ratum habere Congregationis responsum, luditur in ambiguo: hoc verum esset si Urbanus responsum confirmasset *in forma ordinaria;* non vero si confirmavit *in forma specifica,* quia forma specifica et *valet* vitium competentiae in Congregationis responso sanare, et *solo suo facto* sanat.

***

Ad alterum quod urget Argenteanus canonista: " sollicitatio Congregationis ut confirmationem a Pontifice obtineret, profecto non defuisset, cum ageretur de *extendenda* lege Tridentina ", respondeo id verum esse si eo tempore Congregationi clare et certe constitisset interpretationem ab ipsa datam capiti *Tametsi* esse omnino *extensivam:* tunc utique certo praesumi potest quod haec eius sollicitatio non defuisset. Atvero in re adeo implexa, ut ne hodie quidem extricata plene fuerit, autumare licet hanc habitudinem datae interpretationis ad caput *Tametsi* ut ipsum vel *extenderet* vel *mere explicaret,* S. Congregationis membris tunc temporis non eo usque fuisse undequaque perspectam ut non potuerint etiam errorem in hac re admittere: sane eorum *scientia* praerogativa pontificiae infallibilitatis non gaudet (1), atque existimare potuerunt hanc in specie interpretationem de re esse non *adeo dubia* ut, iuxta Sixti V statutum, non valerent eam tradere nisi, *consulto Pontifice* (2), suppo-

(1) *Revista Eclesiástica del Arzobispado de Buenos Aires.* 1901, n. 5 p. 264:

« Dificil... ser á convencer que el decreto de Urbano VIII *extienda* la ley del cap. *Tametsi*, una vez que dicho decreto ha emanado de la Congregación del Concilio, la que no *extiende*, sino *interpreta* las leyes del Tridentino; y Urbano VIII non ha echo más que ratificarlo á pedido, no de la Congregación (cuya solecitud sin embargo, no habría podido faltar tratándose de *extender* la ley Tridentina) sino de los procuradores del Arzobispo de Colonia, quien deseaba la ratificación Pontificia, para incluir el decreto en el sinodo Diocesano. Consúltesi la Constitución de Benedicto XIV *Paucis* en Gasparri, De Matrimonio II, Allegatum VII, pág. 525 ».

(1) Cf. Wernz, vol. I, pag. 151 not. (47).
(2) Cf. Wernz, vol. II, pag. 753.

nendo eam esse mere comprehensivam (1): ideo ipsi non postularunt Pontificis confirmationem. Nimirum existimare potuerunt se, in interpretatione capitis *Tametsi tradenda*, uti posse ea sententia quam tunc iam docuerant Paludanus, S. Antoninus, Summa Rosella, Ioannes Andreas (2), scilicet incolam alio peregrinantem legibus *teneri* suae patriae; imo caput *Tametsi* hanc supposuisse admittendam: unde sponte sequebatur interpretationem quam dabant non esse nisi explicationem huius mentis et suppositi PP. Tridentinorum; seque ideo non teneri, sicut in casu dubio, Pontificem consulere.

Neque dicatur hanc hypothesim esse gratuitam: nonne enim ab initio huiusce meae disquisitionis vidimus ipsum Prosperum Lambertinum, expertissimum huius Congregationis Secretarium in eadem ipsa fuisse sententia? Neque ullus altum patiens scandalum, temeritatis me reum proclamet eo quod *errorem* dixerim in hac agendi ratione irrepere potuisse. Nam auctor mihi fuit huius suspicionis ipse Archiepiscopus atque Elector Coloniensis: hic enim cum acceptum a S. Congregatione responsum voluisset in statutis inserere synodi dioecesanae, quamtumvis probe sciret ex constitutione *Impensa* Sixti V ordinariam Congregationi potestatem competere eas revisendi synodos, contentus haud fuit *ordinariae* Congregationis auctoritatis pro hoc in particulari decreto, tutiusque fore sibi existimavit ut confirmationem eius in forma specifica a Pontifice sollicitaret. Cuius facti testis explicitus nobis est ipse Urbanus in Brevi sub annulo Piscatoris dato, 14 Aug. 1627 ad futuram rei memoriam, quo, huiusmodi *inclinatus* postulatione, responsa supradicta auctoritate apostolica approbavit. Imo non solum Archiepiscopum mihi auctorem habeo illius meae suspicionis, sed ipsum etiam Pontificem qui dum postulationi assentiendum sibi esse iudicavit, motivum eius probe fundatum ac verum sibi compertum fuisse satis ostendit. Tandem huic meae suspicioni suffragatur sententia in scholis atque in aula iampridem communiter recepta, incolam illum alio peregrinantem a legibus *eximi* suae patriae, sicuti ab initio a Wernz atque a multis aliis audivimus doceri uti *certum*.

Exinde praevenitur etiam exceptioni quae desumi forte posset ex dictis ab initio huius disquisitionis, quod si Ecclesia in lege condenda sibi unam adoptaverit ex duabus opinionibus probabilibus, interpretatio legis, iuxta adoptatam opinionem facta, erit comprehensiva. Huic enim exceptioni respondeo factum tercentenarium opponendo, quo, S. Sede sciente, opinio quae supponitur fuisse a Concilio adoptata, et a scholis et ab aula exulare absque ullius reclamatione continuavit, adeo ut vel improbabilis vel parum probabilis evaserit. Haec profecto, quae contradictionem implicare videntur, excipienti non vero mihi concilianda forent, dum e contra si error ille quem tot et tantis indiciis praesumi merito posse demonstravi, locum habuisse tandem aliquando admittatur, omnia cohaerent et plana fiunt: defectum enim competentiae in S. Congregatione adversario eum obiicienti concedo, simul tamen propugno ipsum fuisse per Breve in forma specifica ab Urbano sanatum. Nisi vero ab adversario fuisset obiectum, ego in eo urgendo non institissem, quippe quo pro thesi mea non indigeo: sive enim fuerit S. Congregatio ex se sola competens ad huiusmodi edendum responsum sive non fuerit, parum mea refert, cum factum habeam quo unice nitor, Breve ab Urbano in forma specifica datum ideoque a iudice, suprema sua utente competentia, pro rei intentae necessitate.

Quod tandem in obiectione subiungitur Urbanum solius Archiepiscopi procuratorum postulationi Breve suum concessisse, id conclusioni meae haud officit imo iuvat: haec enim Archiepiscopi postulatio impedire non valuit quominus Pontifex tanta uteretur in hac sua constitutione, potestate, quantam res ipsa requireret, uti, puto, est manifestum. Deinde ex paulo antea dictis evidens fuit et postulationis et concessionis expressum motivum meae solutioni ac responsioni praebere argumentum. Nisi quod ultimis hisce Argenteani canonistae verbis alia difficultas innui videtur qua ipse Benedictus in constitutione *Paucis abhinc* ad Archiepiscopum Goanum et in suo annexo decreto, aliquatenus angi se fatetur.

Obiici itaque potest Breve Urbani, quantumvis in forma specifica S. Congregationis responsa confirmaret, decretum fuisse particulare pro Coloniensi dioecesi, nedum universale; atque etiamsi universale in suo tenore censeatur, universali promulgatione caruisse.

Ad primum respondeo: postulatorem quidem fuisse unum qui a Congregatione responsa, a Pontifice confirmationem sollicitavit; *res* vero postulata, *responsa* eorumque *confirmatio* fuerunt omnino universalia. Id apertissime constat ex ipsa Benedicti constitutione supradicta in qua et utraque postulatio et responsa et confirmatio Urbani ex archivis authentice desumpta ad verbum referuntur (1). Res postulata erat ut de-

(1) Assumo quod docet Wernz, vol. II, pag. 753 not. (244): « Particula « *Nobis tamen consultis* » (quae clausula est adiecta a Sixto V facultati S. Congregationi Concilii attributae interpretandi disciplinaria Concilii Tridentini decreta, *etiamsi dubietas aut difficultas emersisset)* non refertur ad interpretationes casuum qui *ipsis* Cardinalibus sunt de *iure certi*, sed extenditur ad veram et *proprie* dictam *interpretationem* comprehensivam casuum qui ipsis Cardinalibus *de iure* sunt *dubii, non ad interpretationem extensivam* vel *restrictivam* ».

(2) Vide Sanchez, *de matr.* l. III, disp. 18, n. 17-30. Addi possunt ex eodem Sanchez ibid. n. 29 uterque Ledesma, Bartholomaeus et Petrus; Manuel; atque ex Bened. XIV de syn. dioec. l. XIII c. IV, n. X: Vasquez, Rebellus et Laymann. Insuper fundabant hanc sententiam in ipso iure romano; cf. Sanchez l. c. n. 17, 29.

(1) Cf. Bullar. Bened. XIV tom. IV, append. altera, p. 285, 288, in editione romana Hier. Mainardi, 1762. Opportunum est excerpta

finiretur modus applicandi caput *Tametsi* in quibusdam adiunctis quae ex natura sua frequenter et fere ubique terrarum recurrebant, nedum in sola dioecesi Coloniensi, atque ex ipsa legis Tridentinae intrinseca constitutione sponte sua fluebant non vero extrinsecus ipsi accidebant; quamvis casus qui in illa dioecesi contigerant *occasionem* postulandae interpretationi dedissent: postulatio ideo erat in suo *obiecto* atque in *forma propositionis*, universalis non vero particularis, a particularibus Coloniensis dioecesis accidentalibus adiunctis omnino praescindens. Propterea casus *similes* qui alibi recurrebant, non erant ideo similes quia accidentalia legi Tridentinae extrinseca alibi sicut in dioecesi Coloniensi per accidens identica reproducebantur, sed potius ideo similes erant quia eadem lex Tridentina et Coloniae Agrippinae et fere ubique, passim casus identicos ex se inducebat.

Similiter *responsa* et in suo obiecto et in forma propositionum a particularibus accidentibus praescindunt, atque universalia eodem modo sunt, tum in S. Congregationis rescripto, tum in Brevi confirmationis.

Intentio deinde tum S. Congregationis in respondendo tum Pontificis in confirmando responso, nullo positivo adiuncto, aut dicto significatur esse restricta ad solos Colonienses obligandos,

heic transcribere quae apud auctores hodiernos non occurrunt: Ex Constitutione Benedicti, *Paucis abhinc...*: «Sedente fel. rec. Urbano VIII, P. M., Archiepiscopus Coloniensis Elector tria haec dubia proposuit coram Congr. Conc.; «Quaeritur humiliter a S. Congregatione an incolae tam masculi quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum et acceptatum, transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine Parocho et testibus contrahere.

Secundo, quid si eo praedicti incolae tam masculi quam foeminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi, se transferant, habitationem non mutantes.

Tertio, quid si iidem incolae tam masculi quam foeminae, eo transferant habitationem illo solo animo ut absque parocho et testibus contrahant.

Ita autem Congregatio dedit responsum « die 5 Septembris 1626. S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum ad primum et secundum respondit non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes et transeuntes cum fraude.

Ad tertium respondit, nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum ».

Instituerunt postmodum Archiepiscopi Coloniensis Procuratores ut Congregationis responsum Pontificio Brevi confirmaretur, siquidem Archiepiscopus Elector cupiebat illud dioecesanae Synodo quam habiturus mox erat, adnectere. Petitioni Urbanus VIII indulsit iussitque expediri Breve; cuius perscriptio autographa, ab eodem subscripta reperitur inter eiusdem Brevia anni 1627. Summa vero eiusdem ita se habet: " Confirmatio resolutionis nonnullorum dubiorum super contrahendis matrimoniis a S. Congr. Conc. emanatae: est iuxta eiusdem Congregationis decretum ".

Et in eadem Constitutione Benedictina, infra: « Mittimus interea Fraternitati Tuae Urbani VIII Breve quod Apostolicae auctoritatis robore confirmamus, iubentes una simul ut confirmationis nostrae documentum asservetur in Actis Congregationis Concilii atque in nostro secretiori Vaticano Tabulario...; tibique propterea tuisque successoribus mandamus observantiam et implementum huiusmodi Brevis in ista dioecesi... ».

Constitutioni Benedictinae subnectitur in eodem Bullario p. 287. « Decretum. Benedictus Papa XIV. Cum venerabilis frater Archiepiscopus Goanus Apostolatum nostrum consulendum censuerit super quibusdam dubiis respicientibus validitatem matrimoniorum quae aliquando a fidelibus illius Civitatis aut dioecesis oriundis, contrahuntur extra ipsius iurisdictionis fines, non servata forma a Sacro Tridentino Concilio statuta, propterea quod eiusdem Concilii decretum de *Reformatione matrimonii* in illius dioecesis finitimis nunquam promulgatum rite fuerit; Nos quidem ad proposita dubia per epistolam nostram eidem Archiepiscopo directam prolixius respondere non detrectavimus; eamque in rem inter alia, usi sumus auctoritate quarumdam litterarum f. r. Praedecessoris nostri Urbani Pp. VIII quae cum a privatis scriptoribus relatae dumtaxat legantur, sed neque communibus bullariis hactenus insertae nec alia solemni ratione publicatae reperiantur, Nos earumdem tenorem cum authenticis huius Apostolicae Sedis regestis collatum subiicimus, qui talis est, videlicet: Urbanus Pp. VIII. Ad futuram rei memoriam. Exponi nobis fecit venerabilis Frater Archiepiscopus Coloniensis, quod habito nuper per eum ad Venerabiles Fratres nostros S. R. E. Cardinales, S. Concilii Tridentini interpretes, recursu super infrascriptis dubiis, videlicet: Primo, an incolae tam masculi quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum transeuntes per locum, in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? Secundo, quid, si eo, praedicti incolae tam masculi quam foeminae, solo animo sine parocho et testibus contrahendi se transferant, habitationem non mutantes? Tertio, quid, si iidem incolae tam masculi quam foeminae eo transferant habitationem illo solo animo ut absque parocho et testibus contrahant? Iidem Cardinales ad primum et secundum non esse legitimum matrimonium inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude: ad tertium vero dubiorum huiusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur. Cum autem, sicuti eadem expositio subiungebat, dictus Archiepiscopus responsum seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi, pro illius subsistentia firmiori, Apostolicae nostrae confirmationis robore communiri summopere desideret; Nos eumdem Archiepiscopum specialibus favoribus et gratiis prosequi volentes, supplicationibus illius nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, responsum seu dubiorum praedictorum resolutionem huiusmodi, auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus et confirmamus illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus: decernentes illud seu illam necnon praesentes litteras, valida, firma et efficacia existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere: sicque et iuxta illa per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem sub annulo Piscatoris die 14 Augusti anno 1627. Pontificatus nostri anno quinto.

« Ut autem de huiusmodi litterarum auctoritate dubitari minime valeat, Nos iterum eas Apostolica auctoritate nostra et praesentis decreti tenore, in omnibus et per omnia approbamus et confirmamus ac novo huiusmodi approbationis et confirmationis robore communitas ad praedictum Archiepiscopum transmittimus; mandantes eidem, ut in occurrentibus casibus circa personas ex ipsius civitate aut dioecesi oriundas, seu alias in causis eiusdem generis ad illius iudicium legitime delatis, iuxta earumdem litterarum continentiam et tenorem decernat, iudicet atque definiat, contrariis quibuscumque non obstantibus.

« Volumus autem ut in nostrae huius approbationis et confirmationis monumentum, praesentis decreti nostri exempla, a nobis subscripta et in actis Congregationis Ven. Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium praedicti Concilii Tridentini Interpretum, necnon in secreto archivo nostro Vaticano reponantur ibique perpetuo asserventur. Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem die XIX Martii MDCCLVIII, Pontificatus nostri anno decimooctavo ».

Ita decernimus et mandamus

BENEDICTUS Pp. XIV.

ideoque intelligi debet tantum patere qua late materia ipsa sinit imo exigit ut pateat, scilicet universaliter, nempe qua late patet iudicandi potestas S. Congregationis Concilii et aliorum respective iudicum, quibus indubie Breve Benedicti cum Urbaniano normam statuit. Id autem non tantum quia responsa *comprehensive* interpretarentur legem Tridentinam ideoque *omnes* obligarent quos iam obligabat ex peracta promulgatione sua haec ipsa Tridentina lex; sed etiam ex se solis prout *authentica* erant a S. Sede tradita atque authentice confirmata *decreta*, quibus inerat *propria ex se obligandi virtus*, sive *comprehensivam* tantum sive *extensivam* traderent capitis *Tametsi* interpretationem (1).

Spectato igitur *tenore* et spectata *materia*, spectata *intentione* Urbani praesertim in suo Brevi, confirmatio responsorum atque ipsa confirmata responsa constituunt *ex se decretum formaliter generale* (2) omnes obligans iudices in Ecclesia, quantumvis ab uno solo postulatum.

***

Remanet nunc *promulgatio* de qua dubium ab ipso Benedicto XIV videtur fuisse admissum, atque in altera difficultatis parte opponitur:

Ex iis quae a Benedicto in constitutione citata *Paucis abhinc*, § *Exposita Congregationis*, narrantur de huius Urbaniani decreti vicissitudinibus, apparet *publicatione formaliter universali* ipsum caruisse: soli enim electori Coloniensi tunc fuit traditum, nec Romae saltem, aliter publicatum, iuxta ordinariam promulgationis formam. Incassum igitur ceteris omnibus *obligatio*, quam intrinsecus inspectum *in se* gestabat hoc decretum, evasisset, nisi uti narrat Benedictus l. c., a Card. De Lugo atque a classicis auctoribus nonnullis (3) divulgata eius cognitione, in observantiam universalem transiverit, sive uti scribit Wernz vol. I, p. 157, " in Stylum Curiae, ... in praxim et disciplinam communiter vigentem „, *Huic facto universali* non solummodo *tacitus* accessit S. Sedis assensus sed etiam *expressa confirmatio*, authentice data a Benedicto XIV, in citata constitutione annexoque decreto. Quibus omnibus simul inspectis plus etiam habemus quam requirebatur ac sufficiebat ad supplendum formalis primae promulgationis defectum. Qua expressa confirmatione authentica completa per *decretum* a Constitutione *Paucis abhinc* distinctum, Benedictus *insuper* speciale Archiepiscopo Goano eiusque successoribus mandatum dat ut decreti Urbani observantiam in sua dioecesi urgeat. Benedictus igitur apprime distinguit expressam a se *universaliter* factam confirmationem Brevis Urbaniani, a speciali et particulari mandato Archiepiscopo directo; imo in hoc non suam confirmationem appellat, sed solum Urbani decretum, quod idcirco ostendit se uti *universale* in se ipso aestimasse nec quidquam ei addidisse quam *formam illam universalis promulgationis* qua hoc Breve caruit a prima sua editione dum postea *obligationem universalem* ex praxi et observantia universali nactum est. Ceteroquin ipse Benedictus ab initio *decreti* hoc idem expresse monet.

Ex his omnibus concludi iure potest nihil in praesenti, responsis illis deesse sive ex parte competentiae, sive ex parte promulgationis, ut responsa eadem authentica censerentur, utcumque, aut comprehensive aut extensive, capiti *Tametsi* accesserint.

§ XI.

Primi Urbaniani responsi analysis. — 1. Obligatio personalis in eo statuta. — 2. Fraus in genere - obiectiva, subiectiva.

Propius accedendum nunc est ad eorum responsorum analysim.

Imprimis latens aequivocationis periculum removendum: " Quo in responso explicando, scribit Wernz (1), OMNES CONVENIUNT *incolas* territorii Tridentini si in locum a capite *Tametsi* immunem absque acquisitione saltem quasi-domicilii *sese transferant in fraudem*, i. e. eo solo animo ut ibidem absque parocho (proprio) et testibus matrimonium contrahant, PROPTER VINCULUM OBLIGATIONIS PERSONALIS invalidas celebrare nuptias „. *Factum* matrimonii *invalide* sub ista fraude contracti, omnes utique admittunt ac debent omnino admittere quandoquidem in rescripto S. Congregationis cui Urbanus suae auctoritatis robur adiecit imo et ipsum responsum ad tertium in hoc praecise aliis verbis adhibitis explicavit, in rescripto S. Congregationis, inquam, idipsum expresse dicitur (2). At vero ibi expresse non dicitur hanc invaliditatem esse propter vinculum obligationis personalis: id utique omnes admittunt, sed uno sensu adversarii, nos alio, *vinculum obligationis personalis* explicamus. Adversarii hoc vinculum in iam inducta ac resultata personae inhabilitate constituunt; nos in sola obligatione morali ac subiectione legi formam substantialem praecipienti et virtualiter tantum in actu primo

(1) Cf. WERNZ, vol. I, p. 158, n. 146: *Quamvis negari.*

(2) Cf. WERNZ, vol. I, p. 152, n. 143 in fine; n. 144, II, p. 153; p. 154, n. 145.

(3) Notandum sedulo est observantiam illam universalem quae Urbaniani Brevis divulgationem subsecuta est, huius auctoritati potius deberi atque *authenticae* in eo datae capitis *Tametsi* interpretationi, quam ipsius legis Tridentinae auctoritati: scilicet haec observantia dum introducta invalescebat, praescindebat omnino ab eo quod interpretatio Urbani fuerit comprehensiva vel extensiva, sed unice eo nitebatur quod haec a *Pontifice*, supremo in materia hac iudice, authentice profecta fuerat. Quaestio enim de habitudine hac comprehensionis vel extensionis decreti Urbaniani relate ad caput *Tametsi*, recentioris est originis, nec vestigium eius apud Salmanticenses, Lacroix, Ferraris, ad quos Benedictus appellat, occurrit antequam Benedictus ipse in opere de synodo dioec., loco ab initio huius disquisitionis discusso, mere asseruerit et quidem per incidens illam Urbani interpretationem fuisse comprehensivam.

Cf. omnino Salm., Th. mor. tom. II, De matr. Cap. VIII. punct. II, n. 19, 20, 21; — Lacroix, L. 6, p. III, n. 712, 754.

(1) Vol. IV, p. 260, nota (156).

(2) Compara verba rescripti et verba Brevis Urbaniani in responso ad tertium, superius in nota transcripta.

inhabilitanti, uti ex supra disputatis est manifestum. Inde sequitur vinculum *a nobis explicatum*, *exceptione* legi generali, ab Urbano *noviter* statuta, fuisse inductum, non vero in capite *Tametsi* iam comprehensum; in explicatione vero adversariorum, sequitur inversum.

*
* *

Hisce ad perspicuitatem praemissis, ad *fraudis* illius analysim veniamus. Equidem de eius definitione regerere non indigeo ea quae in praecedenti opusculo pag. 19,21 (1) ex Reiffenstuel disserta fuerunt. Ex iis satis aperte constitit non illum *in fraudem legis* operari qui contra *explicitam legis* voluntatem agit, sed qui contra *implicitam* eiusdem voluntatem agit. Atqui in hypothesi adversa illius vis personalis in inhabilitate iam *contracta* residentis atque incolae ossibus inhaerentis, haec esset voluntas legis capitis *Tametsi* valde *expressa*, nedum implicita solum. Ergo in hypothesi adversa ne quidem sensus *proprius fraudis* servatur, sed ut possint decreta Urbani asseri *comprehendi* in lege capitis *Tametsi*, ipsis decretis vis infertur ut *fraudem* supponant pro fraude quadam *latiori sensu* intellecta, nedum iuridico et vero.

Praeterea unum tantum diligentissime animadvertendum est quod ab adversario videtur fuisse neglectum: distinguitur equidem fraus in legem *obiectiva* a fraude in legem *subiectiva* uti ab ipso conceditur imo et propugnatur in praesenti controversia. Destrueretur tamen ipse iuridicus fraudis in legem conceptus, si eo sensu fraudis obiectivae *species* ab altera subiectivae distingueretur atque explicaretur ita ut ipse conceptus *genericus* fraudis in legem, in fraude obiectiva non servaretur. Bonifacius VIII dum in c. 88 de R. I. in 6, ait: *certum est quod is committit in legem qui legis verbum complectens, contra legis nititur voluntatem*, *duo* requirit ut fraus in legem (sive subiectiva sive obiectiva) habeatur: primum est legis vera *voluntas* nedum *velleitas* solum, vera *voluntas* dico, *formaliter implicite* in verborum legis proprio et communiter usitato sensu manifestata et promulgata. Alterum est ut subditus NITATUR in hanc implicitam legis voluntatem: tolle hunc subditi nisum et ipsam *fraudem* tollis reliquumque habes tantum operatum a lege dissonans. *Fraudis* nempe praedicatum *operato* convenit nonnisi *prout a voluntate deliberata procedit:* hic profecto est *genericus* ille fraudis in legem conceptus; estque *iuridicus* quia ab illa Bonifacii regula firmatus (2).

Fraus talis deinde vel erit *mere obiectiva* vel *etiam subiectiva:* erit mere obiectiva si *nisus* ille subditi se dirigat in *opus* quod *ex se* est contra illam implicitam legis voluntatem, quin tamen aliter quam ex *fine operis*, *intentio* subditi contra eam feratur. *Erit* etiam subiectiva si insuper ex fine etiam *operantis*, ideoque ex dolo saltem praesumpto, *nisus* voluntatis subditi se dirigat in illud opus *quia* est ex se contra implicitam legis voluntatem. Uno verbo, discrimen specificum inter utramque fraudem, obiectivam et subiectivam, desumitur ex maiori minorive *deliberationis* obiecto, non etiam exinde quod in illa voluntatis *nisus desit*, in hac *insit*. Totum hoc, inquam, prae oculis retineatur, quod paulo infra iuvabit: radix enim inde oritur totius dissensus inter me atque adversarium.

*
* *

Praeterea adversarius mecum omnino convenit, uti superius notavi pag. 460, in Urbani decreto, " fraudem illam in legem non esse intelligendam de mala fide et dolo subiectivo " (1), sed esse intelligendam " de *facto obiective legi contrario*, independenter a *bona* vel *mala fide* " (2). In modo vero hoc factum explicandi eiusque obiectum determinandi dissentimus. Pro adversario factum hoc est merus domicilii vel quasi-domicilii in illo loco non Tridentino defectus, ex perdurante, in persona peregrini, domicilio loci Tridentini. Pro me factum hoc est *intentio* qua hic peregrinus abiit a loco suo *ut* matrimonium in loco non Tridentino contraheret sive sciente et doloso id animo intenderit sive nesciente animo et fide bona. Ita sane Wernz: " Tota illa fraus ad hoc reducitur quod a *neutro* ex sponsis *sic* se transferentibus posita *conditio* sine qua non ad *validum* matrimonium contrahendum, i. e. *acquisitam* tantum prohibitionem, sed etiam, uti dixi, ratione *nisus* voluntatis.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VIII, pag. 379.

(2) Utique in foro externo in quo non iudicatur de internis, sufficit factum prohibitum probare ut *intentio* contra legem *praesumi* possit, et factum illud est *fraus* contra legem quam *iuridicam* vocant: propterea iura moderna de *fraude* contra legem ne inquirunt quidem, sed de solo facto externo a lege dissono. At in iure romano et multo magis in iure canonico, conceptus *fraudis contra legem* recipitur, quantumvis haec iura et ipsa de internis non iudicent. In utroque autem hoc iure conceptus fraudis contra legem formaliter distinguitur a mero facto a lege dissono, non solum ratione diversae habitudinis facti ad legis vel *expressam*, vel *implicitam* tantum prohibitionem, sed etiam, uti dixi, ratione *nisus* voluntatis.

Admittunt itaque ista iura, in casibus *fraudis* quos respiciunt, de isto nisu etiam in suo foro sibi esse inquirendum nedum de solo facto externo. Cum autem de internis directe non iudicent, de huius *nisus* existentia inquirent ex factis externis quibus ipse suapte natura manifestatur extrinsecus, quibusque probatis, nisus voluntatis adfuisse *praesumitur* praesumptione *hominis* quae *moralem* fundat certitudinem ex ipsa rerum humanarum natura, uti infra iterum dicam: nisi tamen reus evidentissime probaverit, contrariis ex facto desumptis argumentis, hunc voluntatis nisum sibi defuisse.

Ergo thesis adversarii in tribunali civili moderno admitti forte posset, at in foro ecclesiastico, conceptum *fraudis* propugnat nequaquam iuridicum.

Cfr. egregia quae cl. Carolus Lombardi, defensor Vinculi in S. Congr. Concilii, de hac fraude disseruit in animadversionibus in causam *Parisien. Nullitatis matr.*, 18 Iulii 1903, n. 56, 57 sq. Ubi ipse *ex officio* nullitatem impugnans, distinctionem *omisit* fraudis *obiectivae* statimque ex rectissime evoluta notione *fraudis in genere* transit ad concludendum *subiectivam* requiri fraudem, ut possit inde nullitatem matrimonii in specie facti impugnare, in qua *subiectiva* deerat certo, sed *obiectiva* aderat nec in *transitu* tantum sed etiam in transmigratione admissa, iuxta primum Urbani responsum.

(1) WERNZ, vol. IV, pag. 260, nota (156).

(2) WERNZ, ibid., pag. 261.

sitio saltem quasi-domicilii, etiamsi fortasse ambo sponsi vel saltem unus ex illis nequaquam propter nuptias celebrandas, sed recreationis vel alterius negotii causa in locum immunem discesserint. Quae sententia illustratur ex responso Urbani VIII ad tertium quaesitum Archiepiscopi Coloniensis, ubi Benedictus XIV in Const. *Paucis abhinc...* iuxta ipsum tenorem verborum supponit intervenisse *aliquam fraudem* i. e. *solo animo* declinandi formam Tridentinam translationem habitationis factam esse; nihilominus *valor* matrimonii sustinetur, " *si vere domicilium transferant* „; ergo PRINCIPIUM DECISIVUM non est illa *intentio* sese subducendi capiti *Tametsi*, sed ACQUISITIO DOMICILII, *qualiscumque* fuerit animus „. Haec quidem ibi afferuntur ad probandum non requiri malam fidem atque intentionem se subducendi vel *illi* parocho proprio vel praecise formae a Tridentino Concilio praescriptae, cui *conclusioni* ita restrictae adhaereo; verum in *praemissis* et in ulteriori conclusione, excluditur tamquam principium *invaliditatis decisivum*, *omnis* intentio, omnique intentioni *substituitur solus* domicilii defectus, cui rei assentiri nequeo.

* * *

Revera, genuinus *fraudis* intellectus de qua una sermo occurrit in toto Urbani decreto, eruendus *in primis* est ex responso ad primum atque ad secundum quaesitum, *deinde* postquam fuit determinatus, illustrandus tantum ex responso ad tertium; atque ita processeram in praecedenti meo opusculo. Atqui in responso Urbani ad primum et secundum, fraus expressissime et exclusive dicitur cadere in *translationem* et in *transitum* eorum qui, *modo* in utroque quaesito *descripto*, se transferunt et transeunt: " Ad 1um et 2um non esse legitimum matrimonium *inter sic se transferentes ac transeuntes cum fraude* „. In responso adeo gravi atque adeo conciso, in quo solutio una duobus distinctis praebetur quaesitis, legislator immerito praesumeretur prolixius ac tautologice fuisse locutus ac duplici expressione unum identicum significasse: nullum igitur hic verbum otiosum. Porro his verbis evidenter fraus exprimitur tota afficere duo, non vero unum tantum: primum est *translatio*, alterum est habitudo *mere transeuntis* in loco immuni. Atqui iterum modus ille in responsione significatus per adverbium *sic*, in quaesitis descriptus fuerat: primum quaesitum aiebat: " An incolae tam masculi quam foeminae loci, in quo Concilium Tridentinum in puncto matrimonii est promulgatum, transeuntes per locum in quo dictum Concilium non est promulgatum, retinentes idem domicilium, valide possint in isto loco matrimonium sine parocho et testibus contrahere? „ Ergo opus est ut verificatam inveniamus in hac quaesiti descriptione fraudem *in translatione et in habitudine mere transeuntis* in loco immuni. Secus enim, si scilicet in descriptione primi quaesiti verificatam inveniremus fraudem non in translatione sed in habitudine sola mere transeuntis in loco immuni, responsum non fuisset *unum idemque* utrique quaesito, sed responsa *duo* diversa, coniuncta in una enuntiatione, quod ab adversario atque a me respuitur neque communi usui intelligendi huiusmodi enuntiationem congruit. Sane ipse etiam Benedictus XIV, fraudem explicat uti *in translatione* admissam: cf. de Syn. dioec., l. c., n. X; Inst. Eccl., 33, n. XIII. Atque Avanzini in Act. S. S., vol. VII, pag. 557 loquens de " PROFICISCENTIBUS „ qui nullam intentionem habuerint celebrandi nuptias in loco exempto, quo se conferunt, dicit esse " ad nostra usque tempora inauditum „ fraudem in *mero facto* consistere; idque explodi *unanimi omnium theologorum et canonistarum consensu*. Ipse equidem inde concludit hanc intentionem *fraudem* involvere *subiectivam*, dum mihi, uti supra explicatum est, propter rationem constantem decidendi contrariam in CC. admissam, mihi sufficit *obiectiva*. Nihilominus apud *omnes*, fraus igitur intelligitur a *proficiscentibus* iam admissa.

Id confirmatur etiam exinde quod, uti supra notavi ex Card. D'Annibale et Laymann, hoc primum Urbani responsum *stricte* accipiendum est quia derogat iuri nostro ideoque est aliquid odiosum.

Iamvero si legislator requisierit ad coniugii invaliditatem, fraudem cadere in duo *coniunctim*, *extendimus* intentionem eius, interpretando eius verba ita ut significent fraudem cadere in duo *disiunctive* solum.

Praeterea, ut in paragr. sequenti fiet manifestum, *fraus contra legem Tridentinam* in *solo transitu* ne concipi quidem potest, nisi per prius in transmigratione locum habuerit.

* * *

Atenim vero etsi in illa quaesiti primi descriptione *translatio* incolae a *suo* Tridentino loco ad locum immunem *explicitis* verbis, sicut in secundo quaesito, non significatur, *implicite* tamen significatur locum habuisse eo quod ambo contrahentes explicite dicuntur *incolae* loci Tridentini et *transeuntes* inesse in loco non Tridentino. Quo posito, ut in hac translatione eorum, obiectiva supradicta *fraus* verificetur, nec tantum *operatum* a lege dissonans, sicut supra pg. 45 explicavi, non sufficit merum factum domicilii non relicti in loco Tridentino, eoque ipso merum factum non suscepti in loco exempto domicilii, sed insuper requiritur omnino *aliqua* saltem *intentio* in incolis illis qua TRANSLATIONEM voluerint *ut* matrimonium inirent extra sui domicilii locum in loco non domicilii, etiamsi non id intenderint animo evitandi parochum *proprium* sive legem cognitam violandi. Si ille *talis* saltem *nisus* voluntatis in eis defuerit, quia v. g. eo abierunt exclusive propter finem *penitus diversum* ne cogitantes quidem de matrimonio, de quo tractare solum coeperunt in loco peregri-

nationis; nequidem de *fraude in genere* sermo esse poterit in eorum TRANSLATIONE, reperienda. Consequenter ad hunc *se transferendi* intentionem *ut* matrimonium in loco *non suo* ineant, ipsi intendunt etiam *transitum* in eo loco non suo, *ut* matrimonium ineant ac proinde *fraus in genere* verificatur tum in eorum translatione tum in eorum transitu; haec autem fraus est *mere obiectiva* quia non ex fine *operantis* vel evitare proprium parochum, vel legem cognitam violare intenderunt, sed solummodo ex fine *operis*, voluerunt aliquid (translationem nempe *et* transitum *ut* matrimonium inirent) quod involvit violationem voluntatis implicitae legis.

Si e contra huiusmodi saltem intentio defuerit, operatum eorum a legis voluntate implicita difforme erit, absque tamen *fraude*, inquam ILLA QUAM RESPONSIO URBANI REQUIRIT UT INVALIDUM SIT MATRIMONIUM. Si enim peregrini isti in *suo transitu* tantum, non vero prius in sua translatione, intenderunt matrimonium ineundum, ad summum verificabitur in eis fraus obiectiva in *transitu solo* (quod paulo infra ostendam ne quidem *posse* concedi), dum responsio Urbani exigit ad invaliditatem *fraudem* in translatione *et* in transitu, in sensu composito, non vero disiunctive solum, in translatione *vel* in transitu.

Hoc ultimum confirmatur ex comparatione primi et secundi quaesiti, quibus una eademque adhibita solutio ab Urbano est. Haec duo quaesita, adversario mihi assentiente, in eo solo differunt quod in primo adfuit sola fraus obiectiva, in secundo vero et obiectiva et subiectiva i. e. etiam intentio evitandi parochum vel non servandi legem. Atqui in secundo, haec fraus obiectiva simul et subiectiva adfuit in sensu composito, prius in *translatione et consequenter* in *transitu*, sicuti expresse significatur secundi quaesiti enuntiatione. Ergo etiam in primo quaesito Urbanus eam in eodem sensu composito vidit, licet non expresse sed implicite significatam, uti praemonui.

(*Prosequendum*)

G. ARENDT S. I.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1903-904 (1).

IX.

De necessitate novae dispensationis in affinitate ob iteratam copulam.

Die 30 Maii 1904, hora 18 (6 pom.).

Titius sponsalia cum Berta contraxit, sub pacto matrimonium statim celebrandi post annum. Adveniente statuto tempore, Titius a confessario petiit, ut dispensationem a S. Poenitentiaria impetraret de affinitatis impedimento, in quod incurrerat peccando pluries carnaliter cum Caia Bertae consanguinea in secundo gradu. Confessarius poenitenti morem gessit. Verum Titius ex humana fragilitate etiam postquam dispensatio executioni demandata fuerat, cum eadem Caia denuo, imo et cum ipsius Caiae sorore misere lapsus est.

Triduo antequam matrimonium celebraretur, Titius iterum ad confessarium accessit, eique omnia, quae acciderant, aperuit. His auditis confessarius dubitare incipit, an ante matrimonii celebrationem nova requiratur dispensatio. Hinc ab amico theologo petit:

1. *An, si, post obtentam dispensationem in affinitate, copula iterum habita fuerit inter easdem personas, nova dispensatio requiratur?*

2. *Quid vero si copula iteratur non cum eadem, sed cum alia persona sponsis consanguinea?*

3. *An Titius, de quo in casu, nova indigeat dispensatione ad matrimonium cum Berta contrahendum?*

Ad I.um Quaesitum. — Duo hic casus distinguendi sunt: vel 1) orans peccavit denuo inter dispensationem obtentam et fulminatam; vel 2) peccavit denuo post dispensationem fulminatam. Breviter utraque hypothesis est consideranda.

1) In primo casu orans non indiget nova dispensatione, quia huiusmodi dispensationes sortiuntur effectum non a die expeditionis, sed a die executionis. Ita omnes.

2) Neque in altero casu nova requiritur dispensatio, quia per dispensationem sublatum censetur impedimentum, quod inter personam affinem et rogantem existebat. Ita communiter auctores. Nec desunt declarationes S. Congregationis Conc. in favorem huius sententiae militantes. Quare, quum ad summum dubia sit existentia impedimenti, in praxi potest haberi uti non existens.

Qui tamen alteri sententiae subscribunt, adducunt id quod occurrit, si post contractum matrimonium quis peccat cum consanguinea uxoris: tunc enim non dissolvitur matrimonium, quia de se est indissolubile; sed tamen pars culpabilis amittit ius petendi debitum. Reviviscit igitur aliqualiter impedimentum, in quantum tendit ad cohibendos malos mores; quae ratio et in casu posset adduci.

Sane, si ita vellet Ecclesia ab huiusmodi impedimentis dispensare, ut dispensatio nova esset petenda pro novis peccatis huiusmodi commissis, apprime posset. Intentio proin Ecclesiae est consideranda. Haec autem non videtur esse ut dispensatio solum valeat pro peccatis commissis; sed ut attingat ipsam insuper personam, quacum commissa sunt.

Ad II.um Quaesitum. — Longe aliter hic est loquendum. Dispensatio hucusque obtenta respicit dumtaxat nexum qui existit inter Bertam et Caiam, quatenus eximitur Caia ab influxu affinitatis matrimonium impedientis. Sed nexus existens inter Bertam et Caiae sororem nullo modo neutralizatur per dispensationem quoad ipsam Caiam. Unde quum idem adsit affinitatis gradus, novum impedimentum inductum est per copulam cum Caiae sorore habitam. Quare ad hoc impedimentum tollendum, omnino requiritur dispensatio nova.

Ad III.um Quaesitum. — Ex dictis patet responsio.

Titius nova indiget dispensatione, non quidem ob nova peccata cum Caia etiam post fulminatam dispensationem commissa; sed ob copulam habitam cum Caiae sorore. Eodem enim ex vinculo affinitatis Titius ligatur ad sororem Caiae, quo ad ipsam Caiam, quacum etiam incurrit impedimentum. Sed hoc impedimentum nihil spectat ad casum.

Conclusio est manifesta. Nisi nova dispensatio hoc novum

(1) *N. B.* Hosce nostros casus Consc. sub tutela legum positos, nemo fraudulenter iterum edat, secus iudicialem poenam luet.

impedimentum tollat, Titius cum Berta nonnisi invalide matrimonium inire potest.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Epitomator ex officio.

DE REVALIDATIONE MATRIMONII.

X.

De convalidando matrimonio irrito ob inhabilitatem partium.

Die 13 Iunii 1904, hora 18 1/2 (6 1/2 pom.).

Titius romanus aere alieno gravatus, nec habens unde redderet, statuit in Americam Australem se conferre, spe illectus ibidem lucrandi, et se eximendi a creditorum vexationibus. Et quoniam Berta uxor obstinate recusavit, ei se comitem adiungere, Titius illa relicta ad designatum locum pervenit. In hac regione Caiam puellam satis divitem casu cognovit, et illius amore captus, ita callide se gessit, ut ibi nuptias, servata Tridentini forma, inierit cum eadem, quam prorsus latebat Titium alio matrimonio irretiri.

Transactis aliquot annis, nuntium certum Titius accipit de Bertae obitu. Facti nunc poenitens et propitiam nactus occasionem sibi consulendi, accedit ad confessarium, a quo, narratis omnibus, quaerit: quid sibi fieri oporteat ad matrimonium cum Caia initum convalidandum et simul ad duos filios ex eadem susceptos legitimandos. Confessarius statim reponit, Caiam de sui matrimonii nullitate prius certiorandam esse, et deinde ab ambobus coram parocho et duobus testibus novum consensum esse praestandum.

Quaeritur:

1. *Qua ratione matrimonium ex inhabilitate partium nullum, sit convalidandum?*

2. *An sublato impedimento, pars illud ignorans prius de matrimonii nullitate certioranda sit, et an ad hoc reintegrandum debeat coram parocho et testibus consensus renovari?*

3. *An confessarius a Titio consultus recte eidem responderit?*

Ad Ium Quaesitum. — Duplex hypothesis hic est facienda: 1) quod impedimentum ratione cuius matrimonium est invalidum, iam cessaverit; 2) quod adhuc perduret.

1) Si cessavit impedimentum, — puta disparitatis cultus, vel ligaminis — nihil aliud agendum est, nisi ut praestetur consensus eo modo quo mox, in responsione ad IIum Quaesitum, explicabimus.

2) Si perdurat impedimentum, — puta consanguinitatis, affinitatis, — creanda est habilitas per dispensationem ab eodem impedimento. Hic autem duo modi praesto sunt: *a)* simplex modus, qui consistit in impedimenti ablatione, unde habilitas exsurgat; *b)* sanatio in radice, in qua insuper consensus olim datus (sive virtualiter, sive habitualiter perseverans) uti validus acceptatur. Ad quod requiruntur duo: *α)* ut verus consensus exstiterit; *β)* ut non fuerit revocatus. *α)* Verum consensum dari posse praeter formam *Tametsi*, ubi haec viget, imo in matrimonio civili, constat ex praxi Ecclesiae. — *β)* Non censetur revocatus consensus per revocationem mere interpretativam, quatenus altera pars, vel imo utraque ita censetur disposita, ut eum revocasset, si nullitatem matrimonii cognovisset. Talis enim interpretatio ansam praebet illusionibus, ac proin fons esset multorum dubiorum. Si tamen haec intentio revocandi consensum magis certa constaret, iam consensus potius habendus esset uti revocatus. Ita si, non in impetu transeuntis irae, sed stabili modo una pars alteri dixisset, « poenitet me tecum iniisse nuptias: quantopere vellem libertatem meam recuperare, si adhuc possem! ». Huiusmodi enim verba, ex firma mente prolata, revocationi consensus aequivalere dicenda sunt.

Sanatio autem in radice, a Bonifacio VIII, uti putant, inducta, solet quidem dari cum impedimento adhuc existente; et valet etiam in casu impedimenti sublati. Provenit enim utrimque ex virtute eiusdem potestatis (1).

Conceditur maxime ob duas rationes: vel *α)* ad obtinendos effectus retroactivos, v. gr. legitimationem prolis; — vel *β)* ad praecavendas difficultates renovationis consensus, v. gr. quando, licet bonus affectus remaneat inter partes, tamen timor adest ne, ex ipsa manifestatione nullitatis matrimonii, hic affectus in malum mutetur; aut quando pertimetur ne, vulgata nullitate matrimonii, detrimentum coniugibus liberisque obveniat.

Et haec de I° Quaesito satis.

Ad IIum Quaesitum. — Duplici parte hoc Quaesitum constat:

1) De priori parte duplex habetur sententia. *a)* Alia affirmat, partem ignaram primo de invaliditate prioris matrimonii esse certiorandam. Quae sententia, sane longe communior (2), fulcitur clausula a S. Poenit. addi solita: « Altera parte de nullitate prioris matrimonii certiorata »; necnon altera ratione, ob quam modo diximus Ecclesiam dare sanationem in radice. — Non desunt tamen qui negativam sententiam propugnent, nisi consensus fuerit de iure naturae invalidus.

Ratio affirmandi est in promptu. Etenim, quum nullus fuerit praecedens consensus, quomodo poterit efficaciter renovari, nisi, aliqualiter saltem, haec nullitas cognoscatur?

Plures autem dantur modi consensum renovandi, procedendo a magis explicitis ad magis implicitos. *a)* Ut aperte dicatur: « Nostrum matrimonium hucusque nullum est: consensum igitur matrimonialem renovemus ». — *b)* Minus aperte: « Consensum non praestiti debitum, ecce nunc ambo consensum demus ». — *c)* Adhuc velatius: « Angustiis premor circa validitatem consensus, iteremus illum ». — *d)* Practice: « Iteremus consensum nostrum... ». — *e)* Conditionate tantum: « Si non dedisses consensum, nonne nunc praestares? ».

Adiuncta ipsa indicabunt qua forma consensus melius renovetur. Lex sit, ut efficacior forma eligatur, quae possibilis erit iuxta circumstantias prudenter inspectas.

Si neque sub forma illa mitiori consensus iterari possit, tunc animo coniugali debitum petat illa pars, quae est impedimenti conscia.

In casu autem non datur locus sanationi in radice, quia agitur de impedimento iuris divini, et consensus ex una parte defuit.

2) Pauca sufficiant ad illustrandum alterum membrum secundi Quaesiti. Quum matrimonium contractum fuerit in forma publica, et impedimentum fuerit occultum (3), non est necessarium ut publice in forma Tridentini renovetur. Imo licet publicum esset, si nunc sponsi degunt in loco ubi lex *Tametsi* non viget, non est necessarium ut matrimonium in forma Tridentini validetur.

Et haec ad IIum Quaesitum sufficiant.

(1) Cf. resp. S. Poenit., 25 Aprilis 1890.

(2) Cf. auctoritates a moralistis et canonistis afferri solitas, uti S. Thomam, Scotum, Caietanum, Navarrum, Lessium, Sanchez, Sylvium, etc., etc.

(3) Cf. Declar. Bened. XIV. *Instit.*, LXXXVII, 63.

Ad IIIum Quaesitum. — Ex dictis patet quid in agendi ratione Confessarii sit laudandum, quid corripiendum.

1) Laudandum, quod consensum dixerit esse renovandum. Circumstantiae autem suadebunt qua forma possit Caia ad hoc praestandum induci. Caute erit procedendum, ne Caia ex fraude cuius tamdiu victima fuit, animum immutet, et consensum recuset. Quod utique est in eius iure; sed ob mala inde obventura, prudenter est evitandum.

2) Corripiendum autem est, quod confessarius addidit de modo publico praestandi consensum. Tunc enim consensus esset publice in forma Tridentini praestandus, si vel impedimentum factum esset publicum in regione ubi coniuges degunt, vel si Titius iterum peteret patriam, ubi prius eius matrimonium erat cognitum, ac proin invaliditas nuptiarum cum Caia initarum ex liberorum aetate sat appareret; nisi pariter constaret irriti matrimonii convalidatio.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

QUAESTIONES RITUALES SUPER NONNULLIS RUBRICIS PRO ANNIS 1904-1905.

I.

De simplici ac duplici, quibusdam in casibus, genuflexione.

Die 16 Novembris 1904, hora 3 1/4 a meridie.

Ambrosius, romanus Caeremoniarum magister, quadam in Italiae urbe, rusticandi causa, commorans, pro sua devotione plures invisebat ecclesias. Accidit autem ut in solemni Missa, cui solemniter assistebat Episcopus festo die Patroni, demiratus Canonicos viderit ad ultimum pergentes circulum, non duplicem, sed simplicem genuflexionem facientes ante sacramentum, extans super altare chori. Eius admiratio crevit, cernens tunc presbyterum quemdam ad celebrandum euntem, qui ante ipsum altare transiens, non genuflexionem, sed profundam fecit reverentiam, dum tamen Missa inter consecrationem et consummationem processerat. Item nec minus stupuit, cum vidit alterum ex Beneficiatis, functione incepta, adeuntem altare: quippe qui, sine ulla genuflexione, adgeniculatus parumper oravit, et surgens, facta Episcopo et choralibus reverentia, ad locum suum perrexit. *Quaeritur:*

1. *Num antiquitas liturgica exempla praebuerit genuflexionum per actum transeuntem, prouti habentur in praesenti nostra disciplina, seu graeca seu latina Ecclesia inspecta?*

2. *Quid praesens disciplina latinae Ecclesiae ferat, seu quaenam normae genuflexionem, tam simplicem quam duplicem sive profundam, dirigant?*

3. *Quaenam genuflexio a Canonicis agenda, dum ad ultimum, ut in casu, circulum pergunt, ante altare chori transeuntes?*

4. *Quomodo se gerere debeat Sacerdos ad altare pergens celebraturus, ab eove rediens, quando transit ante altare aliquod, in quo fit Missa?*

5. *Quid choralibus agendum, qui functione incoepta perveniunt, iuxta Rubricas?*

SOLUTIO.

In Conventu Academiae habito die 16 Novembris 1904, super casu proposito disseruit R. D. Aemilianus Cagnoni, ex Almo Collegio Capranicensi; atque epitomen egit R. P. Hilarius Passerini, ex Praelatis Romanis.

Ad Ium. Supposita genuflexionis definitione ac cognitione, eam bifariam dispescimur; altera quae fit *cum mora, sine mora* altera. De prima, qua, cum flexis genibus oramus utimur, nihil, bene vero de secunda tractandum, quae fit per actum transeuntem, quaeque in praesenti liturgiae disciplina maxime est in usu. Ritu hoc indubium est numquam antiquioribus Ecclesiae saeculis quamvis liturgiam usam fuisse, quod probatur sive ex scriptoribus antiquis qui de rebus ecclesiasticis pertractarunt, sive ex Ecclesiae Patribus qui omnes nihil omnino super hac genuflexione habent in suis operibus, tantummodo loquentes de elevatione oculorum manuumque extensione ante communionis receptionem. Neque quid invenitur de hac caeremonia in libris liturgicis antiquioribus. Monachi Cartusiani qui ritu Gratianopolitanae Ecclesiae utuntur, numquam genuflexionem habuere per actum transeuntem; sed Liturgia haec a Romana [ortum duxit iuxta Morelot *(Revue de musique religieuse);* ergo nec apud Liturgiam Romanam hic ritus adhibitus quondam fuit. Insuper Religiosis Ordinis Carmelitarum antiquae observantiae (non vero Discalceatis) qui Hierosolymitano utuntur ritu, numquam huiusmodi genuflexio in usu fuit. Enimvero, in eorum Liturgiae libris antiquioribus, uti v. g. videre est in Missali Carmelitico Venetiis edito anno 1509, haud mentio fit de hoc reverentiae signo, bene vero de inclinatione. Receperunt tandem Patres Ordinis Carmelitarum, Gregorio XIII Summo Pontifice, praedictum laudabilem ritum, ast tantum unico genu, coram etiam SSmo Sacramento solemniter exposito, et inclinationi consociatam. Hinc in eorum Caeremoniali *Lib. I, Rubr. XIX, n. 5*, legitur: « *Quotiescumque Fratres chorum intrant, vel a Choro exeunt, vel de una parte Chori ad aliam transeunt, si Sanctissimum Sacramentum in maiori Altari fuerit, genuflexionem dextro genu usque ad terram, et postea inclinationem profundam, capitibus discoopertis exhibeant* »; quod idem Caeremoniale confirmat *Lib. I, Rubr. XX, n. 2*, et plurimis aliis locis.

Tempus autem quo ritus huiusmodi genuflexionis invalescere coepit incertum est, ast affirmare possumus eam nonnisi sub fine saeculi XV, et initio XVI, in usum venisse, non tamen in omnibus ecclesiis, nec in omnibus liturgiis, quae plus minusve eam progressu temporis recepere, ac tandem ex praecepto ecclesiastico obligatoria evasit.

Ad IIum. Distinguenda iterum bifariam est genuflexio, alia quae fit unico genu, utroque alia; primam, simplicem appellant sacrae liturgiae Magistri, duplicem alteram. Haec praecipitur accedentibus ad Altare, ab eove recedentibus ubi SS. Sacramentum solemniter expositum manet, et ante illud transeuntibus. Genuflexio haec uti dictum est ad I, in usu non est apud Carmelitas ant. observ. qui ex propriis legibus liturgicis semper et in quocumque actu sacro, unico tantum genu flectere debent.

Simplex vero genuflexio fit transeundo ante Altare ubi Sanctissimum adservatur, vel ubi Missa celebratur, si tamen peracta sit consecratio, nec sacrae species a Sacerdote sumptae. Fit quoque ante Crucem et huius reliquiam, non tamen a personis privilegiatis, puta Praelati, Canonici Cathedralium etc. Feria VI in Parasceve *ab omnibus* transeuntibus ante detectam Crucem hic ritus servari debet. Ad genuflexionem etiam tenentur Sacerdos ac Diaconus cum SS. Sacramentum tangere debent immediate vel mediate, ante et post actionem; Ministri, in loco quo accedunt et

quo recedunt, a consecratione ad communionem. Fit etiam ante Summum Pontificem, S. R. E. Emos Cardinales in Titulis propriis, et ubique extra Urbem, ac ante Ordinarium in propria Dioecesi. Fratres autem Carmelitae numquam Cruci, ac eius reliquiae genuflectunt, sed tantum inclinationem profundam exhibent, excepta Feria VI, in Parasceve, in qua et ipsi Cruci genuflectunt, et eam adoraturi, trinam genuflectionem praemittunt.

*Ad III^um^*. Canonici pergentes ad ultimum circulum ex *Caerem. Episc. lib. I, cap. XXI, n. 3*, in accessu et recessu, ambobus genibus versus Altare genuflectant propter reverentiam SS. Sacramenti, quod est super eo. Verum si aliquibus in locis simplex genuflexio introducta fuerit, eam ex Decr. S. R. C. 4 Nov. 1904 liceat retineri (1).

*Ad IV^um^*. Rubrica Missalis Romani *Ritus servandus, tit. II, n. 1*, habet: « *Si contigerit eum (Sacerdotem) transire ante Altare ubi celebratur Missa, in qua elevatur vel tunc ministratur Sacramentum, genuflectat (utroque genu), et detecto capite illud adoret, neque ante surgat, quam Celebrans deposuerit calicem super corporale* ». Si autem Sacerdos ante Altare transeat ubi Missa agitur a consecratione ad communionem, tenetur genuflectere si certo et indubitanter Sacramentum noverit super Altare haberi, neque communionem peractam esse, secus ad genuflectendum haud obligatur. *Cfr. Merat, Part. II, tit. II, n. VII, et Decr. S. R. C. d. d. 20 Maii 1904* (2).

*Ad V^um^*. Caeremoniale Episcoporum *lib. I, cap. XVIII, n. 4*, haec praecipit: « *Si quispiam Canonicus superveniat, inchoato iam officio vel Missa, absque eo, ut aliquos salutet, vel ab aliis salutetur, statim genuflectit versus Altare, parumper orans; mox surgit, et facit reverentiam profundam Altari et Episcopo, deinde salutat Canonicos....* et n. 5: (*Praelatus*) *non prius ad suum locum ibit, quam fecerit genuflexus orationem versus Altare, deinde reverentiam Altari et Episcopo....* ac n. 6: *Mansionariis vero, seu Beneficiatis, et aliis de Clero supervenientibus, ut supra, facta oratione, et debita reverentia Altari, Episcopo et Canonicis* etc.... ».

Caeremoniali nimis adhaerent potiores sacrae Liturgiae cultores, uti De Herdt, Martinucci, A Carpo, aliique, qui omnes uno ore admittunt, quod Clericus, qui incoepta functione chorum intrat, statim genuflexus orare debet, quin praemittat reverentiam altari per inclinationem, si sit Canonicus, vel per simplicem genuflexionem, si sit Beneficiatus, deinde caetera exhibere iuxta Caeremonialem.

P. Elias Maria Coccia, Ord. Carm.
Sacr. Rituum Cong.nis Consultor,
ac Censor Academiae Liturgicae.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XII, p. 483.
(2) *Item*, p. 300.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Décembre 1904.

22 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Lazare Miedia, Ev. de Sappa; — S. G. Mgr Alexandre Desseuffy de Czernek et Tarkiò, Ev. de Csanad; — et le Rme P. Bernardin Balsani, Supér. Gén. de l'Institut de la Charité.

23 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. A. R. Mathilde de Bourbon Comtesse de Trani, née Princesse de Bavière; — LL. GG. Mgr Guillaume O'Connell, Ev. de Portland; — Mgr Augustin Marre, Ev. Tit. de Constance, l'Abbé Gén. des Cisterciens Réformés; — et Mgr. Joseph Morticelli, Ev. de Penne et Atri; — ainsi que le Rme P. Thomas Rodriguez, Prieur Gén. des Ermites de St-Augustin.

24 Samedi.

Le St-Père reçoit dans Sa bibliothèque privée les hommages et les vœux du S. Collège. La Prélature n'a pas assisté, comme d'usage, à cette réception; aucun discours n'a été prononcé.

26 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Charles Gilbert, Ev. Tit. d'Arsinoë; — Mgr Augustin Dontewille, Ev. de New-Westminster; — et Mgr Joseph Médard Kohl, Ev. Tit. de Samosate, Auxiliaire du Card. Vaszary, Arch. de Strigonie; — ainsi qu'une Députation venue à l'occasion de la Béatification du Bienh. Bellesini.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Félix Cavagnis est nommé Protecteur des Sœurs de la Charité de la Vén. Capitanio.

27 Mardi.

On célèbre dans la Basilique Vaticane la cérémonie de la Béatification du Bienheureux Etienne Bellesini (1).

— Les membres du Corps Diplomatique offrent au St-Père, ainsi que les jours suivants, les hommages et les vœux de leurs Gouvernements respectifs.

28 Mercredi.

S. G. Mgr Jean Hennessy, Ev. de Wichitte, est reçu en audience.

30 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Paul Bruchesi, Arch. de Montréal; — et Mgr Joseph Gandolfi, Ev. de Poggio Mirteto.

31 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. Em. le Card. Adolphe Perraud, Ev. d'Autun; — le Card. Pierre Coullié, Arch. de Lyon; — et le Card. Joseph Labouré, Arch. de Rennes.

Janvier 1905.

1 Dimanche.

On célèbre dans la Basilique Vaticane la cérémonie de la Béatification des Bienheureux Agathange et Cassien (2).

— S. Em. le Card. Benoît-Marie Langénieux, Arch. de Reims, rend son âme à Dieu. Il était né à Villefranche-sur-Rhône, le 15 octobre 1824. Dans le Consistoire du 25 juin 1873, il fut préconisé Ev. de Tarbes, et le 11 décembre 1874 il fut promu au siège métropolitain de Reims. Dans le Consistoire du 7 juin 1886 il fut créé Cardinal-prêtre du titre de St-Jean Porte-Latine. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Ev. et Rég., Concile, Propagande, S. Rites, Laurétane, Etudes. Il faisait en outre partie de la Commission Pontificale pour la réunion des Eglises dissidentes.

3 Mardi.

S. Em. le Card. Pierre Coullié, Arch. de Lyon, est reçu en audience.

4 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Adolphe

(1) Voir page 3 le Bref de Béatification.
(2) *Item*, p. 6.

Perraud, Ev. d'Autun ; — ainsi que LL. GG. Mgr Constantin-Marie Douais, Ev. de Beauvais ; — et Mgr Michel-François Howley, Ev. de St-Jean de Terre-Neuve.

5 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Paul Bruchesi, Arch. de Montréal, accompagné par les Evêques Canadiens présents à Rome, et par les directeurs et les étudiants du Collège Canadien de Rome ; — S. G. Mgr Maur Nardi, Ev. Tit. de Thèbes, des Mineurs Capucins, accompagné par le Rme Père Bernard d'Andermatt, Ministre Gén. des Capucins et plusieurs autres Pères du même Ordre ; — le Rme P. Hyacinthe Cormier, Ministre Gén. des Frères Prêcheurs ; — et le Rme P. Mathias Rauss, Recteur Majeur des Rédemptoristes.

6 Vendredi.

Le St-Père reçoit à 8 heures dans la Salle du Consistoire un groupe de pèlerins du diocèse de Belley, venus pour la Canonisation du Curé d'Ars.

7 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Pierre Belmont, Ev. de Clermont-Ferrand ; — et Mgr Hyacinthe Arcangeli, Ev. d'Asti.

— Dans la Salle du Consistoire, à 3 heures, un groupe de pèlerins de Lyon est reçu par le St-Père.

8 Dimanche.

On célèbre dans la Basilique Vaticane la cérémonie de la Béatification du Bienheureux J.-B. Vianney, Curé d'Ars (1).

9 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Félix-Auguste Béguinot, Ev. de Nîmes ; — Mgr Victor Delannoy, Ev. d'Aire ; — et Mgr Jean-Charles Arnal de Curel, Ev. de Monaco.

10 Mardi.

S. G. Mgr Hautin, Arch. de Chambéry, est reçu en audience.

12 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Guillaume O'Connell, Ev. de Portland ; — et Mgr Gustave-Charles Mayláth, Ev. de Transylvanie.

13 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. Em. le Card. Pierre-Hector Coullié, Arch. de Lyon ; — LL. GG. Mgr Georges Posilovic, Ev. de Zagabria ; — Mgr Claude Bardel, Ev. de Séez ; — et S. Exc. M. Albert Blancas, Chargé d'affaires de la République Argentine près le St-Siège.

14 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Nicolas Széchényi, Ev. de Raab ; — et Mgr Jules Drohobeczky, Ev. de Kreutz.

15 Dimanche.

On célèbre dans la Basilique Vaticane la Béatification solennelle des VV. Serv. de Dieu Marc Crisino, Etienne Pongrácz et Melchior Grodecz (2).

— S. G. Mgr Pierre Belmont, Ev. de Clermont-Ferrand, est reçu en audience.

16 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Palunko, Ev. Tit. de Rodiopolis, Vicaire Gén. et Prévôt de la Cathédrale de Spalato ; — Mgr Gustave-Charles Mayláth, Ev. de Transylvanie ; — Mgr Médard Kohl, Ev. Tit. de Samosate, Auxiliaire du Card. Vaszary, Arch. de Strigonie ; — Mgr Ludovic-Henri Luçon, Ev. de Belley ; — Mgr Antoine-Marie Grasselli, Arch.-Ev. de Viterbe ; — et Mgr Jacques Radini-Tedeschi, Ev. élu de Bergame.

17 Mardi.

Congr. Gén. des S. Rites tenue au Vatican *coram SSmo*, concernant l'héroïcité des vertus de la Vén. Madeleine-Sophie Barat.

18 Mercredi.

Les membres du Cercle St-Pierre de Rome assistent à la messe célébrée par le St-Père dans la Salle du Consistoire.

— Le St Père reçoit en audiences : S. Em. le Card. Adolphe Perraud, Ev. d'Autun ; — et S. G. Mgr Frédéric-Henri Oury, Arch. d'Alger.

19 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Claude Bardel, Ev. de Séez ; — Mgr Auguste Fischer-Colbrie, Ev. élu coadjuteur de l'Evêque de Cassovie ; — et Mgr Paul Bruchesi, Arch. de Montréal.

21 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Constantin-Marie Douais, Ev. de Beauvais ; — Mgr Charles Colton, Ev. de Buffalo ; — et Mgr Nicolas Széchényi, Ev. de Raab.

— Les agneaux bénits à Ste-Agnès hors les murs, selon le rite traditionnel, sont offerts au St-Père, qui les confie aux Religieuses du Monastère de Ste-Cécile.

22 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Jules Drohobeczky, Ev. de Kreutz ; — et Mgr Pierre Torroni, Ev. de Borgo S. Donnino.

23 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr François-Marie Redwood, Ev. de Wellington ; — Mgr J.-B. Ricci, Ev. de Iesi ; — et Mgr Jean-Baptiste Scalabrini, Ev. de Plaisance ; — ainsi que S. Exc. M. Narisckine, Ministre Résident de Russie près le St-Siège.

24 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Joseph Herman Brunault, Ev. de Nicolet ; — et le Rme P. Hyacinthe Cormier, Maître Gén. des Prédicateurs.

25 Mercredi.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Consistoire les hommages et les vœux des familles du Patriciat et de la Noblesse Romaine.

26 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Dominique Marinangeli, Patriarche d'Alexandrie ; — Mgr Charles Mac Donnel, Ev. de Brooklyn ; — ainsi que le R. P. Berbière, Directeur de l'Institut Historique Belge, accompagné par les membres de l'Institut ; — et le R.me Dom Maur Serafini, Abbé Gén. des Bénédictins de la Primitive Observance.

27 Vendredi.

S. G. Mgr Frédéric-Henri Oury, Arch. d'Alger, est reçu en audience.

28 Samedi.

S. G. Mgr Sauveur Fratocchi, Ev. d'Orvieto, est reçu en audience.

(1) *Item*, p. 7.
(2) *Item*, p. 10.

29 Dimanche.

Le St-Père, assisté par Mgr Scalabrini, Ev. de Plaisance, et Mgr Arcangeli, Ev. d'Asti, donne la consécration épiscopale, dans la Chapelle Sixtine, à Mgr Jacques Radini-Tedeschi, nouvellement élu Evêque de Bergame

30 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr. Jacques Radini-Tedeschi, Ev. de Bergame; — et S. Ex. M. le Dr Bruno Chaves, Env. Extr. du Brésil près le St-Siège.

31 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François Hautin, Arch. de Chambéry; — Mgr Constantin-Marie Douais, Ev. de Beauvais; — et Mgr François Bacchini, Ev. de Terni; — ainsi que le R.me P. Denys Schüller, Sup. Gén. des Frères Mineurs.

— Congr. Préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican, pour l'examen des deux miracles proposés pour la Canonisation du Bienh. Pompilio-Marie Pirrotti.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Mgr Georges Monchamp, *Dr en Phil. et en Théol., Vicaire général de Liège, membre de l'Académie royale de Belgique.* — Les erreurs de M. Alfred Loisy dans son livre *L'Evangile et l'Eglise.* — Paris, Leipzig, Tournai; Casterman, 1904, in-8, p. 111.

Nemo est qui ignoret hodie quale fuerit fundamentale peccatum, admissum in famoso isto libello cui titulus *L'Evangile et l'Eglise*, unde ipse sibi a S. Officio meruerit in indicem librorum prohibitorum inscribi. Historia nimirum revelationis christianae in eo proponitur adeo praecisa a facto divinitatis ipsius Christi ut eam simpliciter negare videatur, indeque traditioni divinae humanum quemdam evolutionismum substituit. Mirum ideo non est nullum fere dogmatum quae christianam constituunt religionem in eodem libello aliqua ratione non infici. Venenum huiusmodi eo periculosius serpit per singulas huius opusculi paginas, quo penitius imbuit ipsa rationalisticae et Kantianae critices principia, quibus auctor connivens, fontes historicos suppressit vel pervertit et tam factum revelationis singulorum dogmatum quam ipsorum substantiam suo systemate artificiose investire satagit.

Cumulus tot impietatum multiplici processu degregari poterat: sive ex parte conclusionum systematisque applicationum, quae singulae demonstrarentur erratae; sive ex parte principiorum quorum denudaretur inconsistens inanitas. Reapse, ubi vix perniciosissimum huiusmodi opusculum divulgari coepit, undique veritati quidem, sanae theologiae et criticae suscitavit defensores, sibi autem sub omni respectu impugnatores. Hisce accessit tempore forte ultimus G. Monchamp, vir doctrina atque eruditione insignis, qui in praesenti opella brevissimo sed perspicuo calamo, recitato auctoris textui accuratissimam subiicit recensionem concinnamque refutationem errorum qui in eo vel expressis verbis vel aequivocis ac subdolis successive proponuntur. Ipse catholicos alloquitur eo ductus fine ut incautos ac minus eruditos doceat latentes scopulos devitare, doctioribus vero paratam exhibeat materiam atque ex textu saepe ambiguo perspicue extricatam, quam deinde ipsi sive in praelectionibus theologiae, sive in collationibus publicis, sive utcumque scriptis suis, confutare absque ulteriori labore valeant. Opportunissime idcirco omnibus obveniet opus huiusmodi ut lues nimis late iam diffusa, privata Doctorum catholicorum industria ac scientia depelli atque arceri omni conatu possit, donec singuli in Loisianis libris contenti errores a S. Sede nota sibi respective debita non fuerint inusti.

G. A.

A. Vermeersch e S. I. Quaestiones de iustitia ad usum hodiernum scholastice disputatae. — Altera editio auctior et accuratior. In 8. Pg. XXVI-758, cum quatuor locupletissimis indicibus et Appendice Motum Proprium S. D. Pii Pp. X *de actione populari christiana* latine et gallice referente, notis adiectis. — Brugis, Beyaert, 1904. Pret. 7 fr.

Opus hoc ante quadriennium in lucem primum editum, a Leone Papa XIII s. m., in epistola 20ae Maii anni 1901 data, laudatum fuit uti « accommodatum tempori ac perutile ». Simul ab eodem Pontifice subiungebatur: « Tuam vero quum non ignoremus praestantiam ingenii et doctrinam quam Romae hausisti in Gregoriano Lyceo, minime dubitamus quin materiam quam tuis quidem aequam viribus sumpsisti, lucide recteque tractaveris ». Nec dissimilia fuerant encomia eidem operi tributa a doctissimo viro, G. I. Waffelaert Episcopo Brugensi, quem Auctor sui libri censorem requisiverat. Porro laudes huiusmodi, si praescindere etiam liceret a suprema auctoritate eorum qui eas deferendas esse consuerunt, merito operis et auctoris apprime mensuratae dici possunt.

Scimus equidem quasdam in hoc libro propugnatas opiniones nonnemini qui forte oppositas praetulisset, minus arrisisse. Neque in hac brevi recensione opportunitas occurrit ut discutiamus dissentientium partium rationes, atque utri veritas magis favere videatur, munus nobis arrogemus definiendi. Verum, quin ullo modo, ne minimo quidem assentationi indulgeamus, tria in hoc opere reputamus magis esse commendanda. Primum est Auctorem scholastica methodo fundamentalia iustitiae virtutis principia adeo perspicue et solide evolvisse ut multa obscuriora problemata relate ad practicas eiusdem virtutis applicationes, faciliorem inde et tutam simul ac benignam solutionem sibi mutuare valerent.

Alterum est ipsum praecipue respexisse in hac sua principiorum discussione et constitutione, ad controversias ex hodierna rerum personarumque conditione exortas, in quarum enucleationem perbelle scivit antiquorum in rebus antiquis convertere sapientiam et peritiam. Ultimum est diligentissimum studium quo Auctor tam veterum quam recentiorum placita atque argumenta accuratissime recensere ac ponderare sategit, cuique quod suum est deferendo, et propriam sententiam non nimio partium affectu exaltando, sed rationibus bene demonstratis muniendo.

Haec profecto sufficiunt ut praesens opus ab omnibus utraque manu excipiatur. Adde quod praesenti editioni novae dissertationes accesserunt, *de foeminarum iure et loco in civitate* ac *de persona morali quae est civitas*. Auctorem itaque non immerita laude amplificasse me reputo; iure potius adhortabor ut alterum volumen in quo ceterae quaestiones morales eadem methodo atque intentione tractentur, dum iam olim promissum fuit, omni cunctatione remota, nostris et omnium Doctorum studiis ab ipso tandem concedatur.

Scripsi Romae, in pervigilio Nativitatis Domini, a. 1904.

G. A.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS SECUNDUS - FEBRUARIUS 1905

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

De Protonotariis Apostolicis, Praelatis Urbanis et aliis qui nonnullis Privilegiis Praelatorum propriis fruuntur.

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X.

Motu proprio

De Protonotariis Apostolicis, Praelatis Urbanis et aliis qui nonnullis privilegiis Praelatorum proprii fruuntur.

Inter multiplices curas, quibus ob officium Nostrum apostolicum premimur, illa etiam imponitur, ut venerabilium Fratrum Nostrorum, qui episcopali charactere praefulgent, pontificales praerogativas, uti par est, tueamur. Ipsi enim Apostolorum sunt Successores; de iis loquitur Cyprianus (*ep. 69, n. 8*) dicens, *Episcopum in Ecclesia esse et Ecclesiam in Episcopo;* nec ulla adunatur Ecclesia sine Episcopo suo, imo vero Spiritus ipse Sanctus *posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei* (*Act. XX, 38*). Quapropter, *Presbyteris superiores esse Episcopos*, iure definivit Tridentinum Concilium (*Sess. XXIII, c. 7*). Et licet Nos, non tantum honoris, sed etiam iurisdictionis principatum supra caeteros Episcopos, ex Christi dispositione, tamquam Petri Successores, geramus, nihilominus Fratres Nostri sunt Episcopi, et sacra Ordinatione pares. Nostrum ergo est, illorum excelsae dignitati sedulo prospicere, eamque pro viribus coram christiano populo extollere.

Ex quo praesertim Pontificalium usus per Decessores Nostros Romanos Pontifices aliquibus Praelatis, episcopali charactere non insignitis, concessus est, id saepe accidit, ut vel malo hominum ingenio, vel prava aut lata nimis interpretatione, ecclesiastica disciplina haud leve detrimentum ceperit, et episcopalis dignitas non parum iniuriae.

Quum vero de huiusmodi abusibus ad hanc Apostolicam Sedem Episcoporum querelae delatae sunt, non abnuerunt Praedecessores Nostri iustis eorum postulationibus satisfa-

cere, sive Apost. Litteris, sive S. Rit. Congr. Decretis pluries ad rem editis. In id maxime intenderunt Benedictus XIV, per epist. S. R. Congr. d. d. XXXI Martii MDCCXLIV « *SSmus Dominus Noster* », iterumque idem Benedictus, d. XVII Februarii MDCCLII « *In throno iustitiae* »; Pius VII, d. XIII Decembris MDCCCXVIII « *Cum innumeri* », et rursus idem Pius, d. IV Iulii MDCCCXXIII « *Decet Romanos Pontifices* », et Pius IX d. XXIX Augusti MDCCCLXXII « *Apostolicae Sedis Officium* ». E Sacr. Rit. Congregatione memoranda in primis Decreta quae sequuntur: de Praelatis Episcopo inferioribus, datum die XXVII mensis Septembris MDCLIX et ab Alexandro VII confirmatum; dein Decreta diei XXII Aprilis MDCLXXXIV de Canonicis Panormitanis; diei XXIX Ianuarii MDCCLII de Canonicis Urbinatibus; diei XXVII Aprilis MDCCCXVIII de Protonotariis Titularibus, a Pio PP. VII approbatum; ac diei XXVII Augusti MDCCCXXII de Canonicis Barensibus.

Hisce tamen vel neglectis, vel ambitioso conatu, facili aufugio, amplificatis, hac nostra aetate saepe videre est Praelatos, immoderato insignium et praerogativarum usu, praesertim circa Pontificalia, viliores reddere dignitatem et honorem eorum, qui sunt revera Pontifices.

Quamobrem, ne antiquiora posthabeantur sapienter a Praedecessoribus Nostris edita documenta, quin imo, ut iis novum robur et efficacia adiiciatur, atque insuper praesentis aevi indoli mos iuste geratur, sublatis omnibus consuetudinibus in contrarium, nec non amplioribus privilegiis, praerogativis, exemptionibus, indultis, concessionibus, a quibusvis personis, etiam speciali vel specialissima mentione dignis, nominatim, collective, quovis titulo et iure, acquisitis, assertis, aut praetensis, etiam Praedecessorum Nostrorum et Apostolicae Sedis Constitutionibus, Decretis, aut Rescriptis, confirmatis, ac de quibus, ad hoc, ut infirmentur, necesse sit peculiariter mentionem fieri, exquisito voto aliquot virorum in canonico iure et liturgica scientia peritorum, reque mature perpensa, motu proprio, certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, declaramus, constituimus, praecipimus, ut in posterum, Praelati Episcopis inferiores aliique, de quibus infra, qua tales, non alia insignia, privilegia, praerogativas audeant sibi vindicare, nisi quae hoc in Nostro documento, Motu Proprio dato, continentur, eademque ratione ac forma, qua hic subiiciuntur.

A). — De Protonotariis Apostolicis.

1. Quatuor horum habeantur ordines: I.° Protonotarii Apostolici de Numero Participantium, septem, qui Collegium privative constituunt; - II.° Protonotarii Apostolici Supranumerarii; - III.° Protonotarii Apostolici ad instar Participantium; - IV.° Protonotarii Apostolici Titulares, seu honorarii (extra Urbem).

I. — *Protonotarii Apostolici de numero Participantium*.

2. Privilegia, iura, praerogativas et exemptiones quibus, ex Summorum Pontificum indulgentia iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero Participantium, in propriis Statutis nuperrime ab ipsomet Collegio iure reformatis inserta (1), libenter confirmamus, prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis inibi citatis, ac praesertim in Constitutione « *Quamvis peculiaris* » Pii Pp. IX, diei IX mensis Februarii MDCCCLIII, paucis exceptis, quae, uti infra, moderanda statuimus:

3. Protonotarii Apostolici de numero Participantium habitu praelatitio rite utuntur, et alio, quem vocant *pianum* atque insignibus prout infra numeris 16, 17, 18 describuntur.

4. Habitu quotidiano incedentes, caligas, collare et pileum ut ibidem n. 17 gestare poterunt, ac insuper Annulum gemmatum, quo semper iure utuntur, etiam in privatis Missis aliisque sacris functionibus.

5. Quod vero circa usum Pontificalium insignium, Xystus V in sua Constitutione « *Laudabilis Sedis Apostolicae sollicitudo* », diei VI mensis Februarii MDCLXXXVI, Protonotariis Participantibus concessit: « Mitra et quibuscumque « aliis Pontificalibus insignibus, etiam in Cathedralibus Ec« clesiis, de illorum tamen Praesulum, si praesentes sint, « si vero absentes, absque illorum consensu, etiam illis ir« requisitis, extra curiam uti », in obsequium praestantissimae Episcoporum dignitatis, temperandum censuimus, ut pro Pontificalibus, extra Urbem tantum agendis, iuxta S. R. C. declarationem quoad Episcopos extraneos vel Titulares, diei IV mensis Decembris MCMIII (1), ab Ordinario loci veniam semper exquirere teneantur, ac insuper consensum Praelati Ecclesiae exemptae, si in ea sit celebrandum.

6. In Pontificalibus peragendis, semper eis inhibetur usus throni, pastoralis baculi et cappae; item septimi candelabri super altari, et plurium Diaconorum assistentia; Faldistorio tantum utentur, apud quod sacras vestes assumere valeant. Pro concessis enim in citata Xysti V Constitutione: « quibuscumque aliis Pontificalibus insignibus » non esse sane intelligenda declaramus ea, quae ipsis Episcopis extra Dioecesim sunt interdicta. Loco *Dominus vobiscum* nunquam dicent *Pax vobis*, trinam benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium*, sed in Missis tantum Pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt, assistente Episcopo loci Ordinario, aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, ad quem pertinet eam impertiri.

7. Ad Ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem, a qua alias abstinebunt; et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores Ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario ac duobus clericis, non tamen Canonicis seu Dignitatibus; seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio illis porrecto, et per Ecclesiam procedentes populo nunquam benedicent.

8. Crux pectoralis, a Protonotariis Participantibus in Pontificalibus functionibus adhibenda, aurea erit, cum unica gemma, pendens a funiculo serico *rubini* coloris commixto cum auro, et simili flocculo retro ornato.

9. Mitra in ipsorum Pontificalibus erit ex tela aurea (numquam tamen pretiosa) quae cum simplici alternari possit, iuxta Caerem. Episcop. (*I, XVII, nn. 2 et 3*); nec alia Mitra nisi simplici diebus poenitentialibus et in exsequiis eis uti licebit. Pileolo nigri coloris sub Mitra dumtaxat uti poterunt.

10. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare, in genuflexorio, pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere, aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros. Fas erit praeterea Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere. In aliis Missis lectis, a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae. In Missis autem cum cantu, sed non Pontificalibus, uti poterunt etiam Canone et Urceo cum Pelvi et lance ad Manutergium.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 314.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 27.

11. Testimonium autem exhibere cupientes propensae voluntatis Nostrae in perinsignem hunc coetum, cui inter caetera praelatorum Collegia primus dicitur et est in romana Curia, Protonotariis Participantibus, qui a locorum Ordinariis sunt exempti, et ipsis Abbatibus praecedunt, facultatem facimus declarandi omnibus qui Missae ipsorum intererunt, ubivis celebrandae, sive in oratoriis privatis, sive in altari portatili, per eiusdem Missae auditionem diei festi praecepto rite planeque satisfieri.

12. Protonotarius Apostolicus de numero Participantium, qui ante decimum annum ab adepto Protonotariatu Collegium deseruerit, aut qui a decimo saltem discesserit, et per quinque alios, iuxta Xysti V Constitutionem, iisdem privilegiis gavisus fuerit, inter Protonotarios *ad instar* eo ipso erit adscriptus.

II. — *Protonotarii Apostolici Supranumerarii.*

13. Ad hunc Protonotariorum ordinem nemo tamquam privatus aggregabitur, sed iis tantum aditus fiet, qui Canonicatu potiuntur in tribus Capitulis Urbis Patriarchalium, id est Lateranensis Ecclesiae, Vaticanae ac Liberianae; temque iis qui Dignitate aut Canonicatu potiuntur in Capitulis aliarum quarumdam extra Urbem ecclesiarum, quibus privilegia Protonotariorum *de numero* Apostolica Sedes concesserit, ubique fruenda. Qui enim aut in propria tantum Ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

14. Canonici omnes, etiam Honorarii, tum Patriarchalium Urbis, tum aliarum ecclesiarum de quibus supra, tamquam singuli, insignibus et iuribus Protonotariorum ne fruantur, nec gaudeant nomine et honore Praelatorum, nisi prius a Summo Pontifice inter Praelatos Domesticos per Breve adscripti sint, et alia servaverint quae infra num. 34 dicuntur. Protonotarius autem *ad instar*, qui Canonicis eiusmodi accenseatur, eo ipso privilegia Protonotarii Supranumerarii acquiret.

15. Protonotarii Apostolici Supranumerarii subiecti remanent proprio Ordinario, ad formam Concilii Tridentini *(Sess. 24, C. 11)*, ac eorum beneficia extra Romanam Curiam vacantia Apostolicae Sedi minime reservantur.

16. Habitum praelatitium gestare valent coloris violacei, in sacris functionibus, idest caligas, collare, talarem vestem cum cauda, nunquam tamen explicanda, neque in ipsis Pontificalibus celebrandis: sericam zonam cum duobus flocculis pariter sericis a laeva pendentibus, et Palliolum, seu Mantelletum supra Rocchetum: insuper nigrum biretum flocculo ornatum coloris *rubini:* pileum item nigrum cum vitta serica, opere reticulato exornata, eiusdem *rubini* coloris, cuius coloris et serici erunt etiam ocelli, globuli, exiguus torulus collum et anteriores extremitates vestis ac Mantelleti exornans, eorum subsutum, itemque reflexus *(paramani)* in manicis (etiam Roccheti).

17. Alio autem habitu uti poterunt, Praelatorum proprio, vulgo *piano*, in Congregationibus, conventibus, solemnibus audientiis, ecclesiasticis et civilibus, idest caligis et collari violacei coloris, veste talari nigra cum ocellis, globulis, torulo ac subsuto, ut supra, *rubini* coloris serica zona violacea cum laciniis pariter sericis et violaceis, peramplo pallio talari item serico violaceo, non undulato, absque subsuto aut ornamentis quibusvis alterius coloris, ac pileo nigro cum chordulis et sericis flocculis *rubini* coloris. Communi habitu incedentes, caligas et collare violacei coloris ac pileum gestare poterunt, ut supra dicitur.

18. Propriis insignibus seu stemmatibus imponere poterunt pileum cum lemniscis ac flocculis duodecim, sex hinc, sex inde pendentibus, eiusdem *rubini* coloris, sine Cruce vel Mitra.

19. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Roccheti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, praelatitio habitu assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones lucrabitur, quae sodalibus accrescent.

20. Cappam laneam violaceam, pellibus ermellini hiberno tempore, aestivo autem *rubini* coloris serico ornatam, induent in Cappellis Pontificiis, in quibus locum habebunt post Protonotarios Participantes. Ii vero Canonici Protonotarii qui Praelati non sunt, seu nomine tantum Protonotariorum, non vero omnibus iuribus gaudent, ut nn. 13 et 14 dictum est, in Cappellis locum non habebunt, neque ultra limites pontificiae concessionis habitu praelatitio et *piano*, de quibus nn. 16 et 17, uti unquam poterunt.

21. Habitu praelatitio induti, clericis quibusvis, Presbyteris, Canonicis, Dignitatibus, etiam collegialiter unitis, atque Praelatis Ordinum Regularium, quibus Pontificalium privilegium non competat, antecedunt, minime vero Vicariis Generalibus vel Capitularibus, Abbatibus, et Canonicis Cathedralium collegialiter sumptis. Ad Crucem et ad Episcopum non genuflectent, sed tantum sese inclinabunt; duplici ductu thurificabuntur: item si sacris vestibus induti functionibus in choro adsistant.

22. Gaudent indulto Oratorii privati domi rurique, ab Ordinario loci visitandi atque approbandi, in quo, etiam solemnioribus diebus (exceptis Paschatis, Pentecostes, Assumptionis B. M. V., SS. Apostolorum Petri et Pauli, necnon loci Patroni principalis festis) celebrare ipsi Missam poterunt, vel alius Sacerdos, in propriam, consanguineorum, affinium, familiarium et cohabitantium commoditatem, etiam ad praeceptum implendum. Privilegio autem altaris portatilis omnino carere se sciant.

23. Licet iisdem acta conficere de causis Beatificationis et Canonizationis Servorum Dei, quo tamen privilegio uti non poterunt, si eo loci alter sit e Collegio Protonotariorum Participantium.

24. Rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices Synodales, in Commissarios et Iudices Apostolicos etiam pro causis beneficialibus et ecclesiasticis. Item apud ipsos professionem Fidei recte emittunt, qui ex officio ad eam adiguntur. Ut autem iuribus et praerogativis, hic et num. 23 expressis, frui possint Canonici Protonotarii in S. Theologia aut in Iure Canonico doctorali laurea insigniti sint oportet.

25. Extra Urbem, et impetrata venia Ordinarii loci, cui erit arbitrium eam tribuendi quoties et pro quibus Solemnitatibus voluerit, atque obtento etiam consensu Praelati ecclesiae exemptae, in qua forte celebrandum sit, pontificali ritu Missas et Vesperas aliasque sacras functiones peragere poterunt. Quod functiones attinet collegialiter, seu Capitulo praesente, celebrandas, a propriis Constitutionibus, de Ordinarii consensu, provideatur, iuxta Apostolica Documenta.

26. Ad ecclesiam accedentes, Pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes, habitu praelatitio induti, supra Mantelletum Crucem gestare possunt pectoralem (a qua alias abstinebunt): et nisi privatim per aliam portam ingrediantur, ad fores ecclesiae non excipientur ut Ordinarius loci, sed a Caeremoniario et duobus clericis, non tamen a Canonicis seu Dignitatibus: seipsos tantum aqua lustrali signabunt, tacto aspersorio sibi porrecto, et per ecclesiam procedentes populo nunquam benedicent.

27. Pontificalia agent ad Faldistorium, sed vestes sacras in sacrario assument et deponent, quae in Missis erunt: *a)* Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; *b)* Tunicella et Dalmatica; *c)* Crux pectoralis sine gemmis, e chordula serica *rubini* ex integro coloris pendens, auro non intertexta, simili flocculo retro ornata; *d)* Chirothecae sericae, sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; *e)* Annulus cum unica gemma; *f)* Mitra ex serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit, iuxta Caerem. Episcopor. *(I, XVII, nn. 2 et 3);* haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exsequiis una adhibebitur; *g)* Canon et Palmatoria, a qua abstinendum coram Ordinario seu maiori; *h)* Urceus et Pelvis cum Mantili in lance; *i)* Gremiale.

28. In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertientur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, Annulo utentur, ut supra. Pileolus nigri dumtaxat coloris, nonnisi sub Mitra ab eis poterit adhiberi.

29. In pontificalibus functionibus eisdem semper interdicitur usus throni, pastoralis baculi et cappae; in Missis autem pontificalibus, septimo candelabro super altari non utentur, nec plurium Diaconorum assistentia; Presbyterum assistentem pluviali indutum habere poterunt, non tamen coram Episcopo Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior; intra Missam manus lavabunt ad Ps. *Lavabo* tantum. Loco *Dominus vobiscum*, nunquam dicent *Pax vobis;* trinam benedictionem impertientur nunquam, nec versus illi praemittent *Sit nomen Domini* et *Adiutorium*, sed in Missis tantum pontificalibus, Mitra cooperti, cantabunt formulam *Benedicat vos*, de more populo benedicentes: a qua benedictione abstinebunt assistente Episcopo loci Ordinario aut alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior, cuius erit eam impertiri. Coram iisdem, in pontificalibus celebrantes, Mitra simplici solummodo utantur, et dum illi sacra sumunt paramenta, aut solium petunt vel ab eo recedunt, stent sine Mitra.

30. De speciali commissione Ordinarii, Missam quoque pro defunctis pontificali ritu celebrare poterunt Protonotarii Supranumerarii, cum Absolutione in fine, Mitra linea utentes; nunquam tamen eamdem Absolutionem impertiri illis fas erit, post Missam ab alio celebratam; quod ius uni reservatur Episcopo loci Ordinario.

31. Romae et extra, si ad Missam lectam cum aliqua solemnitate celebrandam accedant, habitu praelatitio induti, praeparationem et gratiarum actionem persolvere poterunt ante altare in genuflexorio pulvinaribus tantum instructo, vestes sacras ab altari assumere (non tamen Crucem pectoralem et Annulum) aliquem clericum *in Sacris* assistentem habere, ac duos inferiores ministros; Canonem et Palmatoriam, Urceum et Pelvim cum Manutergio in lance adhibere; sed ante ℣. *Communio* manus ne lavent. In aliis Missis lectis a simplici Sacerdote ne differant, nisi in usu Palmatoriae: in Missis autem cum cantu, sed non pontificalibus, uti poterunt etiam Canone, Urceo cum Pelvi, ac lance ad Manutergium, nisi ex statutis vel consuetudine in propria ecclesia haec prohibeantur.

32. Canonico Protonotario Apostolico Supranumerario Pontificalia peragere cum ornamentis ac ritu superius enunciatis fas non erit, nisi infra terminos propriae dioecesis; extra autem, nonnisi ornatu et ritu prout Protonotariis *ad instar*, ut infra dicetur, concessum est.

33. Cum tamen Canonicos trium Patriarchalium Urbis, ob earumdem praestantiam, aequum sit excellere privilegiis, eo vel magis quod in Urbe, ob Summi Pontificis praesentiam, Pontificalium privilegium exercere nequeunt, illis permittitur, ut in ecclesiis totius terrarum orbis, impetrata Ordinariorum venia, ac Praesulum ecclesiarum exemptarum consensu, Pontificalia agant cum ritu atque ornamentis nn. 27, 28, 29 recensitis. Insuper, licet aliquis ex ipsis inter Praelatos nondum fuerit adscriptus, Palmatoria semper, etiam in privatis Missis uti poterit.

34. Recensita hactenus privilegia illa sunt quibus dumtaxat Protonotarii Apostolici Supranumerarii fruuntur. Verum, cum eadem collective coetui Canonicorum conferantur, Canonici ipsi, tamquam singuli, iis uti nequibunt, nisi Praelati Urbani fuerint nominati et antea suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis et auspicatae iam possessionis, atque inter Praelatos aggregationis, ut num. 14 dicitur, testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint; coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum de more praestiterint, ac de his postea, exhibito documento, proprium Ordinarium certiorem fecerint. Quibus expletis, eorum nomen in sylloge Protonotariorum Apostolicorum recensebitur.

35. Canonici ecclesiarum extra Urbem, qui ante Nostri huius documenti Motu Proprio editi publicationem, privilegia Protonotariorum, una cum Canonicatu, sunt assequuti, ab expeditione Brevis, de quo supra, num. 14, dispensantur; iusiurandum tamen fidelitatis coram Ordinario suo praestabunt infra duos menses.

36. Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti adsistentes non alia Mitra utantur, quam simplici, nec unquam hoc et caeteris fruantur Protonotariorum insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in diplomate concessionis aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, neque in choro cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto cápite.

37. Protonotarius Supranumerarius defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, neque haec eius feretro imponi.

38. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus supra, Canonici Honorarii, sive infra, sive extra Dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

39. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis ac iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

40. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii conveniant, non idcirco Collegium praelatitium constituere; verum quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificia Cappella, tunc quasi unum corpus cum ipsis effecti censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Cappellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

41. Si quis (exceptis Canonicis trium Patriarchalium Urbis) quavis ex causa Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotarii Apostolici Su-

pranumerarii adnexa sint, ab eiusmodi titulo, honore et praerogativis statim decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

III. — *Protonotarii Apostolici ad instar.*

42. Inter Protonotarios Apostolicos *ad instar* Participantium illi viri ecclesiastici adnumerantur, quibus Apostolica Sedes hunc honorem conferre voluerit, ac praeterea Dignitates et Canonici alicuius Capituli praestantioris, quibus collegialiter titulus et privilegia Protonotariorum, cum addito *ad instar*, ubique utenda, fuerint ab eadem Apostolica Sede collata. Canonici enim, qui aut in propria tantum ecclesia vel dioecesi titulo Protonotarii aucti sunt, aut nonnullis tantum Protonotariorum privilegiis fuerunt honestati, neque Protonotariis aliisve Praelatis Urbanis accensebuntur, neque secus habebuntur ac illi de quibus hoc in Nostro documento nn. 80 et 81 erit sermo.

43. Qui Protonotarii Apostolici *ad instar* tamquam singuli iuribus honorantur, eo ipso sunt Praelati Domus Pontificiae; qui vero ideo sunt Protonotarii quia alicuius ecclesiae Canonici, Praelatis Domesticis non adnumerantur nisi per Breve Pontificium, ut num. 14 dictum est. Omnes Protonotarii *ad instar* subiecti remanent, ad iuris tramitem, Ordinario loci.

44. Beneficia illorum, qui Protonotarii *ad instar* titulo et honore gaudent tamquam Canonici alicuius Capituli, si vacent extra Romanam Curiam, Apostolicae Sedi minime reservantur. Beneficia vero eorum, qui tali titulo et honore fruuntur, tamquam privata persona, non poterunt nisi ab Apostolica Sede conferri.

45. Quod pertinet ad habitum praelatitium, *pianum* et communem, stemmata et choralia insignia, habitum et locum in Pontificia Cappella, omnia observabunt, uti supra dictum est de Protonotariis Supranumerariis, nn. 16, 17, 18, 19, 20.

46. Iisdem iuribus gaudebunt, praecedentiae, privati oratorii, conficiendi acta Beatificationis et Canonizationis, passivae electionis in Conservatores, caeterisque; item recipiendae Fidei professionis, reverentiae ad Crucem, thurificationis, quibus omnibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, ut supra nn. 21, 22, 23, 24, ac iisdem sub conditionibus.

47. De venia Ordinarii et Praesulis consensu ecclesiae exemptae, extra Urbem, Missas, non tamen de requie, pontificali ritu et ornatu celebrare poterunt, prout supra notatur, ubi de Protonotariis Supranumerariis, nn. 25, 26, 27, 28, 29; verum his legibus: Nec Faldistorio nec Gremiali unquam utantur, sed una cum Ministris in scamno, cooperto panno coloris diei, sedeant; caligis et sandaliis utantur sericis tantum, cum orae textu item serico flavi coloris ornato, et similiter sericis chirothecis sine alio ornamento; Mitra simplici ex serico damasceno, nullo ornamento, ne in oris quidem distincta, cum rubris laciniis ad vittas. Extra Cathedrales Ecclesias tantum, assistentem Presbyterum habere poterunt pluviali indutum, dummodo non assistat Episcopus Ordinarius aut alius Praesul ipso Episcopo maior. Crucem pectoralem auream sine gemmis gerent, appensam funiculo serico violacei ex integro coloris, auro non intertexto. Omnia, quae in Missa cantanda vel legenda sunt, nunquam ad scamnum, sed ad altare cantabunt et legent. Manus infra Missam lavent tantum ad Ps. *Lavabo*.

48. Poterunt insuper, pariter extra Urbem, de venia Ordinarii et cum Praesulis ecclesiae exemptae consensu, Mitra, Cruce pectorali et Annulo ornati, ad scamnum, more Presbyterorum, celebrare Vesperas illius festi, cuius Missam ipsi pontificaliter acturi sint, vel peregerint (absque benedictione in fine). Iisdem ornamentis eodemque ritu uti licebit, de speciali tamen commissione Ordinarii, in Vesperis festi, cuius Missa in pontificalibus ab alio quolibet Praelato celebretur, itemque in benedictione cum Sanctissimo Sacramento solemniter (non tamen trina) impertienda, in Processionibus, et in una ex quinque absolutionibus in solemnioribus exsequiis, de quibus in Pontificali Romano.

49. Romae Missam lectam, aliqua cum solemnitate celebrantes, si praelatitio habitu sint induti, ea retineant, quae de Protonotariis Supranumerariis n. 31 constituta sunt; extra Urbem, de speciali tamen commissione Ordinarii, eodem modo se gerent; aliis in Missis et functionibus, tamquam Praelati Domestici, ut n. 78, Palmatoriam tantum, si velint, adhibeant.

50. Qui Canonicorum coetui adscriptus, cui hactenus recensita Protonotariorum *ad instar* privilegia concessa sint, tamquam privata persona iisdem uti velit, prius Breve Pontificium, ut dicitur nn. 14 et 43, de sua inter Praelatos Domesticos aggregatione, servatis servandis, obtineat, simulque suae ad Canonicatum vel Dignitatem promotionis, initaeque possessionis ac inter Praelatos aggregationis testimonium Collegio Protonotariorum Participantium exhibeat. Tum coram ipsius Collegii Decano, vel per se vel per legitimum procuratorem, Fidei professionem ac fidelitatis iusiurandum, de more, praestet; de his denique exhibito documento proprium Ordinarium certiorem faciat. Qui vero tamquam privata persona huiusmodi titulum rite fuerit consecutus, non ante privilegiis eidem titulo adnexis uti poterit, quam legitimum suae nominationis testimonium memorato Collegio exhibuerit, Fidei professionem et fidelitatis iusiurandum, uti supra, ediderit, de hisque omnibus authenticum documentum suo Ordinario attulerit. Haec ubi praestiterint, eorum nomen in sylloge Protonotariorum recensebitur.

51. Qui ante has Litteras, Motu Proprio editas, iuribus gaudebant Protonotarii *ad instar*, tamquam alicuius ecclesiae Canonici, a postulatione Brevis, de quo in superiori numero, dispensantur, quemadmodum et a iureiurando, ut ibidem dicitur, praestando, quod tamen proprio Ordinario infra duos menses dabunt.

52. Habitum et insignia in choro Dignitates et Canonici Protonotarii gerent, prout Capitulo ab Apostolica Sede concessa sunt; poterunt nihilominus veste tantum uti violacea praelatitia cum zona sub choralibus insignibus, nisi tamen alia vestis, tamquam insigne chorale sit adhibenda. Pro usu Rocchetti et Mantelleti in choro attendatur, utrum haec sint speciali indulto permissa; alias enim Protonotarius, habitu praelatitio assistens, neque locum inter Canonicos tenebit, neque distributiones acquiret, quae sodalibus accrescent.

53. Collegialiter tamquam Canonici pontificalibus functionibus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, sacris vestibus induti assistentes, non alia Mitra utentur quam simplici, nec unquam hoc aliisve supra memoratis insignibus et privilegiis extra propriam ecclesiam, nisi in concessionis diplomate aliter habeatur. Canonicus tamen, qui forte ad ordinem saltem Subdiaconatus non sit promotus, ne in choro quidem cum aliis Mitra unquam utatur. In functionibus autem praedictis inservientem de Mitra non habebunt, prout in Pontificalibus uni Celebranti competit. Qui in Missa solemni Diaconi, Subdiaconi aut Presbyteri assistentis munus agunt, dum Dignitas, vel Canonicus, aut alter Privilegiarius pontificaliter celebrant, Mitra non utentur; quam tamen adhibere poterunt, Episcopo solemniter celebrante, ut dictum est de collegialiter adsistentibus, quo in casu, cum ministrant, aut cum Episcopo operantur, maneant detecto capite.

54. Protonotarius *ad instar* defunctus efferri aut tumulari cum Mitra non poterit, nec eius feretro ipsa imponi.

55. Ne autem Protonotariorum numerus plus aequo augeatur, prohibemus, ne in posterum in ecclesiis, de quibus

supra, Canonici honorarii, sive infra, sive extra Dioecesim degant, binas partes excedant eorum, qui Capitulum iure constituunt.

56. Qui secus facere, aliisve, praeter memorata, privilegiis et iuribus uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso, Protonotariatus titulo, honore, iuribus et privilegiis, tamquam singuli, privatos se noverint.

57. Sciant praeterea, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non idcirco Collegium Praelatitium constituere; verum, quando una cum Protonotariis de numero Participantium concurrunt, v. gr. in Pontificiis Capellis, tunc quasi unum corpus cum ipsis censentur, sine ullo tamen amplissimi Collegii praeiudicio, ac servatis eiusdem Capellae et Familiae Pontificiae consuetudinibus.

58. Si quis, quavis ex causa, Dignitatem aut Canonicatum dimittat, cui titulus, honor et praerogativae Protonotariorum *ad instar* adnexa sint, statim ab iisdem titulo, honore et praerogativis decidet. Qui vero Pontificium Breve inter Praelatos aggregationis obtinuerit, horum tantum privilegiis deinceps perfruetur.

IV. — *Protonotarii Apostolici Titulares seu Honorarii.*

59. Cum Apostolica Sedes, non sibi uni ius reservaverit Protonotarios Titulares seu honorarios nominandi, sed Nuntiis Apostolicis, Collegio Protonotariorum Participantium et forte aliis iamdiu illud delegaverit, antequam de eorum privilegiis ac praerogativis aliquid decernamus, leges seu conditiones renovare placet, quibus rite honesteque ad eiusmodi dignitatem quisque Candidatus valeat evehi, iuxta Pii PP. VII Praedecessoris Nostri Constitutionem « *Cum innumeri* », Idibus Decembr. MDCCCXVIII datam.

60. Quoties igitur de honorario Protonotariatu assequendo postulatio praebeatur, proferantur, ab Ordinario recognita, testimonia, quibus constet indubie: 1° de honesta familiae conditione; 2° de aetate saltem annorum quinque et viginti; 3° de statu clericali ac caelibi; 4° de Laurea doctoris in utroque, aut canonico tantum iure, vel in S. Theologia, vel in S. Scriptura; 5° de morum honestate et gravitate, ac de bona apud omnes aestimatione; 6° de non communibus in Ecclesiae bonum provehendum laudibus comparatis; 7° de idoneitate ad Protonotariatum cum decore sustinendum, habita etiam annui census ratione, iuxta regionis cuiusque aestimationem.

61. Quod si huiusmodi Protonotariatus honor alicui Canonicorum coetui collective ab Apostolica Sede conferatur (quod ius, collective Protonotarios nominandi, nemini censeri posse delegatum declaramus), eo ipso, quo quis Dignitatem aut Canonicatum est legitime consequutus Protonotarius nuncupabitur.

62. Pariter, qui Vicarii Generalis aut etiam Capitularis munere fungitur, hoc munere dumtaxat perdurante, erit Protonotarius Titularis; hinc, si Dignitate aut Canonicatu in Cathedrali non gaudeat, quando choro interesse velit, habitu Protonotarii praelatitio, qui infra describitur, iure utetur.

63. Protonotarii Apostolici Titulares sunt Praelati extra Urbem, qui tamen subiecti omnino manent locorum Ordinariis, Praelatorum Domus Pontificiae honoribus non gaudent, neque inter Summi Pontificis Familiares adnumerantur.

64. Extra Urbem, dummodo Summus Pontifex eo loci non adsit, in sacris functionibus rite utuntur habitu praelatitio, nigri ex integro coloris, idest veste talari, etiam, si libeat, cum cauda (nunquam tamen explicanda), zona serica cum duobus flocculis a laeva pendentibus, Roccheto, Mantelleto et bireto, absque ulla horum omnino parte, subsuto aut ornamento alterius coloris.

65. Extra Urbem, praesente Summo Pontifice, descripto habitu indui possunt, si hic tamquam chorale insigne concessus sit, vel si quis uti Vicarius adfuerit.

66. Habitu praelatitio induti, omnibus Clericis, Presbyteris, etiam Canonicis, singulatim sumptis, praeferantur, non vero Canonicis, etiam Collegiatarum, collegialiter convenientibus, neque Vicariis Generalibus et Capitularibus, aut Superioribus Generalibus Ordinum Regularium, et Abbatibus, ac Praelatis Romanae Curiae; non genuflectunt ad Crucem vel ad Episcopum, sed tantum se inclinant, ac duplici ductu thurificantur.

67. Super habitu quotidiano, occasione solemnis conventus, audientiae et similium, etiam Romae et coram Summo Pontifice, zonam tantum sericam nigram, cum laciniis item nigris, gestare poterunt, cum pileo chordula ac floccis nigris ornato.

68. Propriis insignibus, seu stemmatibus, pileum imponere valeant, sed nigrum tantummodo, cum lemniscis et sex hinc sex inde flocculis pendentibus, item ex integro nigris.

69. Si quis Protonotarius Titularis, Canonicatus aut Dignitatis ratione, choro intersit, circa habitum se gerat iuxta normas Protonotariis *ad instar* constitutas, num. 52, vestis colore excepto.

70. Sacris operantes, a simplicibus Sacerdotibus minime differant; attamen extra Urbem in Missis et Vesperis solemnibus, pariterque in Missis lectis aliisque functionibus solemnius aliquando celebrandis, Palmatoria tantum ipsis utenda conceditur, excluso Canone aliave pontificali supellectili.

71. Quod pertinet ad acta in causis Beatificationis, et Canonizationis, et ad passivam electionem in Conservatores ac caetera, iisdem iuribus gaudent, quibus fruuntur Protonotarii Supranumerarii, uti n. 23 et 24 supra dictum est.

72. Beneficia eorum qui, tamquam privatae personae, Protonotariatum Titularem assequuti sunt, non vero qui ratione Vicariatus, Canonicatus sive Dignitatis eodem gaudent, ab Apostolica tantum Sede conferantur.

73. Noverint autem, se, licet forte plures una simul, non tamquam unius ecclesiae Canonici, sed tamquam Protonotarii, conveniant, non ideo Collegium constituere.

74. Tandem qui Protonotariatu Apostolico honorario donati sunt, tamquam privatae personae, titulo, honoribus et privilegiis Protonotariatus uti nequeunt, nisi antea diploma suae nominationis Collegio Protonotariorum Participantium exhibuerint, Fideique professionem, ac fidelitatis iusiurandum coram Ordinario, aut alio viro in ecclesiastica dignitate constituto emiserint. Qui vero ob Canonicatum, Dignitatem, aut Vicariatum, eo potiti fuerint, nisi idem praestiterint, memoratis honoribus et privilegiis, quae superius recensentur, tantummodo intra propriae dioecesis limites uti poterunt.

75. Qui secus facere, aliisque, praeter descripta, privilegiis uti praesumpserint, si ab Ordinario semel et bis admoniti non paruerint, eo ipso honore et iuribus Protonotarii privatos se sciant: quod si Protonotariatum, tamquam privata persona adepti sint, etiam titulo.

76. Vicarii Generales vel Capitulares, itemque Dignitates et Canonici nomine atque honoribus Protonotariatus titularis gaudentes, si quavis ex causa, a munere, Dignitate aut Canonicatu cessent, eo ipso, titulo, honoribus et iuribus ipsius Protonotariatus excident.

B). — De caeteris Praelatis Romanae Curiae.

77. Nihil detractum volumus honoribus, privilegiis, praeeminentiis, praerogativis, quibus alia Praelatorum Romanae Curiae Collegia, Apostolicae Sedis placito, exornantur.

78. Insuper concedimus, ut omnes et singuli Praelati Urbani seu Domestici, etsi nulli Collegio adscripti, ii nempe, qui tales renunciati, Breve Apostolicum obtinuerint, Palmatoria uti possint (non vero Canone aut alia pontificali supellectili) in Missa cum cantu, vel etiam lecta, cum aliqua solemnitate celebranda; item in Vesperis aliisque solemnibus functionibus.

79. Hi autem habitum, sive praelatitium sive quem vocant *pianum*, gestare poterunt, iuxta Romanae Curiae consuetudinem, prout supra describitur nn. 16, 17; nunquam tamen vestis talaris caudam explicare, neque sacras vestes ex altari assumere valeant, nec alio uti colore, quam violaceo, in bireti flocculo et pilei vitta, opere reticulato distincta, sive chordulis et flocculis, etiam in pileo stemmatibus imponendo ut n. 18 dictum est, nisi, pro eorum aliquo, constet de maiori particulari privilegio.

C). — De Dignitatibus, Canonicis et aliis, qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur.

80. Ex Romanorum Pontificum indulgentia, insignia quaedam praelatitia aut pontificalia aliis Collegiis, praesertim canonicorum, eorumve Dignitatibus, quocumque nomine nuncupentur, vel a priscis temporibus tribui consueverunt; cum autem eiusmodi privilegia deminutionem quamdam episcopali dignitati videantur afferre, idcirco ea sunt de iure strictissime interpretanda. Huic principio inhaerentes, expresse volumus, ut in pontificalium usu nemini ad aliquod ex supra memoratis Collegiis pertinenti in posterum ampliora suffragentur privilegia, quam quae, superius descripta, competunt Protonotariis sive Supranumerariis, sive *ad instar*, et quidem non ultra propriae Ecclesiae, aut ad summum Dioeceseos, si hoc fuerit concessum, limites; neque ultra dies iam designatos, aut determinatas functiones; et quae arctiora sunt, ne augeantur.

81. Quoniam vero de re agitur haud parvi momenti, quippe quae ecclesiasticam respicit disciplinam, ne quis audeat arbitraria interpretatione, maiora quam in concedentis voluntate fuerint, sibi privilegia vindicare; quin potius paratum sese ostendat, quatenus illa excesserint, minoribus coarctari; singulis locorum Ordinariis, quorum sub iurisdictione vel quorum in territorio, si de exemptis agatur, aliquis ex praedictis coetibus inveniatur, demandamus, ut, tamquam Apostolicae Sedis Delegati, Apostolicarum Concessionum documenta ipsis faventia, circa memorata privilegia, infra bimestre tempus, ab hisce Nostris Ordinationibus promulgatis, sub poena immediatae amissionis eorum quae occultaverint, ad se transmitti curent, quae intra consequentem mensem ad Nostram SS. Rituum Congregationem mittant. Haec autem, pro suo munere, omnia et singula hisce Nostris dispositionibus aptans, declarabit et decernet, quaenam in posterum illis competant.

Haec omnia rata et firma consistere auctoritate Nostra volumus et iubemus: contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 21 Februarii 1905, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

II.

Pius IX praerogativas concedit Capitulo Patriarchali Venetiarum.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Romana Ecclesia aliarum omnium mater et magistra concessum sibi a coelesti Sponso Iesu Christo supremum auctoritatis et dignitatis Principatum ita semper in cunctas Ecclesias obtinuit, ut sacris Ministris earum servitio mancipatis, pro locorum temporum et personarum conditionibus, ampliores eximiasque honoris praerogativas indulserit, prout ad Dei gloriam promovendam, ad Catholicae Religionis maiestatem tutandam, et ad Ecclesiasticam servandam Hierarchiam, Romanis Pontificibus, eiusdem Iesu Christi Vicariis ac Petri Apostolorum Principis successoribus, visum est in Domino salubriter expedire.

Idcirco Nos ad ipsius Romanae Ecclesiae regimen meritis quantumvis imparibus constituti, et Praedecessorum Nostrorum vestigia sectantes, pronas aures intendimus precibus dilectorum Filiorum hodiernorum Capituli et Canonicorum Patriarchalis et Metropolitanae Ecclesiae Venetiarum, exponentium, quod eorum Capitulum, cuius origo ad quatuor et ultra saecula assurgere fertur, ob specialia quae sibi de utraque republica comparavit merita, ob perennem erga Apostolicam Sedem observantiam, pluribus honoribus et privilegiis a Summis Pontificibus, praesertim a fel. rec. Pio Papa Septimo et Gregorio Papa Decimosexto, Praedecessoribus Nostris, cohonestari obtinuit. Verumtamen ad exteriora insignia quod pertinet, Canonici praefati Cappam Magnam violaceam cum pellibus armellinis supra Rocchettum hyemali, aestivo autem tempore Cottam supra ipsum Rocchettum induunt, et Crucem ante pectus funiculo serico viridi abligatam deferunt; dum e contra haud pauca ex suffraganeis Ecclesiis Collegia valde potioribus insigniis augentur. Cum autem, sicuti Exponentes praefati subiungebant, ut debitus effato Patriarchali Capitulo honos accedat, quo, cum in caeteris, ita in exterioribus ipsis insigniis, inferioribus aliis et subiectis Ecclesiis antecellat, praecipue vero ut ad Divinum cultum et Domus Dei decorem promovendum alacrius excitentur qui Ecclesiae servitio mancipantur, memorati Exponentes plurimum cupiant maioribus honoris praerogativis per Nos et Sedem Apostolicam praefatam benigne, ut infra, condecorari; quare pro parte eorumdem Capituli et Canonicorum Nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus hisce eorum votis favorabiliter annuere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur praefatis Capitulo et Canonicis Pontificiam Nostram considerationem declarare volentes, ipsosque et eorum quemlibet a quibusvis excommunicationis suspensionis et interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus praemissis Inclinati, Exponentibus praedictis, ut ii, eorumque Successores effatae Patriarchalis et Metropolitanae Ecclesiae Canonici, tam Residentiales, quam Honorarii, Protonotarii Apostolici nuncupari, et in Choro et Ecclesiasticis functionibus, quovis anni tempore, ac alias, quandocumque, ubicumque, et quo-

tiescumque opus fuerit, habitum ipsorum Protonotariorum gestare, ac pileum ornatum purpureo torculo, honoraria scilicet rubri coloris fasciola, deferre, et in insigniis eorum familiae galerum imponere, ac dum Sacrosanctae Missae Sacrificium celebrant, illius Canonem et Lichneolum adhibere, caeterisque quibus Protonotarii Apostolici de numero Participantium nuncupati insigniis et praerogativis rite perfruuntur, absque ulla tamen participatione, aliove horum Collegii praeiudicio, ac sine ulla Praebendarum affectione, et salva Praesulis Patriarchae Venetiarum iurisdictione, gaudere: itemque viridem funiculum dictae Crucis innexum in violaceum sericum auroque immixtum commutare: nec non in memorata tantum Patriarchali et Metropolitana Ecclesia, ac dum effatus Praesul Patriarcha Pontificalia exercet, Mitram deferre etiam in praesentia Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, etiam de latere Legatorum, Vice-Legatorum, dictaeque Sedis Nunciorum, Episcoporum et Archiepiscoporum, necnon Ordinarii etiam proprii, et aliorum quorumcumque, libere et licite possint et valeant, Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Decernentes, Exponentes nec non pro tempore existentes Canonicos praefatos super praemissis a quocumque quavis auctoritate, praetextu, colore vel ingenio, molestari inquietari perturbari et impediri nullatenus posse. Ac easdem praesentes ex qualibet causa, quantumvis iuridica et legitima, de subreptionis vel obreptionis seu nullitatis vitio aut intentionis Nostrae seu quopiam alio defectu, notari vel impugnari aut invalidari, seu per Nos et Successores Nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam praefatam, seu eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios praefatos, vel quosvis alios quavis auctoritate honore et praerogativa fulgentes, revocari, suspendi, limitari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas restitutionis in integrum aut aliud quodcumque iuris vel facti aut gratiae seu iustitiae remedium impetrari, seu etiam Motu Proprio et ex certa scientia concedi, aut illis in aliquo derogari, sive quidquam in contrarium disponi nullo unquam tempore posse.

Nec illas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus suspensionibus limitationibus derogationibus aut aliis contrariis dispositionibus, etiam ut praefertur, aut alias quomodolibet, etiam per Cancellariae Apostolicae regulas, aut Constitutiones Apostolicas, pro tempore factis et faciendis, comprehendi vel confundi; sed semper ab illis excipi: et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas, ac de novo, etiam sub quacumque posteriori Data per Exponentes et pro tempore existentes Capitulum et Canonicos praefatos quandocumque eligenda, concessas esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, ac spectare et pertinere poterit quomodolibet in futurum firmiter et inviolabiliter observari: eisdemque Exponentibus ac Capitulo et Canonicis praedictis pro tempore existentibus semper et perpetuo plenissime suffragari.

Sicque et non alias per quoscumque Iudices Ordinarios vel Delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praefatae Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de latere Legatos, Vice-Legatos, dictaeque Sedis Nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum quoque et inane, si secus super his, a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus quibusvis, etiam in Synodalibus Provincialibus Generalibus et Universalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis: dictaeque Patriarchalis et Metropolitanae Ecclesiae, etiam iuramento confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, Statutis et Consuetudinibus: Privilegiis quoque indultis et Litteris Apostolicis quibusvis Superioribus et personis, in genere vel in specie aut alias, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan concessis approbatis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti abrogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis specifica expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret (tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata inserti forent, eisdem praesentibus, pro plene et sufficienter expressis habentes), illis alias in suo robore permansuris, latissime et amplissime ac specialiter et expresse, ad praemissorum omnium validissimum effectum, pro hac vice dumtaxat, harum quoque serie, derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo sexagesimo quinto, Nonas Iulias, Pontificatus Nostri anno quintodecimo.

PIUS PP. IX.

III.

Pius X Comitatum Nationalem italicum pro Palaestina et Sanctuario Lapurdensi commendat, atque italicas ad praedicta loca peregrinationes indulgentiis ac privilegiis cumulat.

Dilecto filio Iacobo Mariae Radini Tedeschi, Praesuli.

PIUS PAPA X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem. Romani Pontifices Decessores Nostri, vel a primis Ecclesiae temporibus singulari studio pias fidelium ad potiora Christiani Orbis Sanctuaria et praesertim ad loca Passionis ac vitae Redemptoris Nostri memoriis inclyta, peregrinationes sunt prosequuti, easque peculiaribus ac praecipuis spiritualibus gratiis et privilegiis auxere. Gratum adeo ac periucundum evasit Nobis consilium a te initum, constituendi Nationalem Italicum pro Palaestina ac Lapurdensi Sanctuario Comitatum, illique vix Supremam Principis Apo-

stolorum Cathedram nullis quidem meritis Nostris divinitus adscendimus, coeptis tuis ultro libenterque faventes, Pontificiae benedictionis ac voluntatis robur adiecimus. Placet enim Nobis quod Sanctorum Locorum honor reviviscat apud Italos, hique precibus, stipe, atque exemplis dissidentium Ecclesiarum conversionem adiuvent; placet ut Immaculata Virgo in ipso suae Apparitionis loco recolatur, et Sanctuarium Lapurdense innumerae celebrent turmae fidelium, qui pro Nobis, pro societatis ac patriae ad Christum reditu orent; placet denique ut Italicae peregrinationes bene compositae, atque in exemplum piae, tum in Palaestinam tum ad Lapurdense templum peragantur. Non sine magna animi Nostri laetitia hoc anno accepimus ex hisce peregrinationibus alteram habendam esse proximo mense Maio ad Sanctuarium Lapurdense novissimis Iubilarium Immaculatae Virginis festivitatum diebus, alteram vero in Palaestinam mensibus Septembri atque Octobri; Nosque spem prope certam foventes futurum ut eaedem peregrinationes tum sociorum numero cum bonorum operum exercitatione floreant, et tibi, dilecte fili, qui Comitatus supramemorati Praesidis munere egregia quidem laude fungeris, et fidelibus omnibus peregrinationes ipsas suscepturis, caelestium munerum auspicem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur. Praeterea cum Nobis nihil antiquius sit, quam ut opus tam frugiferum uberiora capiat, Deo iuvante, incrementa, spiritualibus etiam illud indulgentiarum thesauris ditare satagimus. Quare de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, die discessus ac reditus cuiusque peregrinationis tum in Palaestinam cum ad Sanctuarium Lapurdense, et uno alio die a moderatore peregrinationis ipsa durante designando, omnibus fidelibus ex utroque sexu, qui vel peregre iter faciant, vel precibus aut alio pio opere peregrinationibus sese spiritu socient, dummodo Eucharisticis dapibus se reficiant, et pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus et largimur. Facultatem insuper facimus lucrandi indulgentias Sanctuariorum tum Palaestinae cum Lapurdensis proprias, etiam si propter nimiam peregrinorum frequentiam vel ex alia rationabili causa Missa inibi fiat sub divo; et servatis servandis expressam ad hoc veniam Apostolica Nostra auctoritate tribuimus. Indulgentias Viae Crucis seu Calvariae, vel in maritimo, vel in terrestri itinere concedimus, dummodo pia exercitatio fiat turmatim praecedente tantum lignea Cruce rite benedicta. A die primo discessus ad diem domum reditus inclusive, omnibus et singulis sacerdotibus peregrinis, facultatem facimus excipiendi Sacramentales Confessiones sociorum peregrinorum e quavis dioecesi, dummodo ipsi sint ad Confessiones excipiendas canonice probati, et quoad Confessiones mulierum debitae cautelae adhibeantur. Dispensationem a ieiunio et ab obligatione ciborum esurialium toto itinere ac remoto scandalo largimur hisce in peregrinationibus, dummodo peregrini iisdem diebus vel adsint Missae, vel per horae quadrantem piae meditationi vacent, aut tertiam Rosarii partem recitent. Praeterea in peregrinationibus potissimum ad sancta Palaestinae loca, a die primo conscensionis in navim ad novissimum diem exscensus inclusive, sacerdotibus (quod usus docuit peropportunum), Breviarii recitationem in illam solidi Rosarii commutamus; simulque maritimo itinere durante veniam facimus, ex qua plures moderatoris arbitrio missae celebrentur, dummodo adhiberi queant debitae quoad dignitatem ac securitatem cautelae; nec non sacerdotibus Confessariis ad hoc ab ipso moderatore designandis facultatem tribuimus recipiendi nautarum navi addictorum Confessiones, aliorumque qui forte velint sese admissorum Sacramentali Confessione expiare; et fidelibus pariter in navigatione veniam concedimus SS.mam Eucharistiam infra supradictarum Missarum actionem suscipiendi. Insuper omnibus ad quos spectat facultatem largimur ex prudenti moderatoris arbitrio Sacramentum Augustum asservandi, benedictionem cum Eodem impertiendi, Illudque in sacris pompis circum ferendi, servatis tamen debitis quoad conveniens decus et securitatem cautelis. Tandem moderatori potestatem tribuimus in casu necessitatis Extremam Unctionem per se aut per sacerdotem delegatum ministrandi. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae, apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris die XVII Ianuarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

IV.

Pius X iubet ut omnes sacerdotes saeculares Urbis spiritualibus exercitiis vacent saltem tertio quoque anno, in tribus adsignatis Asceteriis.

Dilecto Filio Nostro Petro, Tit. SS. Quatuor Coronat. S. R. E. Presb. Card. Respighi, Nostro in Urbe Vicario.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili Noster, salutem et apostolicam benedictionem.

Experiendo plus satis cognitum est, tam instabili hominem esse natura, ut vel diligentissimus quisque officii, nisi opportunis subinde stimulis excitetur, sensim frigeat ad virtutem, ac tandem languescat prorsus in vitiumque decidat. Ab hac naturae conditione, quum sacerdotes profecto soluti non sint, idcirco ne suis partibus aliquando prae languore desint, certa adhibeant subsidia oportet, quibus identidem reparare vires et alacritatem redintegrare pristinam possint. Subsidia eiusmodi non obscure videtur Deus velle, ut potissimum in pio aliquo recessu, idest seorsum per dies aliquot anteactam vitam reputando, quaerantur. *Cogitavi vias meas: et converti pedes meos in testimonia tua* (Ps. CXVIII, 59). Perspicuum id quidem ratio facit, qua cum Apostolis se gessit Christus Dominus. Qui quum, doctrinae legisque suae destinatos orbi universo nuntios, interea in vicos et castella Iudeae et Galileae, praedicandi Evangelii causa, soleret mittere, reversos, ubi quae docuissent fecissentque audierat, ad solitudinem invitabat; quo recreatis

animis, pares laborando vel magis deinceps fierent. *Venite seorsum in desertum locum, et requiescite pusillum* (Marc. VI, 31).

Iamvero non Apostolos tantum, quos coram alloquebatur, sed omnes, quicumque Apostolici ministerii participes futuri essent, hac invitatione excitasse Dominus putandus est; ut nimirum qui, ob sanctimoniam non modo officii sed etiam vitae, et sal terrae et lux mundi et quasi terrestres dii esse deberent, iidem praesidium retinendae augendaeque sanctimoniae maximum usurparent.

Etenim, si quaerimus omnium ornamenta virtutum, quae Clericum decent, studium sacrarum rerum continet: id vero ob eam quam diximus, inconstantiam naturae, ex quo die sacris initiati sumus, diuturnitate in multis defervescit, in non paucis dissipatur misere et extinguitur. Ipsa etiam assuetudo, quae quotidie res easdem tractando gignitur, causa est quare paullatim sacerdos non diligentior ad sancta, quam ad caetera vitae munia evadat. Accedunt huc pericula et varia et magna, quae saepe sunt in administratione sacerdotalis officii subeunda. Denique quum necesse sit de mundano pulvere etiam religiosa corda sordescere, multo magis necessitas haec sacerdotem tenet, in mediis mundi illecebris et miseriis habitantem. Quibus ex rebus omnino apparet oportere, ut, si rectos in nobis denuo excitare spiritus, si quamlibet vitiositatem corrigere in agendo contractam, si maiorem ad discrimina constantiam induere volumus, intermissis loco quotidianis curis, atque e magisterio parumper in disciplinam regressi, illuc revertamur, unde olim bono incensi studio prodivimus, docilesque excipiamus vocem, quae nos de officiis admoneat, salubriter corripiat, ad potiora hortetur atque urgeat. Quamobrem nihil tam proderit quam longe a strepitu et agitatione communis vitae secedere; quippe animae ad Spiritus Sancti accipienda munera quies est amicissima: *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius* (Osee II, 14).

Equidem non intelligimus sacerdotem ullum posse reperiri qui, in tantis difficultatibus, molestiis periculisque collocatus, non tamen sentiat subinde ex intervallo requirendum sibi esse praesidium, quod spiritualia, quae dicuntur, exercitia suppeditant. Atqui videmus haec ipsa ab iis quidem, quorum est actio vitae munerisque commendabilior, cupide expeti accurateque frequentari, ab aliis vero, utinam paucis, ita negligi, ut minimo aestimari videantur. Quid? mercator quivis, cui sunt sua negotia cordi, diligenter quotidie, diligentius quotannis acceptorum et expensorum rationes computabit; sacerdos autem quispiam curatorque animarum, qui quum Dei negotia administret, Deo districtam rationem redditurus est, non, se colligens aliquando, aequa iudicii lance ponderabit hinc officia sua, hinc facta, atque dispiciet utrum vocationi suae congruat, an penitus discrepet?

Imploranda quidem est divina benignitas, ut omnibus ad unum Clericis persuadeat huiusce opportunitatem instituti, quod tanta eis affert adiumenta, unde se rite praestent ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Nobis interea, qui in universa gubernanda Ecclesia praecipuam quamdam curarum partem huic Almae Urbi debemus, ad temperandam, ut oportet, Romani disciplinam Cleri, visum est praesertim spiritualium exercitiorum morem fovendo dirigere. Quare Sodalibus et e Societate Iesu et a Christi Passione et Vincentianis significavimus, gratum Nobis eos facturos, si per unam singulis mensibus hebdomadam (quantum spatii est a vespertinis diei dominici ad matutinas horas proximi Sabbathi) in suo quique asceterio urbano sacerdotibus navare operam voluissent. Qui Sodales quum paratissimos responderint sese esse Nostris obsequi votis, iam tuum erit, Dilecte Fili Noster, usque ab initio appetentis anni opportuna praescribere, ut quotquot Romae, praeter religiosas familias, sacerdotes numerantur, omnes, nullo cuiquam suffragante privilegio, spiritualibus exercitiis in aliquo e ternis asceteriis, quae dicta sunt, saltem tertio quoque anno vacent.

Dubitandum minime est quin eiusmodi praescriptiones universi omnes, ad quos datae erunt, magna cum voluntate studeant perficere, atque hoc ipso consolari Nos; qui quidem ad propositum, quod necessitatibus temporum adducti urgemus, instaurandi omnia in Christo, nihil tam valere arbitramur, quam recta studia et exempla Clericorum. — Auspicem divinorum munerum benevolentiaeque Nostrae testem tibi, Dilecte Fili Noster, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVII Decembris anno MDCCCCIV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

V.

Pius X iubet ut in singulis parochiis Urbis, Prima Communio solemniter quotannis ministretur pueris.

Al signor Cardinale Pietro Respighi,
nostro Vicario Generale.

Signor Cardinale,

Fra i molti e gravi uffici, ai quali deve consacrarsi lo zelo dei Parroci, tiene certamente il primo posto la cristiana istruzione della gioventù. È ben vero che tale dovere s'appartiene principalmente ai genitori, che per questo mezzo soltanto hanno diritto alla corona della paternità; ma oltrechè molti pur troppo lo trascurano, l'istruzione religiosa, che forma tanta parte della cristiana educazione, s'impone a coloro, ai quali ha detto Gesù Cristo: *Ite, docete omnes gentes.* Che se pel mal seme contratto dalla prima colpa, l'educazione è un'opera così ardua che, anche senza ostacoli, anche col concorso di tutti, difficilmente arriva ad un buon successo, come potrebbe un giovane senza aiuti arrivare alle sublimi e difficili altezze della virtù e della perfezione cristiana?

Per questo la Chiesa, sollecita del bene delle anime, ingiunge ai Parroci l'obbligo di impartire al popolo l'istruzione religiosa almeno nelle Domeniche, nelle feste solenni, e tutti i dì, o almeno tre volte per settimana, durante il tempo dell'Avvento e della Quaresima. Ed aggiunge pure che, almeno nelle Domeniche e nei giorni festivi, i medesimi, o per sè o per mezzo di altri sacerdoti, sono tenuti ad istruire nei principî della fede e nella obbedienza a Dio e ai genitori i fanciulli (Conc. Trid., Sess. XXIV, cap. 4). I quali, come hanno bisogno di prendere con frequenza il cibo materiale per vivere e crescere, così per la loro anima hanno continuo e urgente bisogno di questo cibo celeste per formarsi alla vita cristiana e per conservarsi buoni.

Tale istruzione poi si rende assolutamente necessaria per prepararli a partecipare ai mezzi di salute offerti da Nostro Signore Gesù Cristo: i santi Sacramenti della Confessione, della Confermazione e della Comunione, che soli possono aiutarli a condurre una vita santa.

Ed è specialmente per questo che Ci sentiamo mossi, Signor Cardinale, a scriverle questa lettera, perchè Ella abbia la bontà di richiamare l'attenzione dei Reverendi Parroci di Roma sopra siffatto loro dovere, il cui adempimento non può esser contenuto tra i limiti della semplice scuola della Dottrina Cristiana nelle feste, ma esige per la preparazione ai santi Sacramenti una istruzione particolare, assidua, continua di più settimane e fors'anche di mesi, a seconda della capacità dei giovani e del Sacramento che devono ricevere.

A tale fine Ella dovrà ordinare che tutti i Reverendi Parroci, innanzi a certe solennità dell'anno, preparino i giovanetti e le fanciulle pervenuti all'uso della ragione, ad accostarsi al Sacramento della Penitenza. Egualmente in certe epoche dovranno ben disporli al Sacramento della Cresima, ad essere molto severi nell'accordare loro il biglietto, se prima non abbiano risposto in modo acconcio all'esame; allora potranno veramente dichiarare che i medesimi si sono accostati alla Confessione, e si riconoscono idonei a ricevere il Sacramento della Cresima.

Per la Comunione poi, i Parroci di Roma dovranno scegliere, d'accordo con Lei, Signor Cardinale, il tempo più opportuno per istruire nel debito modo per quaranta giorni o almeno per un mese i giovani da ammettersi alla prima Comunione, per conoscere la loro pietà, per inspirare in essi la massima riverenza a questo Sacramento, e per prepararli a rendersi meno indegni di un tanto dono.

È ben vero che abbiamo in Roma l'*Opera Pia Michelini*, detta di Ponterotto, l'*Istituto Imperiali Borromeo*, detto le Cappellette di S. Luigi, e vari altri per le prime Comunioni dei giovani; ma, oltrechè i medesimi non bastano all'immenso bisogno, questi Istituti, od altri che si potessero aprire, saranno bensì opportuni pei giovani, che già istruiti vi si recano per la preparazione prossima, ma non certo per la istruzione necessaria alla preparazione remota.

Benedicendo pertanto il Signore, che ha donato alla Nostra Roma queste pie istituzioni, delle quali potranno approfittare i bene istruiti, specialmente se adulti, per un corso di spirituali Esercizi prima della Comunione, vogliamo che in tutti gli anni e in ogni Parrocchia sia fissato (come sopra abbiamo detto) il tempo per la istruzione, e insieme il giorno solenne per la prima Comunione, facendo precedere questo dì da un esame, in cui i giovanetti dieno prova di essere convenientemente istruiti, e dalla preparazione di tre giorni sempre in Parrocchia.

Preveniamo alcune obbiezioni, che si potranno fare. E prima d'ogni altra, che il Parroco da solo non sarà in grado di provvedere a tanto bisogno; — ma egli avrà, purchè lo desideri, dei validi coadiutori nei Sacerdoti della Parrocchia, anche appartenenti ad Istituti religiosi, ed eziandio nei buoni laici, che la Dio mercè non mancano nemmeno a Roma; nè verrà meno ai Parroci in opera di tanto rilievo la liberalità e il generoso concorso della classe più agiata per sostenerne le spese, che dovranno incontrare.

Si dirà che moltissimi parrocchiani amano che i fanciulli per la prima Comunione sieno rinchiusi. Facile la risposta dei Parroci: questo premio si accorda ai diligenti nel Catechismo; che il giovanetto sostenga lodevolmente l'esame, ed avrà il biglietto per *Ponterotto*, o per le *Cappellette*, o per altri luoghi che potessero in seguito essere dall'Autorità ecclesiastica all'uopo destinati. E qui crediamo opportuno fare una calda preghiera alle Comunità religiose di Roma perchè vogliano coadiuvare efficacemente i Parroci nell'opera santa che ad essi raccomandiamo.

Si dirà finalmente che il Parroco, distratto da tante cure, non potrà far altro. Ma nulla è difficile, nulla è arduo alle industrie dello zelo di un buon Parroco, e lo dimostrano i due Parroci Stefano Bellesini e Gio. Battista Maria Vianney, testè innalzati all'onore degli altari. Ma anche se il Parroco non potesse far altro, avrà fatto molto, avrà fatto tutto, perchè avrà provveduto con questo al vero bene dei suoi parrocchiani, ed insieme ai migliori conforti dell'animo suo.

Colle Comunioni in Parrocchia, egli avrà il vantaggio di conoscere non solo i fanciulli, ma anche le loro famiglie, e di poter dire col divino Maestro: *Cognosco oves meas et cognoscunt me meae*, cattivandosi la loro stima e il loro affetto. — Inoltre, potendo egli avere a cagione delle Comunioni in Parrocchia facile accesso presso le famiglie, sarà in grado di esercitare sulle medesime la più salutare influenza non solo per rimuovere da esse quei disordini e quei mali che vi esistessero, e portarvi le più care consolazioni, ma per averle altresì alle funzioni, alle prediche e per sorvegliare specialmente i giovani rispetto alla frequenza dei Sacramenti, affine di non dover deplorare che per tanti la prima Comunione sia anche l'ultima per tutta la vita.

Finalmente colle Comunioni in Parrocchia il Parroco, che si studierà di segnalare quella festa con solennità straordinaria, perchè resti impressa nei fanciulli la santità dell'atto che compiono, avrà il conforto di vedere in quel dì attorno a sè numeroso stuolo di genitori, di parenti e di amici, ai quali tutti con accenti amorosi di zelo pastorale potrà rivolgere opportuni e salutari ammonimenti.

Le fanciulle delle Parrocchie d'ordinario sono istruite e preparate alla prima Comunione negli istituti religiosi femminili, che si prestano a quest'opera di carità fiorita. I Parroci dimostrino alle buone Religiose la loro gratitudine. sorveglino queste istruzioni ed esaminino le fanciulle che dovranno essere ammesse alla prima Comunione nelle loro chiese parrocchiali.

Qui poi dobbiamo encomiare i Superiori di tutti quei Collegi ed istituti cattolici, nei quali gli alunni e le alunne sono preparati ogni anno alla prima Comunione. A queste private Comunioni procurino di intervenire i Parroci per dimostrare la loro riconoscenza ai benemeriti Istitutori, per congratularsi coi giovanetti e colle fanciulle e per invitarli, col permesso dei loro Superiori, alla festa della prima Comunione, che si farà nelle rispettive Parrocchie, accostandosi coi loro compagni alla Mensa Eucaristica.

La nequizia dei tempi vorrebbe relegato il Sacerdote nel Santuario; e sia pure, ma sappiano, specialmente i Parroci, che l'anima di un giovane è il più augusto dei Santuari, e se è loro dovere di accendere e mantenere il fuoco sacro in questi templi viventi, dove delle mani colpevoli cercano

di gettare delle fiamme incendiarie, uno dei mezzi potenti è quello da Noi inculcato.

Ci affidiamo pertanto allo zelo di Lei, Signor Cardinale, perchè imponga assolutamente a tutti i Parroci della città quest' obbligo; e sicuri che tutti accetteranno con animo ossequente l'ingiunzione, impartiamo di cuore a Lei Signor Cardinale, e ai dilettissimi Parroci l'Apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 12 gennaio 1905.

PIUS PP. X.

VI.

Pius X hypogei Cassinensis ornatum summa laude commendat.

Dilecto Filio Laurentio Janssens, Sacerdoti Benedictino, Collegii Anselmiani Moderatori.

PIUS PAPA X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Quae afferuntur ad Nos de ornatu pernobili, quo Cassinense Benedicti et Scholasticae hypogeum excolitur, ea quidem uti pergrata nobis sunt, ita commendationem Nostram peculiarem postulant. Etenim in hoc opere non solum pietas placet filiorum Sanctissimo Parenti eiusque innocentissimae sorori honorem tribuentium iustum ac debitum, verum etiam cultiorum ex variis gentibus voluntas hominum, memoriam viri, ob immortalia ipsius promerita, summae venerationis testimonio prosequentium. Accedit huc maxima quaedam eiusdem operis opportunitas. Nam quibus temporibus tanta in invidia sunt Religiosorum Ordines, eorumque instituta ut noxia aut inutilia civili societati traduci solent, optime cadit ut hominum oculos animosque ad se convertat Cassinense Coenobium, vetustissimum illud humanitatis et artium domicilium; atque ab oblivione multorum revocetur ille Monachorum in Occidente Pater cui, magnam partem, hunc suum civilem cultum Europa debet; et appareat, ingeniorum sollertiam haudquaquam in alumnis eius diuturnitate defecisse. Itaque te, dilecte fili, caeterosque eruditos viros qui, te praeside, rem adeo vestro Ordini et Ecclesiae honorificam curant, libenter ornamus laude, eamque simul tributam volumus sodalibus illis tuis, qui magistro, uti intelligimus, dilecto filio, Desiderio Lenz, in re exequenda artificio quodam utuntur, mire in effingenda mystica idoneo; ita ut dignitati et personae et loci egregie satisfaciant. Uti autem bene posita sunt initia, sic sperandum est, fore ut caetera consequantur, adiuvante diligentiam operamque vestram bonorum liberalitate. Interea divinae opis auspicem et benevolentiae Nostrae singularis testem tibi, dilecte fili, aliisque quos supra memoravimus, item omnibus, qui coepta vestra aliquid conferendo promoveant, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die V Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

VII.

Indulg. conceduntur Sodalibus Pii Operis a Maria Immaculata nuncupati.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut ad Nos relatum, Parisiis canonice erectum extet pium Opus a Maria Immaculata nuncupatum, cuius sodales ex utroque sexu iam per universum fere terrarum orbem diffusi, piis precibus mulierum ethnicarum, haereticarum vel schismaticarum ad veram fidem conversionem procurare student; Nos, ut tam frugiferum opus sacro indulgentiarum praesidio potiora capiat, Deo favente, incrementa, de omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis fidelibus ex utroque sexu in dictam societatem nunc et in posterum ubique terrarum adlectis, qui vere poenitentes ac confessi ac S. Communione refecti, festivitate Immaculatae Conceptionis Beatae Mariae Virginis aut uno quo cuique eorum libeat e septem diebus continuis immediate sequentibus, unoque alio per annum die similiter pro uniuscuiusque sodalis arbitrio eligendo, singulis annis devote ecclesiam quamlibet sive publicum oratorium visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae pias ad Deum preces effuderint, quo praefatorum die id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Insuper dictis memorati pii Operis sodalibus nunc et in posterum pariter ubique terrarum existentibus, quoties lingua latina, vel alio quocumque idiomate, dummodo versio sit fidelis, corde saltem contrito recitent antiphonam quae incipit *Salve Regina*, toties trecentos dies de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Quas omnes et singulas indulgentias, peccatorum remissiones et poenitentiarum relaxationem etiam animabus fidelium in purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut, praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae praemunitis, eadem prorsus adhibeatur fides, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae; utque derogatae sint aliae quaevis indulgentiae dicto pio Operi alias forte concessae, prout per praesentes apostolica auctoritate derogamus.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die XXI Iunii MCMIV, Pontificatus Nostri anno primo.

Pro D.no Card. Macchi,
N. Marini.

VIII.

Templum extructum Hierosolymis in honorem S. Stephani Protom. erigitur in Basilicam Minorem.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Divino sane accidit consilio, ut nostris hisce temporibus, extructo Hierosolymis a Fratribus Ordinis Praedicatorum Coenobio (in quo decessoris Nostri Leonis PP. XIII recolendae memoriae auctoritate Studiorum Biblicorum publica schola constituta est) continens eidem templum construere molientibus, ipsa pervetusta eo loco in lucem prodierint fundamenta celeberrimae olim Basilicae, ab Eudoxia Imperatrice S. Stephani Protomartyris cultui et reliquiis munifice condendis, aedificatae. Eo enim loco, qui creditur esse locus martyrii S. Stephani, sacrum Stephani Corpus diu requievit; sed labentibus annis, et praedives illa Basilica a Chosroe Persarum Rege vastata fuit igniqne tradita, et Oratorium a Crucesignatis ibidem erectum, paulo post a Saracenis eversum ac solo aequatum est. Quamobrem impensius nova aedes sacra super eiusmodi fundamenta consurgens, tum molis amplitudine, cum pulchris architecturae operibus praecellens extructa est, Deoque in honorem Sancti Ipsius Protomartyris anno sacri Iubilaei millesimo nongentesimo solemni ritu consecrata ac dicata feliciter. Haec animo reputans dilectus filius hodiernus Hierosolymitani ipsius Coenobii prior, una cum suis religiosis sodalibus, Nos enixis precibus rogavit, ut novum templum S. Stephani Protomartyris ad Basilicae Minoris dignitatem evehere dignaremur; Nosque quo pristinae celebritatis loci, novae sacrae aedi aliquid reddatur, his votis annuendum libenti quidem animo existimavimus. Quae cum ita sint, amplissimis quoque suffragiis permoti et Venerabilis Fratris Patriarchae Hierosolymitani, et dilecti filii Procuratoris Ordinis Praedicatorum Generalis, omnes et singulos quibus hae Nostrae Litterae favent a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si qua forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra Auctoritate praesentium vi novam Hierosolymitanam Ecclesiam Sancti Stephani Protomartyris, titulo ac dignitate Basilicae cohonestamus; cunctis privilegiis atque honorificentiis eidem attributis, quae Minoribus Almae huius Urbis Basilicis de iure competunt. Decernentes praesentes Litteras firmas, validas, et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum esse et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die X Iunii MDCCCCIV, Pontificatus Nostri anno primo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

IX.

Pius X gratulatur de mox cogendo Conventu, Argentinae, circa cantum Gregorianum.

Dilecto Filio Petro Wagner, Doctori Decuriali in Lyceo Magno Friburgensi et generalis conventus studiosorum cantus Gregoriani moderatori.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quemadmodum servari praecepta gaudemus quae fidelium utilitati subinde damus, ita nunciato a te conventu delectamur, in quem studiosi Gregoriani concentus viri ex omni populo confluent, hac una vehementer permoti re, ut quae Nos de Musica Sacra monuimus, ad usum fideliter adducantur. Coetum autem et frequentem coniici futurum et e viris coaliturum censeri, qui non modo musicae peritiam artis, sed etiam, id quod magni in re sacra interest, pietatem sensumque alte teneant christianae fidei, valde profecto laetamur, capimusque inde argumentum explorati faustique exitus certum. At illud uberiorem Nobis fructum e laboribus vestris portendit, deliberatum vobis esse non modo voluntatem erga avitum Ecclesiae Romanae cantum admovere atque excitare verbis, sed exempla etiam, adiuvandae praxi perutilia, ob oculos ponere, unde probe ac rite possint studiosi perspicere, quantum et artis et elegantiae et religionis in servandis musicae sacrae praeceptis insit. Animatis egregie vobis multam sese ac facilem impertiat gratia divina illudque ex alacritate vestra eliciat optatissimum commodum, ut ea demum existat in catholico orbe voluntas, praeceptis de sacro concentu Nostris parere diligenter. Tibi interea praecipuam benevolentiam testamur, auspicemque munerum coelestium tibi atque universis, qui in memoratum coetum se conferent, Benedictionem Apostolicam peramanter in Domino impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII Ianuarii, anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

X.

Pius X Arcadicum Coetum de Urbe benevolenti animo prosequitur.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Litterarum studia, quae valde humanitati conferunt, excoli atque provehi Nobis pergratum est. Quamobrem Academicorum coetum cui praees, quem Decessores Nostri benigne semper habuerunt, Nos quoque benevolenti animo prosequimur. Tibi autem laudi vertimus, quod, temporum utilitati prospiciens, ad litterarum exercitationes tractationes publicas accedere volueris, quibus et religio et civile bonum promoveretur. Perge igitur, qua datur via, de religione et litteris mereri bene. Nostrae vero charitatis testem Apostolicam Benedictionem habeto, quam tibi et collegis tuis universis amanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die XIII Februarii Anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

XI.

Die 12 Dec. 1904 Pius X alloquitur Epos praesentes in Urbe solemniis quinquagenariis Immacu'atae B. M. V. Conceptionis.

Venerabili fratelli,

Io avrei voluto ricevervi ad uno ad uno, in udienza particolare, e parlare a ciascuno di voi *os ad os.* Ma in mezzo ad una tale affluenza — voi medesimi lo riconoscerete — il mio desiderio, per quanto fosse ardente, non poteva essere soddisfatto. Del resto la maggior parte di voi desidera rientrare nelle proprie diocesi, ed in ciò merita tutta la mia approvazione; poichè nulla è più dolce ad un Padre, che di trovarsi in mezzo ai suoi figli, specialmente alla vigilia della santa solennità del Natale. Ricevete adunque adesso i miei ringraziamenti, per aver risposto al mio invito e, colla vostra presenza, resi più solenni sia la festa di Maria Immacolata, sia la canonizzazione dei nuovi santi Alessandro Sauli e Gerardo Maiella.

Ricevete nello stesso tempo il saluto affettuoso di Colui che si sente per voi padre e fratello. Congedandovi, io vi lascio come addio le parole dell'Apostolo: *Gaudium meum et corona mea!* Sì, voi siete la mia gioia! perchè chiamati a dividere con me le fatiche apostoliche, nel governo della Chiesa di Gesù Cristo, io aspetto da voi, a giusto titolo, la più generosa e più efficace collaborazione. Voi siete la mia corona! perchè le virtù che brillano in voi, aumentano lo splendore della dignità della quale il Signore ha voluto rivestirmi, nonostante la pochezza del mio merito.

I tempi si fanno difficili e dolorosi per la Chiesa cattolica: non turbiamoci. Sulla terra la Chiesa è militante: a noi l'essere i capitani che conducono le milizie al combattimento. Non abbiamo noi, come potente incoraggiamento, la certezza della vittoria? Davanti ai nostri occhi sono sempre queste divine parole: *Non veni pacem mittere sed gladium. Si me persequuti sunt, et vos persequentur. Sed confidite, ego vici mundum.*

Se noi sappiamo essere, per la dottrina, la luce del mondo; per i nostri esempî, il sale della terra; se in una parola noi facciamo valere come un tesoro, ciò che S. Paolo raccomandava ai suoi discepoli, Tito e Timoteo, cioè primo la santità e la perfezione della vita, secondo il vigore della dottrina, terzo lo spirito di abnegazione e di sacrificio, quarto lo zelo attivo ed illuminato, quinto la carità forte e dolce ad un tempo, noi ci concilieremo l'amore e la venerazione dei buoni, la stima e il rispetto dei nostri stessi nemici.

In quest' opera difficile sia nostro sostegno l'amorosa Provvidenza di Colui che inviando i proprî apostoli per il mondo come agnelli in mezzo ai lupi, li rassicurò e li esortò a non temere di nulla, persuasi che egli si terrebbe sempre allato a loro: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi.*

D'altra parte la difficoltà dell'opera, posta a confronto delle nostre povere forze, ci porterà a considerarci sempre come strumenti inutili nelle mani del Signore, ed a ricorrere a Lui nelle nostre più grandi necessità. Egli ci esaudirà e così ci farà ripetere: *Omnia possum in eo qui me confortat.* Io non vi faccio, venerabili fratelli, che una sola raccomandazione: vegliate sui Seminarî e sugli aspiranti al sacerdozio; voi lo sapete: troppo spira sul mondo un soffio d'indipendenza mortifero per le anime, e questa indipendenza si è introdotta anche nel santuario; indipendenza non solo riguardo all'autorità, ma altresì riguardo alla dottrina. Ne deriva che alcuni dei nostri giovani chierici, animati da questo spirito di critica senza freni che domina oggidì, giungono a perdere ogni rispetto per la scienza derivata dai nostri grandi Maestri, dai Padri e Dottori della Chiesa, interpreti della dottrina rivelata. Se mai aveste nei Seminarî uno di questi sapienti di nuovo conio, liberatevene prestamente, ed a nessun costo imponetegli le mani. Voi ve ne ripentirete sempre di averlo ordinato, non fosse che uno solo; non mai di averlo escluso.

Rientrando nelle vostre diocesi, voi direte ai vostri fedeli che il Santo Padre li benedice tutti di cuore e si raccomanda alle loro preghiere. Ognuno di voi, il giorno festivo che crederà opportuno, potrà dare solennemente al popolo la benedizione papale coll' indulgenza plenaria per coloro che si saranno confessati e comunicati. Ch' essa vi accompagni durante il vostro viaggio, questa benedizione che io dò a tutti voi con uno speciale affetto, nel nome del Padre, del Figliuolo e dello Spirito Santo.

PIUS PP. X.

E SACRA CONGREGATIONE CONSISTORIALIS

CLAVAREN.

Ecclesia Cathedralis erecta Clavarii in honorem B. M. V. de Horto, in Basilicam Minorem erigitur.

Inter aedes augustae Dei Genitrici in Liguria dicatas ea sane memoratu digna est quae Clavarii existit Beatae Virgini ab Horto nuncupata sacrae. Ut quaedam de templi huius historia commemoremus, eius initia ad exitum saeculi decimiquinti sunt referenda, ad annum nempe MCCCCXCIII, quo, exitiali morbo Clavarium depopulante, pia quaedam Clavarensis foemina, quae in tam ingenti discrimine B. Virginis opem enixe imploraverat, eius imaginem in cuiusdam horti pariete iuxta publicam viam pingendam curavit. Pia fidelium erga huiusmodi imaginem religio, anno praesertim MDXXVIII singulari quadam ratione emicuit. Cum enim eo anno lues iterum per urbem grassaretur, id factum est, ut Clavarensis populus ad Deiparae de Horto simulacrum certatim accurreret, atque, altari eidem dicato, benignissimae Matris patrocinium vehementi pietatis ardore imploraret. Tunc autem fideles beneficiorum fama permoti, quae a Deo, B. Virginis de Horto deprecatione, accepta referebantur, quotidie frequentiores ad eam pie devoteque accederent, sacellum in eius honorem conditum est, quod brevi, novis additis molitionibus, in satis amplum tem-

plum crevit. Precantium votis praesens adfuit Regina caelestis, adeo ut, percrebrescente in dies Deiparae de Horto gloria, eam anno MDCXLV urbis Clavarii praesides ac finitimorum pagorum magistratus, cunctis plaudentibus, in caelestem civitatis ac totius Clavarensis regionis Praestitem delegerint, atque Vaticanum Capitulum sacram Imaginem aurea corona donandam decreverit.

Recentiori aetate Deiparae de Horto templum, novis extructis operibus, ex integro fere renovatum est, ita sane ut molis magnitudine atque ornatus magnificentia praecipuis Italiae templis in Dei Genitricis honorem dicatis merito comparari queat. Inter perspicui nominis opifices, qui in sacra aede suis laboribus nobilitanda certarunt, digni sane qui memorentur sunt Baratta et Pucci, quorum alter presbyterii et absidis cameras, alter vero eas, quae a latere sunt cellarum pinxit. Frons quoque templi ab imis fundamentis restituta est, eidemque aedi sacrae felici molitione advecta, ex Clavarensium voto, quod anno MDCCCXXXV B. Mariae Virginis ope a pestifera lue servati essent incolumes; frons eadem clarissimi Poletti architecti romani opus, bis centum et amplius libellarum millibus in id a Clavarensi populo collatis. Templi huius splendori ac magnificentiae aliud etiam aetate hac nostra feliciter accessit, ex quo eiusdem nobilitas ac dignitas quam maxime aucta est. Siquidem anno MDCCCXCII B. Mariae Virginis de Horto templum per litteras Apostolicas tertio nonas Decembres datas, quarum initium *Romani Pontifices* in Cathedrale noviter erectae dioecesis Clavarensis a Leone f. r. PP. XIII constitutum est (1).

Neque aetatum decursu Clavarensium civium aliarumque finitimarum civitatum fidelium spectata erga Deiparam de Horto religio deferbuit, quod vel ex eo maxime elucet, quod in sacra ipsa aede quinquaginta fere fidelium millia quotannis ad Sacram Synaxim accedant, et quinque fere Missarum millia in ea celebrentur. Templa insuper non pauca in eiusdem Deiparae de Horto honorem tum in pluribus Italiae civitatibus, tum in America Meridionali, Sanctimonialium opera, quae filiarum B. Mariae Virginis de Horto titulo gloriantur, tum demum in Palaestina erecta sunt.

Cum itaque R. P. D. Fortunatus Vinelli Clavarensis Episcopus occasionem nactus quod proxime quinquagesima anniversaria dies feliciter redit, ex quo Immaculata Dei Genitricis Conceptio sollemniter declarata est, iis, quae supra relata sunt, expositis, suo et Cathedralis Capituli nomine, SS.mo D. N. Pio PP. X humiles admoverit preces, ut in memoriam faustissimi eventus, quo universus christianus orbis laetatur, memoratam aedem B. Mariae Virgini de Horto sacram ad Cathedralis templi dignitatem a f. r. Praedecessore evectam, Basilicae minoris titulo condecorare vellet, idem SS.mus Dominus Noster, me referente infrascripto Sacrae Congregationis negociis consistorialibus expediendis praepositae Substituto, rebus omnibus matura deliberatione perpensis, attentis expositis, quo Clavarensium pietas erga caelestem eorum Praestitem magis ac magis foveatur, Episcopi Clavarensis votis benigne adnuendum censuit.

Quare quod bonum faustum felixque sit, et Dei gloriae et Beatissimae eius Matri honori benevertat, Sanctitas Sua omnes et singulos, quibus praesens decretum favet, a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis, quovis modo vel quavis de causa a iure vel ab homine latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutos fore censens, supradictam aedem B. Mariae Virgini de Horto Clavarii sacram de Apostolicae potestatis plenitudine in Basilicam minorem erexit et instituit, ita ut ipsa in posterum Basilica minor in perpetuum nuncupari possit et sit, cum omnibus et singulis honoribus, privilegiis, iuribus, praerogativis et gratiis, quibus aliae minores Basilicae utuntur, fruuntur et gaudent; in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque, mandavitque hisce super rebus hoc edi consistoriale decretum, perinde valiturum ac si super praemissis Litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem committi voluit eidem Clavarensi Antistiti, et decretum ipsum inter Acta referri mandavit Sacrae huius Congregationis Consistorialis.

Datum Romae hac die 27 Novembris anno Domini MCMIV.

Pro R. P. D. Secretario
IULIUS GRAZIOLI, *Substitutus.*

L. ✠ S.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. V, p. 446.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 25 Februarii 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. BENEVENTANA. — Adscriptionis ad clerum. — R. *Ad instantiam sacerdotis Speranza non expedire; et ad mentem.*

II. DE POUZO ALEGRE. — Dubiorum circa oratoria privata. — R. *Dilata.*

III. BREDANEN. — Dubiorum super eleemosynis missarum. — R. *Attentis omnibus ad 1um et 3um Consuetudinem sustineri. Ad 2um Non sustineri et ad mentem.*

B. — In folio.

I. PARISIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

II. MONTIS ALBANI. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. TRECEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

IV. ROMANA. — Spolii seu redintegrationis. — R. *Sententiam esse infirmandam.*

V. ALBEN. — Remotionis a paroecia. — *R. Ad 1um Affirmative. Ad 2um Affirmative assignata pensione libellarum 500, quarum tercentae super redditibus paroeciae, ducentae ex redditibus enunciati pii Operis pro parochis, donec aliter provideatur.*

VI. OSTUNEN. — Redintegrationis in officio et solutionum. — R. *Ad 1um Negative. Ad 2um et 3um Dilata et ad mentem.*

VII. ALBIEN. — Translationis a paroecia. — R. *Attentis omnibus affirmative, proviso utroque parocho de alio beneficio aut de congrua pensione aequivalenti.*

A. — Per Summaria precum.

3939/4 I.

Beneventana. — Adscriptionis ad Clerum.

Propter rationes in folio enumeratas, non admittitur, in casu, recursus Sac. N. saecularizati, postulantis executionem Decreti propriae adscriptionis ad Clerum N.; sed alia statuitur provisio iuxta mentem conferenda.

Sacerdos Alphonsus Speranza, domo vulgo Gildone, Beneventanae dioecesis, qui iam antea de Fratrum Minorum familia fuerat, ex Pontificio rescripto, diei 21 Februarii 1899 saecularizationem perpetuam obtinuit, atque, quamvis in actis saecularizationis Boianensi dioecesi adscriptus fuisset, decreto Vicarii Generalis E.mi S. R. E. Cardinalis Dell'Olio, die 10 Iunii 1901 adscriptus, adnumeratus et aggregatus fuit cum omnibus iuribus, oneribus, et pertinentiis, Clero oppidi Gildonis, non obstante istius Cleri contrario voto.

At in executione huic decreto danda, magna exorta est difficultas. Clerus enim Gildonensis epistolam, die 17 Iunii eiusdem anni, ad Archiepiscopum misit, qua factam aggregationem non acceptabat et valde contra emissum decretum conquerebatur. Qua de re Archiepiscopus, ut prudentiae consuleret, decreti executionem differendam censuit, quod, epistola 28 Iunii 1901, Rev.do Speranza notum fecit, promittens tamen, opportunas dispositiones in posterum se daturum.

Ex tunc Rev.dus Speranza, nunquam apud Ordinarium instare destitit, ut mandata tandem darentur ad decreti executionem. At frustra, nam tum E.mus Cardinalis, Archiepiscopus, tum sede vacante Vicarius Capitularis, ad huiusmodi instantiis satisfaciendum adduci non potuerunt. Nec aliter opinari videtur novus Archiepiscopus, qui de controversia edoctus voluit ut fideliter servarentur mandata Vicarii Capitularis, donec definitiva sententia emittatur. Quam agendi rationem sibi adhibendam esse putat, ut maiora scandala evitentur, quae facile sequerentur ex cleri oppositione. Eo enim ista oppositio processit, ut Clerus ecclesiam ac sacras functiones desereret, quoties illis Speranza interveniat. Rebus sic stantibus, Sacerd. Speranza apud H. S. C. recursum interponit, enixe efflagitans ut sua iura tueri dignetur, et opportune consulat, ut obtentum *incardinationis* decretum executioni tandem mandetur. Hucusque, ille ob cleri oppositionem in sua patria nec sacrum ministerium, neque munus praedicandi exercere potuit, ita ut alio confugere debeat si suae legitimae et honestae substentationi providere velit. At hoc magis magisque in dies onerosum illi evadit, atque progressu temporis fere impossibile erit, cum iam septuagesimum aetatis suae annum attigerit.

In primis quaedam, ut ita dicam, praeliminaris quaestio proponi posset, utrum nempe, admitti possit contra decretum Ordinarii, quo clericus alicui Ecclesiae adscriptus fuerit, cleri oppositio, atque utrum tanta vis huic oppositioni tribuenda sit, ut decreti iam emissi executio suspendatur, aliis verbis, an possit decretum superioris auctoritatis, infirmari per subditorum oppositionem. Si abstracte et tantum theorice res consideretur, difficilis non esset responsio, sed fere omnino evidens, cum abunde constet inter omnes, decreta nonnisi ab ipsa auctoritate quae ea protulit, vel ab alia auctoritate legitime superiore, reformari posse, eorumque executionem nullo modo suspendi posse per subditorum reluctantiam vel protestationes; aliter actum esset de auctoritatis principio. In concreto tamen, res non ita de plano procedunt; plures enim, in executionis actu dantur circumstantiae. Atque nonnullae exoriri possunt difficultates, quibus praevisis, fortasse decretum ne emissum quidem fuisset. Quae cum eveniant, nemo est quin videat, quanta prudentia et cautela adhibenda sit. In istis casibus optime fieri potest, ut magis expediat decreti executionem ad aliud tempus differre, praesertim si spes affulgeat, facilius cunctando exortas difficultates resolvendas fore. Semper tamen cavendum est ne subditorum petulantiae superior cedere videatur, ne quid detrimenti eius auctoritas patiatur. Quod periculum difficile evitaret, si subditi non remissive sed arroganter, violenter, neque ullo iuris ordine servato, agerent contra aliquod Ordinarii decretum.

Haec satis communia et nimis trita principia fortasse ad rem sufficerent; sed cum nimis generice dicta videri possint, quaestionem specificam aggredi praestat, quae ex proposita facti specie exurgit. Inquirendum igitur est, an saltem aliquo iuridico fundamento nitatur oppositio cleri Gildonensis contra decretum Archiepiscopi Beneventani. Et primo intuitu responsio negativa magis obvia videtur. Vix enim apparet ratio dubitandi, curnam Religiosus, qui rescriptum perpetuae saecularizationis a Sede Apostolica obtinuerit, nequeat clero saeculari adscribi, eiusque privilegiis frui, nec non lucrorum particeps fieri. Non pigeat haec pauca recolere. Vi indulti pontificii quo perpetua saecularizatio, ex gravibus causis, conceditur, religiosus etiam solemniter professus in perpetuum solvitur a vinculo cum religione inito (S. C. Ep. et Reg. 15 Maii 1840, et alias). Dimisso habitu regulari, extra claustra vivere potest, firmis tamen manentibus votis in religione emissis, quae semper quantum in novo statu fieri poterit, in suo robore remanent, et quoad substantialia observari debent. Conditiones et effectus saecularizationis cum desumi nequeant ex notione generali, eas oportet colligi ex rescripto pontificio. At quidquid de caeteris sit conditionibus, certum hoc est, ex praxi communiter et constanter recepta, huiusmodi rescripta non concedi nisi prius religiosus, Episcopum benevolum invenerit, qui in sua dioecesi eum recipiat suumque subditum faciat. Unde rescriptum perpetuae saecularizationis necessario praesupponit actum Episcopi quo religiosus alicui dioecesi incardinatus fuerit. Insuper in huiusmodi rescriptis semper continetur clausula, qua iniungitur religioso saecularizato ut omnimode in vim etiam solemnis obedientiae voti, subsit iurisdictioni Ordinarii, in cuius territorio illum immorari contigerit. Unde patet religiosum saecularizatum fieri subditum Episcopi receptoris, si non strictiori saltem eodem modo quo caeteri clerici, atque Episcopum in eum omnes suae iurisdictionis actus exercere posse non minus ac in reliquum suae dioecesis clerum. Episcopus autem ut Ecclesiae utilitati et bono animarum consulat, permittere nequit ne sacerdotes quos ipse pro Ecclesiae necessitate vel utilitate, sibi assumpsit, incertis vagentur sedibus, sed iuxta Conc. Trid *Sess. XXIII, Cap. XVI de ref.*, Ecclesiae vel pio loco illos adscribere debet, ubi illi suis fungantur muneribus. Haec disciplina, quam sapientissime sacra synodus statuit nunquam immutata, vel relaxata fuit, quinimo pluries a Summis Pontificibus confirmata, uti videre licet etiam in *Syn. Dioec Bened. XIV, l. IX, cap. II, n. 13*, in qua praecipitur ut, quoties incardinatio haec ab antecessoribus omissa fuerit:

« omissio illa suppleatur, per novam ac generalem clericorum omnium adscriptionem ad ecclesiarum ministeria »; et post haec prosequitur: « Nihil impedimenti afferre potest aut introducta disciplina beneficiorum simplicium, aut recepta consuetudo ordinandi clericos ad titulum patrimonii. Numquid enim beneficium simplex, aut patrimonium, exemptionem alicui tribuere potest ut... peculiaris ecclesiae ministeriis adscribi, eique inservire nequeat ». Quae postrema verba accuratius animadvertenda sunt. At ne in rebus fere evidentibus immorari videar, ita sermonem breviter perstringi posse duco: Religiosus per rescriptum saecularizationis fruitur ex sacris canonibus, relate ad Dioecesim, in qua receptus fuit, eadem prorsus conditione ac clerus dioecesanus. Odinarius ius habet et onus omnes clericos adscribendi alicui Ecclesiae: ergo et saecularizatus religiosus potest et debet adscribi; exinde cum nequeat admitti oppositio cleri contra adscriptionem alicuius clerici dioecesani, ita a pari, neque contra religiosi saecularizati adscriptionem.

E contra, iuxta Conc. Trid. supra relatum, cum nullus debeat ordinari qui non sit utilis et necessarius Ecclesiae, ita et a pari viderentur non posse accipi et adscribi qui superflui existimantur. Sed difficultas proposita statim evanescit; si expendatur quod hoc iudicium ad Ordinarium tantummodo reservatur, qui unus iudex in hac re habendus est.

Quod si non admittitûr oppositio ex parte cleri contra religiosi saecularizati adscriptionem, neque contra illius ius *emolumenta adventitia* percipiendi admitti posse videtur. Omnibus enim notum est illud: « Qui altari inservit, de altari vivere debet ». Si quis igitur a legitima auctoritate Ecclesiae adscriptus fuerit, ut illius servitio operam det et parocho in suo munere fungendo coadiuvet, aequum est ut ommodum aliquod una cum oneribus persentiat.

Dubium fortasse in hac re oriri poterit, si sermo sit de llis Ecclesiis receptitiis quae quodam particulari iure regi videbantur et quarum non parvus extabat numerus annis anteactis in Italia meridionali. Earum natura ita describitur a Salzano in opere cui titulus: *Lezioni di Diritto Ecclesiastico, vol. II, p. 174.* « Receptitiae dicuntur Ecclesiae, quae a fidelium pietate ditatae congruos habebant redditus distribuendos *pro rata* unicuique eorum, qui illarum servitio addicti erant. Aliae erant numeratae, aliae innumeratae, prouti determinatum clericorum numerum recipiebant, vel omnem illius loci clerum. Summus Pontifex Pius VII per Breve *Impensa*, diei 13 Aug. 1819 quoad ipsas inter alia haec statuit, adscribi posse et de redditibus participare illos tantummodo clericos et sacerdotes qui pietate et doctrina ab Ordinariis digni reperirentur. Omnes tamen, qui hanc adscriptionem peterent, examen subire teneri coram Ordinario vel eius delegatis, quo peracto, et quatenus digni habiti essent, ad fructus percipiendos admitti posse ». Ex quo patet, non omnibus Ecclesiis receptitiis indifferenter quemquam adscribere licere. Unaquaeque autem Ecclesia sua particularia statuta habebat, quorum observantiae mordicus invigilabat clerus, ita ut non semel magnae de hac re extiterint controversiae, uti constat e. g. ex una *Castrimaris* agitata in H. S. C. die 25 Maii 1895 (1) in qua Clerus Ordinario sese opposuit, qui sententiam favorabilem dederat adscriptioni cuiusdam presbyteri, ad Metropolitanum Surrentinum recursum interponens.

Attenta igitur natura Ecclesiae receptitiae, non tam facile videtur sustineri posse adscriptio alicuius religiosi saecularizati de qua in casu, et multo minus illius ius ad emolumenta percipienda. At distinctio aliqua fieri oportet, nempe duplex in huiusmodi Ecclesiis distinguenda est adscriptio, *participantium* una, *non participantium* altera. Quidquid de prima sit, altera nullo iure particulari impediri potest, cum iure communi expresse praecipiatur, uti iam supra ostensum est. Item dubitari nequit quin etiam *non participantes* ad lucra adventitia ius habeant. Ultro conceditur emolumenta quae ex redditibus certis et fixis derivantur ad participantes spectare, sed nonnisi per summam iniuriam denegari possunt adventitia illis clericis qui rite a legitima auctoritate Ecclesiae adscripti fuerunt. Mens enim fidelium qui functiones committunt profecto ea est, ut eleemosynae quas offerunt dividantur inter omnes clericos qui functioni inserviant. Caeterum, hoc ius non participantibus, non semel confirmatum est etiam auctoritatis civilis decreto. Haec sane leguntur in litteris Ministerialibus Episcopo Tricaricensi datis 11 April. 1835: « Sul dubbio proposto da V. S. Ill.ma « e Rev.ma col rapporto del dì 17 novembre prossimo passato anno, se i Preti *extra* numero delle Chiese Ricettizie, « già definitivamente approvate, debbano godere degli emo- « lumenti avventizi, chiamati così distribuzioni quotidiane; « la Commissione dei Vescovi ha portato avviso che quante « volte i Preti *extra* numero vengano chiamati a far parte « col Clero incardinato, debbono questi godere dei proventi « avventizi; che sono strettamente presi, l'esequie, le messe « non provenienti da rendite, le votive litanie; giacchè per « le distribuzioni quotidiane che sono sempre parti della « massa, nei luoghi ove non vi è prebenda, debbano essere « sole dei participanti aggregati, e su di esse appunto cade « la puntatura pei mancanti » *(Collezione degli atti emanati dopo il Concordato del 1818, vol. VII, pag. 4)*. Item aliae litterae ministeriales diei 15 Sept. 1841 eadem habent: « La « Commissione dei Vescovi ha portato avviso che gli *extra* « *partecipanti* della Chiesa Ricettizia di Chiaromonte deb- « bono percepire dalla distribuzione degli avventizi, mentre « eglino, abbenchè non godano della partecipazione, pure non « cessano di essere col fatto incardinati alla Chiesa in pa- « rola e, nel caso, non mancano di prestare il loro perso- « nale servizio » *(l. c., vol. IX, pag. 59)*.

Ex istis omnibus, concludere licet, etiam cum agatur de ecclesiis receptitiis, si quis legitime clero adscriptus fuerit, adventitia emolumenta percipiendi cum iure donari, et pro nihilo faciendam quamcumque oppositionem. Quae conclusio si admittatur, oppositio cleri Gildonensis contra Sac. Speranza irrationabilis dicenda videtur, atque ab Episcopo coërcenda, quod nullo iuridico fundamento nitatur.

E contra, cum bonum totius communitatis privati hominis utilitati anteponendum sit, cumque ad maiora vitanda mala, prudentiae interdum magis quam stricto iuri consulere oporteat, omnibus attentis in casu, forte rescripto, *non expedire*, preces oratoris viderentur esse dimittendae. Orator enim natura et ingenio nimis difficilem se praebet, ita ut eius societas aliis gravosa et fere intolerabilis evadat. Toto fere anno insuper ille alio pergit ut docendi munere magis lucroso fungatur, et hinc nonnisi paucis rusticationis mensibus, Ecclesiae servitio addici poterit. Quamobrem, cum adscriptionis onera adimplere non valeat, immerito eius commoda repetere satagit: eoque fortius decreti executio differenda videtur ob scandala quae timeri possunt ex cleri oppositione et quanta cum fidelium animarum iactura, nemo est qui non videat.

Addi etiam posset, quod Sac. Speranza non dioecesi Beneventanae sed dioecesi Boianensi in decreto saecularizationis adscriptus fuit. Unde ex ipso suo titulo saecularizationis a limine actionis repellendus esset. Denique si quis subtilius rem rimari vellet, opponere posset quod haec adscriptio rationem aliquam beneficii habet: et religiosus saecularizatus, nisi praevio novo et speciali indulto Apostolico, beneficium

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. III, p. 203.

assequi prohibetur: ideoque in casu Sac. Speranza cum hoc indulto careat, participationem obtinere non posset.

His pro meo officio in utramque partem adnotatis, quid in casu decernere magis expediat EE. VV. pro sueta prudentia ac sapientia iudicabunt.

Quare, etc.

Emi Patres rescripserunt: *Ad instantiam sacerdotis Speranza non expedire; et ad mentem.*

780/5 II.

Bredanen. -- Dubiorum super eleemosynis Missarum.

Epus Bredanen. tria dubia proposuit circa commutationem et retentionem partialem eleemosynarum missarum. Consuetudo exposita, in duobus casibus sustineri posse declarata fuit; in tertio vero casu, non fuit probata, iuxta mentem.

Anno proxime elapso S. Congregatio de Propaganda Fide ad H. S. C., pro opportuna solutione, tria infrascripta dubia circa missarum eleemosynam, ab Episcopo Bredanensi in Hollandia proposita, transmisit, quae ita se habent:

« 1.° In dioecesi Vicarii (adiutores parochorum) in domo « parochi tamquam eius familiares degunt communi utentes « victu. Parochis pro Vicarii victu et servitio salarium mo« dicum ex Ecclesiae redditibus solvitur, quod ferendis his « expensis impar est. Unde consuetudine introductum est ut, « pro victu et servitio Vicarii, parochis in cumulo cedant « fructus missarum pinguiorum et Vicariis tribuatur sti« pendium ordinarium missae lectae, unius floreni. In hoc « casu stipendii ordinarii augmentum solvitur parocho pro « victu et servitio, ita tamen ut ex stipendiis pinguioribus « non plus retineatur quam honesta compensatio postulat.

« 2.° Ad providendum honestae suae sustentationi, parochi « in pluribus dioecesis locis missas non in determinata ec« clesia fundatas, anniversaria necnon alias missas manuales, « quae per annum a fidelibus offeruntur quaeque parochi « eorumve Vicarii celebrare nequeunt, e suggestu publicant « et alibi celebrari curant retenta sibi parte stipendii pro « administratione et publicatione. Ita v. g. pro missis, quae « ad S. Congregationem quovis mense mittuntur ad f. 0,60, « a fidelibus saepe offertur stipendium unius floreni. Quoad « missas fundatas et anniversaria, quae per annum offe« runtur, haec praxis fere communis est ac populo haud « raro nota. Quoad alias missas manuales hic usus solummodo « viget in parochiis ubi cum consensu Ordinarii e suggestu « publicatum est partem stipendii, nisi fideles obstent, re« tentum iri pro sustentatione parochi missasque aliis sa« cerdotibus dicendas traditum iri.

« 3.° Una alterave adest parochia, ubi Vicarii omnes fere « missas ad intentionem parochi celebrare debent, qui eis « praestet victum et servitium, dum ipsi ex aerario ecclesiae « determinatam obtinent pensionem.

« Dubitatur num triplex haec consuetudo a decreto S. C. « Concilii diei 11 Maii 1904 *De observandis etc.* sit re« probata (1) ».

Quibus ut faciam satis, nonnulla generalia principia praemittere necessarium duco, antequam ad ipsam quaestionem intimius rimandam accedatur.

Eleemosynae missarum seu missae, ut communiter dici solet, aliae sunt manuales, et aliae fundatae. Missae manuales, quae vocantur etiam casuales vel adventitiae, sunt illae quae a fidelibus veluti ad manum exhibentur, uti patet ex praecitato decreto.

Missae fundatae, quae dicuntur etiam perpetuae, sunt illae quae vel beneficiis adnexae vel in aliqua ecclesia constitutae reperiuntur; quaeque proinde in primo casu obtinentur in titulum, non autem in secundo casu. Notandum tamen est dari missas, quae natura sua sunt fundatae, sed ratione celebrationis ad instar manualium merito habentur. Et sunt illae, quae aut de iure seu ex natura sua, aut cum S. Sedis indulto separari possunt a beneficio vel ab ecclesia; ideoque si in propria ecclesia vel a proprio beneficiario hac illave de causa applicari non possunt, aliis sacerdotibus traduntur ut iisdem satisfiat.

Nulla quaestio adest circa missas stricte et inseparabiliter fundatas, quae a suis titularibus celebrari debent. Nec pariter quaestio ulla instituenda est circa alias missas fundatas beneficiis adnexas, sed quae aliis sacerdotibus celebrandae traduntur, quum H. S. C. in supra citato Decreto aperte declaret ac statuat: « eleemosynam non aliam (*vide« licet non minorem*) esse debere, quam synodalem loci in « quo beneficia sunt erecta », non autem loci seu dioecesis illius sacerdotis cui conceduntur, uti non pauci auctores antea docuerunt. Ratio vero praesentis dispositionis in eo reponenda est, quod in beneficii redditibus, praeter missae celebrandae taxam, etiam beneficiarii emolumentum pro eiusdem sustentatione computatur.

Sermo igitur coarctandus est ad missas manuales, necnon ad missas quae ad instar manualium celebrantur, quaeque in paroeciis aliisque ecclesiis sunt fundatae, quin in titulum conferantur.

Pro quibus heic operae pretium duco referre quae ad propositam rem per citatum decretum statuuntur: « Vetitum « cuique omnino esse missarum obligationes et ipsarum eleemo« synas a fidelibus vel locis piis acceptas tradere bibliopolis et « mercatoribus, diariorum et ephemeridum administratoribus, « etiamsi religiosi viri sint, nec non venditoribus sacrorum « utensilium et indumentorum, quamvis pia et religiosa in« stituta, et generatim quibuslibet, etiam ecclesiasticis viris, « qui missas requirant, non taxative ut eas celebrent sive « per se sive per sacerdotes sibi subditos, sed ob alium « quemlibet, quamvis optimum, finem. Constitit enim id « effici non posse nisi aliquod commercii genus cum elee« mosynis missarum agendo, aut eleemosynas ipsas immi« nuendo: quod utrumque omnino praecaveri debere S. Con« gregatio censuit. Quapropter in posterum quilibet hanc « legem violare praesumpserit aut scienter tradendo missas « ut supra, aut eas acceptando, praeter grave peccatum « quod patrabit, in poenas infra statutas incurret.

« Iuxta ea quae in superiore articulo constituta sunt de« cernitur, pro missis manualibus stipem a fidelibus assi« gnatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio ad« nexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam « iuxta sequentes articulos propriam, nunquam separari « posse a missae celebratione, *neque in alias res commu« tari aut imminui,* sed celebranti ex integro et in specie « sua esse tradendam, sublatis declarationibus, indultis, pri« vilegiis, rescriptis sive perpetuis sive ad tempus, ubivis, « quovis titulo, forma vel a qualibet auctoritate concessis « et huic legi contrariis.

« Ideoque libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res « vendere aut emere, et associationes (uti vocant) cum « diariis et ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse « atque omnino prohiberi. Hoc autem valere non modo « si agatur de missis celebrandis, sed etiam si de cele« bratis, quoties id in usum et habitudinem cedat et in sub« sidium alicuius commercii vergat...

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 202.

« Pro missis vero in paroeciis aliisque ecclesiis fundatis « eleemosynam, quae tribuitur, non aliam esse debere quam « quae in fundatione vel in successivo reductionis indulto « reperitur in perpetuum taxata, salvis tamen semper iuribus, « si quae sint, legitime recognitis sive pro fabricis ecclesia- « rum, sive pro earum rectoribus, iuxta declarationes a « S. C. exhibitas in *Monacen.* 25 Iulii 1874 et *Hildesien.* « 21 Ianuarii 1898 ».

Noto quod iam alias anteactis temporibus Sedes Apostolica, ut turpe lucrum ac mercimonium quoad missas removeretur, plura ediderat decreta, uti primum videre est in Conc. Trid. (*Sess. 22, decr. de observ. et evit. in celebr. missae*); decretum *Cum saepe* Urbani VIII ab H. S. C. latum die 21 Iunii 1625; aliud decretum *Nuper* Innocentii XII ab eadem S. C. emanatum die 22 Nov. 1697; Const. *Quanta cura* Benedicti XIV diei 30 Iunii 1841; Bullam *Apostolicae Sedis* Pii IX 12 Octobris 1869; decretum *Vigilanti studio* H. S. C. diei 14 Maii 1893, et alia responsa (1).

Quibus praehabitis, ad primum dubium ab Episcopo Bredanensi propositum videtur esse respondendum, consuetudinem parochorum eiusdem dioecesis, retinendi videlicet augmentum stipendii ordinarii missae pro victu et servitio Vicariorum, sustineri non posse ad tramitem Decreti *De observandis.* Verba enim huiusce decreti clara sunt; decernitur enim: « pro missis manualibus stipem a fidelibus as- « signatam, et pro missis fundatis aut alicui beneficio ad- « nexis (quae ad instar manualium celebrantur) eleemosynam « iuxta sequentes articulos propriam, nunquam separari « posse a missae celebratione, neque in alias res commutari « aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua « esse tradendam... »; et pauló infra: « pro missis vero in « paroeciis aliisque ecclesiis fundatis eleemosynam, quae « tribuitur, non aliam esse debere quam quae in funda- « tione vel in successivo reductionis indulto reperitur in « perpetuum taxata... ».

Uti patet, stipendium missae ab eiusdem celebratione separari nequit, nec cum aliis rebus commutari, aut imminui valet, sed integrum et quidem in specie sua sacerdoti celebranti tradendum praecipitur. Hinc eo ipso est prohibita quaelibet conventio sive expressa, sive tacita, cuius vi etiam stipendii pars, quamvis ordinariam taxam excedens separetur a celebratione missae, atque commutetur cum victu et servitio, prout evenit in casu proposito. Mens enim H. S. C. fuit ut quodcumque « commercii genus cum eleemosynis missarum » vitaretur, atque « eleemosynae ipsae » non imminuerentur. Quod vel ex eo apparet quod, dum S. H. C. per decretum diei *9 Sept. 1874* in responso ad *dub. VI*, permisit pro missis celebratis recipi posse « stipendii loco libros vel alias merces, seclusa quavis negotiationis vel turpis lucri specie », hodie huiusmodi concessioni penitus derogatum est, sive de missis celebratis, sive de celebrandis agatur.

Quae omnia ex mox dicendis etiam magis elucescunt.

Nec aliud profecto quoad secundum dubium responsum dandum videtur, nempe parochis licitum non esse sibi retinere partem stipendii pro missis sive manualibus sive instar manualium, quas aliis sacerdotibus celebrandas committunt. Etenim iam pluries citatum Decretum H. S. C. praecise statuit missae eleemosynam non posse « imminui, sed celebranti ex integro... esse tradendam ». Haec autem praescriptio non est nova, sed a pluribus Summis Pontificibus saepius inculcata fuit, adeo ut regula generalis invaluerit, nempe quando missae aliis sacerdotibus litandae committuntur, integram quoque eleemosynam tradendam esse, ac nullam eiusdem partem retineri posse. Patuit enim perniciosissimus abusus circa commissionem missarum celebrandarum aliis sacerdotibus dandam, aliquid retinendo vel resecando de stipendio pro iisdem missis assignato. Hinc est quod S. H. C. a. 1625, approbante Urbano VIII, ita decrevit: « Omne damnabile lucrum ab ecclesia removere « volens prohibet sacerdoti, qui missam suscipit celebran- « dam cum certa eleemosyna, ne eamdem missam alteri « parte eiusdem eleemosynae sibi retenta, celebrandam com- « mittat ». Cumque quaesitum fuisset ab eadem S. C. die 23 Dec. 1697, num decretum huiusmodi applicari deberet etiam: « quando offertur eleemosyna maior solita pro cele- « bratione missae » responsum prodiit: « Deberi (a commit- « tente celebrationem) absolute integram eleemosynam tribui « sacerdoti celebranti, nec ullam illius partem sibi retineri « posse ». Cfr. Bulla *Cum saepe* Urbani VIII et altera *Nuper* Innocentii XII. Praeterea Benedictus XIV Bulla *Quanta cura* addit: « Non posse alteri sacerdoti missam « huiusmodi *(commissam)* celebraturo stipendium seu elee- « mosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti missam « celebranti et consentienti se maioris pretii stipendium seu « eleemosynam accepisse indicasset ».

Quinimo S. H. C. die 23 Dec. 1697 decrevit: « Permit- « tendum non esse ut ecclesiae ac loca pia se illorum admi- « nistratores ex eleemosynis missarum celebrandarum ullam « utcumque minimam portionem retineant ratione expen- « sarum, quas subeunt in missarum celebratione, nisi cum « ecclesiae et loca pia alios non habent redditus, quos in « usum earumdem expensarum erogare licite possint; et « tunc quam portionem retinebunt, nullatenus debere exce- « dere valorem expensarum quae pro ipsomet tantum missae « sacrificio necessario sunt subeundae ». Unusquisque igitur facile intelligit quid sit sentiendum de parochis in themate, qui dimidiam eleemosynae partem pro suis necessitatibus et commodis, nullis vel fere nullis expensis contractis, sibi retinere licitum putant.

Ratio autem prohibitionis videtur peti posse ex ipsa natura rei; nam, ut disserit Pignatelli (*Cons. can., tom. IV, cons. 227, n. 8 et 9*): « Retinens sibi partem stipendii non « habet iustum titulum retinendi, et ideo laedit eum, in « quem transfert onus celebrandi missas, ac eum a quo « accepit stipendium. Quia cum recipiens stipendium ipsum « non acquirat, nisi ratione obligationis ad offerendum sa- « crificium, tamquam cum ipsa adnexum, eo ipso, quod ab- « dicat a se obligationem, abdicat titulum retinendi stipen- « dium, et retinendo facit contra voluntatem eius qui dedit. « Siquidem destinavit pro sustentatione celebrantis et non « pro lucro alterius.... Fit *(iniuria)* celebranti, quia in tan- « tum voluntarie accipit stipendium diminutum, in quantum « non potest habere integrum ad quod habet ius, tamquam « adnexum obligationi celebrandi. Fit petenti missam, quia « stipendium non datur ei, cui ex illius voluntate est desti- « natum ».

Quin obiiciatur cum Bordonio (*Cons. Regul., resol. 25, n. 28*), quod retinendo partem eleemosynae nemini infertur damnum; non illi pro quo est celebrandum, quia aeque missa celebratur; non celebranti, quia voluntarie accipit stipendium; aut cum Suaresio, (*in part. III. D. Thomae, disp. 86, sect. 3, n. 7*) docente, sacerdotem qui primo accipit stipendium, statim acquirere dominium illius sub obligatione dicendi missam, ac proinde posse libere contractam obligationem vel per se vel per alium implere, modo huic iustum stipendium concedat. Nam inprimis respondit S. Alphonsus (*Lib. VI, n. 322*): « Sacerdotem celebrantem non « aliter acquirere dominium eleemosynae, nisi iuxta volun- « tatem dantis, qui non solum vult ut missa celebretur, sed « ut celebretur tali stipendio; cum enim pinguem tradit

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 270.

« stipem, ea intentione dat, ut uberiorem fructum ex missa « celebranda percipiat: hinc sequitur ut qui tradito minori « stipendio, per alium celebrare facit, peccet contra iusti- « tiam; non quia defraudat fructu missae dantem eleemo- « synam, sed quia non exequitur dantis intentionem, qui « vult ut illa missa unde percipit fructum tali modo cele- « bretur ».

Praeterea sacerdos, qui commissam recipit celebrationem missae, potest quidem totam eleemosynam vel eiusdem partem aut excessum condonare; sed hoc fieri debet omnino libere et sponte, non vero, ut ait De Lugo (*De sacr. Eucharistiae, disp. 21, n. 32*): « ex metu aliquo, quia fortasse « alias non darentur sibi illae missae, vel in futurum sibi « non dabuntur, vel quid simile », adeoque sacerdos nec de hoc rogatus nec interrogatus esse debet. Caeterum « res est « periculo plena », ut recte concludit Lega (*Prael. iur. can., vol. 4, p. 14, n. 10*).

Hucusque enucleatis accedit etiam resolutio H. S. C. diei 21 Nov. 1898, in qua decernitur non licere sacra colligere eaque aliis litanda tradere, emolumento, quod ex aeris permutatione provenit, sibi retento, quamvis sacerdos colligens retineat hoc lucrum sive pro impensis quae tot sacris colligendis distribuendisque necessariae sunt, sive pro damnis, quae subire cogitur, cum stipendia sacerdotibus litantibus debita exigere nequeat.

In themate autem parochi non solum nullam expensam pro missis colligendis faciunt, nullumque damnum accipiunt, sed nihil laboris impendunt.

Adest quidem publicatio missarum ex suggestu peracta a parochis, at haec publicatio videtur esse supervacanea et inutilis. Sane fundatores missarum perpetuarum et anniversariorum ut plurimum inter praesentes non recensentur; neque ipsi missarum manualium oblatores sponte et libere condonare parochis dimidiam eleemosynae partem praesumi possunt. Caeterum nihil prohibet quominus haec publicatio omittatur, quum a iure non praecipiatur. Et etiamsi haec omnia dentur, nunquam admitti potest ut parochi pro simplici missarum publicatione falcidiam ineant super stipendio missarum. Pauci enim oboli pro dicta publicatione, pro administratione atque expensis transmissionis sufficiunt.

Neque dicti parochi pro sua defensione afferre valent alios titulos celebrationi extrinsecos, uti ex Episcopi relatione liquet, quibus a retentione stipendii missae excusare se queant. Ad summum in medium adduci posset paupertas ipsorum parochorum; sed haec nunquam recognita fuit ab Ecclesia vel a Doctoribus uti causa sufficiens retinendi partem eleemosynae.

Neque item iuvari possunt responso Benedicti XIV per S. Poenitentiariam die 6 April. 1742 dato, quo declaratum fuit prohibitione contenta in Bulla *Quanta cura*, retinendi nempe excessum taxae ordinariae eleemosynae non comprehendi Hollandiam ibi: « sub haereticorum vel infidelium « iugo nulla adsunt beneficia ecclesiastica seu certi redditus « ad vitae sustentationem, pastoribus et missionariis catho- « licis dari solent pinguia missarum stipendia et eleemo- « synae pro earumdem missarum celebratione, ut ex ipsis « stipendiis et eleemosynis sustentationem recipiant in de- « fectum, ut supra, beneficiorum, sive certorum redditaum « ecclesiasticorum ».

Nam inprimis habetur ipsa voluntas offerentium, qui pinguia stipendia sacerdotibus tradebant pro eorum sustentatione; hinc praeter titulum celebrationi intrinsecum, adest etiam extrinsecus, ac proinde praefati sacerdotes licite poterant sibi retinere excessum eleemosynae.

Praeterea Benedictus XIV fortasse intendit concedere indultum, attentis locorum circumstantiis. Modo autem, praeterquamquod in Hollandia res in melius mutatae sunt, atque proinde non verificatur amplius titulus celebrationi extrinsecus a fidelibus recognitus, expendi quoque potest per praefatum decretum *De observandis*, revocata fuisse omnia privilegia et indulta in antecessum concessa.

Hinc si Episcopus Orator necessarium ducat indultum hac in re, illud postulare poterit a Sancta Sede, quae concedet vel negabit, prout in Domino melius expedire iudicaverit.

Tertium et ultimum dubium primo est valde affine, quinimo aliquid deterius continet; hinc argumenta supra adducta a fortiori heic valere possunt et ratio est, quia in primo dubio Vicarii parochorum percipiunt taxam saltem synodalem missae celebratae; dum e contra heic nullum stipendium percipiunt. Praeterea, si non licet commutare aliquam partem eleemosynae in alias res, eo magis illicitum erit integram eleemosynam cum victu et servitio permutare.

Nec officit pensio, quae ex redditibus ecclesiae tribuitur Vicariis; nam praeterquamquod ipsa exigua reputanda est, certe nunquam missae stipendium adaequabit. Profecto res melius se habebit, si pensio solvatur a parochis, et Vicariis eorum tribuatur propria eleemosyna missae.

Ex altera vero parte haec, quae sequuntur, adnotanda censeo. Relate ad primum dubium non videretur absolute esse damnanda praxis, vi cuius parochi dioeceseos Bredanensis licitum putant retinere augmentum stipendii ordinarii pro victu et servitio Vicariorum. Revera decreti *De observandis* prohibitio non est complexiva omnium casuum, sed tantum relativa ad nonnullos uti patet ex dictione « iuxta « sequentes articulos », quemadmodum in textu legitur. Hi autem casus recensentur per sequentia decreti verba: « Ideo- « que libros, sacra utensilia vel quaslibet alias res vendere « aut emere, et associationes (uti vocant) cum diariis et « ephemeridibus inire ope missarum, nefas esse atque om- « nino prohiberi ». Et paulo antea idem decretum ita decernit: « Vetitum cuique omnino esse missarum obligationes « et ipsarum eleemosynas a fidelibus vel locis piis acceptas « tradere bibliopolis et mercatoribus, diariorum et epheme- « ridum administratoribus, etiamsi religiosi viri sint, nec « non venditoribus sacrorum utensilium et indumentorum, « quamvis pia et religiosa instituta, et generatim quibuslibet, « etiam ecclesiasticis viris, qui missas requirant, non taxa- « tive ut eas celebrent sive per se sive per sacerdotes sibi « subditos, sed ob alium quemlibet, quamvis optimum fi- « nem ».

Iamvero, uti patet ex verbis modo relatis, asseri non immerito potest prohibitionem coarctatam tantummodo esse ad bibliopolas, mercatores, diariorum et ephemeridum administratores aliosque, qui ob finem a celebratione diversum missas requirant; at nullimode ea praetendi valet ad omnes indiscriminatim, qui, utpote non pertinentes ad praedictorum classem, una alterave vice missas sacerdotibus celebrandas tradere, earumque eleemosynam cum aliis rebus commutare solent. Quin imo id neque ipsis bibliopolis, mercatoribus, etc., illicitum existimarem, si aliquas habentes missas celebrandas pro suis defunctis, eas tradant sacerdotibus, interim peragendo commutationem eleemosynae cum propriis libris vel aliis rebus. Mens enim S. Congregationis fuit prohibere turpe lucrum et commercium, non autem hunc vel illum casum, in quo omnis commercii species abest: eodem ferme modo, quo clericis prohibita est negotiatio necnon commercium in genere, et tamen nemo negat posse clericos licite hunc vel illum commercii vel negotiationis actum peragere.

Et haec interpretatio sequentibus decreti verbis respondet: « Hoc autem valere non modo si agatur de missis cele- « brandis, sed etiam si de celebratis, quoties id in usum et « habitudinem cedat et in subsidium alicuius commercii « vergat ».

Atqui in themate non agitur nec de bibliopolis nec de mercatoribus, etc., sed tantum de parochis, qui excessum stipendii missae permutant cum victu et servitio Vicariorum, neque hoc dici potest vergere in commercii subsidium.

Accedit quod non integra eleemosyna sed dumtaxat augmentum stipendii super ordinarium taxatum commutatur pro victu et servitio Vicariorum, dum vera et proprie dicta eleemosyna cedit celebrantibus missam. Iamvero iuxta S. Alphonsum *(Lib. VI, n. 321)*: « Qui pecuniam ab alio accipit ut pro illo celebret, aut fieri curet, per se loquendo « potest curare missam per alium bonum sacerdotem dici, « minus dando quam accepit ».

In themate autem non datur minus, sed pro excessu eleemosynae datur victus Vicariis, qui proinde integram eleemosynam cum adnexo excessu percipere dicendi sunt.

Neque praetereundum duco quod idem S. Doctor l. c. tradit, nempe aliquando hunc eleemosynae excessum offerri non tam intuitu missae, quam potius amicitiae, paupertatis, grati animi ergo, quo casu sacerdos hoc eleemosynae augmentum retinere valet, dando sacerdoti celebranti eleemosynam ordinariam; neque hoc in themate evenire improbabile est, cum agatur de locis missionum uti in Hollandia.

Demum heic referre praestat resolutionem S. H. C. Concilii, in una *Trevirensi* diei 11 Maii 1888 quae in proposito dubio: « Utrum licita sit conventio, qua sive expresse « sive tacite inter aliquos parochos vicariosque statuitur, ut « pro commodiore victu vicariis concedendo, parochis cedant « in cumulo fructus fundationum pinguiorum, et vicariis « tribuatur stipendium ab Ordinario taxatum » probavit huiusmodi conventionem, declarans ipsam « non comprehendi sub Const. *Quanta cura* Benedicti XIV, quum non « verificetur damnabile lucrum ex parte parochorum, et ex « altera parte vicarii celebrantes integram tandem eleemo« synam accipiant ». Hic casus non longe distat a praesenti ideoque eadem valere debet resolutio.

Notanda tamen est unica differentia, in eo posita quod in *Trevirensi* agitur « de commodiori victu vicariis concedendo », dum, in themate sermo instituitur tantummodo de victu sufficienti et simpliciter necessario Vicariis tradendo. « Parochis enim, ut notat Episcopus in sua relatione, pro « Vicarii victu et servitio salarium modicum ex Ecclesiae « redditibus solvitur »; et infra « ita tamen ut ex stipendiis « pinguioribus non plus retineatur *(a parochis)* quam ho« nesta compensatio postulat ».

Quoad secundam quaestionem, item animadverto quod non videtur interdictum parochis ut in casu sibi retinere possint partem stipendii missarum, quas alibi celebrari curant, pro administratione et publicatione. Etenim licet adsit regula generalis, vi cuius integra missarum eleemosyna celebrantibus tradenda sit, tamen fieri possunt plures exceptiones huic regulae. Quae exceptiones tunc locum habent quando, praeter titulum celebrationi intrinsecum, habentur alii tituli ipsi celebrationi extrinseci. Tunc enim retineri licitum est aliquid ex eleemosynis missarum, ut communis fert Doctorum sententia, praeeunte S. Alphonso (*Lib. VI, n. 321*), qui inter titulos extrinsecos recensent liberam et spontaneam sacerdotis celebrantis condonationem vel amicitiam, paupertatem, grati animi sensum sacerdoti retinenti partem eleemosynae, ius parochiale seu stolae, beneficium, capellaniam vel legatum, etc. Item si quis in procurandis seu colligendis eleemosynis missarum pro aliis sacerdotibus quasi ex munere deputatus est, potest moderatam mercedem sui laboris retinere vel exigere, si secus labor vere mercedem mereatur. Cfr. S. Alphonsus (*Lib. 6, l. c.*); D'Annibale (*Summ. Theol. mor., ed. II, vol. 3, n. 497, p. 369*); Lehmkuhl (*Theol. mor., vol. II, n. 204, p. 151, ed. X*); Gasparri (*De Eucharistia, vol. I, p. 445, n. 609*). Qui postremus addit: « Illum vero, « qui eleemosynas missarum habuit et ad alium celebrandas « mittit, posse retinere expensas necessarias pro expeditione, « evidens est ».

Nunc age: parochi in casu explent officium publicandi e pulpito missas non celebratas, quasque Romam quolibet mense mittunt; hinc aliquam mercedem merentur ac proinde licite sibi aliquid ex eleemosynis missarum retinent. Item ad aliquam mercedem ius habent sive pro harum missarum administratione, sive pro labore, sive etiam pro expensis librorum, etc. Et expensae expeditionis sunt quoque computandae, quia parochi in casu cogi non possunt ad supplendum de proprio praedictis expensis.

Insuper ut exponit Episcopus, « quoad missas fundatas et « anniversaria, quae per annum offeruntur, haec praxis... po« pulo haud raro nota est »: proinde quidam offerentium consensus heic praesumendus est. Eo vel magis quod etiam consensus, saltem tacitus, praesumendus est sacerdotum celebrantium, qui certe suas lamentationes non edunt, imo data eleemosyna contenti sunt. Quoad alias missas manuales, veluti ipse Episcopus narrat, obtinetur expressus fidelium consensus, quia e suggestu publicatur: « Partem stipendii, « nisi fideles obstent, retentum iri pro sustentatione parochi « missasque aliis sacerdotibus dicendas traditum iri ». Ergo parochi in casu inquietandi non videntur.

Demum quod ad tertium quaesitum spectat, licitam esse praxim in dioecesi Bredanensi inductam, probari videtur ex argumentis superius allatis in responsione ad primum quaesitum, quae plus minusve heic repeti possunt. In casu enim non agitur de turpi lucro aut venali mercimonio, sed dumtaxat de expressa vel saltem tacita conventione, vi cuius parochi recipiunt eleemosynam missarum suis Vicariis celebratarum, sed iisdem dant victum et servitium, necnon quamdam pensionem ex ecclesiae aerario solvendam curant. Unde, omnibus pensatis, forte Vicarii maius stipendium recipere veniunt, quam si missarum eleemosynam in specie sua haberent. Caeterum vigilantiae Episcopi spectat ita res componere ut huiusmodi conventio inter limites iusti et aequi contineatur.

Quare etc.

Responsum fuit: *Attentis omnibus ad 1um et 3um consuetudinem sustineri. Ad 2um non sustineri et ad mentem.*

359/4

B. — In Folio.

Albien. — Translationis a paroecia.

In hoc singulari casu, duo parochi amovibiles, omnino inviti et absque causa stricte canonica, fuerant a parochia translati. Nihilominus Emi Patres edixerunt translationem ab Ordinario peractam sustineri, proviso utroque parocho de alio beneficio aut de congrua pensione aequivalenti. Ratio videtur esse quod, quamvis Decretum Curiae non innitatur in *iuridica* causa sufficienti, tamen, propter bonum commune, et attenta civilis potestatis violentia, negotium videbatur aliter ab Ordinario *practice* componi non posse.

Occasione *electionum politicarum* habitarum in *Gallia* mense Maio anni 1902, Rev.mus Archiepiscopus Albiensis, cum timeret ne sacerdotes suae dioecesis imprudenter aliquo cum discrimine agerent, nonnulla eisdem dedit moderationis consilia, in littera pastorali mense Aprili scripta. His parochi aliqui videntur non undequaque obtemperavisse, et

inter hos in primis sacerdos Henricus Carel, parochus ecclesiae *Castelnau de Lévis*, aliique duodecim, inter quos Paulinus Cadars, parochus ecclesiae *Mouzieys:* qui omnes suppressionem stipendii ex parte guber. ii civilis passi sunt.

Successivo mense Septembri, instante potestate civili pro remotione illorum parochorum a suis ecclesiis, Archiepiscopus clero ad exercitia spiritualia coadunato, publice promisit nullum istorum sacerdotum in aliam paroeciam se translaturum esse, nisi prius eorum obtento consensu. Et efformata pecuniaria subscriptione, ipse mille libellarum summam dedit ut necessitatibus spoliatorum obviam iret.

Interim Praefectus provinciae Archiepiscopo significavit, quod stipendium non restitueretur ne parochis quidem iam translatis, nisi et omnes alii in paroecias, et quidem inferioris notae mitterentur.

Frustra reclamavit Archiepiscopus contra vim sibi illatam. Dum id tantum obtinere valuit, ut donaretur pensio parochis iam translatis, pollicita fide caeteros omnes transferendi ante anni 1903 finem. Quod quidem spopondit, inconsultis quatuor parochis adhuc transferendis, et eos inter Henrico Carel et Paulino Cadars.

In his adiunctis et in adimplementum assumptae obligationis Archiepiscopus obtulit sac. Carel primum paroeciam S. Benedicti *Carmant*, seu *Mezens;* deinde illam loci *Labastide de Lèvis*, quae fere eiusdem ordinis est ac illa loci *Castelnau* a quo transferebatur. Sed eas omnes recusavit sac. Carel. Unde instante iam anni fine, sub die 27 Novembris 1903 Archiepiscopus non obstante oppositione sac. Carel decretum tulit quo hunc sacerdotem transferabat ad paroeciam *de Labastide:* dum in paroeciam *Castelnau* transferebat sac. Cadars. Sed uterque parere recusavit, et recursum interposuit ad Apostolicam Sedem, interim quidem se abstinendo a quolibet actu exercendo in paroeciis a quibus decreto Archiepiscopi translatus erat. Hinc origo praesentis controversiae.

Iamvero fatetur Archiepiscopus: « Je n'ignore, pas que « l'esprit du droit ecclésiastique est opposé à l'amovibilité « des prêtres qui ont charge d'âmes. Je me suis efforcé de « protéger mes desservants contre les rigueurs du pouvoir « civil ».

Sed nihilominus ad vindicandum suum remotionis decretum in primis notat ipsos parochos mandatis et consiliis Archiepiscopi obedire neglexisse. « En ce qui concerne « M. Carel, j'ai dit comment son esprit entier, son attache« ment à ses idées, ses relations avec les représentants de « la politique intransigeante de Droite, son opiniâtreté aveugle « l'ont empêché de comprendre les raisons pratiques, et en « même temps tout évangéliques, de notre modération et « de notre réserve, qui ont toujours trouvé en lui un cen« seur déclaré ».

Etenim ex actis magistratus publicae securitatis eruitur quod parochus Carel, e suggestu ante concionem, fidelibus commendavit ephemeridem « *La Croix du Tarn* », in qua aperte et violenter multa aderant contra gubernium et ipsum politicum candidatum Andrieu, cunctosque ad eamdem ephemeridem sumendam invitavit.

In homilia diei de parabola Boni Pastoris istiusmodi verbis usus est: « Il n'y a pas seulement des loups à quatre pattes, « il y en a aussi à deux ».

Demum etiamsi edicat parochus se facultatem haud dedisse pueris servitio missarum addictis, distribuendi praedictam ephemeridem ante ianuas Ecclesiae; de facto tamen, cum fateatur istos pueros chartas ex sacrario accepisse, et immediate post missae celebrationem distribuisse, videtur hoc effectum fuisse de consensu parochi, cui soli competit in Ecclesia praeesse.

Unde ait Episcopus: « Voici les deux griefs que j'ai à « relever contre M. Carel: désobéissance formelle en s'oc« cupant activement des élections presque dans l'exercice de « son ministère; indiscrétions compromettantes pour son « évêque et ses confrères au cours du conflit ». Quod si revera Archiepiscopus Praefecto provinciae scripsit: « J'estime « qu'on ne saurait sans injustice user de rigueur avec un « prêtre qui me paraît plutôt imprudent que coupable, et « dont l'attitude n'a laissé à désirer qu'en cette unique oc« casion », declarat tamen et explicat mentem suam, dicens voluisse primum « le défendre et l'excuser comme c'était « mon devoir d'évêque et de père. C'est pourquoi il y eut « dans toutes mes paroles et dans tous les écrits de mon « administration le souci évident d'atténuer ses torts. M. Carel « sait que je l'estimais et que je l'estime encore malgré ses « torts. Mais il savait aussi et il sait encore que je n'ap« prouvais pas son zèle imprudent, que je condamnais les « procédés employés par lui et quelques-uns de ses confrères « pour arriver à un chimérique succès sur le terrain poli« tique. Il savait qu'en agissant ainsi, il allait contre mes « sentiments, mes conseils et mes ordres ».

Dein Archiepiscopus suam agendi rationem confirmat ex particulari conditione facta clero gallico a lege concordataria. « Je n'ai pas à vous apprendre que le gouvernement « français se refuse à considérer comme inamovibles les « desservants »: qui licet vere parochi proprii declarandi sint, tamen cum inamovibilitate non gaudeant, in alias paroecias ex rationabili motivo transferri semper ab Episcopo possunt. « Il estime que l'évêque a le droit strict de les dé« placer lorsqu'un motif d'ordre public le demande. Non « seulement l'évêque en a le droit, mais aux yeux de l'Etat « il en a le devoir. Maître du traitement, l'Etat a le moyen « de faire sentir au prêtre sa dépendance; il a aussi le « moyen de la faire sentir à l'évêque, dont toute l'admi« nistration est placée sous son contrôle ».

Itaque ad arcenda pericula maioris exitii minus malum eligere oportebat.

Ast praeter hanc (ut ita dicam) extrinsecam seu publici ordinis causam, ad legitime transferendos duos parochos alia quoque aderat, et quidem proxima et localis. Ait enim Archiepiscopus: « Il ne me serait pas impossible à prouver « qu'un très grand nombre des fidèles, s'ils rendaient justice « à leur curé en raison de son honorabilité sacerdotale, « étaient fatigués, comme moi-même, de la forme qu'il don« nait à son zèle et blâmaient son prosélytisme politique... « M. Carel s'était attiré d'irréconciliables inimitiés. Il y fait « allusion dans son rapport.

« Les mêmes remarques, toutes proportions gardées, s'ap« pliquent à M. Cadars, qui fut il y à quelques années « l'objet d'une pétition tendant à obtenir son déplacement, « et dont le changement avait été projeté sous mon prédé« cesseur ».

In quarum confirmationem recolere iuvabit quod sac. Ludovicus Carel, parochi frater, petiit pro fratre suo ab Archiepiscopo capellaniam quamdam in civitate Albiensi loco paroeciae de Castelnau. Verum hodie contenditur Ludovicum hoc fecisse inconsulto fratre suo.

Denique prae oculis habenda quoque est (ait Archiepiscopus) nova quaedam ratio agendi civilis potestatis, iniusta quidem, sed non minus urgens et impellens ad decernendam duorum recurrentium translationem. Etenim plures parochi translati iam fuerant, ipsi quidem consentientes (et ita promissio Archiepiscopi publice facta servata plene erat); quando civilis auctoritas minata est ne translatis quidem stipendia se esse praestituram, nisi et caeteri transferrentur.

« J'estime – prosequitur Archiepiscopus – que cette si-

« tuation aussi poignante qu'imprévue ne laissait rien sub-
« sister des promesses faites dans des conditions tout autres, « et que mon premier devoir était de ne point sacrifier à « de vaines et abstraites théories les intérêts vitaux de mes « prêtres. C'est ce point de vue qui a prévalu, parce que je « le sentais seul réel, dans la détermination que j'ai prise « d'accepter la transaction proposée par le préfet. C'est à « ce point de vue, comme d'un devoir de solidarité sacer- « dotale, que je me suis placé pour demander à MM. Carel « et Cadars d'accepter un autre poste, dans des conditions « aussi honorables que possible ».

Revera pecuniae summa (12,000 libellarum) ope subscriptionis publicae collecta, per aliquod temporis spatium necessitatibus parochorum subvenire permisisset. Sed postea nulla alia aderat subventio, ait Archiepiscopus, quando pecunia ista consumpta fuisset. Hinc dum sola reluctantia sac. Carel efficiebat ut omnes translati parochi stipendio carerent, parvi profecto aestimanda erat eius declaratio de libenter sine stipendio in sua paroecia permanendi.

Unde concludit: « Si un évêque, sous le régime du Con- « cordat, n'a pas le droit de changer un prêtre succursa- « liste dans des conjonctures et des conditions semblables, « alors que de si graves et si multiples intérêts sont en- « gagés et que le sacrifice demandé avec une instance pa- « ternelle est adouci par tant de ménagements, il paraît « presque impossible d'administrer un diocèse. — Si l'on « veut rendre au clergé toute son autonomie, il faut dénoncer « le Concordat. Alors seront naturellement rétablies pour « les évêques, pour les prêtres, pour les fidèles eux-mêmes, « toutes les garanties du droit canonique. Mais, en attendant, « il faut que chacun sache compâtir aux maux de l'Eglise, « et surtout ne se dérober pas aux responsabilités de ses « propres fautes ».

Ex altera parte vero qui iura protuetur parochorum Carel et Cadars, sac. nempe Ludovicus Carel frater parochi de Castelnau, in primis laudat integritatem fidei et morum, ac zelum eorumdem parochorum: « Nous conservons dans la « meilleure place de notre cœur le souvenir impérissable de « celui qui pendant 29 ans s'est dévoué tout entier au bien « de la paroisse et que nous aurions voulu conserver à notre « tête jusqu'à son dernier soupir », testantur aediles de Castelnau ad Archiepiscopum. « Il était réellement pour « nous, ait Bousquet, praeses fabricae de Mouzieys, de pa- « rocho Cadars, ami, père, prêtre surtout; le zèle de la « maison du Seigneur consuma cet homme de Dieu et ce « zèle ne connut jamais de défaillance; il ne négligea aucune « occasion de faire resplendir à nos yeux la beauté de notre « sainte religion et de nous la faire aimer ». Quae vero Archiepiscopus sentiat de duorum parochorum zelo et pietate, nota adeo sunt ut supervacaneum videatur multa testimonia afferri.

Ad probandum autem defectum canonicarum rationum pro legitimitate remotionis, procurator sustinet neutrum parochorum sese male gessisse. Nam obiecta verba in Evangelii explicatione prolata neminem in concreto afficiebant. Pueri, ephemerides *La Croix* offerentes, vestes chorales iam dimiserant et non a parocho sed ab eius fratre illam missionem acceperant. Quoad Cadars nihil in actis invenitur, quod legitimare potuisset privationem stipendii ex parte Gubernii, nec ideo paroeciae remotionem ex parte Archiepiscopi. Addit ulterius quod in consilio archiepiscopali, ad solvendam hanc difficultatem, congregato, omnes iuxta testimonium Coitoure, tunc moderatoris maioris Seminarii et ipse consiliarius Archiepiscopi, declaraverunt nullam poenam incurrisse sacerdotem Carel. « Il est bien vrai que le fait « pour lequel vous avez été injustement frappé ne méritait « aucun blâme. Cette parole n'est pas de moi, mais d'un « vicaire général; elle a été dite en présence de Monseigneur « et en son conseil, dont j'étais l'un des membres. Tous l'ont « approuvée. Le pouvoir civil vous a néanmoins frappé et « vous a mis au nombre de ses trop nombreuses victimes ».

Et Vicarius generalis Segonzac scribit parocho de Castelnau: « Je m'en veux d'avoir été bien malgré moi mis en retard « pour vous exprimer mes sentiments de paternelle sym- « pathie à l'occasion de la mesure qui vient de vous priver « de votre traitement et de vous désigner ainsi à l'estime « de tous ceux qui ne vous connaissaient pas. — Ibant apo- « stoli gaudentes in conspectu consilii quoniam digni habiti « sunt pro nomine Iesu contumeliam pati. — Vous voilà of- « ficiellement mis au rang de ces généreux apôtres que la « haine de Jésus-Christ poursuivait au lendemain de la Pen- « tecôte. Je demande à Dieu de vous faire goûter comme « à ces illustres modèles ce gaudium intime d'une conscience « sacerdotale et vraiment apostolique qui sait qu'elle a sim- « plement fait son devoir ».

Promissionem factam ab Archiepiscopo de nemine removendo invito memorat defensor, argumentum ex eo desumens, quod nullus parochorum a gubernio spoliatorum realiter ab Ordinario culpabilis agnoscebatur.

Ideoque violentiam flagrantem gubernii civilis causam remotionis unicam indicat. Duos autem parochos mandatis Ordinarii sui obedire ultro dispositos esse; minime vero violentiam civilis potestatis in re ecclesiastica subire velle; seu verius violentiam deputati Andrieu, qui propter parvum numerum suffragiorum quae obtinuit in iis paroeciis magnam nactus est offensionem. Quin dicatur de votis nonnullorum qui syndicum loci adversantes ex parochorum translatione syndici quoque ruinam futuram sperant. Unde remotioni parochorum favent. Hi enim pauci sunt.

Quam maxima e contra pars populi duobus parochis favet. Unde subscriptio habetur pro parocho Carel ad gubernium directa, in qua haec verba leguntur: « Homme de conci- « liation, de concorde et de paix, il n'a jamais jeté la di- « vision parmi nous, ni en chaire, ni au dehors ». Ex 167 familiis, 160 interrogatae fuerunt: nulla dissensit, omnes de affectu erga parochum testatae sunt, et obsignaverunt petitionem supradictam: « Leur désir ardent, leur volonté est « que M. Carel reste à la tête de la paroisse, sa vie durant, « et puis qu'il repose au cimetière au milieu de nous ». Dum haec scribebat Calvière praeses fabricae praefecto Albiensi, eodem tempore Archiepiscopo declarabat: « Nous « voulons espérer que cette manifestation des sentiments « sincères et ardents des paroissiens de Castelnau ne sera « pas vaine et que nous n'aurons pas la douleur de nous « voir enlever un curé que nous estimons, que nous aimons « et que nous voulons absolument garder ». Et cum remotio facta fuisset: « Votre Grandeur ayant déclaré qu'elle n'avait « aucun reproche à faire à M. le Curé, celui-ci tenant à « rester et nous à la garder, il nous semblait qu'il était « impossible que M. Carel nous fût enlevé. La *Semaine re- « ligieuse* vient de nous apprendre que M. l'abbé Carel n'est « plus notre curé. Membres de la fabrique, interprètes auto- « risés des paroissiens, nous venons vous exprimer notre « étonnement et notre indignation. Ce qui nous déconcerte, « c'est que Votre Grandeur ait préféré faire plaisir à quel- « ques rares personnes qui se font gloire d'être ennemis de « Dieu et des curés, que de donner satisfaction à la popu- « lation catholique de Castelnau.... Nous conserverons dans « la meilleure place de notre cœur le souvenir impérissable « de celui qui pendant 29 ans s'est dévoué tout entier au « bien de la paroisse et que nous aurions voulu conserver « à notre tête jusqu'à son dernier soupir... Nous persistons

« à penser que ce n'est pas par de pareilles compromissions « qu'on peut espérer conserver l'esprit chrétien des paroisses « et encourager les catholiques à défendre leur foi et leurs « chefs ».

Haec omnia confirmat syndicus de Castelnau, et particulariter promissionem factam ab Archiepiscopo: « Sa Grandeur « m'a affirmé qu'elle n'avait aucun reproche à faire à « M. l'abbé Carel, mais qu'elle avait pris avec la préfecture « l'engagement de le changer ».

Pro parocho Cadars D.nus Bahuzac, consiliarius fabricae et municipalitatis de Mouzieys, haec ad S. C. scribebat: « Prêtre de règle et de dévouement, il s'était imposé à « l'estime et à la sympathie. La paroisse savait apprécier « ses rares qualités, son zèle bien compris et sa générosité.... Nous l'aimions et nous espérions le garder au mi- « lieu de nous de bien longues années encore. Loin de nous « la pensée d'une séparation que la mort seule pouvait « faire redouter ». Item, D.nus Bousquet, praeses fabricae: « ....la presque unanimité des habitants de Mouzieys recon- « nait le dévouement de son pasteur.... ». Et de remotione loquens: « Notre devoir est de protester contre une telle « infamie; notre devoir est de flétrir l'indigne et scélérate « conduite des persécuteurs; c'est de nous tourner vers la « noble victime sacerdotale pour la saluer avec regret et « avec amour, pour l'assurer de notre filial attachement, de « notre souvenir impérissable et adoucir ainsi l'amertume « dont ce cœur de prêtre a été abreuvé ».

Etenim ex eodem actu eruitur quod per undecim annos D.nus Cadars, pro ecclesiae et paroecianorum bono, nihil pepercerit. Picturas, altaria, imagines, viam Crucis, ornamenta refecit vel renovavit; missiones religiosis S. Benedicti curam pluries praedicandi dedit, exercitia spiritualia frequenter *provocavit*, fovendo pias associationes etc. Parochus vero Carel a 29 annis regebat ecclesiam de Castelnau. Promiserat suis fidelibus nunquam illos derelinquendi, et revera per tres vices propositus ad Decanatum, ter honorem istum recusavit; ipse quoque suas opes favore ecclesiae, coemeterii, domus parochialis usque ad plura millia libellarum impendit.

Hisce expositis rationibus, defensor postulat archiepiscopalis decreti revocationem; vel saltem pensionem annuam pro sac. Carel et Cadars aequivalentem stipendio et redditibus, quibus respective fruebantur in ecclesiis de Castelnau et de Mouzieys.

Sit itaque

DUBIUM.

An et quomodo decretum Archiepiscopi Albiensis diei 27 Novembris 1903, circa translationem parochorum Carel et Cadars, sustineatur in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Attentis omnibus, affirmative: proviso utroque parocho de alio beneficio aut de congrua pensione aequivalenti.*

Dubia circa interpretationem Decreti *Ut debita*, quoad missas manuales.

Beatissime Pater,

Episcopus Aliphanus humiliter petit solutionem sequentium dubiorum, quae sese referunt ad Decretum *Ut debita sollicitudine* editum a S. Congregatione Concilii die 11 Maii 1904 (1).

I. An Missae quae ex onere perpetuo inhaerente ecclesiae, monasterio, confraternitatibus, aut locis piis quibuscumque, sed in nulla Ecclesia sunt constitutae ita ut a quolibet sacerdote pro administratorum arbitrio ubivis applicari possint, accenseri debeant inter fundatas vel potius inter manuales ad effectum decreti?

II. An sacerdotes, quibus a rectoribus seu administratoribus Ecclesiarum committitur satisfactio unius aut plurium legatorum Missarum, in Ecclesia fundatorum, possint pro suo arbitrio committere earum Missarum celebrationem aliis sacerdotibus cum minori eleemosyna, etiam extra Ecclesiam propriam?

III. An sacerdotes fruentes capellaniis fundatis sive ecclesiasticis sive laicalibus possint aliis sacerdotibus Missas suarum capellaniarum celebrandas committere statuta eleemosyna pro suo arbitrio?

IV. An Episcopus possit sub censuris latae sententiae compellere sacerdotes, beneficiatos et administratores locorum piorum in fine cuiuslibet anni ad sibi tradendas Missas quibus infra annum non satisfecerint, et sub iisdem poenis illis prohibere ne mittant extra dioecesim?

Sacra Congregatio Concilii praedictis dubiis die 19 Decembris 1904 ita respondendum censuit:

Ad I. *Habendas esse ad instar manualium.*

Ad II. *Non posse.*

Ad III. *Negative et servandas esse dispositiones articuli XI decreti.*

Ad IV. *Contra transgressores articuli IV citati decreti Episcopum procedere posse in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris.*

VINCENTIUS Card. Episc. Praenestin., *Praef.*

C. De Lai, *Secretarius.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XII, p. 202.

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

I.

URSULINARUM.

Tolerari potest consuetudo ingrediendi clausuram pro monialium funeribus persolvendis.

Beatissimo Padre,

Nel monastero delle Suore Orsoline, di clausura papale, esistente nel borgo di Cannobio, nella diocesi alle mie cure affidata, vige la consuetudine, in occasione dei funerali delle Religiose, che il cappellano-confessore, con intervento di altri sacerdoti, compia entro del monastero le prescritte funzioni rituali. Non essendo tale pratica conforme alla disciplina regolare, l'attuale cappellano-confessore delle Religiose fece ultimamente giuste osservazioni in proposito; ond'è che a tranquillità delle coscienze e per la piena regolarità domanda a V. S. se io possa valermi della risposta data da cotesta S. Congregazione il 24 aprile 1903 (1) al Vescovo di Zamora nella Spagna, per continuare a per-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 414.

mettere l'uso fin qui praticato, tanto più che, a differenza della diocesi di Zamora, non si dà nel monastero di Cannobio alcuna refezione ai sacerdoti che intervengono alla mesta funzione; e per altra parte troppo incomodo tornerebbe alle Religiose di far portare i cadaveri delle defunte consorelle nella pubblica chiesa annessa al monastero, sia per la mancanza di sorelle Torriere atte a tale ufficio, sia per la difficoltà che presenta l'unico passaggio, stretto ed a doppio svolto, che dal monastero mette alla chiesa.

Qualora poi ciò non fosse in mio potere, umilmente supplico V. S., perchè in via di grazia voglia concedere per le Suore di Cannobio la sanzione del mentovato uso. Che, ecc.

Sacra Congregatio E.morum et Rev.morum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus in casu concernentibus, proposito dubio respondendum censuit, prout respondet: *Enunciatam consuetudinem tolerari posse.*

Romae, 12 Novembris 1904.

D. Card. FERRATA. *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secret.*

II.

TRINITARIORUM.

Circa admissionem novitiorum ad professionem, eorumve dimissionem, standum Decreto *Regulari disciplinae.*

Beatissime Pater,

In Constitutionibus Ordinis SS.mae Trinitatis Redemptionis Captivorum, cap. 42, p. 6, de approbationibus Novitiorum, n. 2, et 3 legitur:

« In anno approbationis Novitii ter proponantur Capitulo Conventuali, ut iudicet, an attentis eorum vita et moribus, digni sint, ut ad Professionem admittantur.... Post quartum mensem a receptione habitus proponantur prima vice Novitii dicto Capitulo, secunda post octavum, tertia post decimum mensem. Ut Novitius censeatur approbatus, debet habere maiorem partem suffragiorum secretorum; quod si eam non habuerit, statim habitu spolietur et modeste dimittatur. At semel approbatus a Capitulo, habitu non spolietur, nisi de consensu ipsius Capituli Conventualis; vel saltem consentientibus et convenientibus Ministro et Magistro et Patre Generali vel Provinciali ».

Usque modo observata fuit haec Constitutio tamquam non opposita Decreto Pii PP. IX diei 25 Ianuarii 1848 exordiente: *Regulari disciplinae.* Nunc vero cum exortum sit dubium, humillimus infrascriptus orator quaerit:

I. Utrum supradicta Constitutio eidem Decreto opponatur? Et quatenus *affirmative,*

II. Utrum ad dimittendos extra Ordinem Novitios ante decimum mensem a receptione habitus sufficiat consensus Ministri domus Novitiatus et Novitiorum Magistri, an insuper requiratur assensus Patris Generalis vel Provincialis?

Sacra Congregatio E.morum et Rev.morum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, omnibus mature perpensis, propositis dubiis respondendum esse censuit, prout respondet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. Standum esse Decreto *Regulari disciplinae* diei 25 Ianuarii 1848.

Romae, 25 Novembris 1904.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

RATISBONEN.

Omnes Sacerdotes celebrantes in ecclesia saeculari Regularibus ad tempus concredita, illius Calendarium sequi debent.

Plures in dioecesi Ratisbonensi existunt ecclesiae tum parochiales vel annexae, tum tales, quae a fidelibus peregrinationis causa pio animo frequentari solent, quae licet in possessionem Regularium haudquaquam transierint et a iurisdictione Ordinarii minime exemptae sint, ab Episcopo tamen sacerdotibus Regularibus ad tempus concreditae sunt, ut hi in iisdem functiones sacras peragant et fidelium curae per Verbi divini praeconium et administrationem sacramentorum ex officio deserviant.

Hinc expostulatum est a Sacra Rituum Congregatione: Utrum in praedictis ecclesiis etiam Episcopus et parochus parochiae saecularis eiusque vicarius atque beneficiatus propter beneficium ecclesiae canonice adscriptus in dicenda Missa se directorio Regularium accommodare teneantur?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audita sententia Commissionis Liturgicae reque mature perpensa, respondendum censuit: *Affirmative* iuxta Decreta n. 3862, *Urbis et Orbis*, 9 Decembris 1895 (1), et n. 4051, *Urbis*, 15 Decembris 1899, ad II (2).

Atque ita rescripsit et declaravit. Die 27 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ORDINIS S. BENEDICTI.

Sacerdos saecularis sequi debet calendarium ecclesiae regularis in qua celebrat, etiam habitualiter ex officio.

Hodiernus Caeremoniarum magister in monasterio Ordinis S. Benedicti ad S. Stephanum, Augustae Vindelicorum in

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. III, p. 490.
(2) *Item*, vol. VIII, p. 120.

Bavaria, ut omnia rite fiant, de consensu sui Rev.mi Abbatis a Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime expetivit; nimirum:

In Ecclesia S. Stephani, quae ante erectionem monasterii fuit ecclesia parochialis, ex pia dispositione et fundatione ultimi parochi, sacerdos saecularis qui est etiam beneficiatus vicinae ecclesiae S. Galli, Missam celebrare, fidelium confessiones excipere aliasque sacras functiones peragere debet. Quum vero ecclesia S. Stephani aliquot abhinc annis in possessionem monasterii legitime venerit, quaeritur: An praedictus sacerdos beneficiatus in celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio suum Kalendarium nempe dioecesanum sequi debeat, vel Kalendarium monasterii?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, attentis expositis una cum exquisita informatione Rev.mi D.ni Episcopi Augustan. Vindelicorum et suffragio Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum censuit: *Negative* ad primam partem; *Affirmative* ad secundam, iuxta Decreta n. 3862, *Urbis et Orbis*, 9 Decembris 1895 (1); n. 4051, *Urbis*, 15 Decembris 1899, ad II (2); et *Ratisbonen.* 27 Ianuarii 1905 (3). Atque ita rescripsit. Die 3 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III.

COMPOSTELLANA.

Toleratur consuetudo transferendi solemnitatem externam festi SS. Corporis Christi.

E.mus et Rev.mus D.nus Cardinalis Ioseph Maria Martin de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; videlicet:

In permultis paroeciis Archidioecesis S. Iacobi de Compostella, ex antiquissima consuetudine, festum SS.mi Corporis Christi non celebratur in proprio festivitatis die, sed in alio quocumque etiam feriato qui solet esse postridie festum Sancti Patroni vel post aliam solemnitatem loci, quibus diebus plures sacerdotes assistunt et parochiani, ut plurimum pauperes, minores sumptus faciunt. Hinc idem E.mus vir expostulavit: Utrum huiusmodi consuetudo continuari possit.

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondere rata est: *Negative*, si pro festo, intelligatur Officium cum Missa sub relativo ritu cum Octava; *Affirmative*, si festum dicatur solemnitas tantum externa cum unica Missa solemni vel cantata et Processione cum SS.mo Eucharistiae Sacramento; iuxta Indultum s. m. Pii Papae IX Ecclesiis particularibus Archidioeceseos Compostellanae concessum per decretum S. R. C. die 25 Iulii 1861.

Atque ita rescripsit, die 3 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. III, p. 490.
(2) *Item*, vol. VIII, p. 120.
(3) *Item*, in praesenti vol. XIII uti supra p. 77.

IV.

ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS AUSTRIACAE.

In parochiis Monasterio incorporatis, nequit celebrari festum neque dici suffragium Titularis ecclesiae Abbatialis.

R. P. D. Willibaldus Hauthaler, Abbas monasterii ad S. Petrum Salisburgensis, Congregationis Austriacae de S. Ioseph, Ordinis S. Benedicti, ut omnia in Officio Divino rite peragantur, S. Rituum Congregationi sequentia dubia solvenda humillime proposuit; nimirum:

I. An festum Titularis Ecclesiae abbatialis in ecclesiis monasterio incorporatis, praeter Titularem Ecclesiae parochialis, celebrandum sit ritu duplici I^ae^ classis cum Octava, eo quod ibi monachi qua parochi curam animarum exercent?

II. An in Officio, praeter suffragium Titularis Ecclesiae parochialis, in casu dicendum sit etiam illud Titularis Ecclesiae abbatialis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis respondendum censuit: *Negative* ad utrumque dubium.

Atque ita rescripsit. Die 26 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

BLESEN. SEU BRIOCEN. — DECRETUM

Confirmationis Cultus ab immemorabili tempore praestiti Ven. Servo dei Carolo De Blesis duci Britanniae beato nuncupato.

CAROLUS DE BLESIS, Britanniae dux, in lucem editus anno MCCCXX, virtutis iter quod a primaeva aetate ingressus fuerat, usque ad metam proficiendo constanter tenuit. Honoribus opibusque posthabitis, christianam austeritatem familiae suae commoditati anteposuit. Orationi assiduus plures Missas in ecclesia sui castelli celebratas audire, divinumque officium cum capellanis suae domus, Fratribus Minoribus, persolvere et canere solebat. Ingenio potens, litteris bonisque artibus sedulo incumbebat; corde bono et optimo praestans, pauperes aegrotosque eximia charitate sublevabat. Adolescens semper humilis, alienae potius quam suae voluntati paruit. Quum vero in vita et post obitum Servi Dei communi fama et sermone eius excellentia et virtutes celebrarentur, B. Urbanus V plures enixasque postulationes in consistorio propositas benigne excipiens, Apostolicis litteris XVI Kal. Septembr. an. MCCCLXIX datis, mandavit per Episcopum Briocensem et Abbates maioris monasterii Turonensis et S. Albini Andegavensis, de sanctitate vitae, virtutibus et miraculis eiusdem Dei Famuli inquiri. Quod quidem mandatum ab illius Sancti Pontificis successore Gregorio XI per novas litteras XVIII Kal. Februarii MCCCLXXI expeditas confirmatum, reapse adimpletum fuisse constat ex tabulis processualibus eodem anno MCCCLXXI confectis atque in Vaticano Archivo asservatis. Verum haec Causa per longissimum temporis spatium et fere quinque saeculorum de-

cursum siluit: quin tamen opinio sanctitatis Servi Dei una cum cultu deficeret. Tandem anno MDCCCXCII eadem Causa ex Apostolico Indulto reassumpta est in statu et terminis in quibus ipsa reperiebatur. Concessae quoque sunt Litterae Remissoriales et Compulsoriales ad Episcopos Blesensem et Briocensem transmissae, ut, in utraque Curia, Apostolicae Inquisitiones super cultu praefato Ven. Famulo Dei ab omni antiquitate adhibito instituerentur. Quae quidem Inquisitiones absolutae fuerunt; atque in illas Processus etiam Apostolicus Andegavensis anni MCCCLXXI compulsatus est. In hisce tabulis processualibus plura adducebantur argumenta immemorialis, ecclesiastici et publici cultus Ven. CAROLO DE BLESIS ante et post Urbanianam aeram ad haec usque tempora praestiti. Quibus inspectis, iudices subdelegati in supradictis Processibus Apostolicis Blesensi et Briocensi, super cultu immemoriali praedicto Ven. Servo Dei exhibito affirmativam protulerunt sententiam. Quum vero omnia haec acta iuridica ad Urbem delata, Sacrorum Rituum Congregationis examini atque iudicio subiecta sint; instante R.mo D.no Remigio Porcher, Canonico Cathedralis Ecclesiae Blesensis et huius Causae Postulatore, ardentia quoque vota R.morum Praesulum et cleri ac populi utriusque dioeceseos Blesensis et Briocensis depromente, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Vincentius Vannutelli Episcopus Praenestinus et eiusdem Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum coadunato, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententiae iudicum subdelegatorum a R.mis Episcopis Blesensi et Briocensi super cultu ab immemorabili tempore praestito Ven. Servo Dei, seu super casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII sint confirmandae in casu et ad effectum de quo agitur?* ». Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribere rati sunt: *Affirmative seu sententias esse confirmandas, si Sanctissimo placuerit.* Die 29 Novembris 1904.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, die 14 Decembris eodem anno.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VI.

ROMANA SEU PARISIEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Venerabilis Servae Dei Magdalenae Sophiae Barat, institutricis Societatis Sororum a Sacro Corde Iesu.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et proximum, nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Quum, exeunte saeculo XVIII et ineunte XIX, civilis furoris incendia per Galliam flagrarent maxime, haud paucorum auribus insonare altius visa est divina illa vox: « *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur?* » Erat illa nempe vox ignem charitatis opponentis teterrimis irarum flammis atque vitiorum: vox erat revocantis homines ad mutuum amorem atque concordiam, proposito suimet exemplo: « *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris* ». Haec penitus animo percipiens Ven. Dei Famula MAGDALENA SOPHIA BARAT, eo ardore complexa est Cor Iesu sacratissimum, ut et sanctitatis iubar exstiterit ipsa, et proximorum saluti praeclare consuluerit.

Futurum amoris ignem in Ven. Dei Serva portendere visa est eiusdem nativitas, editae in lucem qua nocte incendio consumpta est magna pars natalis oppidi *Joigny* in Burgundia, quae nox fuit pridie idus Decembres anno MDCCLXXIX. Quo factum est, ut interrogata deinceps puella de sui ortu, candide responderet, ex igne se prodiisse. Nec aberat fides verbis, quod in ipsa erant vivida omnia, mens, eloquium, obtutus, incessus. Nemini non accepta ob singularem vitae innocentiam et ob eximias naturae dotes, vel a primis annis Deo probari summopere studuit eiusque gratiae donis respondere quam fidelissime. Quasi praesaga futurae sortis et muneris, ingenium excoluit omni humanitate; neque solum graecis et latinis litteris dedit operam, addita hispanici et italici sermonis notitia, verum etiam philosophiae ac studio rerum sacrarum animum adiecit, usa magistro et pietatis et doctrinae severissimo, germano fratre suo, futuro posthac ministro Religionis dignissimo atque perutili.

Hoc domestico tyrocinio probata, imprimisque assueta obedientiae, animi demissioni et afflictationi corporis non minus quam voluntatis, sub annum aetatis vicesimum, ab ipso fratre collocata est Lutetiae Parisiorum apud piissimam foeminam, datusque magister pietatis Iosephus ille Varin e S. I., qui iam tum consilia agitabat instituendi sacrarum virginum coetus pro educatione puellarum. In ea domo primum duabus cum sociis se Iesu Cordi sacravit, quasi serens evangelicum granum sinapis, magnam in arborem succreturum. Mox Ambiani statim augeri coepit sodalium numerus, quibus ipsa praefuit; subinde novae domus constitutae Gratianopoli; tum vero in America, ad S. Aloisii de *Missouri*, et ad S. Caroli, muliebris quasi apostolatus initia. Eiusdem non intermissa opera, per difficultates et anxietates plurimas, aliae domus patuere in variis orbis regionibus, in ipsaque Urbe, praesertim ad SS.mae Trinitatis in colle hortulorum.

Laboriosam vitam eandemque in Iesu Corde latentem piissima Virgo produxit usque ad annum aetatis octogesimum quintum. Tum denique repentino morbo correpta, quem placidissime tulit per triduum, die XXV mensis Maii anno MDCCCLXV, quo die mysterium recolebatur Christi caelum scandentis, Lutetiae Parisiorum in domo Societatis principe, solutis vinculis corporis et nixa pennis amoris, divinum Sponsum est prosequuta.

Eius obitus rumor, non modo frequentiam hominum accivit ad visendas tam pretiosas exuvias, sed excitavit ubique fiduciam, qualis collocari solet in iis, qui caelesti gloria potiti, Deo propiores adstare censentur. Hac autem opinione sanctitatis in dies longe lateque crescente ac prodigiis confirmata, processus ordinaria auctoritate instrui coepit; quo

expleto, res omnis ad S. Rituum Congregationem delata est; donec die XVIII mensis Iulii anno MDCCCLXXIX, fel. rec. Leo Papa XIII eximens a lege decennii, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servae Dei Sua manu signavit.

Instructi deinde fuerunt Apostolici Processus penes S. Rituum Congregationem de heroico gradu virtutum. Ac primum actum est in antepraeparatorio coetu penes cl. me. Cardinalem Caietanum Aloisi-Masella causae Relatorem, habito pridie idus Iunii anno MDCCCC; mox in duplici praeparatorio Conventu in aedibus Vaticanis, sexto calendas Iunias anno MDCCCCII, et pridie idus Ianuarias anno sequenti; denique in Congregatione universa ibidem, apud SS.mum D. N. Pium PP. X coacta XVI calendas Februarias hoc ineunte anno MDCCCCV, in qua R.mus Cardinalis Dominicus Ferrata in Cardinalis Aloisi-Masella vita defuncti locum suffectus discutiendum proposuit dubium: « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis Ven. Dei Servae* MAGDALENAE SOPHIAE BARAT, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ». R.mi Cardinales et Patres Consultores sua quisque suffragia tulerunt; quibus perpensis SS.mus Dominus supersedendum ratus, adhortatus est adstantes, ut caeleste lumen ad rite iudicandum exposcerent.

Hodierno vero die, Dominica VI post Epiphaniam Sacro devotissime peracto in privato Sacello, nobiliorem aulam Vaticanae aedis ingressus et Pontificio Solio assidens, R.mos Cardinales arcessivit Aloisium Tripepi S. Rituum Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata Causae Relatorem, itemque R. P. D. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem et me infrascriptum a Secretis, iisque adstantibus solemniter pronuntiavit: « *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Charitate in Deum et proximum; itemque de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine iisque adnexis Ven. Servae Dei* MAGDALENAE SOPHIAE BARAT, *in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Hoc autem Decretum vulgari et in Acta S. R. C. referri iussit pridie idus Februarias anno MDCCCCV.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Indulg. adnexa orationi B. M. V. Immaculatae occasione eiusdem iubilaei, in perpetuum lucrari poterit et animabus Purgatorii applicari.

Beatissimo Padre,

Il Presidente della Pia Opera di S. Francesco di Sales, canonicamente eretta in Parigi, prostrato al bacio del S. Piede, umilmente implora che l'Indulgenza di trecento giorni, accordata dalla S. V. l'8 settembre 1903 (1) alla preghiera alla B. Vergine Immacolata, composta dalla stessa S. V. in occasione del Giubileo ormai finito, possa continuare a lucrarsi in avvenire, togliendo dalla preghiera medesima le parole che alludono al Giubileo suddetto, nella maniera che segue:

« Vergine Santissima, che piaceste al Signore, e diveniste sua Madre, immacolata nel corpo e nello spirito, nella fede e nell'amore, deh! riguardate benigna ai miseri, che implorano il vostro potente patrocinio. Il maligno serpente, contro cui fu scagliata la prima maledizione, continua purtroppo a combattere e insidiare i miseri figli di Eva. Deh! Voi, o benedetta Madre nostra, nostra Regina e Avvocata, che fin dal primo istante del vostro concepimento, del nemico schiacciaste il capo, accogliete le preghiere, che, uniti con Voi in un cuor solo, vi scongiuriamo di presentare al trono di Dio, perchè non cediamo giammai alle insidie che ci vengono tese, così che tutti arriviamo al porto della salute; e fra tanti pericoli la Chiesa e la società cristiana cantino ancora una volta l'inno della liberazione, della vittoria e della pace. Così sia ».

Supplica inoltre perchè la detta Indulgenza sia applicabile anche alle anime del Purgatorio. Che, ecc.

SS.mus D.nus Noster Pius PP. X in audientia habita die 11 Ianuarii 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 11 Ianuarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

II.

ORDINIS PRAEDICATORUM.

Indulg. adnexae recitationi parvi Officii B. M. V. secundum Ritum Ord. Praedicatorum, ad eiusdem vulgarem recitationem privatam extenduntur.

Beatissime Pater,

Fr. Hyacinthus Maria Cormier, Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, ad Pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter exponit, quae sequuntur: Indulgentiae concessae recitantibus Officium Parvum B. Mariae Virginis secundum Ritum Romanum, per Decretum S. Congregationis Indulgentiarum diei 10 Novembris 1888 extensae fuerunt ad illos, qui idem Officium recitant secundum Ritum proprium Fratrum Praedicatorum. Cum vero per Decretum eiusdem S. Congregationis datum die 28 Augusti 1903 (2) concessa fuerit facultas recitandi privatim illud Officium uti extat in Breviario Romano in vulgari lingua absque dispendio Indulgentiarum, humilis Orator enixe petit, ut eadem facultas extendatur ad illos Christifideles, qui idem Officium recitant prouti habetur in Breviario dicti Ordinis.

Et Deus, etc.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XI, p. 375.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XI, p. 419.

Sanctissimus Dominus Noster Pius PP. X, in Audientia habita die 8 Iunii 1904 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 8 Iunii 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Pro Secret. Ios. M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

III.

Ordini Min. Capuccinorum conceduntur in perpetuum variae facultates et indulta.

Beatissime Pater,

Pater Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis humiliter prostratus, exponit, quod cum iam Summarium Indulgentiarum, Facultatum et Indultorum dicto Ordini concessorum, necessariae S. Congregationis Indulgentiarum et SS. Reliquiarum approbationi submiserit, modo Sanctitati Vestrae supplicatur, ut favoribus spiritualibus iam tributis adhuc sequentia benigne addere dignetur facultates atque indulta:

I. FACULTATES.—1° Superioribus Ordinis erigendi, praevio Ordinariorum consensu, in propriis Ecclesiis cum respectivis Indulgentiis et gratiis spiritualibus, Confraternitates Chordigerorum, in illis locis in quibus non existunt Conventus aut Ecclesiae PP. Conventualium, iuxta normas traditas a Sixto V in Const. « *Ex supremae dispositionis* » diei 19 Novembris 1585, et a Paulo V in Const. « *Nuper Archiconfraternitati* » diei 11 Martii 1607;

2° Superioribus legitime impeditis subdelegandi alium Religiosum, pro Confessionibus approbatum, ad benedicendas Chordas S. Francisci, et impertiendi Chordigeris, semel in anno, benedictionem papalem, scilicet in festo Immaculatae Conceptionis;

3° Religiosis, Missiones tradentibus, erigendi Cruces, semper de Ordinariorum consensu, ipso Missionum tempore, in loco ubi istae institutae fuerunt, et quidem erigendi etiam plus quam unam in Parochiis multum diffusis, per longum earum tractum, ita ut una ab altera saltem unum chilometrum distet;

4° Religiosis, impertiendi benedictionem papalem cum adnexa indulgentia plenaria in fine Missionum et spiritualium exercitiorum, omnibus fidelibus, qui vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti, eam recipient et ad Summi Pontificis intentionem orabunt, dummodo saltem concionum medietati intervenerint.

II. INDULTA. — 1° Lucrandi indulgentiam plenariam pro spiritualibus exercitiis, eadem peragendo per solos tres dies loco decem dierum, uti praescriptum esset;

2° Confitendi, in locis Missionum, semel singulis quindecim diebus ad lucrandas indulgentias in eos incidentes;

3° Recipiendi privatim, scilicet post sacramentalem Confessionem, absolutiones in vigilia festorum, quibus affixae sunt, et pro personis legitime impeditis etiam in uno die Octavae eorum;

4° Benedicendi tempore Missionum et spiritualium exercitiorum e suggestu Scapularia, adhibendo formulam in numero plurali, et quin imponantur, et sine obligatione inscribendi in catalogo nomina fidelium, qui Scapularia recipiunt, eaque respectivis exhibendi Confraternitatibus, uti praescriptum esset (1).

Quae, etc.

SS.mus D. N. Pius PP. X in audientia habita die 14 Decembris 1904, ab infrascripto Cardinali Praefecto S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti *in perpetuum* valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congr.nis die 14 Decembris 1904.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro Secretario, Jos. M. Can.cus COSELLI, *Substit.*

IV.

Indulg. conceditur quamdam orationem recitantibus.

Mon Dieu, faites l'unité des esprits dans la vérité, et l'union des cœurs dans la charité.

Ex Audientia diei 24 Maii 1904.

SS.mus D. N. Pius PP. X super inscriptam orationem devote recitantibus indulgentiam concedit tercentum dierum, semel in die lucrandam.

L. ✠ S.

† VINCENTIUS Card. Ep. Praenestinus.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit ad hanc S. Congregationem Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 21 Ianuarii 1905.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

I.

DECRETUM.

Canonici titulares Capitulorum Cathedralium in Anglia, si iustis de causis a canonicatu se abdicent, inter Canonicos honorarios ab Epo cooptari poterunt.

Archiepiscopus Westmonasteriensis ac reliqui Episcopi in Anglia ab hoc S. Concilio Christiano Nomini Propagando facultatem expostulaverunt ut, si quando contingat aliquem

(1) Indultum sub N. 4 concessum supponit, quod Missionarii facultatem respectiva Scapularia benedicendi et imponendi, iuxta ritum praescriptam, aliunde iam obtinuerint.

e canonicis titularibus respectivi Capituli Cathedralis propter infirmitatem vel devexam aetatem velle se a canonicatu muneribusque adnexis abdicare, possit idem renuntiatarius canonicus tamquam honorarius in eodem Capitulo nominari, ita ut, retentis canonicalibus insignibus, titulo atque honore, caetera omnia officia atque iura dimittat.

Porro etsi nemini propter infirmitatem vel senium necessaria ratio per se obveniat dimittendi canonicatum, quod uti perpetuum beneficium habendum est, tamen si quis e canonicis Capitulorum Cathedralium in Anglia propter praedictas causas libere ac sponte, accedente Episcopi consensu, e canonicatu se abdicare velit, concedendam censet Sacra haec Congregatio respectivis Episcopis facultatem eumdem cooptandi, audito antea Capitulo, inter honorarios Canonicos, qui tamen nunquam habeantur ultra tres.

Hanc autem sententiam SS.mo D. N. Pio PP. X ab infrascripto eiusdem S. Congregationis Secretario relatam in Audientia diei 23 elapsi Iunii Sanctitas Sua benigne probavit, ratamque habuit, ac praesens ea super re Decretum edi iussit.

Datum Romae, ex Aed. S. C. de P. F., die 7 Iulii 1904.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus*.

L. ✠ S.

A. VECCIA, *Secretarius*.

II.

Indulg. 300 dierum conceditur recitantibus orationem in honorem S. Pauli Ap.

Beatissimo Padre,

Mons. Paolo Terzian, Vescovo armeno di Adana, supplica umilmente la S. V., perchè voglia degnarsi di annettere una Indulgenza alla preghiera seguente:

« O glorieux Saint Paul, qui de persécuteur du nom chrétien, en êtes devenu l'Apôtre le plus zélé, et qui pour faire connaître jusqu'aux extrémités du monde le Sauveur Jésus, avez souffert avec joie la prison, les flagellations, les lapidations, les naufrages et toutes sortes de persécutions, et qui avez fini par verser jusqu'à la dernière goutte de votre sang, obtenez-nous la grâce de recevoir comme des faveurs de la divine miséricorde les infirmités, les souffrances et les malheurs de cette vie, afin que nous ne soyions point arrêtés dans le service de Dieu par ces vicissitudes de notre exil, mais qu'au contraire nous nous montrions de plus en plus fidèles et fervents. Ainsi soit-il ».

Ex Audientia SS.mi, diei 13 Ianuarii 1905.

SS.mus Dominus Noster Pius, d. p. Papa X, referente me infrascripto S. Congregationis de Propaganda Fide pro NN. R. O. Secretario, attentis expositis, omnibus Christifidelibus utriusque sexus et cuiuscumque ritus, devote recitantibus praedictam orationem in honorem Sancti Pauli Apostoli, Indulgentiam 300 dierum semel in die lucrandam, et etiam animabus in Purgatorio detentis per modum suffragii applicabilem, benigne concedere dignatus est. Praesentibus in perpetuum valituris. Contrariis quibuscumque minime obstantibus.

Datum Romae ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis, die et anno ut supra.

L. ✠ S. ANTONIUS SAVELLI-SPINOLA, *Secr*.

Praesens Rescriptum transmissum fuit ad hanc S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositam.

In quorum fidem...

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 18 Ianuarii 1905.

L. ✠ S. IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Subst*.

Dilecto Filio Augustino Bartolini, Arcadici Coetus Custodi

PIUS PP. X.

E VICARIATU URBIS

Sacerdotes saeculares Urbis semel saltem quolibet triennio spiritualia peragat exercitia.

Ai dilettissimi Sacerdoti del Clero secolare di Roma e suo Distretto.

Siamo lieti di parteciparvi che il S. Padre si è degnato di indirizzarci la lettera che qui appresso riportiamo (1), la quale contiene una prova novella dell'affetto e della premura che Egli nutre per il Clero di quest'alma città.

E in conformità dei voleri del S. Padre Noi disponiamo quanto segue:

1° Tutto il Clero secolare di Roma dovrà, almeno ogni tre anni, fare i santi Spirituali Esercizi in una delle tre case delle quali è cenno nella lettera del S. Padre o in altre che in seguito fossero a ciò destinate.

2° Chi, per ragioni speciali, desiderasse farli altrove, dovrà ottenerne licenza dal Vicariato di Roma, e presentare poi il certificato di averli compiuti.

3° A cominciare dall'anno 1908, non si rinnoveranno nè le facoltà di celebrare nè quelle di ascoltare le sacramentali confessioni a quei Sacerdoti che non avessero nel triennio adempito all'obbligo loro imposto dal S. Padre. Ma siamo ben persuasi che non saremo mai costretti ad usare di tale misura con nessun Sacerdote.

4° Ciascun Sacerdote, per essere ammesso a far parte di una muta di S. Esercizi, dovrà dare in tempo il suo nome alla Segreteria del Vicariato, indicando il luogo e i giorni che preferisce secondo la Tabella che si pubblicherà ogni anno.

5° La retta è fissata in L. 16. Si procurerà di venire in aiuto con qualche provvedimento a coloro che si trovassero nella riconosciuta impossibilità di pagare la detta retta.

6° Si raccommanda caldamente ai Sacerdoti di non aspettare gli anni venturi, ma di affrettarsi a secondare fin d'ora i santi desiderî dell'amato Pontefice, iscrivendosi subito per le mute di quest'anno 1905 già stabilite secondo la tabella che qui sotto aggiungiamo.

Dalla Nostra Residenza questo dì 25 gennaio 1905.

P. CARD. VICARIO.

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario*.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* in praesenti Vol. p. 61.

Tabella degli Esercizi Spirituali pel Clero di Roma, nelle pie case di Villa Cecchini, della Missione e dei SS. Giovanni e Paolo, durante l'anno 1905.

FEBBRAIO. — 1° Dalla sera di domenica 19, alla mattina del sabato 25.

MARZO. — 2° Dalla sera di domenica 19, alla mattina di sabato 25.

MAGGIO. — 3° Dalla sera di domenica 21, alla mattina di sabato 27.

GIUGNO. — 4° Dalla sera di domenica 18, alla mattina di sabato 24.

LUGLIO. — 5° Dalla sera di domenica 2, alla mattina di sabato 8.

AGOSTO. — 6° Dalla sera di domenica 20, alla mattina di sabato 26.

SETTEMBRE. — 7° Dalla sera di domenica 3, alla mattina di sabato 9.

OTTOBRE. — 8° Dalla sera di domenica 8, alla mattina di sabato 14.

NOVEMBRE. — 9° Dalla sera di domenica 19, alla mattina di sabato 25.

DICEMBRE. — 10° Dalla sera di domenica 3, alla mattina di sabato 9.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

V. Die 13 Martii 1677.

BONONIEN. — Celebrationis. — R. *Negative ad utrumque.*

ASCULANA. — Participationis. — R. *Audiatur Capitulum.*

VENTIMILIEN. — Theologalis. — R. *Negative ad utrumque.*

VENTIMILIEN. — Congruae. — R. *Negative.*

NEAPOLITANA. — Concordiae. — R. *Videatur per EE. Carpineum, Columna et Sigismund. Chisii.*

CRACOVIEN. — Iurium Parochial. — R. *Ad iudices suos et dentur decreta.*

PACEN. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

FUNDANA. — Archipresbyteratus. — R. *Non constare de collegialitate.*

16. Bononien. — Celebrationis.

Alias pius Testator ita disposuit: Item lascio, voglio e commando all'infr.o mio erede, ed a qualunque persona perveniranno i miei beni, che debba far celebrare una messa quotidiana in perpetuo per suffragio dell'anima mia, e dei miei antenati, obligando a questo, tutti quei che succederanno nella mia eredità.

Nuper huiusmodi celebrationis onus suscepit sacerdos Orator, qui se aequiparans Cappellanis semel, in hebdomada a celebratione vacavit; quaerit:

1. An hoc ei licuerit, et quatenus negative:

2. An pro supplendis dictis vacantiis satisfecerit, tradendo sacerdoti in alia regione celebranti eleemosynam iuxta morem illius regionis, retento sibi reliquo, in quo eleemosyna suae patriae illam excedit.

R. *Negative ad utrumque.*

17. Ventimilien. — Theologalis.

Episcopus inhaerendo Conciliis provincialibus Mediolanen., iniunxit Canon. theologo ut moralem legat in sacristia, et difficultatibus post eius lectionem per Auditores proponendis respondeat. Canonicus tamen in ultima lectione renuit ibi respondere proinde quaerit episcopus:

1. An dictus theologus teneatur respondere quaesitis, et solvere difficultates propositas in eius lectione.

2. An huiusmodi responsiones, et solutiones dubiorum debeant fieri in eodem loco lectionis, si ita iubeat episcopus ad utilitatem, et profectum cleri.

R. *Negative ad utrumque.*

18. Pacen. — Restitutionis in integrum.

Fr. Alphonsus Miranda a tredecim circiter annis in ordine Praedicatorum professus, et deinde sacerdos factus, contra suam professionem reclamat, exponens illam emisisse per vim, et metum incussum a presbytero Dominico Miranda eius patre, quem testes ob sacerdotii reverentiam Patruum nuncupant.

Ad probandam autem violentiam anno 1676 ad perpetuam rei memoriam coram notario, per Ordinarium delegato, curavit examinari septem testes, inter quos eius praeceptor, et nonnulli sacerdotes, quorum sex de visu, unus de auditu ab Oratore, paene uniformia deponunt, ut infra videlicet.

« Il testimonio conosce da piccolo l'Oratore, attendeva a' studii e lo manteneva il d.° Domenico, sempre disse, che voleva esser sacerdote dell'abito di S. Pietro, da 13 anni in circa d.° D. Domenico venne a dirli che doveva essere religioso dell'ordine di S. Domenico e che veniva per condurlo in Siviglia per pigliar l'abito; resistette l'Oratore, dicendo che la sua volontà era di esser dell'abito di S. Pietro e non religioso, ma D. Domenico con gli altri parenti li disse, che doveva esser frate, e lo doveva inviare all'Indie, o scacciarlo e non aiutarlo, alli quali l'Oratore rispose alcune volte; e tornando d.° D. Domenico a instare, facendoli le medesime proteste e minaccie, l'Or.e con molto sentimento e lagrime, piangendo per la forza che si faceva d.° suo zio, e perchè si trovava senza difesa alcuna, mancandogli quella di suo zio, ch'era quello che l'aveva nudrito, etc., e sperava che l'accommodaria per esser persona ricca, e che di non andar con suo gusto aveva inteso, che non potria vivere, e si perderia, perchè il d.° D. Domenico è uomo di condizione, e che esercitaria le sue minaccie, e

per il rischio di non passare l'acque del mare, con molto sentimento e lagrime, e dicendo che andava a pigliar detto abito contro la sua persona, disse al detto suo zio che voleva fare quello li domandava.

Il testimonio avanti la professione fù con l'Or.e alcune volte, e li disse che non faceva professione con suo gusto, e volontà, e che solo lo faceva per dar gusto a detto suo zio, e questo con molte lagrime e sentimento; ed il testimonio essendo presente alla detta professione, vidde che la faceva contro sua volontà secondo lo mostrava, e diceva a questo testimonio e ad altre persone, e dopo che ebbe fatto professione, tanto per lettera, quanto in voce sempre l'ha detto, che stava in religione contro ogni sua volontà ed in gran pericolo della sua anima, e che stava aspettando se detto suo zio moriva, per metter lite di nullità di professione, e da che venne al convento dell'Incarnazione sempre l'ha detto il medesimo, e sarà un mese che li disse, che non poteva più perseverare in detta religione, per lo scrupolo che aveva di stare in d.º stato contro la sua volontà, e che voleva intentar lite di nullità, benchè fosse contro la volontà di detto suo zio, come con effetto l'ha posta.

Itaque Orator, ut possit iustitiam consequi supplicat pro restitutione adversus lapsum quinquennii a Concilio praescripti, et quoniam ille qui metum incussit, adhuc vivit, ne causam prosequendo coram Ordinario, et superiore locali impediatur, supplicat causam cognosci in Curia, cum habeat super metu documenta praemissa.

Circa haec procurator generalis auditus, ita respondit:

Io infrascritto, per parte della mia religione consento, che l'Oratore possa per via giuridica provare la nullità della sua professione, e quella provata, uscire dall'Ordine.

Quibus stantibus quaeritur:

1. An petita restitutio in integrum sit concedenda.
2. An et coram quo causa in Urbe sit cognoscenda.

R. *Negative.*

VI. Die 27 Martii 1677.

Cavallicen. — Missarum. — R. *Negative.*

Ugentina. — Irregularitatis. — R. *Negative ex deductis.*

Placentina. — Praepositurae et Vicariae. — R. *Ad 1um, inhibitiones non esse attendendas nisi signatas manu SS.mi. Ad 2um, dilata et informent. Ad 3um, instituat concursum. Ad 4um, conficiat processum et transmittat.*

Marsicen. — Emolumentorum. — R. *In omnibus negative et servetur concilium.*

Cavallicen. — Distributionum. — R. *Exprimantur casus particulares.*

Leodien. — Iurisdictionis. — R. *Affirmative.*

Imolen. — Servitii. — R. *Omnino proponatur in prima post agnos.*

Conventualium. — Quartae funeralis. — R. *Negative.*

19. Cavallicen. — Missarum.

Ex testamento quondam Ioannae de Baroncellis Viduae quondam de Perussis condomini loci De Cavis Montibus, sub anno 1536 ita habetur:

Item volo, et ordino, singulis diebus Sabbathi in perpetuum celebrari in ecclesia parochiali d. loci, et cappella de Perussis, unam magnam missam de nostra Domina cum absolutione in fine per parochum eiusdem ecclesiae, cum eo, quod dictus meus haeres, seu uxor, aut illorum haeredes, et successores moneantur ante celebrationem cuiuslibet ex dictis missis, et volo pro earumdem eleemosyna annuatim solvi per meum haeredem, aut illius successorem florenos duodecim, scilicet septem Pierros in qualibet missa, quorum quatuor presbytero celebranti; residuum vero trium dividetur inter presbyteros eiusdem loci, qui celebrationi intererunt.

A triginta circiter annis ob stipendii tenuitatem, quia monetae valor est longe imminutus, celebratio omissa fuit, cum non obtingat nisi dimidium iulii monetae romanae pro qualibet missa; ideo haeredes supplicant reduci ad missam planam: et hoc legatum uniri alteri pariter ab eorum maioribus fundato, ut idem rector cappellae adimpleat, et ad favorem eiusdem rectoris, loco omissorum constituant redditum scutorum quatuor quolibet anno ad quae parochus etiam consentit, ut testatur episcopus.

His per summarium relatis EE. PP. iusserunt describi in folio, quo adimpleto quaeritur:

An precibus huiusmodi sit annuendum.

R. *Negative.*

20. Ugentina. — Irregularitatis.

Super infrascriptis hanc Sacram Congregationem consulit Episcopus Ugentinus, cuius epistola talis est.

Accidit mensibus elapsis, quamdam puellam trium annorum existentem intus Cortile eius domus fuisse vulneratam in fronte, quo vulnere ex hac vita migravit: fuit tunc temporis praesumptum dictum vulnus sequutum, licet casualiter a Ioanne Baptista Coranisio diacono, qui in comitiva aliorum tunc temporis ludo corali vacabat, et quod per eius iniectionem fuisset vulnerata puella ipsa; habita denunciatione huius facti in hac episcopali Curia, nec non accusatione criminali facta a patre dictae puellae post adhibitam diligentiam, et examen testium tunc temporis in d. comitiva existentium, non fuit ex eis inventus, qui potuit deponere ex certa scientia mortem dictae puellae ex iniectione d. corali fuisse sequutam, super quibus licet auctoritate Suarez et consº. aliquorum theologorum ego ipse essem in voto exclusionis irregularitatis; tamen quaeritur itaque;

1. An dictus diaconus censendus sit irregularis, et quatenus affirmative,
2. An cum eo dispensandum.

R. *Negative ex deductis.*

21. Marsicen. — Emolumentorum.

Statim ac episcopus comparuit pro quolibet ordine percipi iulios decem, et octo sub variis titulis, abusum abolevit quoad carolenos septem ratione forficum, pectinis, et tobaleae; haeret solum in infrascriptis pro quibus intendens se menti S. Congregationis conformare, supplex instat decerni. An percipi possint:

1. Pro memoriali publicationum, caroleni tres.
2. Pro eiusdem praesentata, carolenus unus.
3. Pro praesentata fidum baptismatis, chrismatis.
4. Pro regestis, carolenus unus.
5. Pro bulla, caroleni duo.
6. Pro sigillo, carolenus unus.

R. *In omnibus negative et servetur Concilium.*

22. **Cavallicen. — Distributionum.**

Canonici cathedralis ad tollendos abusus Concilio contrarios, supplicant declarari:

An praeposito, seu canonicis absentibus causa litium suarum praebendarum, debeantur distributiones quotidianae.

R. *Exprimantur casus particulares.*

23. **Leodien. — Iurisdictionis.**

Sub die 14 Novembris 1676, proposito ad instantiam episcopi sequenti dubio, responsum fuit, dentur decreta, sed quoniam ea, quae reperiuntur alias edita non ita adaequate dubium evacuant, ad omnem ambiguitatem removendam supplicatur pro declaratione particulari:

An episcopus visitare possit Montem pietatis loci Codogni, non obstante praeventione magistratus in revisionem computorum.

Praeterea idem episcopus exponit qualiter in eodem oppido reperitur Congregatio duodecim circiter piarum mulierum viventium in communione, et cum habitu uniformi, emittunt nonnulla vota, non tamen solemnia in manibus Guardiani Reformatorum Sancti Francisci, sub cuius directione vivunt, ac regulam S. Francisci profitentur, sed in paschate sumunt Eucharistiam de manibus parochi et de licentia parochi in ecclesia fratrum sepeliuntur. Ulterius etiam inquit Pater procurator generalis pro informatione requisitus: Istae mulieres tertiariae se congregarunt de licentia Vicarii, absente eminentissimo Vidono, et Eminentiae suae successori id approbatum fuit, ac mandatum presbyteris, ne illas molestarent, nec aliarum vestitionem impedirent, et modernus episcopus cum fuit occasione visitationis in dicto oppido eas non visitavit, quaeritur:

An mulieres huiusmodi subsint visitationi, et correctioni episcopi Laudensis.

R. *Affirmative.*

24. **Conventualium. — Quartae funeralis.**

Alias pro fratribus minoribus Sacra Congregatio Episcoporum, et Regularium iniunxit locorum Ordinariis (sunt verba decreti) ne permittant, ut parochi, aliique de clero saeculari maiorem posthac eleemosynam sibi attribui faciant ab haeredibus defunctorum, qui in ecclesiis regularium sepulturam sibi elegerint, quam percipere possunt, si in parochiali, seu alia ipsius cleri saecularis ecclesia sepeliri voluissent, et successive Clemens s. m. declarationem hanc per breve confirmavit.

Nunc pater procurator generalis Minorum Conventualium conquaerens plures parochos praetendere ab haeredibus defunctorum tantumdem cerae quantum in funerali in ecclesiis regularium consumitur, per libellum a SS.mo remissum cum rescripto: « *Alla Congregazione del Concilio, che proveda* »; quapropter quaeritur:

An parochi ultra quartam consuetam possint in casibus huiusmodi quidquam praetendere.

R. *Negative.*

VII. **Die 8 Maii 1677.**

Cracovien. — Transactionis. — R. *Confirmandam esse transactionem.*

Senen. — Reinvestimenti. — R. *Negative.*

Lucerina. — Concursus. — R. *Pro abb. Cicco denuntiato idoneo ab Episcopo.*

Gedanen. — Matrimonii. — R. *Dilata, et distinctius informent.*

Aretina. — Applicationis Sacrificii. — R. *Affirmative.*

Meliten. — Clericatus. — R. *Negative, sed posse SS.mum extendere bullam Urb. VIII ad insulam Melitae.*

Granaten. — Restitutionis in integrum. — R. *Doceat de tempore quo celavit timor praetensus.*

Dubium. — Beneficii. — R. *Affirmative ad primum, negative ad secundum.*

Janen. — Emphiteusis. — R. *Dilata, et omnino proponatur in secunda.*

Cracovien. — Unionis. — R. *Sc. Imolen. servitii ut in folio particulari. Dilata, et proponatur in tertia et partes melius informent.*

25. **Meliten. — Clericatus.**

Iam alias 25 Ianuarii 1676, quoad Melitenses ordinatos a quodam Armeno supposito episcopo declaratum fuit illos habendos esse tamquam laicos donec coram episcopo Melitensi ostendissent se valide ordinatos, quod et sa: me: Clemens X approbavit, sed quoniam Meliten. insula similibus malis obnoxia patet, vel quia externi episcopi, seu veri, seu ficti ad eam saepius appellant, vel quia Melitenses ad externas regiones navigantes fraudulentas ordinationes procurant; magnus Magister religionis Hierosol. proponens quantum exinde detrimenti provenire possit insulae illi christianitatis propugnaculo, per libellum a SS.mo remissum pro voto instat decerni tales ordinatos non gaudere privilegiis clericalibus. Inspiciendum itaque videtur:

An declarandum sit Melitenses ordinatos, seu ordinandos cum falsis, seu absque dimissoriis proprii episcopi non gaudere privilegiis clericalibus.

R. *Negative, sed posse SS.mum extendere bullam Urb. VIII ad insulam Melitae.*

26. **Dubium. — Beneficii.**

In fundatione beneficii leguntur haec verba:

Quod altare, seu beneficium sit et esse debeat in perpetuum beneficium sacerdotale, et ad ipsum beneficium et altare institui debeat presbyter idoneus, et sufficiens bonae famae, et honestae vitae, et reputationis, qui presbyter instituendus, ut supra teneatur, et debeat loco et merito fructuum et singula die in perpetuum celebrare missam ad altare p.tum Sancti Hieronymi in ecclesia archipresbyterali Soncini Cremonen. dioecesis etc.

Sequuta nuper beneficii huiusmodi vacatione, de eo auctoritate ordinaria provisus fuit clericus Franciscus Romani, qui tamen intra annum a die collationis promoveri potest ad presbyteratum; sed quia dubitari potest an potuerit conferri clerico, supplicatur declarari:

1. An beneficium huiusmodi sit actu sacerdotale, et

2. An potuerit conferri Oratori qui intra annum potest promoveri.

R. *Affirmative ad primum; negative ad secundum.*

VIII. **Die 29 Maii 1677.**

Leodien. — Iurium Canonicalium. — R. *Ad 1. Negative, ad 2. Affirmative, ad 3. Negative.*

Pragen. — Matrimonii. — R. *Affirmative ad primum, ad 2. Negative.*

Dubium. — Cognationis Spiritualis. — R. *Dilata, et scribant theologi.*

Comen. — Poenitentiariae. — R. *Ad Episcopum ad quem spectat electio poenitentiarii, et ad capitulum ad quem spectat institutio.*

Granaten. — Restitutionis in integrum. — R. *Dilata.*

Neapolitana. — Matrimonii, et impedimenti. — R. *Ad 1. Affirmative, ad 2. Negative, ad 3. Informet super sponsalibus.*

Canarien. — Anniversariorum. — R. *Affirmative.*

Dubium. — Servitii. — R. *Negative.*

Lucen. — Restitutionis in integrum — R. *Negative.*

Dubium. — R. *Deputetur oeconomus pro tempore arbitrio Archiepiscopi, assignata congrua oeconomo, quo tempore elapso, E.mus Archiepiscopus certioret de statu infirmi.*

27. **Leodien. — Iurium Canonicalium.**

Anno 1592 a sa. me. Clemente VIII emanavit breve sequentis tenoris:

Exponi fecerunt decanus et Capitulum ecclesiae Leodien. quod cum ipsi ob sinistros rerum, et temporum eventus, maximo aere alieno gravati, ac fructus eorum mensae Capitularis adeo diminuti existant, ut decenti eorum gradui retinendo vix sufficiant, maturaque deliberatione praehabita compererint, eorum et ecclesiae necessitatibus, meliori ratione subveniri non posse, quam si fructus redditus et proventus biennales quarumlibet Praebendarum Canonicalium dictae ecclesiae quomodolibet vacaturarum in restaurationem ecclesiae, extinctionem debitorum huiusmodi et supportationem onerum applicarentur, Nos igitur qui divini cultus conservationem ac decorem ecclesiarum ac decentem gradum personarum in eis divinis laudibus insistentium respicimus, concedimus et ordinamus omnes et singulos fructus, redditus, et proventus, iura, obventiones, et alia emolumenta quaecumque biennii huiusmodi integri, et continui omnium et quarumcumque praebendarum Canonicalium d. ecclesiae ut praefertur vacantium ad praesens et in posterum vacaturarum etiam a lapsu duorum annorum spatio quo ibidem de Canonicatibus et praebendis huiusmodi per obitum vacantibus pro tempore provisi, antequam ad eorum praebendarum fructuum plenam perceptionem admittantur, expectare consueverunt computan. in p.tos usus et non in alios applicamus etc.

Ita quod liceat decano et capitulo, propria authoritate percipere, ac in dd. usus dumtaxat convertere, non obstantibus etc.

Volumus autem, quod omnes vacantium Canonicatuum et praebendarum fructus proventus et obventiones etiam restantiae nuncupatae, ea integritate, quantitate et qualitate, qua aliarum praebendarum fructus et proventus recipi consueverunt, distributionibus quotidianis colligi et reservari, nec in alios quam praemissos usus impendi debeant.

Successive anno 1601 emanavit aliud breve sequens: Duodecim ex sexaginta Canonicatibus et praebendis d. ecclesiae cum primum illos vacare contigerit, ad sex annos et post gratiae et fabricae ac alios duos perpetuos annos, quibus provisi de Canonicatibus et praebendis d. ecclesiae iuxta illius statuta expectare consueverunt inchoandos suspendimus eorumque fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque extinctioni etc., applicamus etc., non obstantibus etc. Volumus autem quod de dd. duodecim Canonicatibus et praebendis durante d. suspensione provisi post lapsum duorum priorum annorum scilicet gratiae et fabricae, chorum visitare, et distributiones quotidianas solis praesentibus et divinis interessentibus dari solitas sicut caeteri Canonici percipere libere et licite valeant. Quodque Capitulum sic provisis de distributionibus ipsis, elapsis duobus prioribus annis praefatis quamdiu iidem provisi illas lucrati fuerint respondere teneantur.

Hoc secundum indultum iam est a longo tempore extinctum, quia plusquam duodecim praebendae vacaverunt. Primum autem semper durat. Unde circa Canonicos novos dubitari contingit de infrascriptis, pro quibus pro parte Canonicorum ad evitandas controversias, consideratis motivis, quae agens Capituli in utramque partem deducit per libellum a SS.mo remissum supplicatur declarari:

1. An praedictus Summus Pontifex per primum aut secundum indultum abstulerit Canonicis, pendentibus annis indulti, vocem activam et passivam.

2. An Canonicis, pendentibus annis indulti, competant distributiones quotidianae.

3. An idem Pontifex abstulerit iisdem residentiam pendentibus annis indulti.

R. *Ad 1. Negative, ad 2. Affirmative, ad 3. Negative.*

28. **Dubium. — Cognationis Spiritualis.**

Supplicatur per Sacram Congregationem declarari:

An dispositio Concilii, decernens in Sacramento Baptismatis, contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et Patrem ac Matrem suscepti, habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto.

R. *Dilata, et scribant theologi.*

29. **Comen. — Poenitentiariae.**

Quamvis a Concilio praescriptum fuisset ut in Cathedralibus, poenitentiarius aliquis cum unione praebendae proxime vacaturae ab Episcopo institueretur, Gregorius XIII s. m. animadvertens id non fuisse exequutum in Cathedrali Comen. anno 1579, motu proprio, Episcopo tunc temporis facultatem concessit perpetuo constituendi, et applicandi praebendam vacantem, seu vacaturam pro poenitentiario et quamcumque collationem, provisionem, aut aliam dispositionem in contrarium per Sedem apostolicam, Capitulum aut quovis alio irritam decernendi, ac praebendam auctoritate apostolica conferendi et assignandi non obstantibus etc. Statutis et consuetudinibus etiam immemorabilibus etiam de optandis et ut patet ex copia Brevis.

Sequuta igitur, anno 1581, vacatione praebendae per obitum Gabrielis de Malcredis, Episcopus utendo facultate sibi tributa tam a Concilio, quam a Brevi praefato, poenitentiarium instituit, illumque contulit Alexandro Lucino, huic mediante Coadiutoria successit Ioannes Antonius Bencius, et huic simili Coadiutoria successit Ioannes Baptista Sala, quo defuncto, 28 Septembris proximi praeteriti, Episcopus elegit Ioannem Baptistam Gelpio; e contra, Capitulum praetendens habere electionem omnium Canonicatuum in mensibus non reservatis, idque ex consuetudine immemorabili, denegata Gelpio institutione, elegit alium. Uterque autem institutionem petiit a Dataria, a qua remissa controversia ad S. Congregationem, monita utraque parte ad informandum; quaeritur:

1. An et ad quem spectet electio Poenitentiarii.

2. An et ad quem spectet institutio.

R. *Ad Episcopum ad quem spectat electio poenitentiarii, et ad Capitulum ad quem spectat institutio.*

ANALECTA VARIA

De coniugio clandestine inito in loco exempto a peregrinis qui domicilium in loco Tridentino asservant.

DISQUISITIO ALTERA POLEMICE INSTITUTA

(*Vide pag. 39 sq.*).

§ XII.

Explicatio adversarii decreto Urbani non consona.

Instabit tamen adversarius ad fraudem in translatione *et* in transitu habendam, sufficere merum factum vel retenti solius domicilii in loco Tridentino, vel non suscepti domicilii sive quasi-domicilii in loco non Tridentino. Nam primo ex iam concessis imo a memet propugnatis, illud merum factum in domicilio constitutum *intentionem* necessario includit vel primum solum retinendi, vel alterum non acquirendi ideoque plene verificat definitionem fraudis in genere huiusque obiectivae, nedum *obiecti* tantum fraudis. Secundo etiamsi incola loci Tridentini suum domicilium non eo fine deseruerit ut matrimonium in loco exempto iniret, postea tamen eo ipso quod vult in transitu suo per locum exemptum matrimonium inire, *assumit* translationem alio fine *peractam*, in medium matrimonii ineundi. Aequivalenter ergo, fraus eius in transitu, translationem etiam in obiecto suo includit: quod satis est ut *illa* fraus obiectiva verificetur quam Urbanus requisivit.

Respondeo tamen, *transmisso* primo, falsum esse secundum; ideoque et consequens nego et consequentiam. Ratio cur transmittam primum mox apparebit. Ad secundum: sane assumere nequit iste translationem iam *peractam* ut eam nunc in medium adhibeat: translatio est peracta et desivit in suum terminum qui ipsa haud est: terminus translationis est *praesentia* in loco alio: igitur iste praesentia sua in loco exempto et praesentia tantum utitur ad finem matrimonii ineundi: alium finem equidem huic praesentiae substituit fini contrario, quem prius habuerat ad translationem adhibendam praesentiamque in loco exempto obtinendam: potest ipse utique mutare finem praesentiae donec ipsa *perdurat*, sed non potest mutare finem, quem ad translationem peragendam sibi unice constituerat, quique haud erat ex hypothesi, matrimonium ineundum, cum translatio sit iam *peracta ex fine contrario*: quis enim potest efficere ut praeteritum non fuerit praeteritum? Atqui fraus obiectiva quam determinavit Urbanus tamquam exclusivam invaliditatis rationem, fuit fraus obiectiva ETIAM IN TRANSLATIONE admissa. Fraus igitur admissa nunc in sola praesentia sive *transitu* in loco exempto ut matrimonium ibi ineatur, non *includit aequivalenter* in suo obiecto *translationem* sed eam *praesupponit* factam VEL ob finem matrimonii VEL ob alium finem contrarium. Translatio *ob finem matrimonii*, sola esset translatio *cum fraude obiectiva*, quam exegit Urbanus. Ergo tandem, probata fraude in solo transitu nondum habetur exclusive probata fraus etiam in translatione, nec prius admissa, nec nunc aequivalenter adhibita.

Nihilominus urgebit adversarius: Fraus in *transitu* ab illo incola loci Tridentini admissa, includit *intentionem* retinendi solum domicilium Tridentinum, vel saltem quasi-domicilium non acquirendi in loco exempto ubi nubere vult. Haec autem *intentio* est aequivalenter *intentio* adhibendi etiam translationem localem iam factam ad matrimonium ineundum ideoque in *fraudem* legis obiectivam.

Respondeo, concessa maiore, concessa minore, distinguo consequens quia praesupponitur ipsi alia minor subaudita: . . . ideoque in fraudem legis obiectivam quae sit fraus in *transitu* solo admissa, *transeat* consequens; quae sit fraus in *translatione* prius admissa, deinde *et* in transitu *nego* consequens.

Utique fraus obiectiva in solo transitu admissa includeret in suo obiecto non meram praesentiam in illo loco sed praesentiam absque domicilio in eodem vel cum domicilio retento in loco incolatus Tridentino. Urbanus autem non in hoc solo titulum posuit invaliditatis, sed in hoc *et* in fraude obiectiva saltem in transmigratione etiam admissa, sicut dictum est in solutione praecedenti.

***

Ratio etiam suppetit *cur* Urbanus ad invaliditatem matrimonii *fraudem* requisiverit simul *et* in transmigratione *et consequenter* in transitu, non vero in transitu tantum. Sane nisi fraudem *etiam* in transmigratione requisivisset Urbanus, incola ille e loco Tridentino transmigrans, frui poterat in exempto *transitus* sui loco, beneficio legis illius universalis qua statuitur *locum regere actum*, cui non solum *expressa* exceptio statuta non fuerat capite *Tametsi*, sed neque *implicita* quippe quae, uti vidimus et probavimus, ab Urbano condita primum fuit. Ergo matrimonium ab illo incola loci Tridentini, in suo transitu per locum exemptum, initum, nec contra implicitam nec contra explicitam erat legis Tridentinae voluntatem. Ergo Urbanus *ad summum* poterat *praescribere* hunc l. T. incolam etiam alibi in l. n. T., delegatione indigere parochi proprii ad

valide contrahendum, non vero in eo illius incolae facto *fraudem contra legem* videre poterat; si autem illud *praescribebat* Urbanus, factum huius incolae l. T. in suo transitu *clandestine* nubentis, non magis *fraus* erat contra legem *Urbani*, sed mera *expressae* voluntatis huius Urbaniani praecepti violatio: *fraus* enim non est nisi contra *implicitam* legis voluntatem.

Ergo matrimonium in *transitu* initum non poterat *ideo* decerni invalidum quia cum *fraude* initum.

E contra, requisita ab Urbano fraude etiam in transmigratione, *consequenter* matrimonium in loco transitus initum fraude illa *obiectiva* inficiebatur contra caput *Tametsi* cui *transmigrantes* subiiciebantur quando fraudem admiserant.

Uno verbo si fraus quaesita fuisset in *solo transitu*, nequidem inveniebatur lex contra cuius *implicitam* voluntatem fraus illa fuisset. Ergo ita decretum suum Urbanus statuere nequivit. Ergo aliter non potuit ipsum statuere nisi eo modo *sensus compositi* quem explicavi.

Hisce etiam praevie soluta est difficultas mihi a docto viro obiecta, a quo altera superius soluta in nota ad paginam 463, iam fuerat proposita: alterum Urbani responsum, censet ipse, potest in sensu *diviso* intelligi, quia *unicum* erat atque *idem* responsum *duobus distinctis* quaesitis faciendum quorum in uno sermo erat de *transitu*, in altero, de *transmigrantibus*: ideo Urbanus edixit matrimonium esse *invalidum* 1°) inter sic (ut in primo quaesito) *transeuntes* et 2°) inter sic (ut in secundo quaesito) se *transferentes*; rationemque addidit invaliditatis utrique casui communem atque in utroque *repetitam*, nempe fraudem contra legem, saltem obiectivam. Porro ex dictis respondeo hanc explicationem conceptui fraudis haud congruere: quia in mero *transitu*, prout ibi contradistinguitur a *transmigratione*, matrimonium clandestinum non esset contra *implicitam* sed contra *explicitam* legis voluntatem in hypothesi adversariorum. Atqui haec non est *fraus* sed aperta legis violatio. Obiiciens igitur, dum vult evitare Charybdim, cecidit in Scyllam.

Analysi *fraudis* ex Urbani responso ad 1um et 2um quaesitum ita completa, concluditur ad eam requiri et quidem essentialiter, ex ipsa *fraudis* definitione, praeter *operatum* a lege dissonans ex conditione domicilii per legem requisita, ETIAM INTENTIONEM adhibendi et *translationem* et *transitum* (sensu explicato) tamquam *media* matrimonii ineundi uti finis obtinendi.

Neque oggeratur hanc requisitam *intentionem* ab Urbano non fuisse expresse significatam ut " *principium decisivum* " invaliditatis matrimonii in casu, dum sola conditio domicilii, collatis omnibus, fuit expressa, uti ratiocinatur Wernz in loco supra transcripto. Id enim negare possum: nam in termino illo *cum fraude* fuit significata satis haec requisita intentio, sicut expresso nomine *definito*, significata intelliguntur *definitionis* elementa.

§ XIII.

Conclusio confirmatur. — Analysis secundi Urbaniani responsi.

Eadem nunc illa conclusio, cum *fraudis* analysi prius completa ex qua ipsa conclusio fuit deducta, illustratur et confirmatur ex analysi tertii quaesiti, respectivique Urbani responsi.

Uti superius annotavi, dum tertium hoc quaesitum tam in Congregationis rescripto, quam in Brevi Urbaniano identicis verbis exprimitur, responsum enuntiatione variatur in rescripto atque in Brevi: in rescripto: " Ad 3um respondit nisi domicilium vere transferatur, matrimonium non esse validum ". In Brevi autem: " Ad tertium vero dubiorum huiusmodi, si domicilium vere transferatur, matrimonium esse validum responderunt et resolverunt, prout in decreto desuper emanato plenius continetur ". Res tamen hinc indeque aliter expressa, utrinque eadem est. Rescripti enim enuntiatio duabus propositionibus conditionalibus aequivalet quarum altera in expressione alterius implicite asserta ideo censetur quia in hac expressione conditio negative effertur: duae nempe aequivalentes propositiones sunt: *si domicilium non transfertur, matrimonium est invalidum; si vero transfertur, matrimonium est validum;* istae porro elliptice constringuntur in unam conditionalem, cuius *conditio* sit ipsa conditio negata *unius* e duabus illis aequivalentibus propositionibus conditionalibus, conditionatum vero sit *conditionatum* alterius. Hanc itaque ellipsim fecit S. Congregatio. Sed Urbanus animadvertens priorem ex illis duabus conditionalibus, esse iam in primo responso definitam censuit inutile eam in altero repetere, *habitationemque*, cuius in quaesitis *suppositio* erat evidenter restricta ad significandum *domicilium* omni aequivocatione exclusa, Urbanus in hac significatione sola intellexit atque alteram solam ex duabus illis conditionalibus, quae in ellipsi fuerat implicita, explicite enuntiavit, quippe quae sola aliquid in primo responso nondum dictum exprimebat. Videamus itaque quid exprimat hoc alterum Urbani responsum propositione conditionali enuntiatum. Conditio quae in eo sub forma passiva effertur, evidenter suapte natura respondet conditioni in tertio quaesito sub forma activa prolatae ideoque significat personas illas simul cum intentione fraudis illius subiectivae, *intentionem habuisse* acquirendi domicilium in loco non Tridentino, atque ipsum revera acquisivisse. Cum idcirco Urbanus edicat matrimonium in ea hypothesi esse validum, eo ipso implicite asserit intentionem acquirendi domicilii praevalere alteri iuxta legis statutum.

Cum autem Urbanus in priori responso iam *universaliter atque absolute* decrevisset fraudem invalidare matrimonium, altera haec eius assertio

non potest ea ratione explicari ut hanc primi responsi universalitatem statim destruat perinde ac si secundum responsum corrigeret primum, sed ea ratione explicari debet quatenus significet fraudem in casu tertio aeque ac in secundo ex se sola iam valere ad invalidandum matrimonium prout erat in secundo responso provisum, posse tamen impediri quominus hunc invaliditatis pariat effectum quia *sanari, tolli* ipsa potest ac reapse sanatur ac praepeditur in hac sua efficacia, per alteram *praevalentem intentionem* domicilii vel quasi–domicilii acquirendi, iuxta ipsius legis statutum. Aliis verbis altera haec acquirendi domicilii intentio adeo praevalet ut prior non exstitisse reputetur, computetur uti non existens; imo melius, altera ita praevalet ut *fraudis* rationem praesertim *subiectivae* auferat a priore illa intentione, quia iura nullum a mutando domicilio vel a novo quasi–domicilio pro lubitu suo acquirendo prohibent, atque nemo in fraudem legis per se agit, qui utitur iure suo. Re ita explicata, servatur intacta universalitas absoluta sine exceptione primi Urbani responsi et simul servatur secundi responsi veritas, quia domicilium noviter acquisitum tollit ipsam *fraudis* rationem ab illa intentione, qua sublata ipsum, propter restrictam legis Tridentinae promulgationem, matrimonium quantumvis clandestinum sinit esse validum.

* * *

Neque alio sensu rem hanc intellexisse censendus est Benedictus XIV dum in Const. *Paucis abhinc* scribit: " Huius vero definitionis (Urbani) contextu bene perpenso facile intelligitur matrimonia primo ac secundo loco exposita irrita ac nulla ab eadem Congregatione decerni, EO QUIA FRAUS INTERCESSIT; validum autem censeri matrimonium tertio loco positum, in quo, LICET FRAUS INTERCESSERIT, nihilominus is qui matrimonium contrahit, domicilium seu quasi-domicilium adeptus erat eo in loco, ubi matrimonium inivit ". Et similiter in Instit. 33, n. 8, 9 (1). — Quando enim dicit: *licet fraus intercesserit,* prius spectat intentionem illorum nupturientium *in se sola* et relate ad parochum prioris domicilii cui volebant se subtrahere, eamque ideo *fraudem* appellat in SENSU DIVISO ab alia intentione acquirendi domicilii; atque subaudit alteram incidentem propositionem: in quo casu, licet fraus intercesserit IDEOQUE IUXTA PRIMUM RESPONSUM, MATRIMONIUM DEBUISSET ESSE INVALIDUM; deinde pergit: NIHILOMINUS (simul cum ea intentione) is qui, etc.: nempe eamdem evitandi parochum intentionem spectat IN SENSU COMPOSITO cum intentione et acquisitione domicilii, ideoque prout binae hae intentiones *concurrunt,* atque dum in eo concursu dicit matrimonium esse validum, eo ipso implicite dicit hanc illi praevalere, illam non computari ad effectum: quod idem est ac a sua fraudis ratione PURGARI, fraudis rationem ab ea *tolli.* Ita nimirum cogimur Benedictum interpretari tum quia ex rerum natura atque definitione haec interpretatio nobis et Benedicto ipsi imponitur, tum ne Benedictus exhibeatur intellexisse destructam in secundo responso universalitatem absolutam primi.

Benedictus itaque in his locis rem et responsa enuntiat non tamen plenius explicat QUOMODO concordari debeant; id tamen implicite *indicat* dum effectum *fraudis* indicat in primo responso, concursum *fraudis* et *domicilii* indicat in secundo. Porro *domicilium* et *fraudem* nominando, iuxta *definitionem* intelligit, ex qua ego hic deduxi *modum* quo effectus oppositi in utroque casu obtinerentur.

* * *

Sequitur exinde Urbanum in suis duobus distinctis responsis, omnibus perpensis et comparatis, duo diversa edixisse; primum: *fraudem obiectivam contra legem Tridentinam, admissam ab incolis loci Tridentini, in sua translatione ad locum non Tridentinum et in suo transitu in eodem loco exempto ut ibi nubant, hanc fraudem etiam solummodo obiectivam, impedire quominus hae ipsorum nuptiae sint validae;* alterum: *hanc admissam fraudem sanari per domicilium vel quasi-domicilium in eo loco exempto ante nuptias acquisitum.*

Sive primum habeatur uti novum ius exceptionale ab Urbano extensive definitum, sive censeatur comprehensiva iuris Tridentini interpretatio, alterum sine dubio est mera capitis *Tametsi* declaratio quae refertur ad fraudem eiusque effectum, in primo responso statutum.

Hoc enim altero responso, nihil statuitur praeter id quod immediate iam sequebatur ex restricta capitis *Tametsi* promulgatione, matrimonium scilicet, quamvis clandestinum, *incolarum* loci non Tridentini, inibi contractum esse validum. Tantummodo declaratur effectum fraudis admissae in primo responso statutum non eo usque se extendere ut illud restrictae promulgationis capitis *Tametsi* consectarium impediatur.

Hisce explicata resultat connexio utriusque responsi: fraus censetur admissa, saltem illa quae obiectiva vocatur, in singulis tribus casibus propositis: in duobus primis domicilium in loco Tridentino solo retentum efficit ut fraus admissa invalidet matrimonium clandestine in loco non Tridentino contractum. In tertio, domicilium in hoc exempto loco acquisitum tollit ab illa intentione evitandi proprium parochum, rationem fraudis ac sinit matrimonium esse validum, sicuti validum erat ante Tridentinum decretum. Definitur ergo *habitudo duplex domicilii ad fraudem* illam ad minus obiectivam: prima habitudo, in primo responso descripta, in eo est quod domicilium sit *obiectum fraudis,* nedum ipsa fraus, quae, uti explicavi, sunt duo valde diversa; altera habitudo, in altero responso descripta, in eo est quod domicilium noviter acquisitum *rationem*

(1) WERNZ, vol. IV, p. 261, not. (156.

fraudis tollat; exinde in primo responso definitur *effectus fraudis*, ut nempe in causa ipsa sit cur matrimonium propter domicilium retentum non possit esse validum; in altero responso declaratur *effectus novi domicilii*: matrimonii validitas.

In casu primi responsi non est *defectus noviter acquirendi domicilii in loco exempto*, qui nullitatem inducit matrimonii; sed est *fraus* admissa circa domicilium Tridentinum *retentum* quae, propter Urbani decretum, inducit matrimonii invaliditatem. In casu alterius responsi est noviter acquisitum domicilium, quod, sublato fraudis effectu, sinit matrimonium esse validum. Non habemus igitur hic unum principium decisivum validitatis vel invaliditatis, prout unum idemque domicilium adest vel deficit: sed habemus duo penitus diversa principia validitatis atque invaliditatis, singillatim constituta ex habitudine diversa alterius et alterius domicilii ad unam eamdemque fraudem obiectivam: unum domicilium est obiectum fraudis, alterum fraudem tollit.

***

Sedulo etiam notanda alia connexionis ratio inter utrumque Urbani responsum. Secundum scilicet supponit iam datum primum in quo absolute edicitur nullitas matrimonii propter fraudem illam obiectivam quam explicavi. Propterea ex duobus quae in eo significabantur sub forma quae prius exstabat in rescripto Congregationis, Urbanus, supposita iam data solutione ad unum, expressit tantummodo alterum.

Ergo secundum Urbani responsum *exclusive* spectat hypothesim *fraudis admissae*, cui remedium unicum exhibet, sicuti explicavi. Ergo responsum hoc est hypotheticum, nedum absolute datum perinde ac si fuisset datum solum, primo responso non praemisso. Si ergo matrimonium in casu cui per secundum responsum solutio datur, non acquisito ibi domicilio, est invalidum, id habet non ex *tenore* ipsius secundi responsi, sed ex *praesupposito* eiusdem secundi responsi. Ergo quando ab adversario dicitur, in secundo responso *unicum* medium purgandae fraudis *exclusive* proponi, domicilii vel quasi-domicilii acquisitionem in loco exempto; atque esse prorsus arbitrarium alia praeter hoc admitti media, id ultro conceditur, sed negatur suppositum me aliud unquam excogitasse medium purgandi hanc *admissam* fraudem saltem obiectivam.

Sed omnino aliud feci: demonstravi nempe 1° quid iuridice importet fraus obiectiva de qua Urbanus in primo suo responso decrevit; 2° reum aliquando demonstrare posse se *hanc* Urbaniani decreti fraudem non admisisse, ideoque non cadere sub primo Urbani responso et consequenter neque includi in hypothesi secundi responsi. Haec autem duo a me demonstrata non exhibent *aliud medium* purgandi fraudem de qua Urbanus, *admissam*; sed demonstrant *non fuisse admissam* (1).

Ergo tandem adversarius in citata illa sua animadversione, nullum *novum* contra me profert argumentum sed in medium tantummodo reducit, falso assumpto supposito, ea quae dixerat de fraude relate ad primum Urbani responsum, quae ego hic et in praecedenti opusculo confutavi.

***

Radix et origo huius confusionis in eo videtur posse forte reponi quod responsa duo Urbani videantur ab adversario assumi veluti si *ex se solis* statuerent casum et hypothesim, independenter a quaesitis, quemadmodum fieret v. g. in duabus legibus alicuius codicis. Atvero responsa Urbani data fuerunt determinatis tribus quaesitis nec plus nec minus; nosque ratiocinando deducimus quantum in se valeant pro omnibus casibus identicis vel etiam similibus; atque in hoc maxima rei arduitas. Sed si ita est non fuit Urbanus qui casus constituit atque hypotheses easque in exclusiva quadam disiunctiva, uti videtur ab adversario supponi, ordinavit, sed tres hypotheses a postulante iam constitutas assumpsit Urbanus eisque responsa aptavit: a postulante *subiecta* assumpsit, *praedicata* vero ex sua potestate atque iuxta legem communem et Tridentinam adiunxit. Igitur si ego probavero aliquem casum non esse casum ullius ex tribus illis *subiectis*, eo ipso probatum habuero mea non referre *praedicata* Urbani. Neque urgeant tria *subiecta*, tres casus Archiepiscopi exhibere illam exclusivam atque adaequatam disiunctivam quam adversarius videt in *praedicatis* ab Urbano definitive eis attributis. Nam hoc demonstravi de primo quaesito, esse falsum, ubi ostendi *translationem in fraudem legis obiectivam* in eo non explicite significari sed *posse* etiam in eo implicite intelligi, non autem debere; dum Urbanus eam necessario requirit ad invaliditatem coniugii.

§ XIV.

Adversae explicationis solutio. — Analysis conclusio.

Ex hac instituta analysi apparet adversarii ratiocinationem in tribus deficere: primum est falsum eius suppositum: primum nempe Urbani responsum nuptias in casu invalidas decrevisse propter nudum domicilii acquisiti defectum, nudum *conditionis s. q. n. requisitae* defectum; dum Urbanus nuptias in casu invalidas esse decrevit propter *fraudem* saltem sic dictam obiectivam, quae cadat in domicilium retentum: ista duo aequiparari non possunt nisi supponatur quod falsum est, *fraudem obiectivam* esse *ipsum factum* vel retenti

(1) Hisce dissolvitur alia obiecta difficultas a Wernz, vol. IV, pag. 261, fere in ima pagina: « Est igitur, ait, prorsus arbitrarium, si quis praeterea (praeter nempe probationem non acquisiti domicilii in casu) *alia* admittit media ».

domicilii Tridentino in loco, vel non acquisiti in loco non Tridentino domicilii.

Alterum est quod, etiamsi dicatur ipsum factum domicilii retenti, vel domicilii non acquisiti includere intentionem per quam a persona retinetur, vel omittitur acquiri, ideoque posse haberi ut *fraudem* obiectivam superius definitam; non tamen *illam determinatam* in primo Urbani responso, fraudem ratiocinatio adversarii includit in illo suo mero facto, sed eam limitat in suo obiecto plus quam voluit Urbanus, ideoque Urbani statutum extendit, quod profecto iuridicum non est.

Tertium in quo deficit eius argumentatio est hypothesis et ipsa falsa, quod Urbanus in secundo responso, cum loquitur utique de eadem fraude ac in primo, loquatur de eodem domicilio quod supponat deficere in primo, adesse in secundo. E contra verum est Urbanum loqui in secundo responso de alio domicilio ac domicilium de quo loquitur in primo responso, et insuper de alia diversa habitudine utriusque ad unam eamdem fraudem.

Instituta analysis iuvat etiam ad arguendum primum Urbani responsum fuisse extensivam capitis *Tametsi* interpretationem, iusque exceptionale novum statuisse.

Sane secundum Urbani responsum, uti paulo ante explicavi, ut possit validitatem statuere matrimonii in casu proposito vi iuris communis (quod Tridentina lex capitis *Tametsi* propter restrictam suam promulgationem non mutavit in eo casu), secundum, inquam Urbani responsum implicite nititur principio quod ratio fraudis quae per se inesset in intentione evitandi proprii parochi, *purgatur* sive *tollitur* intentione et facto acquisitionis novi domicilii, quo quis utitur iure suo mutandi parochum vel acquirendi novum quasi domicilium. Si igitur Urbanus in secundo responso supposuit hoc principium esse adhibendum ad interpretandum caput *Tametsi* in hac parte, immerito iudicatur ipse existimasse, per eamdem legem capitis *Tametsi* in altera eius parte fuisse effectam *non tutam* opinionem illam multorum, quod liceat se subducere iurisdictioni alicuius *ut* eius lex evitetur: quae opinio praecise, ut ab initio nos docuit Bucceroni, nititur in eodem principio, *in fraudem legis non operare qui utitur iure suo.* Secus in existimatione Urbani, caput *Tametsi* supposuisset admissibilem opinionem illam quae hoc iuris principium applicat, in una sui statuti parte, in altera vero non admissibilem, quod implicat contradictionem, si haec opinio habetur uti *in se non tuta*, nedum in quadam sua applicatione tantum. — Urbanus ergo non censuit, sicut postea Benedictus in opere *de Synodo dioec.*, illam opinionem fuisse exercite reprobatam a Concilio. Sed si hoc non censuit, eo ipso censuit casum primi et secundi quaesiti ab Archiepiscopo Coloniensi propositi non esse solo capite *Tametsi* praepeditum, quem neque implicite neque multo minus explicite hoc caput spectabat.

Ergo ipse Urbanus suo primo responso novum ius exceptionale condidit; idque ex comparatione elucet secundi responsi cum primo; quod erat probandum.

(*Prosequendum*)

G. Arendt, S. I.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1903-904 (1).

XI.

De convalidatione matrimonii irriti ob defectum formae Tridentinae.

Die 27 Iunii 1904, hora 18 ¼ (6 ¼ pom.).

Titius, in Gallia commorans, licet in catholica religione baptizatus, de illius tamen exercitio et legibus nihil sollicitus, nulla petita dispensatione, Caiam e protestantium secta in uxorem duxit. Matrimonium inter eos celebratum fuit primo coram magistratu civili, deinde coram ministro acatholico. Haud multo post negotiorum causa, relicta Gallia, ambo se contulerunt in Angliam, ibidem domicilium figentes. Post aliquot annos vitae coniugalis pacifice traductae, dissociatis animis, Caia civile divortium petiit et obtinuit. Quae mox ad catholicam fidem conversa alias nuptias cum viro catholico inire cupit; qua de re consilium petit ab eodem presbytero, qui auctor suae conversionis fuerat. Hic respondet, eam adhuc vinculo coniugali ligari, eo quod matrimonium, licet invalide ob clandestinitatis impedimentum in Gallia cum Titio celebratum, per continuatam tamen in Anglia vitam coniugalem convalidatum fuit, cessante scilicet ibi nullitatis causa ob non promulgatum caput *Tametsi*.

His auditis Caia utpote neo-conversa clandestinitatis impedimentum atque matrimonii in Gallia celebrati nullitatem ignorans, anxietatibus premitur: hinc ad parochum catholicum accedit et illius iudicium circa datam sibi responsionem expostulat. Parochus, ut Caiae morem gerat, secum quaerit:

1° *Qua ratione matrimonium nullum, utpote clandestine celebratum in loco, ubi Caput* Tametsi *viget, possit in eodem loco revalidari?*

2° *Quid requiratur et sufficiat ad illud idem matrimonium in alio loco, ubi Cap.* Tametsi *non viget, revalidandum?*

3° *An Caiae liceat novas nuptias inire cum viro catholico?*

Antequam ad dubiorum solutionem deveniamus, nonnulla scitu necessaria praemittere iuvabit. Itaque matrimonium revalidare, teste D'Annibale (T. III, § 365), idem est ac illud

(1) *N. B.* Hosce nostros casus Consc. sub tutela legum positos, nemo fraudulenter iterum edat, secus iudicialem poenam luet.

ex integro denuo contrahere. Quod quidem necessarium evadit quando in prima matrimonii celebratione vel defecit substantialis consensus, vel servata non fuit forma substantialis Concilii Tridentini, in locis ubi viget, vel inhabiles erant ad contrahendum personae, ob impedimentum iuris vel naturalis, vel divini, vel ecclesiastici.

Haec autem matrimonii revalidatio obtineri potest vel per simplicem consensus renovationem, vel per ordinariam dispensationem cum renovatione consensus, vel per dispensationem extraordinariam sine consensus renovatione.

Quod attinet ad consensus renovationem, omnes quidem conveniunt in asserenda eiusdem necessitate, quando in prima matrimonii celebratione consensus substantialiter defecit. Pariterque omnes admittunt necessariam consensus renovationem, iure ecclesiastico, quando imponitur in Rescripto revalidationis, ita ut, hac non posita consensus renovatione, matrimonium nullimode revalidetur. Utrum autem haec consensus renovatio necessaria sit etiam *ex natura rei*, denegant multi et illorum rationes expendemus in responsione *ad IIum*. His positis

Ad Ium. Generatim loquendo, matrimonium clandestine contractum, scilicet absque Parocho et testibus, in loco ubi viget caput *Tametsi*, non potest in eodem loco revalidari nisi per consensum publice exprimendum coram Parocho et testibus, praeviis denunciationibus, et obtenta super impedimentis, si quae fuerint, ecclesiastica dispensatione.

Dixi – generatim loquendo – ; nam si difficultates occurrerent, habenda esset prae oculis Instructio Card. Caprara, diei 25 Aprilis 1803, pro revalidatione matrimoniorum in Galliis. In qua Instructione omnes et singuli casus considerantur et pro singulis solvendis opportuna regula statuitur.

Heic alia consideranda non apparent, et ideo

Ad IIum. Si quae adest in casu difficultas, haec tota respicit huius alterius dubii solutionem, in quo quaestio est de necessariis et sufficientibus ad matrimonii clandestini revalidationem in loco non subiecto Decreto Concilii Tridentini.

Ut patet per se, supponit casus sponsos clandestine contraxisse in loco ubi viget caput *Tametsi*, et deinde, absque fraude, in locum transiisse huic Decreto non subiectum, ibique verum et legitimum domicilium adquisiisse. Quid igitur iuris ut hi possint eorum matrimonium nulliter contractum revalidare ?

Sunt qui putant, ex natura rei, sufficere factum adquisiti domicilii ad hoc ut matrimonium illud revalidetur. Aiunt enim primum consensum praestitum a sponsis fuisse verum consensum, licet inefficacem, ob non servatam illam formam substantialem, quae obligabat sub poena nullitatis in loco subiecto Decreto *Tametsi*. At sublato impedimento ob adquisitum domicilium in loco ubi illa forma substantialis non obligat, primus consensus iam per se verus etiam efficax evadit, et matrimonium per hoc solum revalidatur. Unde contradictionem existere affirmant inter ius naturae et ius ecclesiasticum ; cum hoc postremum praeter adquisitum domicilium, exigat etiam ut sponsi agnoscant nullitatem eorum matrimonii, et matrimonialem consensum omnino renovent.

Ni fallor, qui ita loquuntur, non satis distinguunt inter consensum prout est actus voluntatis, et consensum prout est causa matrimonii. Equidem si consensum inspiciamus prout est actus voluntatis, nisi probetur iocose vel ficte positum fuisse, dicendus est *verus* consensus, siquidem vere voluntas in illum actum prosiliit. At cum ob existens impedimentum nil producere possit, et matrimonium firmare non valeat, in ratione causalitatis dicendus est nullus et non verus, teste ipso cl. Gasparri, qui loquens de modo certiorandi partem innocentem de nullitate prioris consensus, ait quod « unicus modus, quo conditio illa impletur, est si pars « impedimenti conscia dicat alteri : *Quando nupsi non « habui verum consensum, renovemus illum*, quod mendacio caret quia CONSENSUS NULLUS NON EST VERUS CONSENSUS » (De Matr., 1132). Si igitur talis consensus, in ratione causalitatis uti nullus et non verus habendus est, iam patet valere principium – *non firmari tractu temporis, quod ab initio non subsistit.*

Certe si perseverantia consensus consisteret in quadam nova et successiva eiusdem consensus positione, dici posset quod a momento cessati impedimenti, haec nova consensus positio validum redderet quod antea, obstante impedimento, validum non fuerat. At perseverantia consensus consistit in permanentia illius actus prout fuit ab initio positus: Atqui ille actus ab initio positus, in ratione causalitatis fuit nullus et non verus: Ergo, etiam remoto impedimento, nihil causare poterit.

Esto quod Summus Pontifex illum verum consensum, prout est actus voluntatis, sanare possit et validum reddere, in ratione causalitatis, ad matrimonium contrahendum, utique a die fulminatae sanationis. Ast aliud omnino est loqui de iis, quae fiunt per ordinariam Pontificis potestatem, et aliud loqui de iis, quae fiunt per exercitium supremae eiusdem Pontificis potestatis; pariterque aliud est loqui de simplici matrimonii revalidatione et aliud loqui de matrimoniorum sanationibus. Integre perlegatur Instructio E.mi Card. Caprara, et statim patebit in simplici matrimoniorum revalidatione, omitti quidem aliquando posse certiorationem partis innocentis de invaliditate consensus, sed nunquam concedi ut omittatur aliqualis consensus renovatio, saltem uno vel altero ex iis modis, qui proponuntur a probatis auctoribus. Quod si nullimode possit haec consensus renovatio obtineri, tunc recurrendum statuitur ad sanationem in radice.

Non me latet nonnullos Auctores inde deducere quod haec consensus renovatio sit utique imposita a iure ecclesiastico, non vero statuta a iure naturae; nam, dicunt, si haec consensus renovatio imposita esset a iure naturae, ab ea Summus Pontifex dispensare non posset: Atqui de facto Summus Pontifex dispensat a renovatione consensus in matrimoniorum sanationibus: Ergo illa consensus renovatio non est imposita a iure naturae.

Miror cl. Auctores non satis arripuisse verum quaestionis statum, nec plene intellexisse quid veniat nomine *renovationis consensus*. Quod absolute exigitur a iure naturae est consensus verus, prout est actus voluntatis; ita ut si talis deficiat consensus, neque de plenitudine potestatis posset Summus Pontifex matrimonium aut revalidare aut sanare. Verum, ut iam dixi, fieri potest ut hic verus consensus, prout est actus voluntatis, per aliquam legem irritantem impediatur quominus in ratione causalitatis possit suum effectum sortiri et matrimonium firmare. Ex quo fit ut talis consensus de facto habeatur uti nullus et tamquam non positus. Hinc ad tale matrimonium revalidandum exigit Summus Pontifex ut renovetur consensus, idest, habito tamquam non posito priori consensu, ponatur de facto consensus, qui sit verus ut est actus voluntatis, et validus in ratione causalitatis, prout exigitur a iure naturae. Unde si recte loqui volumus, haec consensus renovatio est potius positio consensus veri et validi, cum primus consensus fuerit tantummodo verus, sed invalidus, ideoque habitus tamquam non positus.

Et ita quidem in simplici matrimoniorum revalidatione. Summus enim Pontifex, in quantum potest, exigit ut consensus ponatur, explicitis verbis, prout a iure naturae requiritur. Et cum primus consensus, ob irritantem legem, evaserit

nullus, illum habet tamquam non positum, ideoque, in sensu supra exposito, renovandum.

At fieri potest ut salus animarum aliud exigat a Pontifice peragendum; et tunc Pontifex, cessato aut remoto impedimento, de plenitudine potestatis, ipsum primum positum consensum sanat ad effectum ut validus evadat in ratione causalitatis, et matrimonium firmet a die fulminatae sanationis. Unde differentia inter matrimonii *revalidationem*, et matrimonii *sanationem* non consistit in hoc, quod in matrimonii *revalidatione* exigatur consensus renovatio, et in matrimonii *sanatione* ab hac consensus renovatione dispensatio concedatur; sed in hoc consistit quod unicus, qui exigitur consensus in matrimonii *revalidatione* sit ponendus in ipso *revalidationis* actu, priori consensu habito uti non posito; e contra in matrimonii *sanatione* reddatur validus primus ille consensus per exercitium supremae Pontificiae potestatis.

Confusione aliqua laborari dicendi sunt qui opponunt quod si renovatio consensus esset imposita a iure naturae, ab ea Summus Pontifex dispensare non posset. De facto enim et stricte loquendo, neque consensus renovatio imponitur a iure naturae, neque ab ea dispensare dicendus est Summus Pontifex. Ius naturae et Summus Pontifex unum exigunt consensum, qui sit verus prout est actus voluntatis, et sit validus in ratione causalitatis. Quod si quaeratur qualis sit hic unicus consensus verus et validus, respondeo in matrimonii *revalidatione* esse illum consensum, qui ponitur in ipso revalidationis actu, priori habito uti non posito; in matrimonii vero *sanatione* esse illum ipsum primum consensum qui verus, ut supponitur, prout est actus voluntatis, redditur etiam validus in ratione causalitatis a suprema Pontificis potestate.

Hisce positis, ad dubium sic respondeo: Ut sponsi, qui clandestine contraxerunt in loco subiecto Decreto *Tametsi* possint eorum matrimonium revalidare in loco exempto, duo requiruntur, videlicet: 1° ut cognoscant nullitatem primi matrimonii; 2° ut consensum aliquo modo removent, saltem per copulam habitam affectu maritali. Licet enim mulier fuerit et perseveret in secta Protestantium, et ideo forsan personaliter non subiecta Decreto *Tametsi*, tamen in loco contraxit tali Decreto subiecto, ideoque nulliter contraxit et consensus ab ea et a suo sponso praestitus, in ratione causalitatis, fuit et permansit nullus et non verus. Si igitur hanc nullitatem nescit atque ignorat, impossibile est ut ab ipsa recedere valeat. Qui dicunt nullitatem cessare ex solo facto adquisiti domicilii in loco exempto, hi non solum ea omnia solvere tenentur quae supra disputavimus, sed insuper explicare coguntur qua ratione vir catholicus, qui ignorat nullitatem sui matrimonii possit cum tali ignorantia, et absque ulla sive intentione, sive consensus renovatione, conficere sacramentum matrimonii; siquidem ipse est sacramenti minister, et sacramentum non confectum in prima matrimonii celebratione, co ficeretur in actu ignoratae revalidationis!! Nulli igitur dubium quod nullitas matrimonii removeri non possit nisi prius agnoscatur. Eaque vero cognita, nulli pariter dubium, ex disputatis, quod matrimonii revalidatio haberi non valeat nisi per consensus renovationem, iuxta regulas traditas in Instructione Card. Caprara. Quapropter,

*Ad III^um^*. Si Caja ignorans nullitatem primi matrimonii consensum nullimode renovavit in loco exempto, ita ut constanter permanserit in primitivo consensu nullo et invalido, ipsa libera est ab omni vinculo matrimoniali, et ideo ex hoc capite libera est ineundi novas nuptias cum viro catholico. At si agnoscens nullitatem primi matrimonii consensum aliquo modo renovavit in loco exempto, ipsa tenetur impedimento ligaminis, et ideo matrimonium, eo stante, nullimode contrahere potest.

IOACHIMUS FERRINI, *Ministrantium Infirmis, Epitomator ex officio.*

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

II.

De Octavis diebus festorum solemniorum primar. Domini an sint duplicia maiora.

Die 30 Novembris 1904, hora 3 a meridie.

Dominicum inter et Franciscum Rubricarum peritiores vehemens nuper exarsit controversia circa octavos dies festorum solemniorum, quae primaria sint, Domini. Alter enim totis nervis tuebatur, praefatos dies esse vere duplicis maioris ritus, et quidem vi Rubricarum Breviarii romani; quia tam in occursu, quam in concursu, solis cedunt duplicibus non classicis, et ratione dignitatis, semper praeferri debent. Alter vero fortiter opponitur iudicans, praedictos dies esse, nec plus nec minus, uti caeteros dies octavos, hoc est duplicia minora, quamvis ex privilegio super alia duplicia, sive minora sive maiora, praelatione gaudeant. Quaestione velut in infinitum abeunte, res ad Academiam hanc deferre opportunum iudicatum est, discutienda, scientiaeque principiis resolvenda. *Quaeritur:*

1. *Quaenam origo vocis* duplex *in festis Breviarii Romani, quibus festum* duplex *potiatur iuribus, et qua de causa distinctio inter officia duplicia invecta fuerit?*

2. *Quae sit distinctio inter duplex* maius *et* minus, *et an revera diversa utriusque sint iura?*

3. *Utrum, inspectis duplicis maioris iuribus, praedicari revera possit, octavos dies festorum solemniorum Domini esse duplicia maiora?*

4. *An ex huiusmodi appellatione aliquam deturbationem patiantur Rubricae, an potius claritudinem acquirant?*

SOLUTIO.

In Conventu Academiae habito die 30 Novembris 1904, super casu proposito disseruit R. D. Ieremias Pascucci, e Pontif. Seminario Pio, atque epitomen egit R. P. D. Petrus Piacenza.

*Ad I^um^*. Inter sacrae Liturgiae Magistros plures conati sunt vocis *duplex* quidditatem investigare. Et quod eius originem attinet, diversi diversas tradidere sententias. Ioannes Fronto, Canonicus Parisiensis, putat *duplex* ex eo derivari quod antiquitus duo celebrabantur officia, alterum de feria, de festo alterum; sed hanc sententiam tamquam erroneam reiicimus, quippe si vera esset, non intelligitur qua ratione et *duplicia* fuerint festa Epiphaniae, Assumptionis B. M. V., etc. quibus diebus a clericis unum officium recitabatur.

Frontonis sententiae adstipulantur Grancolas *(Comm. hist. in Brev. lib. 1, c. 44)*, et Ioannes Fornici (*Instit. liturg., p. 2, c. 7*), hinc et ipsi in errorem cum Frontone incidunt eadem ratione.

Clarissimus Durandus e contra sentit officium vocari *duplex*: 1) quia responsoria et versus a duobus cantantur; 2) quia omnia incipienda, puta Invitatorium, Antiphonae, Introitus, etc., a duobus incipiuntur; 3) tandem quia duplicantur antiphonae. Verum et Durandi opinionem reiiciendam putamus, non enim vi persuadendi pollet, siquidem consuetudo cantandi versus et responsoria, vel incipiendi psalmos etc. a duobus cantoribus generalis non erat, in quod consentit ipse Durandus scribens lib. 7, c. 1, n. 31: « Dicuntur quaedam (festa) duplicia in *quibusdam* ecclesiis pro eo quod etc. ». Sed neque ex antiphonarum duplicatione

huius vocis origo deduci potest, nam: 1) lex duplicandi antiphonas non ita est generalis ut etiam vigeat apud omnes latinas liturgias. Sic in ritu hierosolymitano a Patribus Carmelitis adhibito, nunquam duplicantur antiphonae cum agitur officium duplex minus primae vel secundae classis (1), si excipias antiphonas pro *Benedictus* et *Magnificat*; 2) quia antiphonae tantum duplicantur ad Matutinum, Laudes, et Vesperas, quod etiam apud Carmelitas agitur, verum solum in duplicibus maioribus primae et secundae classis (1).

Rem acu tangit clarissimus Doct. Piacenza in sua *Exposit. noviss. rubric. Brev. Rom.*, § *20, pag. 55*: « Sed et causa (*scribit*), cur vox *duplex* in officiis designandis, inducta est, a *duplicatione* antiphonarum sumpta, non in omnibus nobis placet, et imperfecta saltem videtur. Primo quidem, quia compertum est, pluribus in ecclesiis ante Pium V Officia duplicia celebrata fuisse, absque dicta antiphonarum duplicatione, quae consuetudo paucis abhinc annis omnino ablata fuit in aliquibus Gallicanis ecclesiis, postquam P. M. Pius IX Romanam liturgiam feliciter in totam Galliam invexit. Secundo autem quia duplicatio antiphonarum non in toto officio duplici adhibetur, sed in Matutino, Laudibus, et Vesperis tantum: quod si officio duplici haec duplicatio antiphonarum principaliter conveniret, in minoribus etiam Horis adhiberetur. Tertio quidem, quia in antiquo Breviario ecclesiae Placentinae, Venetiis edito anno 1530, in Rubrica 31, Festa dividuntur in duplicia maiora et minora; semiduplicia item maiora et minora, et in simplicia similiter maiora et minora. In Rubrica autem 8 habetur: *Integre autem semper dicuntur antiphonae, tam ante quam post psalmos (sola antiphona ad* Nunc dimittis *dumtaxat ac semper excepta), in omnibus solemnitatibus et festis tam maioribus quam minoribus duplicibus. Item antiphonae quoque duplicantur ad Nocturnum et ad* Benedictus *et ad* Magnificat *in* utrisque *vesperis in festis semiduplicibus.....* Quarto tandem quia, si bene consideretur, vox *duplicatio* antiphonarum, effectus est potius quam causa vocis *duplex* ».

Accedit quod etiam antiphonae maiores *O* duplicantur quamvis officium duplex non sit. Concludendum ergo antiphonarum duplicationem signum quidem esse plus minusve maioris solemnitatis, non autem causam ex qua *duplicia* festa nuncupentur.

Quo vero exquirenda sit *duplicis* origo verius innuit praelaudatus Doct. Piacenza *(loc. cit.)* cuius sententiam omnino tenendam censemus: « Antiquitus, *scribit*, duo tantum habebantur genera officiorum, *festiva* et *ferialia*. Festivum officium ob eius solemnitatem duas Vesperas habebat, primas et secundas; feriale, unas dumtaxat habebat, nempe primas. Festivum ergo officium naturaliter appellatum est postea *duplex* propter duas vesperas, et feriale e converso *simplex* vocatum est propter unas; duplex enim dualitati convenit, et simplex unitati respondet ». Haec cl. Piacenza opinandi ratio et ipsi Guyeto placuit, siquidem scribit *(l. 2, c. 9, q. 2)*: « *Unum addo*, duplicis rationem rectius inde deduci, quod duplex duas olim, ut et hodie, haberet vesperas, pridie videlicet et ipso die festi: simplex vero unas dumtaxat nempe primas ». Item sentit Meratus in notis Gavanti.

Quod spectat iura duplicium, dicendum imprimis, officium duplex excellentius esse semiduplici ac simplici. Distinctio autem in *duplicia* I^{ae} et II^{ae} classis, maiora et minora, afficit potius officii nobilitatem quam ritum.

In praesenti sacrae liturgiae disciplina nota praecipua officiorum duplicium (exceptis duplicibus minoribus non Doctorum) ius est ad translationem sive perpetuam sive accidentalem, prout impedita fuerint perpetuo vel accidentaliter. Ast perpetua tantum translatio et semiduplicibus competit propria die perpetuo impeditis. Aliae vero notae festi duplicis sunt: 1) Una tantum oratio in Missa, nisi occurrat aliqua commemoratio; 2) Precum et suffragiorum omissio; 3) Duplicatio antiphonarum in Matutino, Laudibus, et Vesperis.

Ad II^{um}. Ante Clementem VIII, nulla inter duplicia maiora et minora explicita habebatur distinctio. In Missalibus et Breviariis aderant quidem festa ritu duplici maiori vel minori, ast lex eis non erat quibus iuribus gaudere deberent; hoc eruimus ex quodam Missali anno 1500 edito, in quo Circumcisio Domini notatur sub ritu duplici minori, dum e contra Martyres quidam, de quibus in praesenti ne commemoratio quidem fit, inter duplicia maiora recensentur. Nolumus credere Martyrum festa nobiliora fuisse Circumcisione Domini.

Clemens VIII in rubricas certam induxit distinctionem inter maiora et minora duplicia, quibus ut amplius distinguerentur, duplicia addidit I^{ae} et II^{ae} classis. Anno vero 1893 (1) Leo XIII ad evitandam collisionem quorumdam festorum eiusdem ritus eodem die occurrentium vel concurrentium, novam induxit distinctionem inter festa primaria et secundaria etiam pro semiduplicibus, quae distinctio tantum inservit ad praelationem statuendam inter festa eiusdem ritus. Praelatio haec qua maiora gaudent prae minoribus festis, potissima ratio est exquisitae distinctionis.

Ad III^{um}. Dicendum quod dies octavi festorum primariorum Domini inspectis iuribus quibus gaudent, indubitanter duplicia maiora evadunt quod pluribus probatur argumentis: *a*) Duplicia maiora ea sunt quae aliis duplicibus minoribus praeferuntur: sed dies octavi festorum Domini primariorum in occurrentia et concurrentia praeferuntur omnibus duplicibus minoribus, imo et maioribus. Ergo.

b) Gardellinius in suffragio ad Decretum n. 2632 (vol. IV, p. 246) scribit: « Dominica in Albis est ritus duplicis maioris ». Adde quod S. R. C. in suo Decreto n. 2928 antiquae Collectionis ad 12, aperte declaravit: « Dies octavae quarumcumque festivitatum (excepta die octavae Epiphaniae, Paschae, Ascensionis, Corporis Christi) sunt duplicia minora »; ergo dies octavae hic exceptae sunt duplicia maiora.

c) Idem eruitur ex Decreto S. R. C., n. 2145, in quo statuitur: « In ecclesiis, in quibus festum SS. Trinitatis est I classis, concurrentibus vesperis diei octavae eiusdem cum duplici maiori sequenti, Vesperas faciendas esse integras de die octava cum commemoratione sequentis, ut Rubrica praescribit in octavis Epiphaniae, Paschatis, Ascen-

(1) Ad confusionem vitandam ponimus hic differentiam diversorum rituum eorumque aequipollentiam utriusque liturgiae, Hierosolymitanae nempe et Romanae:

In ritu Hierosolym.		*In ritu Romano.*
Duplex maius I. classis	*respondet*	Duplici I. classis.
Duplex maius II. classis	»	Duplici II. classis.
Duplex minus I. classis	»	Duplici maiori.
Duplex minus II. classis	»	Duplici minori.
Semiduplex } Simplex }	»	Semiduplici.
Simplicissimum	»	Simplici.

Notandum quod in liturgia Hierosolymitana *semiduplex* se habet ad *simplex* prout *duplex maius* et *duplex minus I. classis* se habent respective ad *duplex maius* et *duplex minus II. classis*; hinc bene vocari possent *semiduplex I. classis*, et simplex *semiduplex II. classis*; simplex cuim duas vesperas habet et novem lectiones. *Simplicissimum* vero bene respondet *simplici* ritus romani, est enim trium lectionum, unas tantum habet vesperas, nempe primas, et est ritus officii ferialis.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 285, 316.

sionis et Corporis Christi.». Sive ergo consideres iura praefatarum octavarum, sive Decreta S. R. C. ad rem edita, sive sententias quorumdam in re liturgica peritorum, v. g. Gavanti, Merati, Piacenza etc., nullum dubium quod dies octavi ut in casu duplicia sunt maiora.

P. Elias Maria Coccia, *Ord. Carm.*
Sacr. Rituum Cong.nis Consultor
ac Censor Academiae Liturgicae.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Février 1905.

1 Mercredi.

S. G. Mgr Gaëtan Caporali, Arch. d'Otrante, est reçu en audience.

2 Jeudi.

Le St-Père reçoit dans la Salle du Consistoire les Députations des Chapitres des Basiliques Patriarchales, des Basiliques et Collégiales, des Confréries, des Ordres religieux, des Collèges et des autres Instituts, qui Lui offrent le cierge traditionnel de la *Chandeleur*.

— S. G. Mgr Nicolas-Marie Merola, Ev. d'Isernia et Venafro, est reçu en audience.

3 Vendredi.

S. G. Mgr François do Rego Maia, Ev. de Belem de Para, est reçu en audience.

6 Lundi.

Le St-Père reçoit en audience le T. R. Frère Venance Denauw, Sup. Gén. des Fils de Notre-Dame de la Miséricorde.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Antoine Agliardi est nommé Protecteur de l'Archiconfrérie du T.-S. Sacrement, érigée dans l'Eglise de l'Immaculée Conception, à Catanzaro.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Vivès y Tuto est nommé Protecteur de l'Archiconfrérie de l'Immaculée Conception, à Catanzaro; — de l'Institut des Filles du Christ-Roi, à Grenade; — et de l'Institut des Sœurs Tertiaires Capucines, à Valence.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Jérôme Rolleri est nommé Secrétaire de la S. C. de la Propagande, pour les affaires du Rite Oriental.

8 Mercredi.

Le R.me P. Dominique Reuter, Ministre Général des Mineurs Conventuels, est reçu en audience.

10 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. Joachim Nabucco, Ambassadeur du Brésil à Washington; — et S. G. Mgr Albin-Ange Pardini, Ev. Tit. de Zama.

11 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Prince D. Joseph Aldobrandini; — et S. Exc. M. Albert Blancas, Chargé d'affaires de la République Argentine près le St-Siège.

12 Dimanche.

Dans la Salle du Consistoire on promulgue, en présence du Souverain Pontife, le Décret sur les vertus héroïques de la V. Serv. de Dieu Madeleine-Sophie Barat (Voir aux *Anal. nova*, p. 79).

13 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Fortuné Vinelli, Ev. de Chiavari; — et M. le Baron Victor De Hein, Conseiller Intime de S. M. l'Empereur d'Autriche-Hongrie et Gouverneur de la Carniole.

14 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: Mgr Hippolyte Costa, Prélat Domestique, Vicaire Général des Amazones; — S. G. Mgr Marini, Ev. Tit. d'Archélaïde, Vicaire Général de Spolète; — M. le Prince Constantin Radziwill; — et le T. R. P. Dom Laurent Janssens, O. S. B., Recteur du Collège St-Anselme.

15 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Pascal Berardi, Ev. de Ruvo et Bitonto; — S. G. Mgr Séraphin Angelini, Ev. d'Avellino; — le R.me P. Félix Fioretti, Sup. Gén. des Barnabites; — le R.me P. Joseph Romani, Prieur Général des Ermites de St-Jérôme; — Dom Joseph Pothier, O. S. B., Abbé de St-Wandrille; — et le Prof. Joseph Fornari, Président du Cercle St-Pierre.

16 Jeudi.

S. G. Mgr Thomas Beaven, Ev. de Springfield, est reçu en audience.

17 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Dominique Serafini, Arch. de Spolète, Délégué Apost. au Mexique; — et Mgr Ange-Marie Dolci, Ev. de Gubbio.

18 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Emmanuel de Briey, Ev. de Meaux; — et le Chapitre de la Basilique de St-Marc de Rome, venu pour remercier Sa Sainteté pour la Béatification du Bienh. Gaspar del Bufalo, jadis Chanoine de la dite Basilique.

21 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean-Marie Santarelli, Arch. d'Urbin; — et Mgr Henri-Ludovic Chapon, Ev. de Nice.

— Congr. Antépréparatoire des S. Rites, tenue auprès de S. Em. le Card. Gotti, Ponent, concernant l'héroïcité des vertus du Vén. Jean-Népomucène De Tschiderer, Prince et Evêque de Trente.

22 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jacques Radini-Tedeschi, Ev. de Bergame; — S. G. Mgr Thomas-Ludovic Heylen, Ev. de Namur; — le T. R. P. Pierre Oomen, Proc. Gén. des Rédemptoristes; — et le T. R. P. Jean Genocchi, Proc. Gén. des Miss. du S. Cœur d'Issoudun.

23 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Pierre-Lambert Goossens, Arch. de Malines; — S. Exc. M. le Duc Amédée de Astraudo, Min. Plénip. de la République de St Domingue; — LL. GG. Mgr Paul-Emile-Joseph Henry, Ev. de Grenoble; — Mgr Ange-Michel Jannachino, Ev. de Telese et Cerreto; — et Mgr Antoine Ferruglio, Ev. de Vicence; — ainsi que M. l'Avocat Etienne Scala, Directeur du journal *Italia Reale, Corriere Nazionale*; — et les Directeurs et les élèves du Séminaire Pontifical Français.

24 Vendredi.

S. G. Mgr Guillaume O'Connell est reçu en audience.

26 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Augus-

tin Richelmy, Arch. de Turin; — ainsi qu'une députation de l'Association des journaux catholiques Belges.

— Dans l'après-midi, durant l'audience accordée dans la Salle du Consistoire à un pèlerinage Belge, le St Père bénit la première pierre d'une église qui va être construite à Rome, sous le vocable de la Vierge Immaculée et de St Jean Berchmans, aux frais des catholiques Belges.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Pierre-Lambert Goossens, Arch. de Malines; — LL. GG. Mgr Philippe Meunier, Ev. d'Evreux; — Mgr Marie-Ange-Emmanuel de Briey, Ev. de Meaux; — Mgr Charles Pietropaoli, Ev. de Trivento; — et Mgr Antoine Sardi, Ev. d'Anagni.

28 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Nicolas Catteau, Ev. de Luçon; — et le Rév. D. Dominique Wagenaar, Préfet Ap. de Rajiristaw et Kashmir (Asie, Colonies Anglaises). F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Lezioni di Diplomazia Ecclesiastica dettate nella Pontificia Accademia dei Nobili Ecclesiastici, da Mons. ADOLFO GIOBBIO. Volume Terzo. Roma, 1904, Libreria Pont. P. Pustet. — Lire 10.

Uti videre est in hac nostra Ephemeride (vol. VII, p. 507), vix in lucem prodiit primum harum Lectionum volumen, statim illius momentum et partitionem, debita cum laude, notavimus. Inibi agebatur de *subiecto* Diplomatiae Ecclesiasticae. In altero volumine, iam a nobis praelaudato (*Anal. Eccl.*, vol. IX, p. 323), inchoata fuit discussio circa *obiectum* Diplomatiae Ecclesiasticae, quod respicit personas, bona et iudicia. Prima tantum in hoc secundo tomo sectio, et apprime quidem, fuit absoluta. Nunc agitur de relationibus Ecclesiam inter et Statum quoad exercitium iuris administrativi ecclesiastici circa res seu bona. Porro relationes istae versari possunt sive respectu ad sacramenta, vel in ordine ad cultum divinum, vel circa administrationem patrimonii temporalis ecclesiastici.

In hoc tertio volumine prior tantum sectio ventilatur, remissis duabus aliis sectionibus, ad quartum volumen, ab omnibus exoptatum. Certo certius, ad solam ecclesiasticam potestatem pertinet iudicare de liceitate et validitate sacramentorum. In ordine vero ad illorum administrationem, necessitudines intercedere possunt inter Ecclesiam et Statum. Illas cl. Auctor ad trutinam revocat, singula perscrutando sacramenta. Quod matrimonii sacramentum spectat, relationes praedictae et multiplices numerantur et maximi momenti habentur. Quapropter, maxima huius elucubrationis pars, circa hanc materiam versatur, in septem articulis clare et erudite distributis, scilicet: 1. de origine et evolutione historica matrimonii civilis; 2. de origine et evolutione iuridica matrimonii civilis; 3. quaenam iura pertineant ad Statum, relate ad matrimonium; 4. de impedimentis matrimonialibus, sive dirimentibus, sive prohibentibus; 5. de celebratione matrimonii; 6. de dissolutione matrimonii, sive perfecta, sive imperfecta; 7. de causis matrimonialibus, sive privatorum, sive Principum. Haec innuisse satis erit, quum agatur de opere iam ab eruditis, uti decet, celebrato.

Praelectiones de Missa cum appendice *de SS.mo Eucharistiae Sacramento.* Auctore S. MANY. Paris, Letouzey, 1903.

Cl. S. Many, quas olim habuerat in Parisiensi Seminario Iuris Canonici Praelectiones, typis editurus, initium sumit a sacrosancto Missae sacrificio, quod est cardo totius christianae religionis. Opus, sub respectu *canonico* evolutum, unice versatur circa expositionem legum et decretorum quae, decursu temporis ab Ecclesia, in tutelam et reverentiam tanti mysterii, fuerunt edita. Hinc, ad theologos remissa quaeque partem *dogmaticam* spectantr; ad liturgiae peritos, ea quae *liturgicam* provinciam tangunt. Insuper, ea quae ad locum sacrificii referuntur consulto omissa fuere, utpote quae inveniri poterunt in Praelectionibus de Ecclesiis, Oratoriis, Altaribus.

Iamvero, in toto huiusce restrictae tractationis decursu, teste E.mo Archiepo Parisiensi, « egregie elucent, tum in evolvendis disciplinae fatis sensus historicus, tum in allegandis textibus ampla et erudita scientia, tum practicum in enodandis difficultatibus ingenium ». Plura tamen opportune potuissent innui, quae reperiuntur in hisce nostris *Analectis*, praesertim quoad Missae iterationem, Missae mercimonium, SS.mae Eucharistiae asservationem (uti videre est in nostro Indice generali, V. *Missa*, V. *Eucharistia*).

Guide Canonique pour les Constitutions des Instituts à vœux simples, *suivant les récentes dispositions (Normae) de la S. C. des Ev. et Rég.*, par Mgr ALBERT BATTANDIER. *Troisième édition entièrement refondue.* Un vol. in-8. Prix: 4 fr. 50. Librairie Victor Lecoffre, 90, rue Bonaparte, Paris.

Peculiare huius tertiae editionis pretium in hoc maxime consistit, quod doctrina in aliis duabus editionibus exposita, nunc amplior et securior traditur, innixa tum Bulla *Conditae*, ex qua relationes determinantur Ordinarios inter et Instituta religiosa, tum *Normis* S. C. Ep. et Reg. quae uberius evolvunt canonicas quaestiones circa Constitutiones Institutorum. Ex utroque documento cl. Auctor opportune hausit quidquid innovatum, relaxatum, aut coarctatum fuit relate ad Constitutiones Institutorum religiosorum, ita ut non theoretice tantum, sed practice pateant rationes adductae et deductiones allatae.

Annuaire Pontifical Catholique, par Mgr ALBERT BATTANDIER, VIII[e] année, 1905. Paris, Maison de la *Bonne Presse.*

Iam alias, debito tempore, uniuscuiusque horum Fastorum seriei editionem commendare studuimus. Et merito quidem. Nam praeter notitias chronologico vel statistico ordine digestas, quae quotidiano usui prodesse solent, cl. Editor permultas edidit et singulares et eruditas quaestiones, ex quibus ecclesiastici viri delectamentum simul et profectum haurire valent. Praesens editio in hoc praecipue alias antecellit, quod rerum series ita in loco proprio et fixo disponuntur, ut rectius citiusque quaeritanti patescant.

Les Indulgences, leur nature et leur usage, d'après les dernières décisions de la S. C. des Indulgences, par le R. P. F. BÉRINGER, S. J. Traduction par l'Abbé PH. MAZOYER, 3[e] éd. 1905. Paris, Librairie Lethielleux.

Tertiam hanc ex teutonico in gallicum idioma versionem, S. C. Indulgentiarum sub die 6 Aug. 1904 approbavit, et quoad indulgentias inibi relatas, authenticam recognovit, typisque publicari permisit. Praeclarissimi operis, cuius exemplaria omnino exhausta desiderabantur, opportuna valde salutatur editio; nam ab anno 1893, tum plures concessae fuerunt indulgentiae, tum variae de novo excitatae fuere operae piae.

Hinc, aemula cl. Auctoris traductorisque sedulitate, Opus, iam alias ab eruditis celebratum, modo undequaque absolutum, in omnium practicam utilitatem profertur.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS TERTIUS - MARTIUS 1905

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Breve Beatificationis V. S. Dei Gasparis Del Bufalo.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Salutare illud praeceptum, quod Redemptor humani generis Christus dedit discipulis suis « euntes docete omnes gentes » constanti divinae providentiae consilio ita omni aetate in Ecclesia Dei viguit ut ipsa nunquam strenuis ac sollertibus caruit administris, qui catholicae fidei provehendae studio adducti divinam sapientiam late populis traderent. Et sane coelestis paterfamilias, qui a prima ad postremam diei horam nunquam cessat conducere operarios in vineam suam ad eam excolendam novissimis temporibus, cum ob graves civiles perturbationes sacrorum operariorum praesidio indigeret Ecclesia, inter caeteros misit Venerabilem Dei Famulum Gasparem Del Bufalo, qui omni christianarum virtutum laude excellens in assidua Apostolici ministerii exercitatione vitam ita exegit, ut supernae veritatis praeco strenuissimus iure meritoque usurpare potuerit dicta Pauli ad Corinthios, « pro Christo legatione fungimur tamquam Deo exhortante per nos ». Roma tot sanctorum virorum inclyta mater et altrix hoc etiam gaudet alumno, in hac enim alma Urbe die VI Ianuarii mensis anno MDCCLXXXVI piis parentibus ortus a teneris unguiculis « sicut lux oriente sole mane absque nubibus rutilat » praeclara fidei, innocentiae ac pietatis specimina praebuit. Puer adhuc procul a nugis primae illius aetatis propriis, in his unice delectabatur quae ad Dei cultum instituta videret, altariola industriose componens, sacrasque referens caeremonias inter caeteros pueros quos suo praesertim exemplo timorem Domini et erga parentes reverentiam edocere studebat. Etenim primis illis ab annis tanto erga Deum et proximum amore ferebatur, ut clericali

militiae nomen dare constituerit, quo ad gentes infideles evangelizandas pergeret, ibique vitam pro Deo cum sanguine funderet. Quod consilium cum per aetatem exequi non posset totus incubuit, ut sapientia cresceret et gratia coram Deo et hominibus: siquidem in lyceo Gregoriano praeceptorum laudes promeruit atque omnibus exemplo fuit, praesertim quod piis sibi adiunctis sociis religionis et charitatis officia cum ipsis exerceret, verboque et opere condiscipulos hortaretur ut « custodiendo sermones Dei corrigerent vias suas et immaculati Domino in directione cordis confiterentur ». Canonicatu auctus in insigni Marciana Basilica et sacerdotio initiatus pridie Kalendas Augustas anno MDCCCVIII, veluti lucerna super candelabrum posita refulsit in templo Dei in omnimodis sacri ministerii muneribus obeundis.

Ad pauperum levamen piae Societatis a Sancta Galla incrementa curavit; nocturnum ad Sanctae Mariae in Vincis coetum pietatis palestram esse voluit; piae Congregationi Sancti Pauli Apostoli pro Clero instituendo multum opere impendit; ac perpetuo studio adductus provehendi cultus Pretiosissimi Sanguinis Redemptoris Nostri Iesu Christi eo tamquam vexillo munitus vim omnem suae charitatis exercuit, animum adiiciens omni prope vitae conditioni ad sanctitatem revocandae. Sed cum iam spectata apostolicorum laborum laude floreret, subito tempestas in Galliis oborta totam concussit Europam ac tum supremum Pontificem rec: mem: Pium PP. VII Praedecessorem nostrum, tum optimum quemque ex hac alma Urbe Sanctimoniae ac virtutis domicilio eiecit. Tum Venerabilis Dei Servus mirum christianae fortitudinis exemplum edidit; oblata enim illi conditione ut vel iuxta verba Gallici Praefecti iuraret fidemque et obedientiam sponderet Imperatori, vel si detrectasset custodiam et deportationem subiret, tribus sese verbis expedivit gravibus profecto et magnanimis « nec possum, nec debeo, nec volo » et continuo Placentiam, Bononiam, Forum Cornelii, dein in arcem Luci devectus, ne Sanctae Ecclesiae iura nefario iureiurando vel minimum laederet, exilii et carceris aerumnas invicto quidem animo toto quadriennio toleravit. In libertatem restitutus ac Romam reversus, Deo ad maiora vocante, Canonicatu se abdicavit ut animarum saluti vacaret impensius, et, aliquot piis Sacerdotibus sibi adsociatis, ad sacras expeditiones et spirituales exercitationes anno Domini MDCCCXIV prima fundamenta iecit Congregationis presbyterorum saecularium quam a Pretioso Sanguine appellandam esse duxit. Tum Venerabili Dei Famulo perampla ac maxime laboriosa adsignata Provincia. Nam quemadmodum Christus Deus intuitus Petrum optimum illum Piscatorem hominum fore praevidit, ita redux a captivitate clar. me. Pius PP. VII Praedecessor Noster ubi primum oculos convertit in Venerabilem Dei Servum Gasparem percepisse videtur animo quae et quanta Deus per eum facturus esset, ideoque voluit ut directionem ac regimen Sacrarum Missionum, tristissima illa tempestate, ad innovandos mores atque excitandam pietatem in Pontificia Ditione habendarum ipse susciperet. Ingens erat messis pauci pro illius amplitudine operarii, sed dicta audiens Gaspar exordientis suae Congregationis Alumnos sibi adiungit, Missiones ipsas quasi Congregationis fundamentum constituit, socios alteros quaerit et reperit, et Summi Pontificis mandatum promptus atque alacer implet. Seipsum praebens exemplum bonorum operum praecipue in pietate, humilitate ac mortificationis et poenitentiae spiritu, tamquam bonus Christi adiutor, multorum operariorum animos gerens in Dei gloriam et proximorum utilitatem, viginti duos annos constantissime desudavit. Umbriam, Aemiliam, Picenum, Tusciam, Campaniam, Samnium, universas fere Mediae Italiae regiones sacris expeditionibus lustravit, nullis laboribus parcens, in habendis enim Missionibus illud sibi proposuerat nunquam sibi esse quiescendum, nullam valetudinis curam habendam, nullum otium, nullam neque corporis neque animi relaxationem sibi concedendam ubi de sempiterna proximorum salute ageretur. Quare non difficultate itineris, non coeli inclementia, non periculis deterritus, oppida, pagos, vicos pedes adibat, apostolicae charitatis vestigiis ubique relictis. Nulla nunquam laboris cessatio: modo conciones ad populum habet, modo pueris ac puellis christianam doctrinam tradit, modo coetus virorum ac mulierum separatim alloquitur, modo animum agentibus adsidet, modo aegrotos invisit, solatur animum, morbi molestiam humanissimis officiis lenit. Vere missus a Deo in Apostolatu apparuit, mira eius charitas in simultatibus et inimicitiis dirimendis effulsit, concordiam ubique et tranquillitatem reduxit. Ipsi latrones ac nefarii sceleris sontes e nemoris latibulis educti, sese admissorum confessione expiabant ad bonam frugem ultro redeuntes. Quocumque iter faceret pacem habebat comitem, ita ut merito Angelus pacis appellatus sit et christianae pietatis in omni coetu excitator, vere salus populis extiterit. Et nostra haec ipsa Roma testis est flagrantissimae charitatis eius. Canonicus enim ut supra diximus ad Sancti Marci perinsignis illius Basilicae decori atque utilitati prospexit, tum adolescentium in gymnasiis atque orphanotrophiis degentium, tum pauperum in nocturnis hospitiis receptorum, tum etiam miserorum in custodiis publicis vinctorum spirituali emolumento ac solamini industrio studio consuluit. Haec inter quod sibi proposuerat, perfecit, sub titulo enim Pretiosissimi Sanguinis Christi Domini inchoatam a se Congregationem divina gratia repletus sapientibus regulis ita communivit, ut in praesens Ecclesia Sponsa Dei etiam hac nova familia ad uberrimum animorum fructum decorata effulgeat. Aliam institutionem valde perutilem sibi proposuit, cum Mariae De Matthias consilium sibi petenti de divina vocatione eligenda, Institutum Sororum sub eodem titulo Pretiosissimi Sanguinis erigendum, clare praedixit et iniunxit ad puellas in mysteriis fidei erudiendas et Societatis bono instituendas. Habitum induendum descripsit, et quod pro regulari regimine oportebat praecepit, ideoque iure ac merito Instituti Pater ab ipsis reputatur.

Talis cum esset Servus Dei longe lateque de ipso fama Sanctitatis percrebuit quam coelestibus charismatibus splendidiorem Deus ipse reddidit. Et sane ubicumque vestigium posuit Venerabilis idem Dei Servus rerum faciem immutavit. Morum licentiam coërcet, scandala etiam inveterata penitus extirpat, blasphemos homines ab impia consuetudine deterret; vitiorum invitamenta prohibet. Contra inducuntur boni mores: sacramentorum commendatur frequentia; piae sodalitates instituuntur; pietatis charitatisque christianae opera efflorescunt; denique demptis et evulsis ex agro Dominico cuiuscumque modi zizaniis, fruges uberes effunduntur, quare non plebi solum, sed viris etiam dignitate ac virtute amplissimis carus aeque ac venerabilis fuit, quos inter pluribus Romanae Ecclesiae Cardinalibus et Summis quoque Pontificibus Pio VII ac Leoni XII rec. me. Praedecessoribus Nostris. Tandem Apostolatus sui nunquam intermissis laboribus fractus, ad vitae exitum non imprudens pervenit, sed

toleratis patienter morbi ingravescentis doloribus coelesti dape refectus, caeterisque Ecclesiae spiritualibus subsidiis munitus, veluti dulci indulgens somno, placidissimo exitu, mortalem vitam cum coelesti gloria feliciter commutavit anno MDCCCXXXVII, aetatis suae quinquagesimo secundo, die XXVIII Decembris mensis quo sanctorum Martyrum Innocentium triumpho gaudet Ecclesia. Cum pretiosa sanctorum morte quievit, tredecim extabant Congregationis quam condiderat domus, et fama undique diffusa legiferi Patris ac Sacerdotis sanctissimi post obitum illius vividior floruit. Funus quo Romae elatus est atque illa in Albanensi Civitate iterata curantibus Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis familia, clero et populo iure gloriosum coelestibus etiam signis dici potuit. Biennio vix elapso, de fama Sanctitatis Servi Dei inquiri coeptum est atque peracto processu ordinario riteque exhibito penes Congregationem sacris tuendis Ritibus praepositam, causa introducta est. Probationibus autem iuridice sumptis ac perpensis rec. me. Decessor Noster Leo PP. XIII, XIV Kalendas Apriles, anno MDCCCXC Venerabilis Dei Servi Gasparis Del Bufalo virtutes heroicum attigisse fastigium solemni sanxit decreto. Inita est dein actio de miraculis, quae eo deprecante divinitus patrata ferebantur, Nosque per Decretum editum quarto Kalendas Iunias volventis anni de duobus miraculis intercessione ipsius Venerabilis Dei famuli a Deo patratis constare similiter suprema Nostra Auctoritate declaravimus (1). Quum igitur de virtutibus et de duplici miraculo iam esset prolatum iudicium, illud supererat discutiendum, num idem Venerabilis Dei famulus inter Beatos Coelites tuto foret recensendus. Quod praestitit Dilectus Filius Noster Dominicus S. R. E. Presbyter Cardinalis Ferrata Causae Relator in generali conventu coram Nobis, in Vaticanis Aedibus, decimoctavo Kalendas Quintiles huius anni habito, omnesque tum Cardinales sacris tuendis ritibus praepositi tum qui aderant Patres Consultores unanimi suffragio affirmative responderunt. Nos vero iterandas esse Deo preces censuimus, ut ad sententiam in tam gravi negotio ferendam coeleste auxilium Nobis compararemus. Octavo vero Kalendas Iulias vertentis anni, die qui Natali faustissimo Ioannis Praecursoris festus elucet, Nos Eucharistico prius litato sacro adstantibus Cardinalibus Aloisio Tripepi, sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto et praefato Dominico Ferrata Relatore, nec non Venerabili Fratre Diomede Panici, Archiepiscopo Laodicensi eiusdem Congregationis Secretario, et Rev. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, Suprema Nostra Apostolica Auctoritate decrevimus tuto procedi posse ad sollemnem Venerabilis Dei Famuli Gasparis Del Bufalo Beatificationem (2). Quae cum ita sint, Nos moti precibus Universae Congregationis Missionariorum ac Sororum Pretiosissimi Sanguinis harum litterarum vi facultatem facimus ut Venerabilis Dei Famulus Gaspar Del Bufalo, Canonicus Basilicae S. Marci de Urbe et Institutor Congregationis Missionariorum Pretiosissimi Sanguinis, Beati nomine in posterum nuncupetur eiusque corpus et lipsana seu reliquiae, non tamen in sollemnibus supplicationibus deferendae, publicae venerationi proponantur, atque imagines radiis decorentur. Praeterea eadem Apostolica Nostra auctoritate concedimus ut de illo recitetur Officium et Missa singulis annis de Communi Confessoris non Pontificis cum orationibus propriis a Nobis approbatis iuxta Rubricas Missalis et Breviarii Romani. Hanc vero Officii recitationem Missaeque celebrationem fieri dumtaxat concedimus in hac Alma Urbe Nostra eiusque districtu atque in templis omnibus atque oratoriis, quibus ubique terrarum utitur Congregatio Sacerdotum Missionariorum et praedictarum Sororum sub eodem titulo Pretiosissimi Sanguinis Domini Nostri Iesu Christi ab omnibus Christi fidelibus, qui horas canonicas recitare teneantur et quod ad Missam attinet ab omnibus Sacerdotibus tum saecularibus tum regularibus ad Ecclesias in quibus festum agitur confluentibus servato decreto Sacrae Rituum Congregationis, n. 5862, Urbis et Orbis IX Decembris MDCCCXCV. Denique concedimus ut sollemnia Beatificationis Venerabilis Dei Famuli Gasparis Del Bufalo in Urbe Nostra, districtu eius ac supradictis templis celebrentur ad normam decreti seu instructionis Sacrae Rituum Congregationis die XVI Decembris MDCCCCII de triduo intra annum a Beatificatione sollemniter celebrando, quod quidem statis legitima Auctoritate diebus fieri, praecipimus intra annum postquam eadem sollemnia in Basilica Vaticana fuerint celebrata. Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac decretis de non cultu editis caeterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem ut harum litterarum exemplis etiam impressis dummodo manu Secretarii dictae Rituum Congregationis subscripta sint, et sigillo Praefecti munita, eadem prorsus in disceptationibus etiam iudicialibus fides habeatur quae Nostrae Voluntatis significationi hisce litteris ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XXIX Augusti MCMIV Pontificatus Nostri Anno secundo.

ALOISIUS Card. MACCHI.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 250.

(2) *Item*, vol. XII, p. 251.

II.

Pius X nonnulla decernit circa Pontificios Ordines Equestres S. Silvestri, Militiae Auratae ac Militiae Iesu Christi (1).

PIUS PP. X

Ad perpetuam rei memoriam.

Multum ad excitandos ad egregia facinora hominum animos, praemia virtuti reddita valent, quae dum ornant egregios bene de re sacra vel publica meritos viros, caeteros exemplo rapiunt ad idem laudis honorisque spatium decur-

(1) In Diario *Osservatore Romano*, sequens magnae auctoritatis nota reperitur:

ORDINI EQUESTRI PONTIFICII.

In conseguenza del Breve Pontificio, riprodotto nel nostro numero del 12 corrente, siamo autorizzati a pubblicare la presente nota comunicataci dalla Cancelleria degli Ordini Equestri, con la quale si dà l'esatta classificazione degli Ordini Equestri Pontificii; togliendo con ciò qualunque equivoco sopra altri che, in qualsiasi modo potessero ritenersi come riconosciuti ed approvati dalla Santa Sede, dichiarandoli assolutamente nulli.

1° *Supremo Ordine di Cristo.* — Classe unica di Cavalieri Collari.

2° *Ordine Piano.* — L'Ordine è distinto in tre gradi: Cavalieri di 1ª classe: Gran Croce. Cavalieri di 2ª classe: Commendatori. — Cavalieri di 3ª classe: Cavalieri.

3° *Ordine di San Gregorio Magno.* — L'Ordine è distinto in due classi: Civile e militare. Ha in ciascuna tre gradi: Cavalieri di 1ª classe: Gran Croce. — Cavalieri di 2ª classe: Commendatori. — Cavalieri di 3ª classe: Cavalieri.

rendum. Hoc quidem sapienti consilio Romani Pontifices Decessores N.ri Equestres Ordines, quasi gloriae stimulos, singulari studio prosequuti sunt, horumque alios instituere, alios iam institutos, vel pristino decori restituerunt, vel novis ac potioribus privilegiis ditarunt.

Nunc autem cum peropportunum visum sit gravibus de causis quaedam immutare de nonnullis Equestribus Pontificiis Ordinibus, nempe de Ordine S.ti Silvestri Papae sive Militiae Auratae, ac de Ordine Militiae Jesu Christi, Nos collatis consiliis cum dilecto filio N.o Aloisio S. R. Eccl.iae Diacono Cardinali Macchi, a Brevibus aplicis Litteris Secretario, et Pontificiae Sedis Equestrium Ordinum Magno Cancellario, omnibus rei momentis attente ac sedulo perpensis, ex certa scientia ac matura deliberatione N.ris haec quae infrascripta sunt decernenda existimavimus.

Neminem latet Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, inter vetustissimos iure esse enumerandum: Constantino enim Magno Imperatore, Silvester PP. I. sanctae memoriae Decessor N.er, auctor illius fuisse dicitur. Hic priscis potissimum temporibus a Decessoribus N.ris magno semper in honore habitus est; sed postea rerum humanarum ac temporum vicissitudine de veteri splendore ac dignitate excidit. Illum per Ap.licas Litteras die XXXI mensis Octobris anno MDCCCXXXXI eadem hac forma datas Gregorius PP. XVI rec. mem. Decessor N.er ad pristinum decus curavit revocandum: ipsi vero titulum S.to Silvestre Papa tribui iussit atque exinde novum quasi constituit equestrem Ordinem S.ti Silvestri Papae, sive auratae Militiae appellatum. Eumdem Ordinem duabus tantum constare classibus praescripsit Commendatorum, et Equitum, sed in praesens iustae et rationabiles causae suadent ut etiam Equester Ordo S.ti Silvestri, non minus atque ordines Gregorianus et Pianus tribus in posterum classibus constet, Equitum scilicet, Commendatorum, et Equitum a Magna Cruce. Nos itaque superiorem illam classem Ordini S.ti Silvestri tribuentes, eumdem a Militia aurata penitus seiungendum esse arbitramur: ne vero nobilissimi ordinis Militiae auratae memoriam aetas obliteret, et ipsam Militiam in distinctum Equestrem coetum de integro constituendam edicimus.

Quae cum ita sint, hisce Litteris, auctoritate N.ra, perpetuum in modum decernimus ac mandamus ut Equester Ordo S.ti Silvestri Papae, ab illo Militiae auratae omnino separetur, atque alterum ab altero, per p.tes, ita seiungimus, ut duo diversi ac distincti in posterum Ordines exinde efformentur, alter a S.to Silvestro Papa appellandus et alter a Militia aurata sive aureo ex calcari. Ordo S.ti Silvestri, non aliter ac Pontificii Ordines supradicti Gregorianus et Pianus tribus contet classibus, nempe Equitum sive tertia, Commendatorum sive secunda, et Equitum a Magna Cruce sive prima classi. Crux Ordinis propria eadem esto atque hodierna dempto aureo dependente calcari, sit videlicet aurea, octangula, alba superficie, Imaginem S.ti Silvestri Papae in medio adversa parte referens, aversa vero emblema Pontificium caeruleo inclusum circulo, quo tum Gregorianae instaurationis, cum hodiernae renovationis anni, aureis litteris imprimantur MDCCCXXXXI et MDCCCCV. Ipsa Crux argenteae stellae radiis imposita Ordinis numisma sit. Similiter ruber ac niger sint fasciae ordinis propriae colores. Sit vestis nigri coloris tunica, unico globulorum ordine ad extremas manicas et circa collum villoso serico nigro ornata, ac phrygiis ex auro operibus distincta. Femoralia nigra sunto, praelonga cum fascia ex auro. Niger ex serico villoso galerus oblongus, duplici cuspide, emblemate Pontificio ac parvo aurato flocco insignis. Ensi, aurato cingulo innexo, capulus sit e concha albida, ornata auro. Tum Crucis moduli ac numismatis, tum vestis opera phrygia, tum galeri ornamenta pro vario Equitum gradu different, minora scilicet pro Equitibus simplicibus, pro superioribus classibus maiora. Gerant Equites Crucem sinistro pectoris latere dependentem e taenia serica rubro et nigro distincta colore extremis oris rubris. Gerant Commendatores Crucem eamdem maioris moduli, simili taenia collo circumducta pendentem, galerum nigra ornent penna. Equites denique a Magna Cruce gerant Crucem maximi moduli quae fascia serica praelonga, binis ordinis coloribus picta, dextero humero sustineatur; sinistro vestis lateri ad pectus innexum proprium primae classis numisma maius deferant; albam galero pennam imponant. Cum vero contingat ut viri ad gradum Commendatorum evehendi egregiis iis meritis eniteant, quae quasi potiora Pontificiae voluntatis testimonia exposcant, volumus, ut sicuti fieri interdum solet in ordinibus Gregoriano et Piano, etiam Commendatores Ordinis S.ti Silvestri Papae ex singulari prorsus gratia numismate uti queant minori, secundae classis proprio sive Commendatorum, illudque ad pectus sinistro lateri innexum gestent.

Quo vero attinet ad ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, sic aucte Nra ab Ordine S.ti Silvestri Papae seiunctum, animo repetentes vetustissimas et gloriosas ordinis illius memorias, Nos eum non solum ad pristinum gradum restituere, sed novo etiam splendore cohonestare, ac funditus sub coelesti Immaculatae Virginis patrocinio per p.tes instaurare statuimus. Et sane cum Pontificia Sedes Ordine Equestri careat, qui sit sub Virginis praesidio constitutus, hoc potissimum anno, a solemni definitione Dogmatis Immaculatae Conceptionis quinquagesimo, atque hac tempestate qua tot tantaque mala videt lugetque christianus orbis, placet Nobis huic Equestri Ordini in quem dumtaxat fortissimi Eccl.iae Dei vindices atque adsertores erunt cooptandi, coelestem Patronam Immaculatam illam Deiparam Virginem adsignare, quae « terribilis sicut castrorum acies ordinata » draconis inferni caput victrix conteret. Quocirca praecipimus ut in Ordinem Militiae auratae, sive ab aureo calcari, ii tantum inserantur praestantissimi viri, qui vel

4° *Ordine di San Silvestro.* — L'Ordine è distinto in tre gradi: Cavalieri di 1ª classe: Gran Croce. — Cavalieri di 2ª classe: Commendatori. — Cavalieri di 3ª classe: Cavalieri.

Ordine della Milizia Aurata, detta dello Speron d'oro. — L'Ordine ha una sola classe di Cavalieri.

Quest'Ordine, destinato a premiare in modo particolare coloro che possono dichiararsi veramente benemeriti della Chiesa e del Sovrano Pontefice, è fuori rango, potendosi conferire tanto a chi nessun'altra distinzione Cavalleresca avesse della Santa Sede, quanto a chi fosse già insignito anche dell'Ordine Supremo di Cristo.

5° *Ordine del Santo Sepolcro.* — Di questo insigne Ordine il Sommo Pontefice, riservando sempre alla Sua Augusta persona e per Essa al Cardinale Gran Cancelliere degli Ordini Equestri, la Suprema Autorità, ha accordato al Patriarca Latino di Gerusalemme il Titolo di Gran Maestro, con facoltà di concederne le Insegne a seconda delle disposizioni date in proposito.

Il Sommo Pontefice, in qualche circostanza di alto rilievo, ma assai raramente, ai Commendatori dell'Ordine Piano di San Gregorio Magno e di San Silvestro, conferisce, per privilegio speciale, l'uso della Placca, come ai Cavalieri Gran Croce, ma di dimensione minore.

ramis, vel scriptis, vel praeclaris operibus rem Catholicam auxerint, et Ecclesiam Dei virtute tutarint, aut doctrina illustraverint, ideoque tribui poterit tum iis qui qualibet alia equestri dignitate sint expertes, cum illis qui iam splendidissimis titulis et ipso supremo Militiae Jesu Christi ordine potiantur. Ordo Militiae auratae constet unica Equitum classi. Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis Motu proprio conferatur: liber esto a iuribus Cancellariae; Equites pro universo Catholico orbe centum numerum non excedant, ne dignitas ex frequentia minuatur. Quoad huius ordinis propriam Crucem, iuxta tenorem similium Benedicti PP. XIV rec. mem. Nostri Decessoris in forma Brevis Litterarum, sub die VII Septembris mensis anno MDCCXXXXVII quibus cautum est ne Equites Militiae auratae, Crucem Hierosolymitani Ordinis usurparent, volumus ut Crux Ordinis eiusdem Auratae Militiae, sit octogona, aurea, enchausto flavo obducta, cum aureo inferius dependente calcari; referatque in medio parvum numisma album, aureo adversa parte, inclusum circulo et Augustissimo Virginis Mariae nomine inscriptum, aversa vero numerum referat praesentis anni MDCCCCV et in circulo « Pius X restituit ». Cruci trophaeum ex auro superemineat. Eadem Crux argentea, stellae radiis super imposita Ordinis numisma sit. Careant Equites torque, sitque eorum vestis rubri coloris tunica, duplici ordine globulorum ex auro, circa collum atque ad extremas manicas serico villoso nigro distincta cum fimbriis aureis. Humeralia sint, tum aureis laciniis, tum ordinis emblemate superne ornata. Femoralia praelonga, sint e panno nigro, cum aurea fascia. Calcaria aurea. Oblongus, duplici cuspide, fimbriatus auro galerus, Pontificios referat aureo nodo inclusos colores. Aurata Crux, sit gladii capulus, vagina nigra, cingulus aureus cum fimbriis rubris. Sicuti priscis temporibus ordinis taenia sit rubri coloris, sed circumdata albo. Gestent Equites Crucem taenia serica rubra extremis oris alba, collo circumducta dependentem. Inserant ad pectus sinistro lateri numisma. Quibus animi ingeniique dotibus lectissimos viros hoc ordine decorandos, praeditos esse oporteat clare, superius significavimus, ideoque ut hi semper meritis dumtaxat propriis commendentur, omnes concessiones etiam a Decessoribus Nostris Militiae auratae Equitibus factas, circa privilegium nobilitatis, et Palatini Comitis titulum, quae fortasse nondum sublatae fuerint, vi similium Apostolicarum Litterarum Gregorii PP. XVI, sub die XXXI Octobris anni MDCCCXXXXI quas ante recensuimus, per praesentes auctoritate Nostra interposita omnino abrogamus, easque in posterum nullius roboris esse decernimus ac statuimus.

Denique oculos mentis nostrae convertentes ad Militiae J. Christi nobilissimum ordinem, quem, anno MCCCXVIII post Ordinis Templi ruinam, Dionysius I Portugalliae et Algarbiorum Rex instituit, auctore et auspice Joanne PP. XXII saec. mem. Praedecessore Nostro, hunc equestrium Pontificiae Sedis Ordinum, Supremum esse auctoritate Nostra, per praesentes edicimus ac mandamus, quo non alter sit dignitate potior, sed caeteris amplitudine ac splendore superemineat. Una sit Equitum classis sed quo magis per Nos consultum sit huius Supremi ordinis decori, volumus ut posthac Crux ordinis propria collo dependeat, ex aureo torque, qui constet alternis clypeolis Crucem ordinis ac Pontificium emblema referentibus nodis aureis inter se iunctis. Traditum enim memoriae est, et ipsos veteres dictae Militiae Equites simili torque iamdiu usos fuisse alternis ensibus ac tiaris caelato. Similiter volumus ut in magno numismate corona querna ex auro, parva taenia, ex enchausto rubro, inferius vincta Crucem concludat: tandem ut femoralia alba e serico rasili genua non praetergrediantur; caligae sint sericae, et item albae: aureae denique fibulae calceolos ornent. Quoad tunicam, ensem et alia ornamenta, nihil immutetur.

Verum tamen expresse mandamus ne inter Equites eiusdem Militiae discrimen contingat, sed unusquisque ordo stemmata, insignia, arma, atque ornamenta, a Sancta Sede praescripta servet integerrime, ut praefata insignia, Cruces, numismata, vestes, enses, opera phrygia, atque ornamenta, tum propria ordinum supradictorum S.ti Silvestri Papae, Militiae auratae, ac Militiae Jesu Christi, cum caeterorum quos Apostolica Sedes conferre solet, sint adamussim confecta ad normam exemplarium quae in Cancellaria Equestrium Ordinum, penes Nostram a Brevibus Apostolicis Litteris Secretariam, iussimus asservari; simulque prae oculis habeantur apposita schemata, quae singulis vicibus, cuilibet equestri dignitate aucto, de more traduntur.

Haec statuimus, mandamus, praecipimus, decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaces semper fore, suosque plenarios atque integros effectus sortiri atque obtinere, illisque ad quos spectat plenissime suffragari; irritumque et inane si secus quidquam super his a quocumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque Constitutionibus et ordinationibus apostolicis nec non supradictorum equestrium ordinum etiam statutis, caeterisque contrariis licet speciali mentione dignis quibuscumque. Datum Romae apud Sanctum Petrum sub anulo Piscatoris die 7 Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

ALOIS. Card. MACCHI.

III.

Plures indulgentiae Ordini Min. Capucc. iam concessae confirmantur et novae conceduntur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Dilectus filius hodiernus Minister Generalis Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum retulit ad Nos in votis sibi admodum esse ut praeter indulgentias et privilegia iam suo Ordini ab hac Sancta Sede concessa, spirituales alias gratias addere dignaremur tum a Religiosis primi et secundi Ordinis, tum a fidelibus coenobiis ac monasteriis Ordinis ipsius adnexas Ecclesias ubique terrarum rite visitantibus, lucrandas.

Nos autem precibus hisce annuentes, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi: omnibus et singulis religiosis Capuccinis primi et secundi Ordinis, qui respective

die Commemorationis defunctorum primi et secundi Ordinis, ab ortu usque ad occasum solis die huiusmodi;

nec non die anniversario professionis Sancti Francisci Assisiensis a primis vesperis ad occasum solis diei huiusmodi;

vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti

propriam respectivi coenobii sive monasterii ubique terrarum existentem Ecclesiam sive Sacellum visitent, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant, quo ex iis die id praestiterint, *plenariam;*

et similiter omnibus et singulis nunc et in posterum ubique terrarum existentibus religiosis Capuccinis primi et secundi Ordinis, si diebus anni quibus recipient iuxta praescriptam formulam « Ne reminiscaris » Absolutionem generalem impertiendam a Superioribus Ordinis vel ab aliis Religiosis viris ab ipsis delegatis, et quoad Moniales vel a proprio Confessario impertiendam, vel ab alio Sacerdote licet ad Sacramentales Confessiones excipiendas non approbato, sed ab Ordinario delegato, nempe sequentibus Dni N. I. C. ac B. M. Virginis Im. sollemnitatibus, scilicet

Natalis Domini,
Circumcisionis,
Epiphaniae,
Paschatis,
Adscensionis,
Pentecostes,
SS.mae Trinitatis,
Corporis Domini,
Purificationis,
Annuntiationis,
Visitationis,
Assumptionis,
Nativitatis,
Immaculatae Conceptionis,
ac Praesentationis festivitatibus;
item Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum,
Sancti Francisci Assisiensis,
S. Clarae Virginis,
S. Catharinae Virg. et Mart.
nec non Sanctorum omnium festis diebus,
singulis Maioris hebdomadae diebus,

et quotannis die Visitationis canonicae quae fit in unoquoque Ordinis Conventu, vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti ut supra dictum est pias ad Deum preces effundant, etiam *plenariam* omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino largimur (1).

Concedimus insuper ut Missae quae ad quodvis Altare ubique terrarum existen. pro animabus Religiosorum sive Monialium Ordinis ipsius celebrabuntur, animae seu animabus pro qua vel quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si forent ad Privilegiatum Altare peractae:

Simulque de Apostolicae potestatis plenitudine indulgentias ac privilegia omnia Religiosis primi ac secundi Ordinis Capuccinorum ab hac Sancta Sede concessa, ad tertium Ordinem Regularem Capuccinorum extendimus,

(1) In *Animadversionibus* S. Congnis Indulgentiarum ac SS. Reliq. quoad novum Ordinis *Summarium Indulg.* suae approbationi submissum observabatur: sententia « Indulgentiam plenariam cum enunciata Absolutione Generali coniunctam esse » post Pauli V. revocationem Indulgentiarum non amplius tuto sustineri potest. Hanc ob causam R.mus P. Minister Generalis S. Sedi pro nova huius gratiae concessione supplicabat, simul expetendo extensionem eiusdem gratiae cum Absolutione Generali in diem visitationis canonicae. Porro Ss.mus D. N. Pius X. hisce precibus benigne annuere dignatus est. *N. D.*

Fidelibus autem ex utroque sexu qui saltem quinque concionibus intersint Missionum quas ubique terrarum habeant Religiosi Capuccini, dummodo durante respectivae Missionis spatio, et quoad fideles degentes in locis longo itineris spatio dissitis ab illo ubi Missiones habitae fuerint, dummodo intra spatium quindecim immediate sequentium dierum Angelorum Pane refecti atque admissorum confessione prius expiati ut superius pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione orent, *Plenariam* omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Hanc autem indulgentiam lucrari poterunt etiam infirmi, qui etsi concionibus non intersint, aliud pietatis opus Confessarii arbitrio peragant, et pueri qui nondum ad Sacram Synaxim accesserint, dummodo Sacramentali Confessione tantum expiati preces ut supra effundant.

Et iis similiter ex utroque sexu fidelibus qui tribus continuis diebus intersint spiritualibus exercitationibus a Fratribus Capuccinis ubique terrarum nunc et in posterum habendis, dummodo admissorum confessione rite expiati Eucharisticis dapibus se reficiant et orent ut supra, *Plenariam;*

Et si die festo Sancti Iosephi, vel die quo Patrocinii eiusdem Sancti festum agitur rite poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti atque ut superius est dictum orantes quamlibet Ecclesiam sive oratorium publicum visitent;

et si durante Expositione SS.mi Sacramenti in Ecclesiis Ordinis Capuccinorum ubique terrarum peragenda, in forma Orationis Quadraginta horarum continuatarum licet nocturno tempore interpolatarum ut supra vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti ante Sanctissimam Eucharistiam per aliquod temporis spatium pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effundant;

vel pariter confessi et sacra Communione refecti Sacramentum Augustum fidelium adorationi propositum visitent in Ecclesiis primi et secundi Ordinis Capuccinorum quavis feria tertia quae primo loco singulis anni mensibus recurrit;

tandem die erectionis commemorativae Missionis a Capuccinis Fratribus habitae Crucis et die in posterum illius erectionis anniversario, et quotannis Inventionis et Exaltationis Sanctissimae Crucis festis diebus, dummodo similiter vere poenitentes et confessi ac sacra Communione refecti dictam ante Crucem quinquies orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et Trisagium devote recitent, quo ex iis die id agant, *Plenariam* omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper dictis ex utroque sexu fidelibus, si contrito saltem corde quinque concionibus aderint Missionum a Fratribus Capuccinis ubique terrarum peragendarum, in forma Ecclesiae solita *septem annos totidemque quadragenas;*

et iis qui Ecclesias Ordinis ubique terrarum existentes quinque potioribus per annum B. M. V. I. festivitatibus, et festis diebus Sancti Francisci Assisiensis ac Sanctae Clarae Virginis, nec non anniversario Dedicationis cuiusque Ecclesiae die, vel uno ex septem diebus continuis immediate respective sequentibus, ac cuiusque eorum arbitrio eligendo contrito corde visitent; simulque qua vice durante Oratione

Quadraginta horarum in Ordinis Ecclesiis Sanctissimam Eucharistiam publicae venerationi propositam pariter contrito saltem corde devote per aliquod temporis spatium adorent, *decem annos totidemque quadragenas;*

tandem qua vice contrito similiter corde ante Cruces a Capuccinis Fratribus Missionum tempore erectas quinquies ut supra diximus orationem Dominicam, Salutationem Angelicam et trisagium recitent, in forma Ecclesiae solita de numero poenalium *trecentos dies* expungimus.

Porro largimur tum Fratribus ac Monialibus memoratis, tum reliquis fidelibus liceat, si malint plenariis hisce ac partialibus indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare.

Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die X Februarii MCMV, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

IV.

Pius X reprobat modum agendi italorum qui vulgo nuncupantur democratici christiani autonomi.

LETTERA DI SUA SANTITÀ PAPA PIO X ALL'E.MO SIG. CARDINALE DOMENICO SVAMPA ARCIVESCOVO DI BOLOGNA.

Signor Cardinale,

La lettera circolare del 28 luglio 1904 (1), diretta dall'E.mo Sig. Cardinale Nostro Segretario di Stato ai R.mi Ordinari d'Italia, stabiliva con tanta precisione le Nostre prescrizioni specialmente riguardo i Comitati Cattolici e l'azione popolare cristiana, che anche i meno eruditi negli elementi del Catechismo avrebbero dovuto intendere che non si può avere azione cattolica di vero nome senza la immediata dipendenza dai Vescovi.

Ma, come nel campo della parabola evangelica, anche in quello dell'azione cattolica già da qualche tempo venne soprasseminata la zizzania, che cresce e soffoca l'eletto grano; e questo non per opera di aperti nemici, ma di quelli stessi, che si professano e si vantano di essere cattolici.

E tali sono i così detti Democratici cristiani autonomi, che per desiderio di una libertà male intesa mostrano col fatto di scuotere la disciplina; aspirano a novità pericolose, che la Chiesa non può approvare; si atteggiano a contegno autorevole per imporsi, giudicare e criticare ogni cosa, e arrivano al punto di chiamarsi pronti a piegare dinanzi alla infallibilità, ma non all'obbedienza.

Che se si volessero argomenti a provare che cotali pel logico svolgimento dei loro principii si sono fatti esplicitamente ribelli all'autorità della Chiesa, lo dimostra quanto asseriscono nei loro convegni dichiarandosi indipendenti; quanto pubblicano sui loro giornali e periodici propugnando la loro opera e giustificando la loro condotta; quando finalmente alle solenni proibizioni di venerandi Prelati rispondono o coll'asserire che tali proibizioni non riguardano la loro società e le loro persone, o col proclamare che il Papa ed i Vescovi hanno sì il diritto di giudicare delle cose spettanti alla fede ed alla morale, ma non quello di dirigere l'azione sociale; e quindi essi si tengono liberi di progredire nel loro lavoro.

Ci duole poi nell'animo di sapere ascritti a questa Democrazia autonoma tanti poveri giovani, che davano le migliori speranze, ai quali vorremmo dire col più compassionevole affetto: Guardatevi, perchè siete tratti in inganno da chi vi circuisce colle lusinghe, vi assorda coi discorsi e non si fa scrupolo di condurvi per una via, che vi porta a rovina.

E non possiamo fare a meno di manifestare il Nostro immenso rammarico leggendo giornali e periodici, che pur dicendosi cattolici, non solo censurano i forti richiami dei Vescovi, che giustamente condannano i democratici autonomi, ma ardiscono di vilipendere colle più ingiuriose insinuazioni coloro, che lo Spirito Santo pose a reggere la sua Chiesa. Colpa questa nefanda, che dimostra da quale spirito gli scrittori sieno animati!

Ora, siccome si è già annunziato che in questo mese sarà tenuto in cotesta città un Congresso, in cui i democratici autonomi prenderanno le più importanti deliberazioni per proclamare la loro indipendenza, crediamo necessario di dirigere a Lei, Signor Cardinale, questa lettera scritta tutta di Nostro pugno:

1. Per protestare altamente contro le subdole affermazioni, che il Papa non ha parlato, che il Papa approva, e che, se pur qualche volta desso fa dei richiami, questi gli sono imposti da altri;

2. Per dichiarare che tutti quelli, che non a parole, ma coi fatti vogliono dimostrarsi veri cattolici, non dovranno prender parte a tale congresso;

3. Che molto meno potranno parteciparvi i Sacerdoti, anche per non provocare quelle pene canoniche, che con dolore, ma siamo risoluti di infliggere ai disobbedienti;

4. Finalmente, per ricordare la grave responsabilità che si assumono tutti coloro, che in qualunque modo propugnano questa associazione, che porta nella vera azione cattolica il disordine, e reca tanto danno ai poveri giovani, i quali, esposti a mille altri pericoli, hanno tanto bisogno di essere fermi senza malintesi nei principii cattolici.

Speriamo, che questa Nostra lamentanza, che Ella potrà far pubblica, chiami a seria riflessione e a resipiscenza i colpevoli, e frattanto impartiamo a Lei, Signor Cardinale, con effusione di cuore, l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, il 1° Marzo 1905.

PIUS PP. X.

---

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 303.

V.

De clericis Apulis in Vaticanum Seminarium cooptandis.

PIUS PP. X

MOTU PROPRIO.

Seminarium Vaticanum, cuius incremento sa. me. Decessor Noster Leo XIII contulit operam felicissime, haud minori Nos benevolentia prosequentes, sarta tectaque iura eius ac privilegia esse oportere ducimus, ita ut, si quid in his desideretur firmitatis ac roboris, id, e periculo quovis ereptum, auctoritatis Nostrae praesidio, legitimum, stabile certumque reddatur.

Haud ita multis ante annis, Marcellus Aloisius Pellegrini, Troadensis Episcopus, Aquavivae et Altamurae praepositus, memorato Decessori Nostro argenteos dedit italicos nummos, seu libellas, ad centum octoginta novem millia, cuius pecuniae redditibus Apuli aliquot adolescentes, Romae, in spem Ecclesiae alerentur. Huius autem consilii in rem deducendi cum Pontificis arbitrio reliquisset modum, Leo XIII optimum factum censuit tot in Seminario Vaticano locos Apulis clericis constituere, quot pecuniae quam diximus redditus paterentur.

Haec ab illustri Antecessore Nostro sic provisa, Apostolicis hisce Litteris Motu Proprio confirmantes, locos, uti diximus, in Seminario Vaticano constituimus, gratis alendis, instituendis totidem ex Apulia clericis. Idcirco Cardinali Archipresbytero Vaticanae Basilicae argenteos italicos nummos, seu libellas, ad centum octoginta novem millia collocandas tradimus, eidemque mandamus ut huius pecuniae reditum ad Consilium administrationis Seminarii deferat, a quo deinde in trimestres partes aeque distributum ad Seminarii rectorem pro tempore transmittetur.

Volumus autem in cooptandis instituendisque his Apulis clericis servari leges quae infra scriptae sunt:

I. Quaterni ex Aquaviva et Altamura alumni adsciscantur; ex Bario, Brundusio, Manfredonia, Hydrunto, Tarento, Tranio-Barolo singuli; qui ex reliqua pecunia poterunt constitui loci, Pontificis arbitrio assignentur.

II. Apuliae Episcopi, quos ipsi legerint iuvenes mittant. Iisdem potestas esto, si opportunum duxerint, et communicato cum Apostolica Sede consilio, locos dimidiata impensa conferre, alumnis pro diminio solventibus.

III. Electi iuvenes ad Cardinalem Seminario praepositum, aut ad alium ab eo designatum virum, deducantur, de ipsisque plane referatur, opportuna documenta exhibendo. Seminarii vero moderatores cum Ordinario communicent circa ea quae alumni institutionem spectant.

IV. In Seminarium ne admittantur qui aetatis suae annum decimum quartum fuerint praetergressi; nisi cui forte Ordinario visum fuerit provectiorem aliquem ad maiora studia plenius persequenda proponere.

V. Item aditus ne cui patefiat, nisi, emenso quinquenni primordiorum cursu, habeatur idoneus ad aliquam gymnasii aliorumve studiorum scholam frequentandam.

VI. In Seminarium cooptati, statim peculiari doctorum decurialium coetui probandi se sistant, quo iudicio constet, cuinam scholae adeundae sint pares.

VII. Candidati ex honesta familia sunto, bonaeque indolis indicia praebento. Etsi vero de iis, qui immaturam adhuc aetatem agunt, difficilis coniectura sit, quodnam vitae genus sint suscepturi, nihilominus curent Ordinarii iuvenes nominare, « quorum indoles et voluntas spem afferat eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros » (1).

VIII. Ubi alumnus aperiat se nolle sacro ministerio mancipari, aut ubi necessariis ad id conditionibus carere, studiisve rite absolvendis impar esse videatur, re ad Ordinarium delata, dimittatur.

IX. Commorationis in Seminario diuturnitas ne intermittatur; nec quisquam ante discedat, quam legitimum tempus suae institutionis expleverit.

X. Extremo quoque anno alumni periculum facient, sive ad honestam emenso gymnasio aut lyceo missionem, sive ad gradus academicos in Sacra Theologia consequendos.

Caetera serventur iuxta normas iam constitutas super admittendis in Seminarium Vaticanum adolescentibus.

Omnia igitur quae hisce Litteris Motu proprio statuimus, decrevimus, confirmavimus, rata et firma uti sunt, ita in posterum esse volumus ac iubemus, irritum et inane futurum decernentes, si quid super his a quoquam contigerit attentari. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die XII Maii anno millesimo nongentesimo quarto, Pontificatus Nostri anno primo.

PIUS PP. X.

VI.

Pius X probat conventum circa Christianam Catechesim, Placentiae mox celebrandum.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem (2).

Consilium illud, quod significasti nuper, te tuaeque adiutores et fautores operae cepisse de altero catholicorum conventu, hoc anno, super Christiana Catechesi habendo, Nobis probatur magnopere; quippe ad id quod urgemus propositum apprime conducit. Nam ut omnia instaurentur in Christo, id est ut mores et instituta populorum privatim et publice ad christianam restituantur formam, fieri profecto non potest, nisi vulgo doctrina et praecepta Christi mentes animosque rursus imbuerint.

Et vere, malorum omnium, quibus haec laborat aetas, id tamquam caput est, incredibilis quaedam in tanto apparatu doctrinarum et ardore discendi, ignoratio maximarum rerum, quae religione continentur; cui vos malo libenter videmus pro virili parte sollerti cum diligentia remedium quaerere. Hanc enim sollertiam satis agnovimus in eo libello, quem litteris vestris adiecistis, de rebus in conventu tractandis: quas quidem scitote Nobis non minus opportunas videri, quam Episcopo vestro, huius disciplinae peritissimo, visae sint. Quare alacres, Antistite optimo praeeunte, inceptum peragite confisi, non defuturam laboribus vestris nec opem, nec mercedem a Deo uberrimam. Utriusque auspicem et peculiaris Nostrae benevolentiae testem vobis omnibus, in primisque Venerabili eidem Fratri, tibique, dilecte fili, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Februarii anno 1905, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

(1) Conc. Trid.

(2) Sac. Amedaeo Ghizzoni, Moderatori Ephemeridis *Catechista Cattolico*, Placentiam.

VII.

Pius X gratulatur cl. Paquet, de opere super doctrina S. Thomae Aq. Sibi oblato.

Dilecto filio L. A. Paquet, Protonotario Apostolico, Decano Facultatis Theologicae Lycaei Magni Lavallensis.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Sena nuper volumina accepimus a te oblata, quibus tu, suasore atque auspice Venerabili Fratre Ludovico Archiepiscopo tuo, totam Aquinatis doctrinam complexus es, tum quae dogmata, tum quae sacramenta pertractat.

Officium devotionis tuae pergratum habuimus, vel eo magis quod conscripti a te libri non uno ex capite praeclaram merentur laudem. Inest enim iis romanae sapientiae sapor, quem tu quondam romanarum scholarum alumnus diligenter hausisti; inest et testimonium insigne illius obedientiae, qua tu et universum Lyceum Magnum Lavallense praescripta a Decessore Nostro de Sancti Thomae doctrinis tuendis ac propugnandis sancte exequimini.

Tibi praeterea laudis vertendum est quod, cum primus apud Canadenses theologiae tractatus in lucem edideris, id feceris singulari doctrinae soliditate perlucidoque stylo, nihilque omittens quod temporum nostrorum opportunitatibus magis esset accommodatum.

Speramus fore ut, tuo usi exemplo, qui Theologicas disciplinas in Universitate ista sunt tradituri, nunquam ab Aquinatis doctrinis discedant, quibus quo melius alumni sacri cleri fuerint imbuti, eo aptiores erunt ad omne genus errores retundendos.

Benevolentiae Nostrae pignus Apostolicam benedictionem tibi et Universitatis Lavallensis antecessoribus et alumnis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die xx Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

VIII.

Pius X commendat symbolas pro Lycaeo magno Insulensi.

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem (1).

Epistolam a te pastoralem excepimus, fideli Cameracensi populo ea mente scriptam, ut hortamenta adderentur publice ad conferendas liberali manu symbolas, quae decimo quoque anno solent pro catholici Lycaei magni Insulensis vita profectuque dari.

Talis ista sane res est, quae et Nobis videatur commendanda summopere, et, vel eo solum quod est nunciata, laetitiam Cordi Nostro multam crearit. Apte equidem valdeque etiam utiliter illud in memoriam revocasti populo, institutione ac doctrina adolescentium catholica, salutem contineri reipublicae. Huius sunt argumento rei praecellentes habiti in societate hominum fructus, ubicumque in honore fuit catholica institutio et scientia, ista etiam in urbe, e qua varias in orbis regiones salubris influxit doctrinae virtutisque vis. Quapropter et gentem omnem Gallorum et tuum in primis populum responsuros abunde invitationi fidimus; praeclare enim eorum animi enitent studio quodam erga optima quaeque perardenti. Horum vero voluntatem tuumque generosum opus gratia e coelo uber fecundet, divinaeque opis auspicium adsit Apostolica Benedictio, quam tibi atque his omnibus, quorum laudatum Lycaeum liberalitatem persentiet, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XXXI Ianuarii MCMV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIUS PP. X.

(1) Ill.mo ac R.mo D.no Sonnois, Archie.po Cameracensi.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

I.

Romae die 27 Martii 1905.

Consistorium Secretum.

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X questa mattina ha tenuto nel Palazzo Apostolico Vaticano il Concistoro Segreto, nel quale l'E.mo e R.mo Sig. Card. Sanminiatelli-Zabarella, terminato l'officio di Camerlengo del Sacro Collegio, ha presentato la solita Borsa a Sua Beatitudine, che si è degnata passarla all'E.mo e R.mo Signor Card. Mathieu. Quindi il Santo Padre ha pronunziata la seguente Allocuzione:

Allocutio Sanctissimi.

Venerabiles Fratres,

Amplissimum coetum vestrum, tertium pro officii munere, allocuturos, piget Nos admodum ea iterum afferre argumenta, quae non laetitiam faciant, sed moerorem confirment. Sed nostis optime, hunc esse Dei, provide disponentis, nutum, ut tristibus Ecclesia ne careat unquam, ut nempe eo digna sit Sponso, qui, quo illam sibi exhiberet gloriosam, non habentem maculam, poni voluit in signum cui contradiceretur.

Querebamur ad vos, Venerabiles Fratres, consilia agitari apud Gallos, quae maxime religioni essent infesta: querebamur propositum, non eam modo rescindendi pactionem, quam, superiore ineunte saeculo, ad commune religionis et civitatis bonum Romanus Pontifex ac reipublicae Gallorum moderatores fecerant; sed, lege lata, civilis imperii ab Ecclesia discidium perpetuo sanciendi. Iamvero etsi Nos, omni studio omnique qua licebat ratione, etiam postremis hisce diebus, tantam cladem avertere conati sumus, quin et conari adhuc voluntas est, quum nihil a Nobis longius absit quam velle Nos a pactis conventis eximere; attamen eo res urgetur ardore, ut sit plane pertimescendum, ne brevi ad exitus adducatur. — Gallorum gentis, quam Nos ex animo adamamus, vicem dolemus graviter: quidquid enim damni ubivis

obveniat Ecclesiae, id experiendo novimus rei quoque publicae detrimentum esse. Teneant hoc probe, non ii modo qui in Gallia catholicarum sunt partium, quibus Ecclesiae defensionem suscipere sanctum esse debet; verum etiam pacis publicaeque securitatis quotquot sunt amatores, ut communi demum studio tantam patriae perniciem prohibeant.

Haec inter, Venerabiles Fratres, contristat adhuc animum immanitas belli, quo extremae iamdiu Orientis orae caedibus, incendiis, sanguine funestantur. Quot ibi rerum lacrymae! — Vices Illius in hisce terris gerentes, qui auctor est et conciliator pacis, Deum, in spiritu humilitatis, enixe obsecramus ut principibus ac populis quae ad concordiam pertinent consilia benigne impertiat. Tot plane tantaque genus ubique hominum conficiunt mala, ut non sit opus armorum etiam strepitu perturbari et contentione bellorum!

Quantum pacis studio ex omni parte sit tribuendum sensere nuper feliciter qui Brasiliam, Peruviam, Boliviam supremo imperio moderantur. Exortis enim de praescribendis regendisque finibus controversiis inter foederatas Brasiliae civitates et utramque gentem, peruvianam videlicet ac boliviensem, periclitari vetus concordia videbatur. At vero, qui publicae rei regundae praesunt, sapienti equidem saluberrimoque consilio, contentionem alieno iudicio terminandam decreverunt. Qua in re, cum prudentissime reputarent, tutandae pacis officium Pontificatui maximo innatum fere esse atque insitum, communi sententia, Sedis huius Apostolicae Nuntium virorum coetui praefecerunt, quorum esset causa suffragiis dirimenda. — Quae dum vobiscum, Venerabiles Fratres, laeto animo communicamus, dictarum gentium Praesidibus gratias publice referre libet quod honorem eiusmodi Nobis et Cathedrae Beati Petri habere voluerint.

Quam coniunctionem Nobiscum, quae maximarum utilitatum conciliatrix est, utinam pro merito aestimarent qui Aequatorianae Reipublicae regimine potiuntur. Scilicet Romani Pontifices decessores Nostri, atque in primis Pius IX sanctissimae recordationis, charitatem suam in aequatorianum populum multis magnisque argumentis demonstrarunt. Quid vero? Eas modo leges ibi latas novimus, quae ad catholicam Ecclesiam et antiquam patrum religionem non vexandam solum sed pene interimendam sancitas quis dixerit. — Nos, ne deesse muneri videamur, illatum religioni vulnus non dolemus modo, sed publice arguimus; sperantes consideratiora consilia ab iis, quorum interest utilitati suae gentis prospicere, esse capienda. Episcopos interea et catholicos universos aequatorianae gentis non demittere animum iubemus, sed magno erectoque religionem tueri debitamque illi adserere libertatem, nulla tamen tentata via, quam ordo ac iustitia intercludat. Aderit conantibus Deus, qui mortificat et vivificat, deducit ad inferos et reducit.

Caeterum, Venerabiles Fratres, non sine praemio futuram confidimus, quam catholici universi testati sunt pietatem in augustam Dei Matrem, quum superiore decembri mense quinquagesimus annus impletus est a solemni promulgatione decreti, quo Eadem primaeva labe immunis edicebatur. Virgo suavissima, quae Ecclesiam plane diligit quam acquisivit Christus sanguine suo, optatae pacis gaudia ne diu desideremus efficiet.

Et benedictio Dei Omnipotentis, etc.

Fattasi poi la consueta ozione alla vacante Chiesa Suburbicaria di Sabina, il Santo Padre si è degnato di provvedere quanto appresso:

Chiesa Cattedrale Suburbicaria di Sabina, cui è unito il titolo di Abbate perpetuo di Farfa, per l'E.mo e R.mo Sig. Card. Francesco di Paola Cassetta, che dimette il Titolo presbiterale di S. Crisogono.

Chiesa Metropolitana di Vercelli, per Mons. Teodoro Ernesto Maria Valfé di Bonzo, promosso dalla Sede Cattedrale di Como.

Chiesa Metropolitana di Granata, per Mons. Giuseppe Meseguer y Corta, promosso dalla Sede Cattedrale di Lérida.

Chiesa Metropolitana di Bamberga, pel R. D. Federico Filippo Abert, diocesano di Würzburg, dottore in sacra teologia, Rettore Magnifico e Professore di teologia dommatica nell'Università di Würzburg.

Chiesa titolare Arcivescovile di Pessinonte, pel R. D. Emilio Parodi, della Congregazione della Missione, di Genova, Visitatore Provinciale di sua Congregazione in Piemonte, deputato coadiutore con successione di Mons. Diego Marongiu Delrio, Arcivescovo di Sassari.

Chiesa Cattedrale di Leon, pel R. D. Giovanni Emanuele Sanz y Saravia, arcidiocesano di Siviglia, dottore in sacra teologia, Professore di sacra teologia e di storia ecclesiastica nel Seminario e Parroco di S. Andrea in Siviglia.

Chiesa titolare Vescovile di Dora e Priorato dei riuniti Ordini militari di Spagna, pel R. D. Remigio Gandasegui y Gorrochategui, diocesano di Victoria, dottore in sacra teologia, Canonico Lettorale della Metropolitana di Saragozza.

Chiesa titolare Vescovile di Eucarpia, pel R. D. Cirillo de Paula Freitas, diocesano di Diamantina, Parroco di Taboleiro Grande, deputato Coadiutore con futura successione di Mons. Luigi d'Amour, Vescovo di Cuyabà nel Brasile.

Chiesa titolare Vescovile di Gaza, pel R. D. Costanzo Castrale, arcidiocesano di Torino, dottore in sacra teologia, Parroco e Vicario foraneo di Favria.

Ha quindi Sua Santità pubblicata la provvista, già fatta per Breve, delle seguenti Chiese:

Chiesa titolare Arcivescovile di Nicea, per Mons. Giovanni Tacci, promosso dalla Sede Cattedrale di Città della Pieve, in Costantinopoli Delegato Apostolico per gli Orientali e Vicario Patriarcale pei Latini.

Chiesa titolare Arcivescovile di Areopoli, per Mons. Lazzaro Miedia, promosso dalla Sede Cattedrale di Sappa, deputato Coadiutore con successione di Mons. Pasquale Guerini, Arcivescovo di Scutari.

Chiesa titolare di Cobasa, pel R. D. Giulio Vittore Maria Pichon, diocesano di Quimper, in Porto Principe Canonico onorario della Metropolitana e Vicario Generale, deputato Coadiutore con successione di Mons. Giuliano Conan, Arcivescovo di Porto Principe.

Chiesa titolare Arcivescovile di Serre, pel R. P. Frediano Giannini, dei Minori, arcidiocesano di Lucca, Custode di Terra Santa, deputato Vicario Apostolico di Aleppo e Delegato Apostolico di Siria.

Chiesa Cattedrale di Ballarat, per Mons. Giuseppe Higgins, traslato dalla Sede Cattedrale di Rockhampton.

Chiesa Cattedrale di San Severo, per Mons. Emanuele Merra, traslato dalla Sede Cattedrale di Cotrone.

Chiesa Cattedrale di Orvieto, per Mons. Salvatore Fratocchi, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Memfi.

Chiesa Cattedrale di Bergamo, per Mons. Giacomo Maria

dei conti Radini-Tedeschi, di Piacenza, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, professore di sociologia nel Pontificio Collegio Leoniano, Membro di varie Accademie, Assistente ecclesiastico di varie Associazioni, Missionario apostolico, Protonotario apostolico soprannumerario, Canonico della Patriarcale Basilica Vaticana.

Chiesa Cattedrale di Assisi, pel R. P. Ambrogio Luddi, dei Predicatori, diocesano di Arezzo, Maestro in sacra teologia, in Firenze Priore e Parroco di S. Marco.

Chiesa Cattedrale di Angra, pel R. D. Giuseppe Corréa Cardoso Monteiro, diocesano di Lamego, dottore in sacra teologia, in Oporto Canonico cantore della Cattedrale e professore di sacra teologia nel Seminario.

Chiesa Cattedrale di Saltillo, pel R. D. Gesù Maria Echavarria, diocesano di Sinaloa, ivi Vicario generale.

Chiesa Cattedrale di Campêche, pel R. D. Francesco Mendoza, diocesano di Zamorra del Messico, ivi Canonico Arcidiacono della Cattedrale.

Chiesa Cattedrale di Cordova in America, pel R. P. Zenone Bustos, dei Minori, di Cordova, Ministro Provinciale nella Repubblica Argentina.

Chiesa titolare Vescovile di Delco, pel R. D. Antonio Bassani, di Chioggia, Professore di sacra teologia nel Seminario, Canonico Teologo della Cattedrale e Vicario Generale, deputato Coadiutore con successione di Mons. Lodovico Marangoni, Vescovo di Chioggia.

Chiesa titolare Vescovile di Domiziopoli, per Mons. Agostino Fischer Colbrie, Arcidiocesano di Strigonia, Dottore in sacra teologia, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, in Budapest Rettore del Collegio Pazmaniano, Canonico della Metropolitana di Strigonia, deputato Coadiutore con successione di Mons. Sigismondo Bubic, Vescovo di Cassovia.

Chiesa titolare Vescovile di Titopoli, per Mons. Guglielmo conte Batthyàny, diocesano di Vezprimia, Dottore in diritto canonico, Cameriere Segreto soprannumerario di Sua Santità, Canonico della Cattedrale di Nitria, deputato Coadiutore con successione di Mons. Emerico Bende, Vescovo di Nitria.

Chiesa titolare Vescovile di Berenice, pel R. D. Tommaso Francesco Hickey, di Rochester, dottore in legge, Vicario Generale e Rettore della Cattedrale di Rochester, deputato Coadiutore con successione di Mons. Bernardo Mac Quaid, Vescovo di Rochester di America.

Chiesa titolare Vescovile di Tagora, pel R. P. Leonardo Stefano Deda, dei Minori, di Scutari, Superiore dell'Ospizio Francescano e Parroco in Trosciani, deputato coadiutore con successione di Mons. Francesco Malczynski, Vescovo di Alessio.

Chiesa titolare Vescovile di Tadma, pel R. P. Modesto Everaerst, dei Minori, arcidiocesano di Malines, deputato Vicario Apostolico dell'Hu-pè occiduo–meridionale.

Chiesa titolare Vescovile di Paretonio, pel R. P. Enrico Vieter, dei Pallottini, diocesano di Munster, deputato Vicario Apostolico di Cameron.

Chiesa titolare Vescovile di Europo, per Mons. Angelo Filippo Sinibaldi, diocesano di Segni, dottore in filosofia, in sacra teologia e in ambe le leggi, Cameriere segreto soprannumerario di Sua Santità, già Vicario Generale in Segni e in Senigallia, deputato suffraganeo di Ostia e Velletri.

Chiesa titolare Vescovile di Pogla, per Mons. Zotico Racicot, dottore in sacra teologia, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, Decano del Capitolo Metropolitano e Vicario Generale di Montréal, deputato ausiliare di Mons. Paolo Bruchesi, Arcivescovo di Montréal.

Chiesa titolare Vescovile di Clazomene, pel R. D. Guglielmo Timoteo Cotter, Canonico Parroco della Cattedrale di Portsmouth, deputato Ausiliare di Mons. Giovanni Battista Cahill, Vescovo di Portsmouth.

In seguito si è fatta la postulazione del Sacro Pallio per le Chiese Metropolitane di *Vercelli*, *Granata* e *Bamberga*.

II.

Erigitur in Columbiana Republ. Praefectura Apl. vulgo *Caquetá*, et concreditur Min. Capuccinis (1).

Ex audientia SS.mi
Die XX Decembris 1904.

Cum perplures gentis Indicae tribus in territorio Columbianae Reipublicae in America Meridionali diffusae inveniantur, quae sine Religionis lumine et sine regula morum vivunt, optimo sane consilio inter Sanctam Sedem et Gubernium Columbianum, die 27 Decembris 1902, conventio inita est, eum in finem, ut earumdem tribuum evangelizationi christianaeque institutioni faciliori ac promptiori modo provideri possit. — Idcirco in praedicta Conventione nonnulli Vicariatus apostolici proponuntur erigendi, quos inter Missio vulgo *Caquetá* nuncupata.

Huic autem Missioni sequentes limites in praedicta Conventione adsignantur: « La línea de circumscripcion parte « dal punto donde el 3.er meridiano al E. de Bogotá corta « el rio Guaviare y va hasta sus fuentes en el cerro Neiva, « dobla al S. hasta el Paramo de las Papas, recorre la « cima de la cordillera que separa las aguas que van al « Magdalena y al Pacífico de las que van al Amazónas, « hasta alcanzar los límites con el Ecuador; sigue estos « límites hasta encontrar el 3.er meridiano al E. de Bogotá. En otros términos la Mision del Caquetá com« prende la Provincia de Mocoa, disminuida de la parte « incorporada en la Intendencia Oriental ».

At nunc, de communi consensu inter Apostolicam Sedem et Gubernium Columbianum, statutum est ut praedicta Missio non in Vicariatum sed in Praefecturam Apostolicam erigatur. Idque ob peculiares rationes, quae tamen minime impediunt quominus, in posterum, et mutatis rerum adiunctis, praedicta Praefectura in Vicariatum erigi possit.

Cum vero eiusmodi Praefectura apostolica curis missionariorum demandanda sit, expediens visum est, illam committere Ordini Minorum Capuccinorum.

Quae omnia SS.mo Domino Nostro Pio divina Providentia PP. X, per me infrascriptum Secretarium S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae relata, Sanctitas Sua benigne adprobare et confirmare dignata est; ea tamen lege, ut Praefectus apostolicus ab hac S. Cong.ne nominandus sit, caeterique religiosi sacerdotes eiusdem Ordinis, Apostolicae Praefecturae addicti, quoad Regulae seu Constitutionum observantiam a suo Superiore Generali immediate dependeant.

(1) Hoc documentum transponi debet sub propria rubrica S. C. super Neg. Eccl. Extr.

Super quibus eadem Sanctitas Sua mandavit hoc edi Decretum et in acta praelaudatae Congregationis referri. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die, mense et anno ut supra.

✠ Petrus Arch. Caesariensis, *Secretarius*.

L. ✠ S.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 18 Martii 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. Giennen. — Servitii choralis. — R. *Consuetudinem non sustineri; sed attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia ad septennium facto verbo cum SSmo.*

II. Tarraconen. — Remunerationis pro collectione missarum. — R. *Pro gratia ad quinquennium, retinendi tria pro centenis, facto verbo cum SSmo.*

III. Triventina. — Adiudicationis redditaum. — R. *Summam 300 libellarum tribuendam esse Vicario Curato: libellas 135 erogandas esse pro expensis cultus sub Episcopi dependentia et vigilantia, et summam 510 libellarum dividendam esse prudenti Episcopi iudicio inter omnes, qui parochum in cura animarum coadiuvant.*

B. — In folio.

I. Parisien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Dilata.*

II. Aurelianen. — Matrimonii. — R. *Affirmative.*

(Sub secreto).

III. Petrocoricen. — Nullitatis matrimonii. — R. *Dilata et compleantur acta iuxta instructionem dandam a vinculi defensore ex officio.*

IV. Nicoterien. — Cantoratus et nominationis pro-vicarii generalis. — R. *Ad 1um Affirmative. Ad 2um ad mentem.*

V. Nuscana. — Iurium seu privilegiorum. — R. *In decisis.*

VI. Augustae-Praetoriae. — Solutionis. — R. *Sententiam esse infirmandam, et consilium fabricae novum iudicium ex integro instituat penes Curiam Metropolitanam Taurinensem contra Anselmum Bonin parochum loci Roisan, et subsidiarie contra successores et detentores bonorum Praepositi Dubanc ad vindicationem crediti sui.*

VII. Salutiarum. — Remotionis a paroecia. — *Affirmative, proviso sacerdote Re de alio beneficio vel eidem assignata pensione 600 libellarum super redditibus paroeciae loci Busca, donec aliter provideatur.*

A. — Per Summaria precum.

2337/4

I.

Giennen. — Servitii choralis.

Ex immemoriali consuetudine Capitulares qui solemni processioni singulis dominicis intra ecclesiae ambitum intersunt, facultatem habent vacandi a choro una die intra sequentem hebdomadam. Haec consuetudo nequit sustineri; sed attentis peculiaribus circumstantiis, conceditur pro gratia ad septennium, facto verbo cum SS.mo.

Episcopus in peragenda S. Visitatione suae Cathedralis Ecclesiae et Capituli, in ea invenit antiquissimam existentem praxim, vi cuius persoluta in choro hora tertia singulis Dominicis intra Ecclesiae ambitum ducitur processio sub ipsius Capituli elevata cruce, qua finita, locum habet celebratio missae solemnis. Qui Capitulares processioni intersunt, ex statutis habent facultatem vacandi a choro una die intra sequentem hebdomadam ultra vacationem trium mensium a Concilio Tridentino permissam.

Iuxta Capituli secretarii relationem, haec praxis extat ab immemorabili, siquidem in Capitularibus Constitutionibus an. 1518 de mandato Episcopi Suarez de la Fuente concinnatis, in folio 72 ita legitur: « Iuxta ordinationem antiquorum statutorum unusquisque ex beneficiatis nostrae Ecclesiae habet in singulis hebdomadis totius anni diem vacationis a choro, hispanice *recle*, quin tamen quotidianae distributiones amittantur, et hi dies annuatim 52 recensentur ». Fruebantur Capitulares etiam indulto a choro pro tonsione barbae et utrumque indultum, quod audiebat *de claustracion e barba*, iuxta antiqua statuta complectebatur in singulis annis 172 dies, qui dierum numerus a praedicto Episcopo ad 100 dies fuit coarctatus.

Serius indultum pro barbae tonsione fuit revocatum, uti testatur Garzia *de benef., p. 3, cap. 2*, de illis Hispaniae Capitulis in quibus hoc existebat, qui auctor floruit saeculo XVII. At non ita contigit de alio privilegio a statutis concesso pro dominicali processione, quod indultum in Cathedrali Ecclesia Giennensi adhuc in viridi est observantia. De hac itaque praxi Episcopus quaerit, utrum ea tamquam legitima retineri possit. Quam quaestionem cum *per summaria precum* exhibendam decreverim, nonnulla de more advertam.

Capitulum ut suum tueatur privilegium primo invocat statuta, praesertim illa approbata ab Episcopo Delgado, qui interfuit Concilio Tridentino, et ab Episcopo successore Sarmiento.

Insuper praefata praxis habet fulcrum in immemoriali consuetudine. Iamvero ea est vis centenariae vel immemorialis observantiae ut pariat meliorem titulum de mundo, ut aiunt canonistae et inducat praesumptionem beneplaciti Apostolici ad tradita per text. *in cap. super quibusdam § Praeterea de Verb. Signif.*, uti Glossa in verb. *non extat* et per Felinum *in cap. acced., n. 6, de praescript.*, et firmavit Rota pluribus omissis in *dec. 739, n. 2 et 6 coram Caprara.*

Quin ex adverso obiiciatur per *cap. 12, sess. 24, Conc. Trid. de Reform.*, ablata fuisse omnia privilegia contraria sive statutis sive consuetudine quacumque inducta, nam Garzia, l. c., commentans dictum caput, ad dubium an Conc. Trid., dum ibi statuit non licere beneficiatis, vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis, abesse ultra tres menses a propria Ecclesia, censeatur etiam abstulisse consuetudinem immemorialem, respondet negative « quia consuetudo imme-

morialis nunquam censetur sublata, nisi expressa mentio de ea in lege vel in constitutione habeatur, nec comprehenditur in revocatione consuetudinis etiam cum dictione universali », et, pluribus allegatis auctoribus, citat etiam decis. Rotalem in causa *Palentina - Iurisdictionis, diei 25 Februarii 1615, coram Orano.*

Quoad statuta Capitularia adverti potest quod ea a S. H. C., aliquando conservata sunt ex peculiaribus circumstantiis, etiamsi ipsa non essent iuri communi consona, uti videre est late factum in una *Anagnina, Servitii chori,* diei 20 Novembris 1819, relate ad Capitulares Constitutiones.

Neque supra relata praxis ex eo forte impeti posset quod in choralis servitii detrimentum vergeret; vacationes enim a beneficiatis in singulis hebdomadis ita sumuntur ut semper congruus choralium numerus assistens divinis officiis remaneat; aliunde non desunt Capitula sive Cathedralia sive Collegiata quae privilegio mediariae vel tertiariae fruuntur, et super legitimitate huius privilegii nunquam dubium motum fuit.

Neque item negotium facessere potest quod in die vacationis beneficiatis distributiones quotidianae chorales attribuantur contra canonicas sanctiones, nam praeter superius allegata et alia ratio succurrere potest, nempe quod concessio distributionum in themate spectetur tamquam compensatio pro interventu praestito in processione dominicali.

Demum Capitulares observant, quod dominicalis processio multum confert nedum ad splendorem cultus in Cathedrali, sed etiam ad pietatem et devotionem inter fideles excitandam. At si revocatur vel aboletur indultum unius diei vacationis in hebdomada, praefatae processionis intuitu concessum, forte vel processio amplius locum non habebit ob renuentiam interventus ex parte Capituli, vel saltem non fiet ea pompa et solemnitate qua a remotissimis temporibus usque ad praesens fieri consuevit, et hinc diminutio pietatis, et fortasse etiam scandalum et admiratio inter fideles eveniet.

Verum ex adverso haec recoli possunt. Ex sacrorum Canonum censura - « a percipiendis fructibus, quotidianisque distributionibus arcentur ii, qui in suis Ecclesiis non resident et divinis officiis non intersunt, *Capit. Un. de Cler. non resid. in 6;* - fructus enim Praebendae sunt in praemium residentiae, distributiones vero in praemium interessentiae, iuxt. Engel. *in Ius. Canon., lib. 3, tit. 4, num. 24.* Requiritur proinde tum residentia in loco beneficii, tum interessentia divinis, ut docent Passerin. *in Comment. ad cit. Cap. unic. de Cler. non resid. in 6*, Schmier, *Iurisprud. Canon., lib. 3, tract. 1, part. 2, Cap. 3, num. 384*, et Sacra Congr. *Frisingen., Residentiae, 3 Iulii 1762, ad 1um dub.* Tribus in casibus a Bonifacio VIII permittitur in cit. *Cap. un. de Cler. non resid. in 6.* Clericis absentibus, ut tamquam praesentes habeantur et quotidianas absentes lucrentur distributiones, si nimirum infirmitas, vel iusta et rationabilis corporis necessitas, aut evidens Ecclesiae utilitas eos a residentia excuset, quam constitutionem innovavit Tridentinum, *Sess. 24, Cap. 12, de Reform.*, et observari praecepit non obstantibus quibuscumque statutis et consuetudinibus. Dantur etiam alii casus, qui ad tres illos principales reducuntur, quos passim enumerant iuris Canonici Doctores in commentariis ad *lib. 3. decretal. titul. 4, de Cler. non resid.* Inter quos, et illud recensetur, si Canonici ob aliquem casum particularem absint et nihilominus de quotidianis distributionibus participent ex Indulto Apostolico, vel ex statuto Ecclesiae per Sedem Apostolicam confirmato, ut docent Reiff., *in Ius Can., lib. 3, tit. 4, § 7, n. 214*, Fagn., *Cap. Licet, n. 132 et seq. de praebend.* Requiritur enim, ut tale statutum sit per Sedem Apostolicam confirmatum, secus nullius roboris est, *ex Cap. super his de maiorit. et obed.* notatque Fagn., ibidem, *n. 6*, atque *ex Cap. olim, n. 8 et seq. de accusat.;* non enim inferior tollere potest legem superioris, eique derogare, Passerin. *loco supra citato, n. 175*, ac proinde huiusmodi constitutiones in ea tantum parte, quae iuri communi non adversantur, exequutioni dandas esse declaravit S. Congr. in *Pisauren., Camerariatus, 21 Novembris 1761, § et ultra* ».

Iam vero Capitulum Giennense probare nequit statuta suae Ecclesiae auctoritate Apostolica roborata fuisse. Ergo inutiliter ea invocat ad dictam praxim legitimandam.

Neque minus perfugium invenire potest in consuetudine immemoriali. Nam etsi haec consuetudo explicite non sit reprobata in Conc. Trid., citato *cap. 12, Sess. 24, de Refor.*, tamen haec reprobatio expressa continetur in alio cap. eiusdem Conc. Trid. seu in *cap. 1, sess. 21, de Refor.*, in quo sermo est de constitutione distributionum et earum assignatione tantum divinis officiis interessentibus: et haec assignatio praescribitur facienda « non obstantibus exemptionibus ac aliis consuetudinibus etiam immemorialibus ». Insuper per citatum cap. 12, etiam consuetudinem immemorialem esse abolitam tenet Barbosa *in cap. 23, de can. et dignit., n. 2*, et adducit duas H. S. C. declarationes, nempe unam an. 1576 in *Lamacen.*, diei 6 Septembris ita se habentem: « S. C. C. censuit immemorialem esse sublatam per Concil., etc., et statuta iurata nihil valere »; alteram diei 1 Iulii 1597 quae ita se habet: « S. C. C. censuit decreto *d. c. 12 ver. distributionis* sublatam esse consuetudinem etiam immemorialem percipiendi distributiones in absentia ».

Deinde, praeterquamquod haec consuetudo est nulla vel irrita ob constitutionem Pii IV *In Principis Apostolorum...* quae declaravit nullius roboris consuetudines capitibus Tridentinis adversantes, ex alia ratione etiam est reiicienda, quia est in detrimentum divini cultus: nam finis legis constituendi distributiones, uti diserte traditur in cit. cap. 3, sess. 21, Conc. Trid., is praecise fuit ut divino cultui accuratius prospiceretur.

Neque aliquid ponderis habere potest in themate privilegium quo nonnulla Capitula frui solent, mediariae vel tertiariae: nam uti tradit Lucidi in opere *de VV. SS. LL., l. 1, c. 3*, hoc indulto illa tantum Capitula donantur quae non pollent Conciliari vacatione trium mensium. At Capitulo Giennensi ex Capitularibus statutis, hae trium mensium vacationes tribuuntur. Hinc iure inspecto, allegata praxis quantumvis antiquissima imo hominum memoriam excedens, nullimode videtur posse sustineri.

Demum ex enucleatis superius principiis, beneficiati qui superius relato indulto seu vacatione fruiti sunt, essent cogendi ad restituendas distributiones hucusque indebite perceptas. Verum utrum attenta bona eorum fide, expediat eas condonare, videbunt EE. VV. sicuti etiam expendent, si saltem per viam gratiae permitti possit relata Capituli praxis, praesertim prae oculis habito splendore et fidelium concursu, quo duci solet in Cathedrali Ecclesia dominicalis processio.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Consuetudinem non sustineri; sed attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia ad septennium, facto verbo cum SS.mo.*

2607
4
II.

Tarraconen. — Remunerationis pro collectione missarum.

Conceditur ex gratia, ad quinquennium, facto verbo cum SSmo, ut collector dioecesanus missarum retinere possit in casu tria pro centenis ex eleemosynis missarum, pro laboris retributione, librorum emptione et monetae adulteratae compensatione.

Quod spectat ad missarum eleemosynas colligendas ac distribuendas, ex Archidioecesi Tarraconensi sub die 9 Iulii 1904 preces sunt oblatae, quae, hisce verbis, significantur: « Sacerdos fungens in Archidioecesi Tarraconensi, sub inspectione sui Ordinarii, munere colligendi ac distribuendi « missarum eleemosynas, ad tranquillitatem suae conscien« tiae a S. Vestra humiliter postulat facultatem retinendi « partem stipendii, scilicet quinque pro centum, ex eleemo« synis, quae pro celebratione missarum singulis sacerdo« tibus offerat, non obstante novissimo decreto S. Congrega« tionis Concilii; abhinc enim diuturnum tempus acervus « dioecesanus missarum gestus est, prout petitur ».

Hanc petitionem Archiepiscopus ita commendabat: « Enixis « precibus, exoro ut gratia concedatur saltem usque dum ab « ista S. C. dubia resolvantur, quae in aliis Dioecesibus « exoriri possint, et tunc Archidioecesis Tarraconensis re« gulam sequetur generalem ».

Missae autem sic collectae intra ipsam dioecesim celebrantur; et quot singulis annis colligi soleant, patet ex oblata schedula missarum, quae ultimo decennio collectae fuerunt, ex qua eruitur numerum earum attingere 4850 circiter quotannis.

Archiepiscopus autem, ad rem rogatus, notat: « Redditus « qui scilicet quinque pro singulo centenario retinentur, « erogantur in retributionem collectoris pro labore, in li« brorum rationum emptionem, atque in damni compensa« tionem, si forte monetae adulteratae aliquando et incon« siderate excipiantur ». Et quum addiderit quod singulis annis collector rationem Ordinario reddit, ita prosequitur: « Notandum quod Archidioecesis penuria stipendii pro missis « celebrandis laborat, ast huic necessitati Archiepiscopus « occurrit, acervo dioecesano applicans varias pecuniarum « summas non parvi aestimandas, quibus Archiepiscopus « libere uti potest. Praedictae pecuniae sunt tamquam acervi « missarum sustentaculum, nam antequam hoc consilium « inirem, ferme nullae eleemosynae illi offerebantur ».

Fit nempe quaestio de manualibus missis, ad quas colligendas et distribuendas in Tarraconensi Archidioecesi, quidam sacerdos apposite constituitur; cui tamen dioecesano missarum acervo, ob penuriam stipendii pro celebrandis missis, variae et non parvae pecuniarum summae applicantur ab Episcopo, qui hisce summis libere uti potest. Quum vero collector, ex diuturna consuetudine, quinque pro centenario non ex imminutione missarum, sed imminutione eleemosynae sibi retineat, ipse nunc anxietate afficitur ob decretum H. S. C. sub die 11 Maii 1904: « *De observandis et evitandis in missarum manualium satisfactionem* » (1), et saltem ad tempus petitur facultas retinendi supradictam stipendii partem.

Cui petitioni, iustitia et Evangelii dictamine perpensis, nimirum *dignus est operarius mercede sua*, respondendum videtur affirmative. Quum enim Sacerdos munere fungatur, pro tota dioecesi, colligendi et distribuendi missas, laborem quidem impendit qui proportionatam retributionem meretur. Nec revera ipse ob alium titulum ad id munus teneri videtur, unde speciali compensatione est remunerandus.

Decretum vero « *De observandis* » praecipiendo sub n. 9 « pro missis manualibus et ad instar manualium, eleemosy« nam iuxta sequentes articulos propriam nunquam separari « posse a missae celebratione, neque in alias res commutari « aut imminui, sed celebranti ex integro et in specie sua « esse tradendam » nullomodo videtur efficere praesentem casum, in quo agitur de iusta mercede pro labore et expensis administrationis.

Quin imo Doctores communiter tradunt, quod si quis, ex officio, missarum eleemosynas colligit et distribuit, moderatam mercedem pro labore exigere vel retinere potest si labor vere mercedem mereatur, nempe secundum « iustum officii et laboris pretium », ut ait D'Annibale (*Summula Theol. mor., ed. III, part. III, n. 191*).

Praeterea petitioni annuendum videtur ex eo quod collectio et missarum distributio in universa dioecesi expensas revera requirit, ut in librorum rationum emptione; pro quibus expensis compensationem deberi probati Auctores admittunt; praeterquamquod damnum est compensandum, si forte monetae adulteratae aliquando et inconsiderate excipiantur.

Nec videtur obiectio fieri posse ex responso H. S. C. in *Compostellana per summaria precum*, diei 1 Septembris 1894 (1): « *Ad 1um et 2um, prout proponitur, Negative* ». Tunc enim propositum fuit dubium de parochis vel de officiali Curiae episcopalis, dicto *Depositario de fondos pios*, qui ex eleemosynis aliquid sibi accipiebant, et quidem constat quod officiali qui dicitur *Depositario* competit ex suo ipsius officio cura pecuniae depositae, et quod etiam officio parochi cohaeret administratio oblationum.

Adde autem in casu quod quum Archidioecesis Tarraconensis penuria stipendiorum pro celebrandis missis laboret, officium collectoris vergit quidem in bonum sacerdotum ipsius dioecesis, intra quam omnes missae collectae committuntur celebrandae. Et est insuper notandum, ut Archiepiscopus advertit, quod dioecesanus missarum acervus varias et non parvas summas amplectitur, quibus Archiepiscopus libere uti potest, et quas ob penuriam stipendiorum ipse in bonum dioecesis applicat acervo supradicto missarum.

Quibus omnibus consideratis, quum collectori compensatio revera debeatur et ipsi dioecesi bonum exinde proveniat, ac non parvi aestimanda pars fundi ab ipso Episcopo libere rependatur, videtur pro compensando collectore forte aptior esse ille modus, qui diuturna consuetudine inolevit.

Sed ex adverso adverti potest nihil ex missarum eleemosynis esse detrahendum. Praeter enim plura decreta et responsa, quae videre est etiam in *Bredanen. per summaria precum*, d. 25 proxime elapsi Februarii (2), novissimum decretum *de observandis* expresse praescribit n. 9 iam citato pro missis manualibus et missis instar manualium: « Eleemosynam nunquam separari posse a missae celebratione, « neque in alias res commutari aut *imminui*, sed celebranti « *ex integro* et in specie esse tradendam, sublatis declara« tionibus, indultis, privilegiis, rescriptis sive perpetuis sive « ad tempus, ubivis, quovis titulo, forma vel a qualibet « auctoritate concessis et huic legi contrariis ». — Et quum idem decretum in fine praecipiat: « Denique officii singulo« rum Ordinariorum erit curare ut in singulis ecclesiis, « praeter tabellam onerum perpetuorum et librum in quo « manuales missae, quae a fidelibus traduntur ex ordine cum « sua eleemosyna recenseantur, insuper habeantur libri in « quibus dictorum onerum et missarum satisfactio signetur »,

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 202.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. II, p. 390.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.* fasc. praec., p. 70.

in specie nec pro opera quae praestatur, nec pro rationum libris videtur aliquid ex eleemosynis esse detrahendum, quum hoc officium parochis et rectoribus ecclesiarum sub vigilantia Ordinarii cohaereat.

Quod si in dioecesi sit sacerdos missarum omnium collector et distributor, hoc erit ob ipsius dioecesis peculiarem necessitatem vel utilitatem; sed non ideo ob praestitam operam et librorum expensas eleemosynae essent unquam imminuendae; ac multo minus ob monetas, quae adulteratae aliquando et inconsiderate excipiantur, quum quilibet rei nummulariae administrator teneatur ex proprio officio in monetis excipiendis invigilare, et de sua ipsius negligentia respondere.

Si autem gestio administrationis pro tota dioecesi specialem laborem revera et industriam importat, ad quae nemo ex officio teneretur, et ideo etiam augendae sunt expensae et intensior diligentia in excipiendis monetis requiritur, tunc aequitas suadet, ut opera administratoris congrua retributione compensetur, quae, perpensis omnibus, ab Episcopo determinetur.

Quod firmari potest responsione superius iudicata H. S. C. *per summaria precum* in *Compostellana*, 1° Septembris 1894. Quaesitum nempe fuit 1° « Utrum parochi vel capel- « lani aliquid usque ad decem pro centum accipere possint « pro collectione, reservatione et venditione eleemosynarum », et 2° « Utrum officialis dictus *Depositario de fondos pios* « possit tuto recipere quinque pro centum propter custodiam « pecuniarum, quae per ipsum asservantur », et responsum iam adductum prodiit: « Ad 1um et 2um prout proponitur, « Negative ». Ubi quamvis officialis dictus *Depositario de fondos pios* ex proprio officio ad asservandam pecuniam teneretur, et parochus videretur cohaerenter cum suipsius officio oblationum administrationem gerere, est e contra animadvertendum quod ipsi maiorem laborem praestabant ac in casu nostro, quia eleemosynae plerumque sub specie frumenti offerebantur, quae asservandae et vendendae erant; et insuper quod illae eleemosynae erant in genere a fidelibus oblatae in Sanctorum cultum vel honorem, et non erant eleemosynae proprie missarum, pro quarum administratione Ecclesia strictius invigilat et res ipsa quam sanctissime est tractanda.

In casu autem petitionis de qua agitur, etiam admisso, quod pro labore et expensis aliquid ex eleemosynis detrahatur, redditus, qui de facto retinentur, idest quinque pro centum, plus aequo aestimari possunt, eo vel magis si consideretur quod missae quae singulis annis colligi solent, ratione habita ultimi decennii, sunt circiter 4850; qui numerus pro tota Archidioecesi est forte parvus, sed pro sacerdote collectore non mediocrem fructum afferre videtur.

Hisce in utramque partem adnotatis, EE. VV. pro sueta sapientia et aequitate iudicabunt, quid magis in Domino expediet.

Quare etc.

Responsum fuit: *Pro gratia ad quinquennium, retinendi tria pro centenis, facto verbo cum SS.mo.*

3074/4 III.

Triventina. — Adiudicationis redditum.

Agitur de augmento congruae parochialis, quod in favorem Vicarii curati cedere debet, non autem in augmentum massae communis capituli cathedralis, penes quod residet cura habitualis animarum.

In ecclesia cathedrali Triventina, quae est etiam unica paroecia in eiusdem nominis civitate existens, cura habitualis animarum apud Capitulum residet, cura vero actualis Vicario curato seu parocho ad nutum amovibili demandata est.

Anteactis temporibus, idem Capitulum a Municipio loci ducata 180 pro massa communi percipiebat, ex quibus 15 Vicario curato quotannis pensitabat. Sed, post rerum ecclesiasticarum eversionem a Gubernio italico patratam, praedictam summam Lib. 765 Fundus Cultus pro parochiali congrua solvit, ita ut Lib. 510 parocho et aliae Lib. 255 Coadiutoribus ab eodem assignatae sint; de facto tamen haec parochialis congrua, detractis prius Lib. 43 pro Parocho, massam capitularem constituere pergit et inter Canonicos ac Portionarios pro rata distribuitur.

Ex altera parte Canonici, iuxta conventionem inter ipsos et Vicarium curatum initam, tenentur coadiuvare Parochum in sacramento poenitentiae administrando, praesertim in solemnitatibus, dum ipsi, exceptis iuribus ex baptismo et matrimonio derivantibus, quae ad parochum unice spectant, aliis parochialibus proventibus stolae albae et nigrae fruuntur. A Capitulo praeterea eliguntur atque deputantur sex Portionarii seu presbyteri adiuncti, qui suppetias ferant Vicario curato in sacramentis, praecipue SS.mi Viatici et Extremae Unctionis administrandis, ac interea ad dimidiam cuiusvis canonici partem nec non ad utriusque stolae incerta ius habeant.

Modo accidit, ut actualis Vicarius Curatus a Gubernio obtinuerit augmentum congruae parochialis ita distributum, ut videlicet Lib. 300 pro conductione domus parochialis, Lib. 510 pro duobus Coadiutoribus, et Lib. 135 pro expensis cultus assignarentur. Actualis parochus Palmerinus Castroiacovo integram Lib. 300 summam, necnon duplam cuiuslibet canonici portionem Lib. 510 sibi tribuendam esse contendit. At totis viribus obstat Capitulum cathedrale, quod totum congruae parochialis augmentum in massam capitularem refundendum esse contendit.

Triventinus Episcopus Capitulo favet, et Litteris diei 16 Augusti 1904 ad H. S. C. sequentes movet quaestiones. 1° Utrum parochus Triventinus ius habeat ad omnia emolumenta ab Administratione Fundi Cultus concessa; et quatenus *Negative*; 2° An idem parochus, quamvis propriam domum habeat, ius habeat retinendi Lib. 300 pro domo parochiali; 3° An et quomodo Episcopus, invito Capitulo, aequam portionem Parocho pro maiori servitio tribuere possit.

Rebus sic stantibus, primo subiiciam rationes a Capitulo in quodam memoriali H. S. C. die 26 Septembris 1904 transmisso adductas pro suo iure tuendo, deinde rationes, quae parocho favere videntur, ex officio addam.

Canonici imprimis sustinent sibi ipsis non autem Vicario curato tantum spectare summam Lib. 300 pro conductione domus parochialis a Gubernio solutam, idque ostendere conantur ex quadruplici argumentorum genere, nempe 1° ex eo quod integrum paroeciae onus sive morale sive materiale a Capitulo sustinetur; 2° ex eo, quod emolumentum Lib. 300 concessum fuit paroeciae, non autem Vicario curato; 3° ex eo, quod ita statutum fuit in pluribus conventionibus inter ipsum Capitulum et Vicarium curatum initis; 4° demum ex Decreto H. S. C. *Ad dirimendas*, diei 22 Februarii 1876.

Primo loco Capitulares observant, quod ipsi presbyteros adiunctos sub Mansionariorum titulo eligunt ac deputant ad suppetias per turnum ferendas Vicario curato in serotina SS.mi Sacramenti visitatione, in administratione SS.mi Viatici et Extremae Unctionis, in adsistentia infirmorum ac

in christianae religionis rudimentis tradendis. Quinimo ipsimet Canonici parochum coadiuvare debent in sacramentalibus confessionibus audiendis, praesertim autem tempore Adventus, Quadragesimae et Praecepti Paschalis. Quae non ex charitate dumtaxat sed ex officio a Canonicis praestanda sunt, quemadmodum constat ex quodam pacto ipsos inter et Archipresbyterum Donatelli a. 1708 peracto.

Capitulum praeterea sex Coadiutores ab eodem nominatos de massa communi atque de incertis participare sinit; una simul cum Missis conventualibus etiam parochiales, tum diebus festivis de praecepto, tum suppressis per turnum celebrat; taxam Lib. 150 ratione fructuum stolae Vicarii curati Gubernio solvit; atque reparationis fabricae et sacrarum suppellectilium expensas cum Episcopo sustinet, etc. Parvus proinde laboris excessus Vicarii curati per emolumentum Lib. 43 et per alia parochialia iura, quae plus quam Lib. 300 attingunt, satis superque compensantur.

Unde, concludit Capitulum, si parocho aliae Lib. 300 pro domo parochiali erogarentur, nimia haberetur disparitas inter Capituli et Vicarii curati emolumenta.

Secundo loco Canonici animadvertunt, quod licet Can. Mastroiacovo coram italico Gubernio tamquam titularis paroeciae appareat, talis revera non est coram Capitulo. Sane in ecclesia cathedrali Triventina ex primaeva institutione penes Capitulum residet parochia, quod idcirco Vicarium curatum et Coadiutores nominat, quodque verus ac proprius parochus est habendum. Qua de re Canonicus ad animarum curam deputatus nec parochus est nec parochi quidem nomen assumit, sed Vicarii curati dumtaxat, seu, quod idem est, Coadiutoris perpetui. Legitur enim in decreto Episcopi tunc temporis Triventini Pitocco pro confirmatione Can. Donatelli in Vicarium curatum die 1 Septembris 1753 dato: « Cum tu ab admodum RR. DD. Dignitatibus et Canonicis « eiusdem Cathedralis in *Oeconomum* sive Curatum eius« dem electus fueris, etc...; teque *Oeconomum* sive Cura« tum... confirmamus et adprobamus... ».

Nec obiici potest recens Decretum H. S. C. diei 9 Februarii 1901; hoc enim parochialitatis naturam non immutat, sed processum in Vicarii curati electione adhibendum tantummodo determinat ac moderatur. Unde, ait Capitulum, nullo modo concipi potest cur emolumenta in casu Coadiutori non autem Parocho cedere debeant. Secus differentia, quae intercedere debet inter verum parochum ab Episcopo electum et Vicarium curatum ecclesiae Triventinae a Capitulo electum, apud quod residet paroecia nulla erit.

Tertio loco Canonici argumentationem suam adsumunt ex tribus conventionibus ab iisdem cum Vicario curato initis.

Iamvero huiusmodi statuta, arguit Capitulum, quippe quae ab Ordinariis approbata fuere, etiam in parochos successores obligationem inducere valent. Haec doctrina traditur a Ferraris *(Bibl. can., v. Capitulum, art. 3, n. 1-73)*. Quae statuta et declarationes, subdunt Capitulares, non solum nota erant actuali Vicario curato, sed praeterea, antequam eidem delegatio curae animarum demandaretur, exhibita sunt; quaeque ipse absque ulla protestatione acceptavit et usque nunc recognovit.

Quarto tandem loco, Capitulum alludit ad Decretum H. S. C. *Ad dirimendas* diei 22 Febr. 1876, ubi statuitur, iuxta ipsum, quod in nupera evolutione proprietatis ecclesiasticae, titulares, a Gubernio recogniti, percipere non possunt emolumenta a Fisco obtenta in maiori quantitate « quam ante bonorum direptionem percipiebant ». Iamvero Vicarius curatus eamdem congruam hodie habet a Capitulo, quam antea habebat; quapropter nequit praetendere maiora emolumenta a Gubernio, seu Lib. 300 pro domo parochiali.

Ex hucusque enucleatis, prosequitur Capitulum, probata quoque remanet altera defensionis pars, quod nempe Vicarius curatus nullum ius habeat ad duplam sed tantum ad simplicem portionem cuiusvis canonici. Quibus omnibus accedit quod congrua parochialis ducatorum 15 seu Lib. 43 nec augenda nec minuenda est, quia ipsa non dicit relationem ad massam capitularem sed tantummodo ad incommodum Vicarii curati pro animarum cura, uti declarant Statuta Capitularia diei 25 Maii 1727 in cap. 16. Cum autem Vicarii curati onera aucta non sunt, nec eiusdem iura augenda sunt.

Caeterum summa Lib. 510 a Gubernio concessa, non pro augmento congruae parochialis destinata fuit, bene vero pro duobus Coadiutoribus; quaeque si inter Canonicos dividitur, ratio est quia omnes Canonici Vicarium curatum adiuvant in animarum cura. Hinc Capitulum defensionem suam concludit postulando, ut praetensiones Vicarii curati penitus reiiciantur.

Coronidis gratia in favorem Capituli adduci etiam forte posset nuperrima resolutio H. S. C. in una *Melevitana – Emolumenti funerarii* diei 22 Febr. et 27 Aug. 1904 (1), quae ad Dubium: « An Vicario curato vel potius Capitulo spectet « emolumentum a Gubernio solutum pro associatione cada« verum pauperum in casu », respondit: « Emolumentum dividendum esse aequis partibus inter Capitulum et Vica« rium curatum ». Haec autem media pars Vicario curato ideo concessa fuit, ob incommodum nempe quod ipse solus persentiebat in associandis cadaveribus pauperum ad publicum coemeterium; nam in prima huius causae propositione diei 20 Dec. 1903 responsum prodiit ad praedictum dubium: « Dilata et ad mentem. Mens autem est ut Epi« scopus partes ad concordiam inducere curaret, ita ut Ca« pitulum integrum emolumentum, quod Gubernium solvere « solet, sibi retinere non praesumat, sed congruam portionem « Vicario curato assignet, ut *iustam compensationem con« sequatur ob augmentum laboris pro associatione cada« verum ad publicum coemeterium* »; quae prius in ipsa ecclesia cathedrali sepeliebantur. At in casu praesenti parochus Triventinus, uti supra ostensum est, incommodum maius quam anteactis temporibus non persentit.

Ex adverso actualis Vicarius curatus contendit sibi tradendam esse non tantum summam Lib. 300 pro conductione domus parochialis, sed etiam duplam portionem canonicam ex altera summa Lib. 510 pro Coadiutoribus concessa, adeo ut una pars eidem tamquam canonico, altera vero tamquam parocho debeatur.

Et quoad primam parochi petitionem, haec observanda censeo. Sicut enim defunctorum voluntates religiose servandas esse omnia iura clamant, ita et viventium intentiones. In casu autem intentio Gubernii in assignandis parocho Lib. 300 pro parochiali domo fuit eumdem gratificandi pro labore iam peracto in animarum cura, necnon pro maiore etiam labore paragendo in futurum; ut sic praeter profectum spiritualem animarum, etiam profectus civilis hominis obtineatur. Hanc et non aliam fuisse Gubernii offerentis intentionem patet ex ipsius Decreto diei 25 Aug. 1902, ubi assignantur « L. 300 per l'affitto della casa canonica ». Idem asserit Capitulum in suo memoriali H. S. C. exhibito die 11 Sept. 1904; idem repetit Episcopus duplici in loco litterarum diei 16 Aug. 1904. Hinc intelligi facile nequit contraria eiusdem Episcopi assertio diei 16 Dec. 1904, ubi dicit alias summas a Fisco habitas cum speciali et immutabili destinatione esse, et deinde addit: « Restano a di« sposizione del Vescovo L. 300, le quali ha facoltà di as« segnare all'opera che crede », nam si revera esset in sua

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 22.

potestate praedictam summam erogandi, ab H. S. C. non petiisset, num parochus ad eamdem ius habeat.

Parochi praeterea quoad oblationes, quae sive a fidelibus sive ab aliis quibuscumque in paroecia fiunt, iuris adsistentiam habent. Ita Reiffenstuel, aliorum doctorum sententiam referens, habet (*Ius can. univ. Tit. 30*, § *9*, *n. 190*): « Omnes et singulae oblationes, quae intra limites alicuius paroeciae fiunt, de iure communi ad loci parochum spectant, ita ut hic pro se fundatam in iure intentionem habeat ». Idem tradit Rota coram Merlino in *Alexandrina – Funeralium*, diei 1 Iunii 1630 (*Part.* V, *lib. I*, *decis. 402*, § *8*, *recent.*).

Citata resolutio in una *Melevitana – Emolumenti funerarii* non videtur facere ad rem quum potius Vicario curato Triventino quam Capitulo faveat. Ibi enim agebatur de Capitulo, quod praeter curam habitualem etiam actualem sibi unitam retinebat, et dumtaxat eiusdem actualis curae exercitium Vicario curato demandatum erat. Hinc explicatur cur dimidia emolumentorum pars concessa fuerit Vicario curato ob novum, deferendi nempe cadavera pauperum ad publicum coemerium, incommodum; quod nisi extitisset, integrum emolumentum Capitulo Melevitano cedere debuisset, tamquam unico et vero parocho, dum Vicarius curatus aliter non erat nisi merus ac nudus Vicarius. Proinde, quum in themate actuali verus ac proprius Parochus sit habendus Vicarius Curatus, quidquid in contrarium dicant Capitulares, sequeretur quod integrum emolumentum a Gubernio italico solutum eidem Vicario dandum esset.

Naturam enim Vicarii curati ita perbelle illustrat Bouix (*De parocho, part. I, sect. 3, c. 6*): « Vicarius curatus dicitur ille, qui ad curam animarum alicubi, parochi principalis loco, exercendam legitime deputatus est »; deinde sequentes propositiones probat et evolvit: « 1° Vicarius per- « petuus, quando Parochus principalis habitualem dumtaxat « curam habet, est verus, et proprie dictus parochus; 2° Pro « vero parocho habendus etiam est Vicarius curatus amo- « vibilis, quando principalis parochus nonnisi habitualem « retinet curam; 3° Quando principalis parochus habitualem « dumtaxat habet curam, Vicario sive perpetuo sive amovi- « bili applicanda generaliter veniunt consectaria iuris, quae « veros parochos respiciunt ». Ratio est quia in Vicario curato sive inamovibili sive amovibili, qui tamen actualem animarum curam habeat, recensentur illae quinque conditiones quae, iuxta doctores, ad essentiam parochialitatis constituendam requiruntur. Sunt enim ut Vicarius curatus proprio nomine, et ex obligatione, et quoad determinatum populum exerceat officium procurandi bonum animarum spirituale per verbi divini et sacramentorum administrationem; necnon idem populus a Vicario curato ex obligatione recipere sacramenta teneatur. Sed praecipua conditio est ut ipse curam animarum exerceat nomine proprio, non autem nomine parochi principalis. Secus enim haberetur merus Vicarius non autem verus parochus, testante Bouix (*loc. cit.*): « Ubi parochus principalis curam etiam actualem, et « non habitualem dumtaxat, retinet, eius Vicarius quan- « tumvis Curatus dicatur et curam de facto exerceat, Pa- « rochus non est, sed merus Vicarius ».

Nec officit quod in casu Vicarius curatus sit amovibilis et ad nutum; nam « Perpetuitas non est de essentia parochatus seu non requiritur ut quis sit vere parochus » subdit Bouix (*loco citato*). Qui praeterea addit: « Hinc quoties a « Sacra Congregatione Concilii quaesitum est, num obliga- « tiones, quae de iure parochis incumbunt, censeantur etiam « adstringere Curatos ad nutum removibiles, responsum est « affirmative, modo isti Curati *proprio nomine curam* « *actualem exercendam habeant*, et cura haec actualis « non resideat penes alterum, cuius sunt dumtaxat Vicarii. « Et sic multoties responsum est, eos teneri ad residentiam, « et ad offerendum sacrificium pro populo, non minus ac si « forent perpetui (Vide passim in *Thesauro Resolutionum*) ».

Iamvero in casu Vicarius curatus minus recte vocatur *Coadiutor perpetuus* a Capitulo: et hoc duplici de causa, sive quia idem Vicarius non est perpetuus sed temporaneus, uti ultro libenter et multoties admittit ipsum Capitulum, sive quia non est Coadiutor, sed verus ac proprie dictus parochus, qui curam animarum actualem proprio nomine exercet. Hoc enim imprimis apertis verbis constat ex conventione diei 9 Februarii 1708, ubi Capitulares ipsi statuerunt: « Togliere dall'accennato Sig. Arciprete (*nempe* « *Can. Donatelli, qui curam animarum gerebat sub Ar-* « *chipresbyteri titulo et dignitate)* la *cura attuale* delle « anime, dando l'*abituale* « *penes totum Capitulum* », ed « eleggere il Vicario curato, a cui sia annesso il peso di « eseguire tutto ciò, che per gli anni addietro è stato « eseguito dal medesimo, e di zelare sovra la cura di « quelle ».

Ibidem Vicarius curatus tunc noviter electus adstringitur: « *di fare tutto ciò che spetta ad un Curato* ». Idem patet ex altera conventione diei 18 Dec. 1837, in qua dicitur quod penes Capitulum dumtaxat residet: « il peso della cura abituale ». Quinimo in ipsis Statutis Capitularibus ecclesiae Triventinae diei 25 Maii 1727 haec habentur: « *Ri-* « *trovandosi la cura abituale della cattedrale... presso* « *del suddetto Capitolo di Trivento*, siccome si pratica e « si usa negli altri Capitoli, presso dei quali risiede la cura « delle anime, elegge il Vicario curato..., al quale si dà la « cura di amministrare i sacramenti ai parrocchiani, pre- « dicare al popolo la divina parola, insegnare ai figliuoli i « rudimenti della S. Fede, e fare tutti gli altri uffizi che « spettano ai Curati ».

Consonat Episcopus Triventinus, qui in litteris diei 16 Aug. 1904 ad H. S. O. datis fatetur: « *La cura abituale* « delle anime è presso il Capitolo, la *cura attuale* è eser- « citata da un Canonico, che prende il nome di Vicario « curato o di Parroco, nominato dallo stesso Capitolo ed « approvato dal Vescovo ». Insuper Capitulum ipsum ita incipit Memoriale H. S. C. die 11 Sept. 1904 exhibitum: « Dall'epoca in cui la *cura attuale delle anime* passò dal « Capitolo, che l'esercitava *per turnum* al Vicario eletto « nel seno stesso del Capitolo, rimanendo presso di questo « la *cura abituale* ».

Unde, quum luce meridiana clarius innotescat, quod cura habitualis sit penes Capitulum, et cura actualis penes Vicarium curatum, necessario sequitur eumdem Vicarium esse verum ac proprie Parochum, qui curam animarum nomine proprio exercet. Hinc per se cadit assertio Capituli, quod Vicarius curatus appareat titularis paroeciae coram Gubernio, non autem revera sit talis coram Capitulo; est enim revera talis coram iure, et hoc sufficit. Insuper in decreto superius citato Episcopi Petocco, Archipresbyter Donatelli vocatur quidem *Oeconomus* sed subito additur *sive Curatus;* unde hae voces uti synonymae ibidem accipiuntur; caeterum quaestio non est de nomine, sed de re.

Insuper exaggerare saltem videtur Capitulum quando asserit onus sive materiale sive morale paroeciae ab ipso quoque sustineri. Hoc sane dici nequit ex hoc tantum quod Capitulum pro Coadiutoribus stipendium persolvat, vel quod ex officio se praebeat ad confessiones audiendas vel denique quod cultus expensas sustineat. Secus enim etiam Gubernium dici deberet, onus paroeciae sustinere, quia stipendium tum Canonicis tum Vicario curato solvit; et ita passim. Idem forte dicendum esset de canonico poenitentiario, qui

pariter ex officio confessiones audire tenetur. Caeterum ad hoc adimplendum sponte et libere sese adstrinxerunt Capitulares, qui aliter facere potuissent: et hac de causa iuribus parochialibus utriusque stolae participant.

Quoad expensas cultus audiatur ipse Episcopus: « Non il « Capitolo, ma il solo Vescovo per vera liberalità sostiene « le spese della fabbrica e del culto ».

Nec facile intelligi potest quod nempe Capitulum una simul cum missis conventualibus parochiales quoque celebret. Nam si hisce verbis intelligitur quod Capitulum etiam missas parochiales pro populo applicet, hoc nullo modo admitti potest, quia hoc dumtaxat Parochus seu Vicarius curatus persolvere potest et debet; vel quod missa conventualis locum teneat missae parochialis cantatae, et tunc nihil novi habetur, quum Vicarius curatus applicare possit missam pro populo sine cantu, nec ex alia parte eam canere tenetur.

Sed alia et quidem plurima sunt revera onera Vicarii curati, quibus satisfieri debet per tenuem summam Libellarum quadraginta trium quotannis accipiendarum: et haec profecto dici nequit parochialis congrua, quam praecipit Conc. Trid. *(Sess. 24, cap. 13 de Reform.)* scutatorum saltem centum. Ex his itaque potius sequeretur, ut in praesens, congrua Vicario curato Triventino determinanda esset ex integro augmento a Gubernio accepto.

Conventiones praeterea, quas in medium afferunt Capitulares, nimis probant ac proinde nihil probare videntur Ipsae enim, sub remotionis poena, prohibent Vicario curato maiorem mercedem exigendi. Sed non ab aliis quam a Canonicis. Hinc casus non contemplatur, quo Vicarius ab aliquo alio, nempe a Gubernio, maiorem mercedem exigere possit. Secus et ipse Episcopus et Canonici ipsi conventiones capitulares infringerent, quum augmentum congruae parochialis pro parocho petierunt. Vicarius Palma postulavit maiorem mercedem a Capitulo, quod tamen non modo eum non deposuit, sed eidem illam liberaliter concessit.

Aliquam difficultatem facessere prima fronte potest declaratio a Vicario Brindesi a. 1895 emissa, vi cuius se suosque successores obligavit ad omne congruae augmentum a Gubernio obtentum in massam communem ex integro refundendum. Sed intimius rem consideranti patet hanc declarationem in radice nullam existimandam esse, utpote destitutam Beneplacito Apostolico, quod praerequiritur in rebus ecclesiae alienandis ac in eiusdem iuribus cedendis. Sed hoc etiam praetermisso, reponi potest Vicarium curatum Brindesi potuisse seipsum obligare, non autem successores in ministerio, quia parochi non titulo haereditario sed iure proprio succedunt in paroecias.

Verum est quod, tum Episcopus, tum Capitulum asserunt actuali nempe Vicario curato notam factam fuisse praedictam promissionem; sed, praeterquamquod nihil in actis invenitur nisi ipsorum gratuita assertio, Episcopus ita se exprimit: « Eletto più tardi il nuovo parroco, ed avvalen« domi dell'ultima legge che aumentava la congrua parroc« chiale, dopo aver ricordato a costui la dichiarazione del « Parroco predecessore e il diritto del Capitolo presso il « quale è la cura delle anime, chiesi ed ottenni dal go« verno... ». Ex quibus apparet quidem oblationem promissionis factam fuisse actuali Vicario ab Episcopo, minime vero acceptationem ex parte illius.

Decretum H. S. C. *Ad dirimendas* diei 22 Februarii 1876 a Capitulo in sui favorem allatum, potius contra ipsum dimicare videtur.

Uti patet in hoc Decreto, sermo est de bonis massae communis a Gubernio direptis, et quae postea parochus « sub titulo congruae parochialis a Fisco accepit ». At in casu praesenti quaestio est diversa, quum massa communis ecclesiae Triventinae non fuerit a Fisco direpta, sed eadem in eadem mensura et quantitate permanserit, nempe ducatorum 180 seu Lib. 765, quaeque iam ab anno 1708 vocabatur: « tenuissime rendite del Capitolo e le strettezze dei « Capitolari, per non aggiungere miserie a miserie ». Agitur in themate de mera liberalitate Gubernii erga parochum, non autem de bonorum restitutione Vicario facta loco Capituli; et quidem sub conditione ut ipse domum parochialem conduceret.

Quod autem parochus, saltem ex iurisprudentia H. S. C., ius habeat ad domum parochialem, extra omnem controversiam est. Ita docet Garcia *(De beneficiis, part. III, cap. 2, n. 179)* qui refert declarationes H. S. C. ita se habentes: « Congregatio Concilii censuit Rectores parochialium *debere* residere in domo ipsarum parochialium. Congregatio censuit parochum *cogendum esse* habitare in domo ecclesiae, vel si ecclesia eam non habeat, in propinquiori intra limites paroeciae ». Item Barbosa *(De off. et potest. Parochi, part. I, cap. 8, n. 34)* habet: « Illud est sciendum parochum *debere* residere in domo ipsius parochialis... »; qui eadem repetit in *Summa Apostolicar. Decisionum (Collect. 649 n. 7)*. Eadem tradit Fagnanus *(in lib. III Decret., cap. Extirpandae, § Qui vero, n. 12 et 13)*, qui praeterea *n. 20* habet: « Nec est omittendum ex sententia S. Con« gregationis idem remedium, quod ex *Decreto Concilii* « *cap. 13, sess. 24* competit pro augendis redditibus exiguis « parochialium ecclesiarum per parochianorum symbola vel « collectas, competere etiam pro aedificatione domus paro« chialis... ». Unde Barbosa *De off. et potest. Par., part. I, cap. 17, n. 12*) concludit: « Idem censuit Congregatio *(Con« cilii)* de domibus pro necessaria parochi habitatione in« telligendum, quod de ecclesiis parochialibus decisum est « omni contradictione remota ». Ex quibus constat ecclesiam parochialem et parochialem domum in pari conditione versari; hinc quemadmodum ius adest ad ecclesiam ita etiam ad domum. Cfr. etiam Ferraris *(Bib. can. univ. v. Parochus, art. 2, n. 16 et 94)* et alii ab eodem citati.

Obiectio Episcopi, quod actualis Vicarius propriam domum habeat, non est attendenda, quia illa est patrimonialis, dum parochialis necessaria est: et si parochus, uti iam probatum est, ius habet ad domum parochialem, Episcopus, etiam invito Capitulo, potest imo debet eam illi tradere.

Quod dicitur de domo parochiali, debita servata ratione, dicendum videtur de duplici parte canonica, quam praetendit Vicarius. Ipse enim non solum est canonicus, sed etiam parochus, ac proinde una pars eidem debetur uti parocho, altera uti canonico. Demum, caeteris omissis, quum heic agatur de augmento congruae parochialis, hoc eamdem sortem subire debet quam congrua parochialis; iuxta *Regulam iuris 42, in 6°* « Accessorium naturam sequi congruit principalis »; at in casu ex congrua parochiali Vicarius duplam portionem sumit, ergo et de augmento congruae sumere debet.

Poterit tamen observari quod, quum haec summa Lib. 510 data sit a Gubernio pro Coadiutoribus, iisdem et non aliis tribuenda ex integro est.

Altera summa Lib. 135 pro expensis cultus, pro iisdem impendenda est; ita videntur omnes consentire, et sic Episcopus aliquod levamen persentiet, eo vel magis si in posterum alias expensas, iam supra relatas, facere tenebitur.

Quare etc.

Responsum fuit: *Summam 300 libellarum tribuendam esse Vicario Curato: libellas 135 erogandas esse pro*

expensis cultus sub Episcopi dependentia et vigilantia, et summam 510 libellarum dividendam esse prudenti Episcopi iudicio inter omnes, qui parochum in cura animarum coadiuvant.

B. — In Folio.

1789/4 IV.

Nicoterien. — Cantoratus et nominationis Pro-Vicarii Generalis.

Non admittitur recursus Capituli contra electionem Sacerdotis N. factam ab Epo ad Cantoratum in ecclesia Cathedrali. Quo vero ad nominationem Archidiaconi parochi in Pro-Vicarium generalem, responsum fuit ad mentem.

Plura novissimis temporibus exorta sunt dissidia et iurgia inter Capitulum Cathedrale, ope praesertim nonnullorum ex suo gremio, et Episcopum Nicoteriensem et Tropiensem, et non pauci recursus H. S. Congregationi oblati sunt, quae ut optatam pacem inter Capitulares et Episcopum reduceret, non semel consilio et opera E.mi Archiepiscopi Rheginensis utpote etiam Metropolitani usa est. Horum dissidiorum causae variae sunt, et eas enumerare nimis longum esset.

At duae praecipuae ex his, et ad hodiernam attinentes disceptationem, repetendae profecto sunt ex promotione facta ab Episcopo sub die 1 Octobris 1901 Caroli Brancia ad Dignitatem Cantoratus, et ex deputatione usque ab an. 1900 fratris eius Horatii Brancia iam Archidiaconi et parochi Cathedralis in Pro-Vicarium Generalem dioecesis Nicoteriensis. Ex hisce nominationibus adeo obtrectationes et contentiones efferbuere, ut, per aliquod tempus, in Cathedrali ecclesia, servitium chorale desierit (quod tamen ex monito H. S. C. postea redintegratum fuit) et ob interventum fratrum Brancia in solemni supplicatione Corporis Christi non pauci ex aliis canonicis ei interesse renuerint.

Ratio tam apertae et pervicacis oppositionis praesertim ex parte nonnullorum Capitularium tum Episcopo tum praefatis canonicis Brancia in eo vertebatur, quod Capitulares traducebant dictas nominationes uti nullas et in spretum Capituli factas.

Quare, sub die 25 Novembris an. 1902, supplex libellus ab octo canonicis subscriptus H. S. C. oblatus fuit, in quo petebatur has nominationes uti irritas declarari. Super proposito recursu auditi fuerunt fratres Brancia: et aliis iuxta ritum peractis de partium procuratorum consensu concinnata sunt dubia ad calcem huius folii exscripta. Verum deinde instante novo procuratore Capitularium pro additione alias dubii circa ius electivum Capituli quoad canonicos de gremio ad dignitates, et procuratore adversae partis huic additioni acriter refragrante, quaestionem remittendam censui iudicio EE. VV. per rescriptum; « Habebitur ratio in die propositionis causae ».

Omnibus itaque de more absolutis, meum nunc est partium rationes compendiatim referre.

Capitularium defensor accedens ad disceptandum de primo dubio circa electionem ad Cantoratum sacerdotis Brancia praemonet, quod tradit glossa *in cap. 21 de electione ad dign. v. postulasti*, nempe quod iure communi in electione praebendatorum ecclesiae Cathedralis Episcopus procedere debet insimul cum Canonicis, quia Episcopus est Capituli caput et canonici eius membra. Id potiori ratione asserit esse applicandum in dignitatum electione: hinc Leurenius *For. benef. pag. 2, sect. 3*, ait: « Idem dicendum de dignitatibus, quantum est de iure communi, spectant ad collationem simultaneam Episcopi et Capituli ». Iam vero quamvis in Capitulo Nicoteriensi hoc ius simultaneae collationis non vigeat, tamen negari non potest quod Episcopus in eligendis Capituli membris et praesertim eius dignitates, magnam rationem habere debeat de ipsius consilio et beneplacito, cum iuxta ss. canonum spiritum Capitulum particeps aliquatenus sit de regimine dioecesis, et ecclesiae senatum constituat.

At in electione sacerdotis Brancia haec omnia pessumdata sunt. Capitulum Episcopo suas rationes exposuerat et motiva quae illum impediebant a dignitate Cantoratus assequenda. Sacerdos enim Brancia neque uti clericus neque uti sacerdos ecclesiae Cathedrali inservierat, munera choralia et cantum Gregorianum ignorabat, et omnis exulabat ratio cur canonicis senioribus esset anteponendus: insuper vitam ipse vagam duxerat, et multa in vita eius sacerdotali desiderabantur, et bis Capitulum ab H. S. C. inquisitionem expetierat. De hisce sacerdotis Brancia qualitatibus Episcopus praeventive ante Cantoratus collationem fuerat commonefactus. At ipse Capituli iustas observationes parvipendit, et non obstante huius dissensu ad nominationem devenit. Hinc nil mirum, ait advocatus, si postea iurgia et dissentiones exarserint, litium contestationes de die in diem etiam cum damno choralis servitii ss. functionum excreverint, et innumeri recursus ad H. S. C. pervenerint. Haec enim omnia potius Episcopi culpae et imprudentiae, quam Capitulo graviter offenso sunt adscribenda.

Nec praetermittere putat quod alter dissensionis fons, est nimius favor ab Episcopo impertitus fratribus Brancia. Sane an. 1900 Poenitentiarius Horatius Brancia primo Pro-Vicarius Generalis renuntiatus fuit, et dein paulo post mensem ad Archidiaconatum cum cura animarum evectus. Eius frater Vincentius, mense Septembri 1901, Cathedralis canonicus est effectus; insequenti vero mense Octobri, alter eius frater Carolus ad dignitatem Cantoratus est promotus, et an. 1902 etiam promotor fiscalis creatus. Ad Cantoratum Capitulum proposuerat canonicum seniorem Massara, qui maxima existimatione fruebatur, sed Capituli placito non accessit Episcopus, illum non dignum putans, quamvis post duos annos ad Decanatum secundam dignitatem eumdem evexerit. Hic profecto favor familiae Brancia nedum discordiam in Capitulo excitavit, sed etiam scandala apud fideles: atque ad haec mala arcenda nullum aliud praesto est remedium, quam remotio Sacerdotis Caroli Brancia a Cantoratu, tum quia hanc dignitatem ob particularia adiuncta et mala praecedentia ipse gerere non valet eo decore quem ss. canones et praesertim Conc. Trid. *sess. 24, cap. 12 de Refor.* requirunt, tum quia etiam est mens H. S. C. ut illam dignitatem dimittat. Eadem enim S. C. acceptis Capituli querimoniis ita Episcopo mense Decembri 1903 rescribebat: « La Signoria Vostra voglia sopra tuttociò sentire lo stesso « Cantore Brancia, prefiggendogli un congruo termine a de« durre le sue ragioni. Che se in questa occasione potesse « riuscire a persuaderlo a dimettersi dalla conseguita di« gnità, sarebbe un bene per la pace di cotesta travagliata « diocesi ».

Haec ex iure communi fluunt: verum in Capitulo Nicoteriensi speciale ius viget, ex quo electio praefata est irritanda, urget advocatus. In hunc finem profert synopticam tabellam historicam in summario 150 annos usque ad praesens complectentem, ex qua scatet ad dignitates nonnisi canonicos *de gremio Capituli* fuisse nominatos; neque huic tabellae fides denegari potest aut vis probandi, cum bullis et libris Capitularibus in Archivo existentibus sit innixa. Iam vero quanti ponderis sit consuetudo exinde erumpens,

neminem fugere potest qui etiam a primo limine ius canonicum salutaverit, et collationes beneficiorum fieri debere iuxta tabulas institutionis et leges ecclesiae et etiam iuxta laudabiles consuetudines, testatur Huth, *lib. 1, tit. 14.*

Hanc autem inductam consuetudinem esse aequam et rationabilem ita enucleat. Licet Capitulum per Dignitates exaltetur et honoretur, tamen de iure communi ad ipsum non spectant. Soli canonici (ait Herdt, *de Praxi Capitulari, c. 8)* de iure Capitulum faciunt ac unum corpus constituunt, iique soli proprie membra Capituli dicuntur... Dignitates de iure communi non sunt de Capitulo... Dignitates non requiruntur ad Capitulum, quod per se subsistit, seniore canonico officium exercente, quod alias Dignitatibus proprium dicitur ». At alia res est in Capitulo Nicoteriensi: in ipso enim Dignitates sunt de gremio ipsius Capituli, seu sunt praebendae quibus Dignitatis praestantia adnexa est, hinc sunt vere Capitulares. Quatuor sunt in dicto Capitulo Dignitates nempe Archidiaconatus, Decanatus, Cantoratus et Thesaurariatus. Iam vero Archidiaconatui an. 1583 adiuncta est cura animarum, quam prius canonici per se exercebant. Quare iure merito ad illam semper canonici de gremio adsciti sunt. Item quoad secundam Decanatus Dignitatem, patet eam obtinuisse canonicum seniorem: veluti enim antiquitus, nisi primus in possessione canonicatus, Capitulo praeerat, ita factum ut ad dignitatem Decanatus praebendam erectam non consequeretur, nisi qui prior canonicatu esset potitus. Item dicendum de duobus officiis Cantoris et Thesaurarii ad Dignitatis praestantiam elevatis ad quas Dignitates non eliguntur, nisi canonici de gremio ad ea munera exercenda idonei. Ex hucusque igitur enucleatis, resultat cum Dignitates sint Capitulares, invectam consuetudinem ad eas eligendi, nonnisi qui sint canonici de Capituli gremio, aequam et rationabilem esse, proindeque Capitulo spectare quoddam iuspatronatum passivum in promotionibus ad Dignitates.

At subdit advocatus, Carolus Brancia minime erat canonicus et de Capituli gremio. Ergo illius electio in Dignitatem Cantoratus sustineri non potest. Historice praemittit Episcopum Vaccari actualis Antecessorem dotem in duabus syngraphis (boni) libel. 4000 et 1200 testamento legavisse pro fundatione canonicatus 3ae erectionis. Executor testamentarius an. 1887, actuali Episcopo syngraphas sub die 10 Iulii 1891, sequentibus assensit conditionibus: « 1° Non « essere alieno di prestare il suo consenso all'erezione di « tale canonicato, sempreché vi fosse la stabilità della ren- « dita di detta prebenda, la quale in atto è interamente « effimera.

« 2° Non essere menomamente aggiunta alle rendite Ca- « pitolari la rendita in parola, quando essa passerà per es- « sere stabile, perchè questo Canonicato non deve percepire « alcun reddito Capitolare.

« 3° Non partecipare all'Amministrazione della Fabbri- « ceria, detta ancora amministrazione Capitolare.

« 4° Essere dispensato da conferire il terzo della rendita « del predetto Canonicato per le distribuzioni quotidiane, « essendovi in questo Capitolo per tale oggetto la Comu- « neria.

« 5° Farebbe salvi tutti i suoi diritti, emolumenti e pree- « minenze, e tutto ciò che spetta al R.mo Capitolo, giusta « le leggi canoniche, rimettendosi alla decisione della S. C. « del C., 20 gennaio 1883 ».

Quae conditiones iterum a Capitulo confirmatae fuerunt in sessione Capitulari diei 20 Novembris sequentis: quin imo ita temperatus fuit primus articulus circa stabilitatem redditus: « Che lo investito si contenti del titolo precario « così come è fatto che è un buono in carta bollata, il quale « sia conservato o dal Vescovo o dal Capitolo, senza il detto « Capitolo in qualsivoglia tempo e per qualsivoglia ragione « sia mallevadore e del Capitale di L. 4000 e del frutto di « annue L. 200 ».

Quare, die 12 Decembr. eiusdem anni 1891, Episcopus erectionis Bullam edidit, novumque illum Canonicatum Carolo Brancia contulit. In ipsa Bulla omnes Capituli conditiones, uti de iure, iteratae sunt, quibus, cum sexdecim tantummodo Canonici essent *de gremio Capituli*, adiunctum quoque fuit: « Quod Canonicus iste tertiae erectionis sedeat semper post sexdecim Canonicos titulares primae et secundae erectionis ». Quoad redditus ita Bulla declarat: « Quia obstante lege civili, summa a testatore relicta minime investiri et applicari potest in bonis stabilibus, donec firmiter et realiter applicetur, Canonicus sic institutus percipiat summam ducentarum libellarum, quam quotannis Dominus Dominicus Brancia quondam Laurentii civitatis Nicoterien. vel eius haeredes post eum solvere tenentur, ex syngrapha, vulgo *Bono*, ab ipso legaliter scripta et subscripta ».

Verum uti ipse Carolus Brancia in sessione Capitulari diei 6 Novembris 1900 fassus est, illae dotis syngraphae nullum in se valorem habebant, praeterquam quod debitor erat ad solvendum impar. Ergo ob nullam dotis constitutionem canonicatus defecerat. Insuper, dato et non concesso, quod canonicatus erectio et eius collatio fuerit valida, non ideo sequitur sacerdotem Brancia tempore collationis Cantoratus considerari potuisse uti de gremio canonicorum Capituli. Nam ob appositas in erectione dicti canonicatus conditiones, bona ipsius non fuerunt cum bonis Capituli incorporata, et exclusus mansit ab omnibus Capituli iuribus et praeeminentiis, uti refertur in tertia conditione a Capitulo apposita: hinc dici non poterat de Capituli gremio.

Addendum deinde est, quod sacerdos Brancia, ob nimis protractam illegitimam absentiam ab Episcopo declaratus est uti a canonicatu decessus, usque ab a. 1895. Ita Episcopus in declaratione diei 31 Augusti 1903. Et hoc advocatus confirmari ait etiam ex ipsa Bulla collationis Cantoratus, ubi ipse non renunciatur canonicus, sed simpliciter sacerdos Carolus Brancia. Concludit itaque praefatam Cantoratus collationem nullimode sustineri posse.

Transiens deinde advocatus ad secundam suae orationis partem, seu ad secundi dubii disceptationem, illud paucis resolvi ait. Horatius Brancia ad officium Pro-Vicarii deputatus fuit mense Novembri 1900 quando adhuc erat canonicus Cathedralis Poenitentiarius. Mense sequenti Decembri, evectus est ad Archidiaconi dignitatem, cui cura animarum est adnexa. Iam vero utrumque officium tum Poenitentiarii, tum parochi incompatibile est cum officio Vic. Generalis. Quoad primum patere ait ex responso S. C. Episcop. et Regul. sub die 28 Ian. 1611 ad Episcopum Ariminen. « Sarebbe bene che « Ella avesse fatto provisione di altro Vicario nella sua « chiesa di Rimini, per essere il presente Penitenziere di « quella Cattedrale, acciocchè si levi via ogni occasione di « suspicione che il foro esteriore possa valersi della notizia « degli eccessi del foro interiore ». Cfr. Bizzarri *Collectanea pag. 271*, et hanc doctrinam communem esse, refert Ferraris *Bibl. can. v. Vicarius Gen. Art. 1, N. 36.*

Eadem tradi ait de incompatibilitate officii Vic. Generalis cum officio parochi ob residentiam, qua hic adstringitur in munere parochiali. Eadem S. C. EE. et RR. in una *Senen.* diei 20 Martii 1576, haec Episcopo scribi mandavit: « Questa « S. C. non ha mai tollerato, che chi ha cura di anime « possa servire altrove nè ancora nella medesima diocesi « per Vicario del Vescovo ». Cfr. cit. Bizzarri *pag. 209.* Nec aliam sententiam tulerunt doctores inter quos cit. Ferraris N. 27, qui etiam testatur ita decisum fuisse ab H. S. C.

sub die 12 Maii 1629. Cfr. etiam Santi *Praelec. can. lib. 1, tit. 12 de offic. Vic. N. 28.* Nec aliter sensisse ait H. S. C. in postremis recursibus factis pro remotione Vicarii. At quoniam Episcopus duas praetendit causas ad Archidiaconum in suo officio manutenendum, hinc advocatus eas disiicere satagit.

Prima ratio est, quia Episcopus expensas sustinere nequit pro Vicario Generali extradioecesano. Sed huic difficultati occurrit, reponendo quod potest in officium Pro-Vicarii assumere Canonicum Nicoteriensis Capituli, qui non sit neque Poenitentiarius neque parochus; inter Capitulares dicit deesse personas idoneas, quae praeterea contentae erunt eadem mercede, quam nunc percipit Archidiaconus, nempe incertis Curiae. Neque item aliquid ponderis habet altera ratio, quia id officium etiam a suo Praedecessore traditum est Archidiacono, cum id a iure sit reprobatum. Aliunde, subdit advocatus, ex antiqua praxi vigenti in Curia Nicoteriensi usque ab an. 1088, uti ex synoptica patet tabella, resultat officium Vic. Generalis nunquam cumulatum fuisse cum officio sive Parochi sive Poenitentiarii, si excipias casum an. 1727 in quo renunciatus est Vic. Generalis Archidiaconus Carmelus Prenestino.

Hisce argumentis in themate addi etiam possunt peculiares circumstantiae, quae remotionem actualis Vicarii suadent. Hic enim utens hac qualitate ita Episcopi animum sibi conciliavit, ut in spretum Capituli duos suos fratres unum in canonicatum et alium in dignitatem Cantoratus suffecerit, quod ortum dissidiis et scandalis praebuit. Peculiares itaque etiam rationes urgent, ut Horatius Brancia ab officio Vicarii Generalis quamprimum arceatur.

Aliter vero sentit fratrum Caroli et Horatii Brancia patronus. Ipse primum dubium aggrediens factam Cantoratus collationem validam esse contendit. Sane ex libello patroni adversariorum resultare ait hanc collationem ex duplici capite impugnari. 1° Quia sacerdos Brancia non electus fuit ex gremio Capituli. 2° Quia ipse est persona indigna et pacem turbans in Capitulo. Utrumque obiectum in sua prima allegationis parte diluere satagit.

Quoad primum reponit praetensam qualitatem non requiri; verum, dato et non concesso, quod requiratur, ipsam non deficere, ait, in sacerdote Carolo Brancia. Revera quod assertum iuspatronatus passivum pro collatione Cantoratus non faveat Capitulo Cathedralis ecclesiae Nicoteriensis, deducit tum *a priori* tum *a posteriori*. *A priori*, quia iuspatronatus utpote servitutem ecclesiae importans est odiosum: hinc ab allegante plene est probandum; quare in dubio cum semper standum sit pro ecclesiae libertate, collatio Cantoratus praesumitur libera, quoadusque contrarium in themate non probetur ab adversariis, quod adhuc non est factum.

Neque item ait praesumptum iuspatronatus passivum probari potest *a posteriori*. Nam modi originarii ex quibus oritur iuspatronatus tres recensentur fundatio vel dotatio ecclesiae, privilegium et praescriptio. Atqui ex nullo ex his tribus titulis derivari potest in casu iuspatronatus passivum in Capitulo ad Cantoratum. Profecto hoc ius ita describitur cum canonistis quod sit « ius competens certis personis aut certo personarum generi, quae ex voluntate fundatoris instituendae erunt in beneficio vacanti ». Et ut tradit cl. Sebastianelli *Prael. can. de reb. de re beneficiali tit. 3, c. 2,* « improprie dicitur iuspatronatus cum non ex singulari canonum dispositione sed totum fundetur in voluntate fundatoris, qui illos nominavit, qui instituendi sunt in beneficio patronato ». Inquirenda ergo est voluntas fundatoris Cantoratus. Verum si consulatur historia sive ecclesiae Nicoteriensis ab Aldirardi confecta sive omnium ecclesiarum Calabriae ab hodierno Episcopo Taccone-Gallucci conscripta, nullibi sermo fit de huiusmodi patronatu passivo, cui etiam Dignitas Cantoratus ex sua fundatione iuxta adversarios esset obnoxia. Quin imo iuxta relationem ab Episcopo Collia anno 1734 S. Sedi exhibitam in visitatione SS. LL. et aliis sequentibus relationibus eruitur, Cantoratum institutum fuisse saeculo 16° et libere ab Episcopo fuisse collatum.

Item neque asseri potest illud fuisse ex Apostolico indulto. De hoc privilegio siletur, tum in Capitularibus regestis, tum in Bullis collationis, tum in Synodis dioecesanis ab an. 1583 usque ad an 1883 habitis. Eo vel magis quod post Conc. Trid. ad hoc privilegium a S. Sede obtinendum requiritur causa onerosa uti tradit Sebastianelli l. c.

Quin ex adverso recurrat ad incendium, quo an. 1750 tum palatium Episcopale, tum Ecclesia Cathedralis fortuito conflagravit. Si reapse enim hoc privilegium extitisset, non deessent documenta aliunde quaesita ad illud comprobandum. Deficit itaque titulus tum fundationis, tum privilegii Apostolici.

Neque demum adversarii recurrere utiliter possunt ad consuetudinem seu praescriptionem. Iuxta caput *25 de Iurep.* longa consuetudo reponit advocatus, non prodest nisi de vero titulo et bona fide doceatur. At ex demonstratis adversarii verum titulum ad iuspatronatus passivum vindicandum proferre nequeunt: deest insuper bona fides tum in Canonicis tum in Episcopo, quibus iura ac officia reciproca sat erant cognita, et etiam desideratur vera possessio controversi iuris in Capitulo, cum Episcopi in Litteris episcopalibus collationis Cantoratus, hisce verbis toties quoties usi sint. Cuius (Cantoratus) collatio, provisio et omnimoda dispositio ad nos hac vice spectat. Unde etiam ipse regius suboeconomus testatus est « che i canonicati semplici e quelli con annessa « prebenda della Cattedrale di Nicotera son tutti di libera « collazione ». Concludit itaque iactatum a canonicis iuspatronatus passivum in tenues resolvi auras.

Verum, pergit advocatus, haec dici possunt prolata fuisse ad abundantiam, cum reapse sacerdos Carolus Brancia ante Cantoratus consecutionem vere extiterit canonicus de gremio Capituli, quod absque fundamento adversarii oppugnant. Refert quomodo hodiernus Episcopus, habito prius consensu Capituli Nicoteriensis, canonice congregati, die 12 Dec. 1891 contulit ac assignavit sac. Carolo Brancia, canonicatum sub titulo S. Aloysii Gonzagae a praedecessore Episcopo Vaccari fundatum: uno eodemque tempore declaratus est vacans alter canonicatus prius ab eodem sacerdote possessus in Ecclesia Cathedrali Tropiensi: et novus canonicatus ei assignatus est cum omnibus iuribus honoribus et praeeminentiis et obventionibus solitis, cum iure stalli in choro, et interessendi Capitularibus sessionibus cum voce activa et passiva, nec non cum iure percipiendi portionem ex redditibus vulgo *Comuneria* et de aliis adventitiis participandi, prout patet ex bulla collationis canonicatus, cuius possessionem sacerdos Brancia nactus est, die 17 eiusdem mensis, ipso adstante Capitulo. Ex hisce scatere, ait, sacerdotem Brancia iam vere canonicum extitisse, in promotione ad Cantoratum. Verum quidem est, quod in Bulla collationis excipiantur iura Capitularium praecedentia nempe quae spectant ad canonicos tantum primae et secundae erectionis, sed reponit exinde non profluere sacerdotem Brancia non esse proprie et vere canonicum, cum ad hoc tantum sufficiat habere stallum in choro et vocem in Capitulo, iuxta communem canonistarum doctrinam; *Barbosa de can. et dignit., cap. 12, n. 1; Reiffenstuel, Ius can. un. de can., n. 57,* et S. H.C. docuit in una *Ventimilien. Vocis in Capitulo, diei 17 Dec. 1836.* Quod si initio sui canonicatus sacerdos Brancia non resedit, id accidit ex obtenta dispensatione Pontificia, quia illico

vocatus fuit ad praestandam adiutricem operam Episcopo Ugentino: item ipse distulit emittere professionem fidei usque ad diem 13 Novembris 1892: sed hisce factis concludi nequit ipsum a canonicatu decidisse: aliunde, ex sequenti Episcopi testimonio, clare eruitur ipsum semper pacifice in canonicatus possessione mansisse usque ad sui provectionem ad Dignitatem cantoris. « Notum facimus atque testamur Rev. D. Carolum Brancia a die habitae possessionis canonicatus sub titulo S. Aloysii Gonzagae... usque ad suam promotionem in Cantorem, iura, onera, honores et praerogativas pacifice habuisse et exercuisse, prout alii de Capitulo quoad suum canonicatum, cui neque renunciaverat neque ab eo privatus fuerat ob absentiam de licentia S. C. Concilii ».

Neque obstare potest quod postremis annis absque ullo indulto ipse abfuerit, vel quod defecerit praebenda. Quoad primum observat, quod Capitulum nunquam reclamavit, et si sacerdos Brancia abfuit, id evenit ex consensu Episcopi ex gravibus rationibus: ex altera vero parte defectus residentiae tollit fructus, non beneficium nisi accedat iudicis sententia. Quod ad praebendam attinet, respondet, quod haec perduravit usque ad an. 1899, in posterum si ex magna parte fuit sublata, in Capituli, culpae adscribendum, quod eius stabilitatem curare neglexit: manet tamen chartula, vulgo *Bono di credito*, cuius vi aliquid exigi potest. Insuper dato etiam quod desierit praebenda, non ideo dici potest destructa canonia.

At hoc seposito, canonicatui semper mansit ius ad partem Comuneriae et ad adventitia funerum. Demum sacerdos Brancia singulis annis in Capituli Kalendario inter canonicos referebatur, et quando ab Episcopo constitutus fuit Promotor Curiae Nicoteriensis, nempe die 27 Maii 1901, etiam tunc fuit canonicus appellatus.

At adversarii, ait advocatus, coacti in hoc puncto dare manus victas, ad aliud convolant argumentum nempe ad promoti indignitatem, sed inani prorsus labore. Nobilia enim munera tum ab Episcopo Ugentino, tum ab Episcopo suo in utraque dioecesi concredita, quae advocatus recenset satis superque ostendunt sacerdotis Caroli Brancia scientiam, prudentiam et pietatem. Quare cum nonnulli Capitulares ausi fuerint ad H. S. C. offerre recursum pro eius remotione a dignitate Cantoratus causantes eius indignitatem, merito Eadem S. C. illorum recursum dimisit sub die 8 Martii 1903, rescripto *Lectum*. Sub quocumque igitur adspectu electio sacerdotis Caroli Brancia spectetur, id unum semper consequitur illam esse sustinendam.

Ita absoluto examine primi dubii, Orator gradum facit ad secundum, contendens deputationem Archidiaconi Horatii Brancia in Pro-Vicarium Generalem esse sustinendam. Advertit, quod circa hoc punctum, Capitulares nunquam querelas ab an. deputationis 1900 usque ad finem 1901 moverunt, uti colligi potest ex actis apud H. S. C. extantibus: hae originem duxerunt a nominatione Caroli fratris Brancia in dignitatem Cantoratus, et duplici innituntur motivo. 1° Quia Archidiaconus Brancia est etiam parochus. 2° Quia est ad officium notorie inidoneus. Utramque difficultatem evertere satagit patronus.

A prima incipiens, observat quod utique per se et in genere officium Vicarii Generalis cum officio parochi cumulari nequit, sed in casibus particularibus dari possunt exceptiones, sicuti dantur quando assumitur Vicarius Generalis non externus sed dioecesanus, vel quando assumitur qui non est Doctorali titulo insignitus, sed caeteroquin idoneus. Unde canonistae loquentes de Vic. Generali asserunt quod « Parochus *in genere* Vic. Generalis munere fungi nequit »; Santi *Prael. can., lib. 1, t. 28, n. 18*, salvis tamen peculiaribus circumstantiis. Quare cit. Sebastianelli in *lib. 1, de personis, tit. 10, c. 1, n. 248*, haec habet: « Ab officio Vicarii Generalis excluduntur habentes curam animarum. Caeterum haec praxis, quoniam non expresse canonum decretis confirmatur, suas habere potest probabiles exceptiones, quae aut in singularibus eligendae personae meritis, aut in necessitatibus Ecclesiae innituntur ». Et Pellegrini, *Praxis Vic. P. 1, Monit. 4*, ita tradit: « Limitatur, ne possit Episcopus sumere in Vicarium parochum... Fallit tamen conclusio haec in Archidiacono, qui licet habeat curam animarum, nihilominus cum sit Vicarius natus potest exercere vicariam Episcopi ». Hinc concludit cum Rebuf. *Practic. benef., tit. de Vic. Episcop., nn. 28, 33*, in Vic. Generali hoc unum maxime prae oculis esse habendum quod ipse sit « persona qualificata, circumspecta, bonae et approbatae vitae... temperata, fortis, magnanima, docta, et quae non declinet neque ad dexteram neque ad sinistram » in caeteris non difficulter obtineri posse dispensationem. Superius autem exposita in casu eo magis congruere valent, quia Archidiaconus Brancia, cum plures habeat coadiutores in ministerio curae animarum, per hoc impediri nullimode potest ab exercendo Vicarii munere.

Quod autem ipse habeat qualitates essentiales ad rite tale munus gerendum, ex pluribus arguit. 1° Ex variis officiis, quibus cum laude perfunctus semper fuit: ita anno 1878 post factum concursum renuntiatus fuit Poenitentiarius Cathedr. Eccles. Nicoteriensis: anno 1883 in synodo dioecesana electus apparet examinator Cleri, et professor Theologiae Moralis: an. 1889 renuntiatur Vicarius Curatus in civitate Nicoteriensi, postea fit Promotor Fiscalis Curiae, et tandem, mense Novembri 1900 extollitur ad primam Archidiaconatus Dignitatem. Ad probandam vero vitae probitatem et publicam aestimationem, qua semper perfruitus est Horatius Brancia in civitate Nicoteriensi, praeter attestationem Syndici localis Municipii, profert etiam amplum Episcopi testimonium. Nec praetermittit notare, quod huic deputationi magnopere favet longa consuetudo. Ab anno enim 1582 usque ad praesens aevum, plures Archidiaconi etiam Vicarii Generalis officium obtinuerunt et id revincit catalogo concinnato ab historico scriptore Adilardi, quem subiicit. Item ex alio opere *Memorie storiche di Nicotera* texit indicem Archidiaconorum, qui Vicarii Capitulares electi fuerunt, in sede vacante dioecesis Nicoteriensis, ut concludat perlongam praxim assistere deputationi Archidiaconi in Vicarium Generalem.

Demum attingit causas quibus haec praxis firmata mansit. Nam agitur de parva dioecesi, de minima distantia civitatis Nicoteriensis a Tropiensi; et hinc plura per se Episcopus peragere valet: quibus motivis accedit etiam tenuitas redditus mensae Episcopalis, et proinde non tam commode inveniri potest sacerdos qui sit paratus ad hoc onus suscipiendum. Quod si adducta motiva satis non sint ad factam deputationem sustinendam, advocatus petit ut saltem benigna sanatio et dispensatio ab H. S. C. impertiatur, cum hoc maxime sit in votis ipsius Episcopi, uti ex sequentibus in epistola ad V. S. O. data apparet: « Hinc Eminentiae V. et S. isti Ordini quaero, ut in hoc nihil innovandum praescribant: et si quid obstet, specialem sanatoriam et dispensationem ad tempus emittant, etiam ne turbae et tumultus in populo excitentur. Minima propinquae dioecesis Nic. negotia ecclesiastica per me ipsum quotidie expediuntur. Nam Pro-Vicarius de omnibus occurrentibus saepius in hebdomada me certiorem in antecessum reddit ».

Hisce compendiatim expositis, modo sequentia proponuntur diluenda

DUBIA

I. — *An electio sacerdotis Caroli Brancia ad Cantoratum in Ecclesia Cathedrali sustineatur in casu.*

II. – *An deputatio Archidiaconi Horatii Brancia in Pro-Vicarium Generalem dioecesis Nicoteriensis sustineatur in casu.*

Emi Patres rescripserunt: *Ad 1um Affirmative. Ad 2um Ad mentem.*

205/4

VI.

Augustae-Praetoriae. — Solutionis.

Ad obtinendam solutionem tum capitalis tum usurarum, Consilium fabricae paroecialis iudicium instituat contra haeredem creditoris et subsidiarie sponsoris. Infirmata fuit sententia Curiae vi cuius parochus damnatus fuerat ad solvendas usuras.

Die 13 Maii anni 1883, Felix Bonin de Chal'ant mutuo accepit a fabrica ecclesiae paroecialis loci Arnad, summam L. 1374 cum onere eamdem summam restituendi sine usuris die festo S. Michaëlis Arc. eiusdem anni. Parochus autem loci Arnad et praeses fabricae, qui mutuo dedit praefatam summam, erat et adhuc est Ioseph Ramello. Uti sui sponsorem Felix Bonin obtulit I. B. Dublanc praepositum Canon. Reg. conventus S. Aegidii Verrès. Festo S. Michaëlis transacto, neque Bonin neque eius sponsor pecuniam solverunt, et fabrica ecclesiae Arnad et parochus Ramello nullam actionem promoverunt ad summam recuperandam.

Post decem annos, fabrica compulsavit debitorem Bonin ut summam solveret, sed Felix Bonin evaserat incapax solvendi, quia omnia quae possidebat, iam vendiderat suo filio Ioanni Anselmo Bonin, parocho Roisan. Fabrica ecclesiae Arnad, cognita Bonin incapacitate ad solvendum, nullam aliam instantiam movit ut hanc summam haberet.

Anno 1891, praepositus Dublanc de suis substantiis ita disposuit ut quatuor ex quinque partibus essent alienatae favore canonicorum regularium Ioseph Bono, Ios. Ramello (parochi loci Arnad – de quo supra), I. B. Borella et Angelo Peretto; altera vero quinta pars testamento legata tantum fuit iisdem sacerdotibus Borella et Peretto.

Notandum vero, ut refert Episcopus in suis litteris informativis, quod hae substantiae efformatae erant ex residuo facultatum conventus Verrès, quae iam gubernii italici oppilationem effugerant, et in memoratos sacerdotes a praeposito Dublanc per actum venditionis fuerunt translatae hoc pacto « ut si conventus Verrès iam non existeret, redditus annui ipsius haereditatis, qui annuas L. 800 non excedunt, tribuerentur alumnis Parvi Seminarii oriundis ex paroeciis quae ad dictum conventum spectarent, quod quidem ab H. S. C. die 13 Maii 1899 adprobatum est atque executioni mandatum ».

Die 22 Maii anno 1892, praepositus Dublanc mortuus est. Ab Episcopo compulsus parochus I. Ramello aliquos fabricae debitores stimulavit, inter quos canonicos regulares I. B. Borella et Angelum Peretto, qua praepositi I. B. Dublanc haeredes, ab eisdem exigere contendens pecuniam capitalem libellarum 1374 cum usuris viginti annorum, scilicet lib. 1374. Aestimabat enim, se cum aliis qui bona a praeposito Dublanc assequuti erant, qua cessionarios bonorum, et non haeredes, ad nihil teneri. Causa ad Ordinarii tribunal relata, iudex ab Episcopo delegatus, canonicus Emm. Gorret, die 24 Aug. 1903 hanc sententiam protulit: « Nous « condamnons les acquéreurs, soit cessionnaires susnommés « Bono, Ramello, Borella et Peretto, et pour eux Maurice « Gerbore, administrateurs de l'hoirie délaissée par Dublanc « caution de Bonin, à payer à la fabrique de l'église d'Arnad, « à la fin de septembre de cette année 1903, la somme « capitale de L. 1374. Et nous condamnons également le « curé Joseph Ramello, représentant légal et responsable « de la fabrique de l'église d'Arnad, à payer à la même « fabrique, à la fin de septembre de cette année 1903, la « somme de L. 1374, constituant le total des intérêts au « 5 pour cent pendant 20 ans de la somme sus-énoncée, et « que ladite fabrique n'a pas perçus, uniquement par la « faute et négligence coupables de son administrateur légal « et responsable ». A decisione iudicis delegati, parochus I. Ramello intra terminum utilem appellavit ad Curiam Metropolitanam scilicet Taurinensem. Verum ab hoc tribunali, antequam causa examini subiiceretur, recessit I. Ramello et eam S. C. iudicio detulit.

Ad confirmationem sententiae, quod attinet, sequentia videntur posse animadverti. Sane quod primam partem sententiae iure merito asseri potest decisum, quod non solum canonici Borella et Peretto, sed etiam Bono et Ramello teneantur solvere summam lib. 1374; nam primi duo canonici nunquam possessionem coeperunt quintae partis haereditatis sed conventui Verrès reliquerunt perinde ac caeteras partes haereditatis.

Praepositus Dublanc sic se gessit in conficiendo testamento ut haec bona effugerent rapacitatem Gubernii et tutius remanerent in possessione conventus S. Aegidii. Quoniam vero hodie hic conventus amplius existere non potest, haec omnia bona translata sunt ad Curiam episcopalem ad alendos in parvo Seminario pauperes iuvenes qui ad ministerium sacerdotale vocati sentiuntur: et cum praefatum debitum reluendum sit ex relicta substantia, iure eius detentores ad solutionem damnati sunt.

Quoad alteram sententiae partem, in qua parochus Ramello damnatur ad resarcienda ea omnia damna, quae fabrica ecclesiae Arnad passa est propter negligentem parochi administrationem, haec adnotare censeo.

Notum est quod ablata inter clericos vita communi, et facta beneficiorum erectione, bonorum beneficii administratio ipsius Rectori concessa fuit. Serius autem, ut tradit cl. Sebastianelli in suis *Can. praelectionibus*, adiuncti fuerunt Rectori etiam laici in huiusmodi administratione, sed uti meri consiliarii et adiutores. « In praedictis bonis administrandis, postremis temporibus Rectoribus ecclesiasticis adiuncti fuere laici et laicorum collegia. Monendum autem est laicos e plebe cuiusvis parochiae a parochis vocatos pro fabricae administratione consideratos fuisse *veluti consiliarios et adiutores parochorum;* et parochos et consilium fabricae penitus subiectos fuisse Episcopo, cui ex *cap. 9, sess. XXII, Conc. Trid.*, ratio administrationis singulis annis est reddenda. Quamvis autem varia fuerit pro diversis Ecclesiae temporibus ratio administrandi bona Ecclesiarum, nihilominus duo semper retenta fuerunt: I) administratores rerum ecclesiasticarum consideratos fuisse *tamquam administratores pupillorum et minorum, ita ut tenerentur reficere omnia damna ex propria culpa, et multo magis ex dolo Ecclesiis illata;* II) nunquam detractum fuisse iuribus legitimis Episcoporum, isti enim semper habiti sunt tamquam supremi administratores. Nec immerito, cum hoc Antistitibus competat ex iure divino.... ». Ex his itaque deduci posse videtur quod in huiusmodi administrationibus qui vere respondet, est tantum parochus.

Hoc in iure statuto, nunc expendendum est, an reapse parochus Ramello negligens fuerit in administratione bonorum in themate et ideo teneatur reficere damna ex propria culpa Ecclesiae illata.

Super hoc luculentum extat Episcopi testimonium, quod

heic referre puto, et ita se habet: « Iam ab anno 1880, parochus oppidi Arnad suis parochianis etiam religioni devotis invisus est. Querelam isti adversus illum movent hisce de causis: 1° negligit doctrinam christianam pueris tradendam; 2° aegrotantes raro invisit; 3° verbum Dei non rite explanat; 4° *facultates fabricae Ecclesiae suae* socorditer administrat. – Ut hac in re consistam, praemitto eumdem parochum *non annuatim* rationem gestionis suae Ordinario reddere, prout ad id tenetur vi Constitutionum synodalium (et ego addam etiam *Conc. Trid., ex cap. 9, sess. XXII*), et saepe saepius a me reprehensus fuit. Anno 1902 deputavi canonicum Emmanuelem Gorrets ad dictae fabricae facultates explorandas. Tabulas atque syngraphas inspexit et consiliarios eiusdem fabricae interrogavit. Ex ipsius declaratione, die 10 Octobris 1902, constat: 1° plures inscriptiones hypothecarias non fuisse renovatas ita ut sortes periclitentur; 2° multos fructus annuos exactos non esse; 3° tributa minime debita Gubernio soluta fuisse. Non solum Episcopus sed etiam Municipium oppidi Arnad, conqueritur de molli administratione parochi sui quoad res fabricae et querelam attulit ad Oeconomatum regium beneficiorum. Et nunc omnia instrumenta, chirographa et documenta fabricae Arnad prae manibus esse cuiusdam Commissarii regii qui a Gubernio, Ramello ceu administro exautorato, delegatus est ad fabricae negotia discutienda eiusque rationes in tuto ponendas ». Hucusque Episcopi relatio.

Sed parochi Ramello culposa negligentia, ex iam in principio enarratis etiam patet. Dictum siquidem est, ab initio contractam die 13 Maii 1883 obligationem inter fabricam ecclesiae Arnad et Felicem Bonin perdurasse usque ad finem mensis sequentis Septembris; hoc itaque tempore transacto, parochus Ioseph Ramello debuisset, ut fabrica ecclesiae Arnad nullum damnum persentiret, vel renovare obligationem una cum usuris, vel potius debitorem aut eius sponsorem cogere ut debitum persolverent. Parochus Ramello neque unum neque alterum peregit.

At ex adverso, parochus observat quod non ipse sed fabriceria seu eius thesaurarius respondere debet de culpa vel damnis in administratione ecclesiae. Posito enim principio parochos esse responsabiles de administratione suarum ecclesiarum, « ne seguirebbe il principio (ait Ramello), che i « curati sarebbero responsabili di tutte le perdite che il « procuratore del Tesoro può fare, ciò che è contrario al « XIV articolo del regolamento delle fabbricerie della dio« cesi di Aosta, reso obbligatorio per tutte le chiese della « diocesi da Mons. Jourdain, Vescovo di Aosta, nel Sinodo « tenuto il 27, 28, 29 Ottobre 1833, il quale articolo dice: « Le procureur-trésorier, nommé par le Conseil de fabrique, « exigera seul et quittancera toute somme due pour intérêts « annuels, cens et fermages échus, et il fera, s'il est néces« saire, les poursuites judiciaires pour la rentrée de ces « sommes ». Ante omnia responderi posset, quod iste articulus non facit ad rem, neque parochum a praestatione negotiorum fabricae eximit; is enim ipsius fabricae suscepit administrationem. Procurator autem fabricae Arnad plerumque est homo rudis, nescius per se agendi et semper sub arbitrio parochi, qui eius utitur opera ad fabricae percipiendos redditus et debitores lentos iudicio persequendos. Praeterea parochus Ramello integrum articulum non adducit, minime enim refert verba immediate subsequentia: « mais s'il y a contestation au fond ou s'il s'agit de faire « payer le capital, le Conseil prendra à cet effet une déli« bération motivée et nous en fera parvenir un extrait aux « fins d'obtenir notre autorisation ».

Ex his liquet procuratorem thesaurarium non esse rerum fabricae vere gestorem. In dioecesi solus parochus a paucis consiliariis adiutus, est fabricae administer, quod iam anno 1816 summi magistratus civiles declararunt et dein in praxim deductum est. Extat etiam « la circulaire ministérielle du 6 Nov. 1816 » quae declaravit administrationem rerum et bonorum fabricis pertinentium, « appartient exclusivement aux curés respectifs des paroisses ».

Altera a parocho Ramello prolata obiectio in eo versatur, quod ipse non ex culpa neglexit iura suae paroeciae defendere, sed potius id peregit ne debitores inhonoraret ad iudicem civilem eos trahendo.

Haec ratio non valde prodesse videtur ipsius causae. Etenim quod attinet ad principalem debitorem Felicem Bonin, poterat tunc sine dedecore ad tribunalia civilia traducere. Quoad praepositum Dublanc, Felicis Bonin sponsorem, vel sponsoris Dublanc haeredes scilicet I. B. Borella et Aug. Peretto poterat hos, utpote sacerdotes, apud iudices ecclesiasticos vocare.

Unde cum Episcopo ita concludere fas est: « Animadvertere mihi liceat quod fabrica ecclesiae Arnad amittere non debet quod ad ipsam pertinet. Verum hoc a debitore Felici Bonin eiusque filio Ioanne percipi non potest. Etenim F. Bonin iam a decem annis nihil possidet solvendoque prorsus impar evasit. Filius autem, *qui patris sui iam creditor erat*, tenues huius opes anno 1893 compensationis causa emit. Valde dubitatur an emptio dolosa dici possit. Restat igitur ut cessionarii praepositi Dublanc, qui sponsor Felicis Bonin apparet in instrumento mutuae pecuniae (seu oeconomus Seminarii pro illis) sortem lib. 1374 fabricae ecclesiae Arnad persolvant. « Quoad usuras per viginti annos paris summae... hac in re negari nequaquam potest Ioseph Ramello gravis negligentiae reum esse, siquidem solutionem debiti minime usque adhuc curavit. Ante annum 1893, debitor Felix Bonin aliquam substantiam habebat. Cur eumdem ad dictam solutionem non constrinxit? Nonne ipse Ramello tum ad sortem tum ad foenora fabricae suae sarcienda tenetur? »

Ex altera parte patronus parochi Ramello contendit decretum Curiae Episcopalis diei 24 Aug. 1903, esse infirmandum quoad utramque partem. Sane est irritandum in ea parte in qua damnantur ad sortem restituendam quatuor canonici Bona, Ramello, Borella et Peretto, quia hi erant tantum cessionarii per contractum venditionis pro quarta ex quinque partibus bonorum ad defunctum Dublanc pertinentium, et vi huius contractus respondere non tenentur de personalibus debitis defuncti. E contra, qui in casu respondebant de his, erant tantum duo canonici Borello et Peretto utpote haeredes ex testamento residuae quintae partis bonorum defuncti et hinc ipsius personam gerentes.

Item dicit esse irritandam alteram decreti partem in qua parochus Ramello damnatur ad restituendas usuras in lib. 1374, tum quia usurae sunt sortis capitalis accessorium et hinc ad eas restituendas sortis debitor est cogendus, qui profecto non est parochus Ramello; tum quia de culposa negligentia, si forte extitit, non parochus gravari debet, sed fabricae Consilium, iuxta normas decretas pro fabricis ecclesiarum et synodalibus statutis an. 1835 relatas. Sed harum rationum enucleationem perlegere dignabuntur EE. VV. in brevi allegatione typis impressa et ab eodem patrono seorsim distribuenda.

Interim sequens proponitur enodandum

DUBIUM.

An decretum Curiae Episcopalis Augustae Praetoriae diei 24 Augusti 1903 sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Sententiam esse infirmandam te consilium fabricae novum iudicium ex integro instituat*

penes Curiam Metropolitanam Taurinensem contra Anselmum Bonin parochum loci Roisan et subsidiarie contra successores et detentores bonorum Praepositi Dubanc ad vindicationem crediti sui.

535/4 VIII.

Salutiarum. — Remotionis a paroecia.

Decernitur locum esse remotioni parochi in casu, quamvis processus in Curia instructus fuerit absque interrogatoriis; proviso tamen parocho de alio beneficio vel de pensione, donec aliter provideatur.

Satis gravis quaestio hodie H. S. C. obversatur. Sacerdos Antonius Re an. 1883, regulari habito concursu, parochus Prior renuntiatus est ecclesiae Matricis sub titulo B. Mariae Virginis in Coelum Assumptae loci Busca, quae paroecia et pluribus animarum millibus coalescit et pingui insuper censu ditescit.

Fere impossibile est referre, quot lites et contentiones sive cum auctoritate laica sive ecclesiastica, animum huius parochi, durante paroeciali curriculo, exercuerint, quarum iam aliquod specimen etiam ante obtentam paroeciam in variis vice-parochi officiis dederat. De hisce edoctus non semel Ordinarius et in irritum cessis paternis admonitionibus, attenta eius inobedientia et pervicacia, rem H. S. C. exposuit, quae, die 18 Iunii 1901, respondit, ut has monitiones Episcopus parocho iteraret, praesertim in ordine ad abstensionem a quocumque litigio excitando coram laico foro in Sodalitate a SS.ma Trinitate nuncupata *La Rossa*. At parochus Re neque Episcopo neque H. S. C. morem gessit futiles iuxta veterem suam agendi rationem praetexens excusationes; indeque iurgia graviora effecta sunt quamvis ad instantiam Episcopi, die 19 Februarii 1902, H. S. C. sua praecepta renovaverit, comminatis etiam canonicis poenis.

Interea, initio mensis Aprilis sequentis, oblatus est Episcopo ex parte Municipii oppidi Busca gravis recursus circa has lites et perturbationes, et opportunum petebatur remedium pro pacis redintegratione inter cives a litigiosa agendi ratione parochi Re exagitatos. Alterum vero recursus exemplar a Municipio ad politicam auctoritatem fuerat missum. Hic notandum censeo quod aliud accusationis caput et una ex causis contrarietatis Municipii in eo quoque sita erat, quod parochus Re sese immiscebat tam in politicis, quam in administrativis electionibus, ut sibi via pateret ad dominatum explicandum in publicis institutis.

Accepto a Gubernio citato recursu, illico sub die 14 eiusdem mensis in Buscae oppidum missus fuit inspector ad inquisitionem peragendam, quae praesertim locum habuit in domo et Archivo parochiali. Parochus vero ad turbas evitandas, et alia mala evitanda die 21 dicti mensis occulte aufugit a paroecia, Episcopo nullo super hoc misso nuntio. Deinde die 23 sequenti idem parochus Episcopo per epistolam nuntiavit se aufugisse ex licentia ab E.mo Archiepiscopo Taurinensi habita; quod cum veritati non prorsus responderet, Episcopus die 25 successivo eum suspendit a divinis, quae suspensio decreto diei 3 Maii et alio decreto diei 2 Iunii 1902 confirmata fuit, interim deputato ab Episcopo oeconomo pro paroeciae administratione.

Ex facta inspectione nonnulla gravia contra parochum emerserunt, praecipue de ipsius associatione cum nonnullis sodalibus Confraternitatis vulgo *La Rossa* in intentata lite coram laico tribunali, quod a Re fuerat denegatum: et cum idem parochus apud H. S. C. institisset pro rehabilitatione obtinenda, die 14 Iunii eiusdem anni rescriptum fuit Episcopo « ut processum institueret contra parochum loci Busca, servata forma Instructionis Cong. Epis. et Regul. diei 1 Iunii 1880 » qui tamen processus ex pluribus circumstantiis et exortis difficultatibus concinnari nequivit, attento praesertim quod parochus Re ex Gubernii mandato propter sequutam inspectionem in mense Iulio successivo in carcerem fuerat praeventive detrusus a quo tamen brevi fuit liberatus, et quia ut Episcopus ad H. S. C. sub die 13 Septembris scribebat: « Dal processo avremo un nuovo e lungo periodo di agitazioni e null'altro ».

Interea Episcopo Salutiarum ad sedem Novariensem evecto novus successit Episcopus. Hic primum adnisus est suadere eidem Parocho, ut ex praecitatis causis Paroeciae nuntium mitteret; sed omnia in irritum cesserunt, instante Parocho pro instructione processus super sua remotione, et pro rehabilitatione ad missae celebrationem, quae tandem sub nonnullis conditionibus est indulta.

Quare cum Episcopus nihil profecisset, et aliunde graves extarent causae ad res Paroeciae loci Busca quamprimum componendas, per rescriptum diei 2 Martii 1904 facta fuit ab eadem S. C. Episcopo facultas instituendi processum ritu summario super causis remotionis huius Parochi a sua Paroecia, cum iniunctione transmittendi acta ad S. C. ut inde suum iudicium ederet.

Episcopus itaque ad tramites huius rescripti quatuor ecclesiae Cathedralis Canonicos delegit ad processum conficiendum seu ad colligenda elementa vel documenta probativa existentiae causarum pro remotione Parochi, et attentis specialibus difficultatibus indultum etiam fuit, ceu Episcopus refert, ut dictus processus conficeretur absque interrogatoriis.

Super processu confecto et transmisso exquisitum fuit ex mandato H. S. C. lectissimi consultoris votum, quod oculis EE. VV. typis editum adnectitur. Cum vero Parochus Re pro suis tuendis iuribus patronum elegerit, eius rationes breviatim de more referam, monens interim quod manuscripta allegatio nec latino idiomate confecta nec mihi exhibita fuit tempore utili iuxta sapientes normas ab H. S. Congregatione praescriptas.

Advocatus antequam causae meritum ingrediatur, nonnulla disserit de natura instructi processus, et in primis conqueritur de facta dispensatione super interrogatoriis sive rei sive testium, cuius dispensationis causae nunquam sibi notae factae fuerunt. Notat tamen quod usque a die 14 Iunii 1902 iussa fuerat processus instructio, et ratio difficultatum ad ponenda interrogatoria opponitur fere post duos annos. Haec profecto nimis serotina ratio, ait advocatus, eo tantum dici potest inducta fine ut et Curiae negligentia esset excusata, et vitaretur fastidium regularis instructionis processus; si enim reapse hae difficultates extitissent, initio demandati processus deductae fuissent; quamvis re intimius expensa hae difficultates evanescunt, si paulisper advertatur, quod tum ad tuendam auditionem testium et rei, tum ad impediendam ordinis publici turbationem, praesto semper erat invocatio vis publicae. Concessa itaque dispensatio ab interrogatoriis fundamento erat destituta.

Insuper natura specialis iudicii remotionis Parochi a Paroecia ob odium plebis postulabat, ut processus non clauderetur inaudito reo, et testibus, quia secus ipse erat in impossibilitate sese defendendi et refutandi facta et circumstantias ad dictum odium probandum oggestas. At in instructione processus a Curia Salutiarum seu a Commissione quatuor canonicorum facta, haec substantialia deficiunt, quia processus confectus est tantum cum documentis ex Archivio Curiae

depromptis et tantum sese referentibus ad vitae cursum Sacerdotis Re. Ergo uti radicaliter nullus est retinendus.

Hoc praemisso advocatus gradum facit ad examinandos tres titulos ab eadem Commissione productos ad decernendam Praepositi Re remotionem, qui reducuntur ad populi contrarietatem, ad malum Parochi ingenium, et ad pravam ipsius agendi rationem.

Re quidem vera Commissarii processus hanc populi adversionem deducunt ex publica hostili significatione diei 20 Aprilis 1902 facta ab oppidanis Buscensibus contra Parochum Re, vi cuius ipse abire coactus fuit: ab alia demonstratione ab ipsis facta contra eumdem Parochum occasione adventus Episcopi in Paroeciam, a quo muliere publice reclamante Parochi reditum, populus silentio postulationem reprobavit. Arguunt item dictam populi contrarietatem ex pluribus factis contra Parochum subscriptionibus, ex epistolis a Syndico loci, a Praefecto provinciae ad Episcopum missis pro Parochi remotione, ab exitu in electionibus administrativis Parochi candidatis contrario, et concludunt quod nedum clerus, qui totus cum Episcopo est, sed etiam illi qui prius Parochi Re partes fovebant, nunc eidem adversantur.

Hisce argumentis advocatus sequentia opponere satagit. Quoad adversam demonstrationem parocho factam mense Aprili an. 1902 reponit, hanc originem habuisse opera ministerialis Inspectoris et praesertim auxilio sacerdotis Fillia Cappellani Sodalitatis a Sanctissima Trinitate. Memorat quomodo hoc auctore inter sodales lis exarserit coram laico foro, de qua falso Praepositus Re coram Curia fuit tamquam instigator accusatus, et ab Episcopo in poenam privatus officio Vicarii Foranei: nec omittit notare quod origo turbarum aliquatenus etiam ab ipso Episcopo derivat, qui per epistolam syndicum loci excitaverat ad procedendum contra parochum. Caeterum si sacerdos Re aufugit a paroecia, id factum est non ob vitae discrimen ex adversae plebis odio, sed ad effugiendum praeventivum carcerem, quem sibi impendere sciebat ex Inspectoris vexatione. Quod alteram autem demonstrationem occasione adventus Episcopi in Buscae oppidum, dicit de industria ab adversariis fuisse paratam. Nec oppositas tum syndici localis, tum Praesidis provinciae litteras magni pendit, utpote personarum per fas et nefas tendentium ad actionem catholicam opprimendam, cuius parochus erat strenuus vindex.

Citatas contrarias subscriptiones confutat aliis et quidem maiori numero factis in favorem parochi praesertim occasione iubilaei sacerdotalis. Deinde notato quod ex exitu in electionibus administrativis nihil deduci valet, cum suffragia ferentes non fuerint tantum parochi filiani sed etiam alii ad alias paroecias pertinentes, advertit quod si clerus nunc partes Episcopi agit, id ex eo provenit, quod sacerdotes qui aliquatenus curarunt causam parochi defendere, variis ab Episcopo fuerunt poenis mulctati, uti factum de sacerdotibus Gorsa, Daia, Giraudo qui postremus poenam suspensionis per 13 menses tulit. Hisce non obstantibus ait non deesse sacerdotes, qui pro viribus parocho adstipulantur. Ex allatis itaque a commissariis processus concludit, asseri non posse probatam esse existentiam odii malae plebis contra parochum, quamvis ratio probativa et instructoria ab ipsis inita nullitatis vitio scateat, uti iam fuit notatum.

Hucusque dicta firmat depositione parochorum et sacerdotum finitimorum oppido Buscae: ex hac depositione erui contendit odium plebis non esse nisi putidum commentum a nonnullis parochi adversariis ad eum perdendum excogitatum.

Progreditur deinde advocatus ad expendendum alterum remotionis motivum, quod iuxta Commissarios processus situm est in prava indole parochi: illorum relationem carpit in ea parte quae se refert ad facta antiqua utpote extranea praesenti iudicio, quorum nonnulla explicat, et oppugnat. Ita in relatione edicitur quod sacerdos Re in officio vice-parochi in Verzuolo an. 1879 deputatus audaciter ab Episcopo salarium praetendebat: at reponit advocatus ipsum quamvis aegritudine laborantem coactum fuisse tale officium acceptare, etsi parochus declarasset nullam posse ei mercedem tradere. Sacerdos Re valetudine affectus, inutiliter ab Episcopo petita venia, sese per paucos dies a residentia exemit, et Episcopus illum per octiduum suspendit. Ad alium deinde vice-parochatum missus in loco Scarfaniggi, etiam in hoc officio eius valetudo gravi in discrimine versata est. Hisce non obstantibus, ait advocatus relatio incusat sacerdotem Re de hisce factis uti criminibus et praesertim quod post obtentam rehabilitationem nunquam sese emendaverit.

Disserit deinde advocatus de alio facto circa quod parochus Re in relatione reprehenditur nempe de delatione SS. Viatici in forma publica occasione morbi asiatici an. 1886: illud utique ex habita ab Episcopo licentia potuisset private deferre, sed non est redarguendus parochus, si publice detulit, uti factum fuerat praecedenti an. 1884, in quo idem morbus maiorem vim explicuerat.

Alia succedit in relatione Commissionis accusatio de parocho Re, nempe quod ipse renuerit associare ad sepulturam cadavera defunctorum pauperum Hospitalis. Praemittit hoc evenisse quando ipse in vim sententiae aulae vulgo *Corte di Assise* erat ab administratione beneficii civiliter suspensus. Aliunde hospitalis directio praetendebat designare horarium translationis cadaverum, quod parocho spectat, et renuebat dare salarium paroecialis ecclesiae famulo ob campanarum sonitum occasione eiusdem translationis, hinc vice-parochi resistentia dici poterat legitima. Item quoad aliud factum de associatione cuiusdam cadaveris in hospitali defuncti secuta tantum forma civili, observat id evenisse, quia quando parochus et vice-parochus acciti fuerant, hi infirmorum assistentiae vacabant. At hospitalis directio absque mora iussit funus duci tantum civili ritu; et insuper eadem directio detulit parochum uti renuentem funera decedentium in hospitali associare ad H. S. Congregationem, quae sub die 23 Iulii 1895 iubebat parocho munus suum quoad infirmos et decedentes in hospitali explere sub comminatione suspensionis a divinis.

Alter fons ad probandum parochi Re litigiosum ingenium a Commissariis innuitur in litibus, quas parochus iniit sive cum sodalitate Alba, sive cum alia sodalitate Rubra seu de SS.ma Trinitate, de qua superius etiam dictum, sive cum parochis loci vulgo *Castelletto*, et S. Chiaffredi propter denegatam cuiusdam pensionis solutionem. De Sodalitate Alba refert advocatus, quod haec in quodam verbali et iniurias contra parochum edixerat, et sibi indebite nonnulla iura usurpaverat; parochus institit pro irritatione dicti verbalis. Sodales licet primo renuerint, tamen postea se votis parochi satisfacturos apud Episcopum declararunt. Ex hoc itaque parochus non est redarguendus. Relate ad aliam sodalitatem vulgo *la Rossa*, utique ab H. S. C. sub die 18 Iunii 1901 et 19 Februarii 1902 datae sunt duo epistolae Episcopo, ut moneret parochum ad sese abstinendum a litibus promovendis dictae sodalitati coram laico magistratu, et a fovendo in ea perturbationes: verum, opponit advocatus, haec rescripta originem duxerunt a falsa relatione Episcopi, unde iniuria Commissarii ea adducunt ad probandam indolem litigiosam parochi.

Demum patronus accedit ad refutandas insinuationes, quas maligne deduci ait per Commissarios ex renuentia Parochi solvendi initio impositas pensiones favore parochorum loci Castelletto et S. Chiaffredi.

An. 1883-84 sacerdos Re capta Paroeciae possessione, plura super ea adinvenit debita a praedecessore relicta. Ad ea expungenda expostulavit a S. C. Episcopor. et Regul. pensionum reductionem invocans dispositiones decreti - *Cum nuperrimis.* - Recursu pendente, a dictis Parochis cum Episcopi licentia vadatus fuit coram praetore ad pensiones solvendas. Damnatus a praetore ad solvendum, ipse ad superius laicum tribunal appellavit. Ita agendo Parochus iure suo usus est: at subdit advocatus, Commissarii ex hoc facto deducunt Parochum incurrisse excommunicationem inflictam a Constit. *Apostolicae Sedis*, § 8, contra recurrentes ad laicam potestatem, quo nihil absurdius.

Commissarii item insimulant Parochum, quod ipse post editam ab H. S. C. resolutionem in alia eiusdem pensionis controversia cum dictis Parochis munitam clausula *et amplius* ad S. Pontificem convolando pro novae audientiae beneficio, datae resolutioni parere detrectaverit; sed nemo non videt, ait quantum haec futilia sunt. Post haec de aliis etiam circumstantiis disceptat ad eamdem quaestionem attinentibus, ex quibus resultat quod si Parochus illico non solvit, id non eius pervicaciae et culpae est adscribendum, sed potius legitimis interpositis impedimentis, et concludit accusationes per Commissarios ab hoc fonte corrivatas nullo esse in pretio habendas.

Tertius tandem titulus, ex quo iuxta Commissarios Parochus Re a Paroecia est removendus, prava eius agendi ratio exhibetur. Cum hic titulus magnam cum praecedenti habeat affinitatem, nil mirum urget advocatus si facta in antecessum allata, heic refricentur. De his iterum sermonem instituere supervacaneum ducit; sicuti etiam otiosum putat Commissariorum assertionem refutare, quod Parochus Re non dociliter sed fere semper arroganter et superbe sese egerit tum dictis tum factis sive cum Episcopis praedecessoribus Monale et Mattia sive cum hodierno Episcopo; cum enim hae accusationes sint genericae et non specificae nullo in calculo haberi possunt.

Verum Commissarii sub hoc titulo redarguunt Parochum quod ipse abutendo consilio doctrinali E.mi Archiepiscopi Taurinensis, arbitrarie a paroeciali residentia sese exemerit, irrequisita Ordinarii licentia. Advertit advocatus quod iuxta Canonicum ius Parochus potest ex gravi et urgenti causa, quin recurrat illico ad Ordinarium, a Paroecia discedere. Ita docet Santi in *Praelect. can.* « Expectanda non est, imo nec onus inest expetendi licentiam abeundi, quoties occurrat causa gravis et periculum sit in mora, ita ut tempus non suppetat ad expectandam licentiam ». Sacerdos autem Re ex gravi causa, seu ex impendenti periculo carceris Paroeciam reliquit; si autem dixit licentiam super hoc ab Archiepiscopo obtinuisse, dum tantum doctrinale consilium habuerat, potius agitationi mentis illius ob imminens periculum, quam culpae est adscribendum. Ita etiam eidem est parcendum si Ordinario non revelavit locum in quo latebat: id profecto effecit ne a iustitiae ministris apprehenderetur; aliunde necessitatibus Paroeciae erat consultum per Vice-Parochorum operam.

Commissarii praeterea in sua relatione sub hoc titulo, aiunt Parochum in defensione exhibita pro irritatione sequestri appositi redditibus beneficii apud consessum vulgo *Consiglio di Stato*, plura dixisse contra Episcopum: at iuxta advocatum, haec non a Parocho, sed ab eius patronis ob defensionis necessitatem fuere prolata. Succedit deinde alia accusatio circa independentiam societatis catholicae et aliarum minorum institutionum quas Parochus Re erexerat, ab auctoritate dioecesana. Hanc accusationem pariter nullo niti fundamento, sustinet advocatus. Hae societates enim sese subiecerant regulis comitatus dioecesani, et si forte aliquis intercesserat defectus, id potius repetendum a qualitate personarum illas efformantium, quae plerumque sunt artifices.

Demum advocatus progreditur ad diluendam gravem accusationem factam a Commissariis contra parochum Re, circa modum nempe quo a statu inopiae dives effectus est.

Sacerdos Re, aiunt, ante paroeciae consecutionem pauper erat: at durante paroeciae administratione, ingentes expensas obiit pro variis institutionibus fundandis et conservandis, 3000 libellarum impendit pro cappella S. Martini, 4000 libellarum pro fundatione societatis musicae vulgo *Banda*, domum emit pro Oratorio festivo, et aliam in sui utilitatem acquisivit. Profecto arguunt Commissarii, fons harum ingentium pecuniae summarum explicari nequit nisi ex legatis et haereditatibus fiduciariis: advocatus hanc arguendi Commissariorum rationem mendacem et calumniosam asserit. Parochus enim Re licet pluribus civilis auctoritatis inquisitionibus fuerit subiectus, tamen semper integer evasit in hac re. Utique ei relicta fuit ex testamento a quodam Alexio Orsento haereditas fiduciaria in libellis 10,000: sed haec summa certe non erat impendenda in opera pia, et quomodo sit eroganda, parochus Re ex secreto commisso revelare non potest. Quin imo cum parochus Re deposuisset partem dictae summae apud Curiam nempe lib. 3000 pro sublevandis clericis pauperibus dioecesis, dictam summam ipse repetere debuit ob contrariam panditam disponentis mentem. Concludit itaque advocatus obiectas a Commissariis accusationes non esse nisi putida commenta et malignas insinuationes.

Hisce pro meo munere relatis nec non prae oculis habito Consultoris voto, dignabuntur EE. VV. sequens propositum resolvere

DUBIUM

An et quomodo sit locus remotioni parochi Antonii Re a paroecia loci Busca in casu.

Responsum fuit: *Affirmative, proviso sacerdote Re de alio beneficio vel eidem assignata pensione 600 libellarum super redditibus paroeciae loci Busca, donec aliter provideatur.*

CONGREGATIONIS SPIRITUS SANCTI.

Dubia circa Decretum *De observandis*.

Beatissime Pater,

Superior Generalis Congregationis a Spiritu Sancto humiliter postulat:

I. An ad art. 7 Decreti *De Observandis*, diei 11 Maii 1904, sub nomine Ordinariorum veniant quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis.

II. An Episcopi dioecesani et Praelati Regulares, qui aliis Episcopis seu Praelatis Regularibus Missas cum sua eleemosyna celebrandas tradiderint, ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevati censeantur; an potius obligatione teneantur usque dum peractae celebrationis fidem sint assequuti.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Card. VINCENTIUS, Ep. Praenest., *Praefectus*.

L. ✠ S.

CAIETANUS DE LAI, *Secretarius*.

LEOPOLIEN.

Dubia quoad interpretationem Decreti *De observandis*.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum, relate ad Decretum S. C. Concilii, diei 11 Maii 1904, quoad Missas manuales, humiliter petit solutionem sequentium dubiorum:

I. An iuxta art. 2 termini persolutionis statui possint:

usque ad	10	Missas	1	mensis
»	20	»	2	mensium
»	40	»	3	»
»	60	»	4	»
»	80	»	5	»
»	100	»	6	»

et ita porro pro quibuslibet 20 Missis unum mensem addendo.

II. An hi termini intelligantur seorsim quoad quemlibet stipendium offerentem, vel etiam intelligi possint cumulative quoad omnes aliqua occasione v. g. in aliqua solemnitate offerentes; ita ut si tunc stipendia offeruntur a 100 oblatoribus, a quolibet pro una Missa, omnes hae Missae in termino sex mensium persolvi debeant.

III. An in casu art. 7 pro sacerdotibus qui ab Ordinario stipendia accipiunt, termini currant non a die quo primarii offerentes stipendia dederunt, sed ex concessione Apostolicae Sedis a die quo Ordinarius ipsis stipendia tribuit.

IV. An ista stipendia, etsi primario a pluribus offerentibus data, tamen in casu art. 7 tamquam ab uno scilicet Ordinario oblata censenda sint.

V. An liceat Ordinario omnibus his Missis communem generalem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, propositis dubiis, ita respondendum censuit:

Ad I. Rem relinqui discreto iudicio et conscientiae sacerdotum iuxta Decretum et regulas a probatis doctoribus traditas.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, dummodo aliter non constet de voluntate oblatorum.

Ad III. *Affirmative*, idest obligationem incipere a die quo sacerdotes Missas celebrandas ab Ordinario recipiunt.

Ad IV. Episcopus curet ut quatenus fieri possit Missae, a pluribus receptae, a pluribus sacerdotibus tempore debito satisfiant.

Ad V. Sufficere ut sacerdotes celebrent iuxta mentem Ordinarii; qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare debet iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. Melius tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae.

Card. VINCENTIUS, Ep. Praenest., *Praefectus*.

L. ✠ S.

CAIETANUS DE LAI, *Secretarius*.

SANCTI DEODATI.

Duo dubia circa missarum stipendia.

Beatissime Pater,

Episcopus S. Deodati ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit:

I. Mos invaluit in sua dioecesi, ut Vicarii apud parochos in domo curiali degentes, pensionem non argento exsolvant, sed Missae suae quotidianae, sive lectae sive cantatae eleemosynam parocho dimittant. Quaeritur utrum mos ille licite possit retineri.

II. Vigore plurium Indultorum, idem Episcopus Orator concedere potest sacerdotibus suae dioecesis facultatem recipiendi eleemosynam vel pro secunda Missa, vel pro Missis dierum festorum in Gallia suppressorum, dummodo supradicta eleemosyna pro suae dioecesis operibus piis applicetur. Porro vestigiis trium suorum antecessorum inhaerens, idem Orator Episcopus concessit sacerdotibus, ut quaecumquae sit eleemosynae quantitas, ad Cancellariam episcopalem non mittatur nisi eleemosyna synodalis, idest Lib. 1,50. Quaeritur an haec Episcopi concessio sit legitima.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, dummodo et quousque excessus in modo aut alius abusus non oriatur, super quo Ordinarii erit vigilare.

Ad II. *Negative*.

Card. VINCENTIUS, Ep. Praenest., *Praefectus*.

L. ✠ S.

CAIETANUS DE LAI, *Secretarius*.

SOCIETATIS SS. SALVATORIS.

Postulata circa Decretum *De observandis*.

Beatissime Pater,

P. Pancratius Pfeiffer, Procuratorata Generalis Societatis Divini Salvatoris, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus humillime exponit.

Societas Divini Salvatoris quotannis magnum numerum recipit S. Missarum, quibus ipsa per suos sacerdotes persolvendis impar esse solet. Hucusque Societas fruebatur privilegio, quo obligationibus Missarum persolvendarum, exceptis Missis urgentibus, infra sex menses satisfacere posset; quas vero per suos sacerdotes celebrare non poterat, eas tradere sibi liceret S. C. Visitationis Apostolicae cum stipendio reducto unius libellae, tradita quarta parte harum Missarum cum stipendiis suis integris. Cum Societas, quae indiget quam maxime auxilio amicorum et benefactorum, Missas per litteras plerumque oblatas sine gravi incommodo et damno refutare nequeat, humilis Orator enixe supplicat:

I. Ut praefata Societas etiam in posterum quasvis Missas accipere possit etiam si praevideat futurum esse ut per suos sacerdotes eas celebrare nequeat.

II. Ut obligationibus S. Missarum infra tres menses satisfacere possit, exceptis urgentibus et iis, quas accepit statim persolvendas.

III. Ut attestatio Missarum acceptarum, licet nondum

persolutarum, a Societate scripto data, Societatem ipsam ab omni obligatione coram Deo et Ecclesia relevet.

IV. Denique supplicat idem humilis Orator, ut Societas S. Missarum partem aliquam a Sancta Sede statuendam in utilitatem Collegii Mariani Romani eiusdem Societatis retinere possit.

Die 27 Februarii 1905.

S. Congregatio Concilii Tridentini Interpres, vigore facultatum a SS.mo D.no Nostro Pio PP. X sibi tributarum, propositis dubiis ita respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, vetita tamen studiosa collectione, ita nempe ut accipere possit Missas sponte oblatas, minime vero ab Episcopis aut sacerdotibus eas quaerere.

Ad II. Pro gratia iuxta petita.

Ad III. Pro Missis S. Sedi, Episcopis dioecesanis aut Superioribus Generalibus Ordinum seu Congregationum Religiosarum datis, *affirmative*. Pro Missis privatis sacerdotibus commissis, *negative*, et servetur dispositio Decreti *De Observandis*.

Ad IV. Pro gratia retinendi duas pro singulis centenis.

Praesentibus ad quinquennium valituris.

Card. VINCENTIUS, Ep. Praenest., *Praefectus*.

L. ✠ S.

CAIETANUS DE LAI, *Secretarius*.

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

DECRETUM

Additio super Litaniis Sanctissimi Nominis Iesu.

Litanias in honorem SANCTISSIMI NOMINIS IESU Apostolica Sedes iuxta unicam formam probatas tercentum dierum indulgentia ditavit atque Breviarii Romani editionibus inseri decrevit. Quo vero Christifidelibus huiusmodi Litanias devote recitantibus ineffabilis Eucharistiae mysterii memoria salutariter excitaretur, quidam Sacri Antistites, praeeunte E.mo et R.mo D.no Cardinali Adulpho Perraud, Episcopo Augustodunensi, Sanctissimum Dominum Nostrum PIUM Papam X adierunt supplices, ut in iisdem Litaniis obsecrationi *Per ascensionem tuam, libera nos Iesu*, de Apostolica venia, immediate adiiciatur altera: *Per Sanctissimae Eucharistiae institutionem tuam, libera nos Iesu.* Sanctitas porro Sua, his votis ac precibus ab infrascripto Cardinali Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, pro impenso quo flagrat studio et amore erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum, libenter annuens praedictam in Litaniis SS.mi Nominis Iesu additionem atque obsecrationem, ab iis tamen, qui optarent, dioecesium Ordinariis, fieri posse concessit. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 8 Februarii 1905.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM INFIRMIS MINISTRANTIUM.

Cler. Reg. persolvere poterunt officium votivum cum Missa de Imm. primo cuiusvis mensis sabbato.

R.mus Pater Procurator Generalis Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium, vota Coetus Generalis nuper in Urbe coacti, humillime depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixis precibus rogavit, ut privilegium suaemet universae Congregationi anno 1765 concessum, persolvendi nempe Officium votivum cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione, quolibet per annum sabbato, in quo festum ritus duplicis vel semiduplicis non occurrat, aut feria seu vigilia vel octava privilegiata, transferre atque amplificare dignaretur insequenti modo, nimirum: in cunctis domibus eorumdem Clericorum Regularium primo cuiusque mensis sabbato, qui festo duplici primae aut secundae classis, vel aliqua ex enunciatis feriis, vigiliis atque octavis non impediatur, Officium votivum cum Missa de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione in posterum recitari valeat. Sanctitas porro Sua, referente E.mo et R.mo Domino Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, petitum privilegium ita benigne indulgere dignata est, ut memoratis Clericis Regularibus Officium votivum cum Missa Immaculatae B. M. V. Conceptionis liceat persolvere primo cuiusvis mensis sabbato non impedito a festo duplici primae aut secundae classis, vel a festis, vigiliis atque Octavis B. M. V. integrum Officium habentibus, necnon a caeteris feriis, vigiliis Octavisque privilegiatis: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 10 Iunii 1904.

S. Card. CRETONI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

III.

ABYSSINEN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Iustini de Iacobis Episcopi Nilopolitani et Vicarii Apostolici Abyssinensis, e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo.

Praecepto quod Dominus Noster Iesus Christus dedit discipulis suis, ut sese invicem diligerent sicut ipse dilexerat eos, aliud novissimum adiecit mandatum quo sicut missus a Patre et ipse discipulos mittens, in universum mundum eos abire, gentesque docere et baptizare iussit, promissa cum suo perenni auxilio alterius Paracliti seu Spiritus Sancti virtute. Quo munere sancte perfuncti Apostoli virique Apostolici a primordiis ecclesiae usque in praesens divinam Iesu Christi missionem in Fidei ipsiusque Ecclesiae propagatione iugiter ostenderunt. Ex his recensendus est Iustinus de Iacobis e Congregatione Missionis, Episcopus Nilopolitanus et Vicarius Apostolicus Abyssinensis qui caeteros Apostolicos viros aemulatus sanctitatis et virtutis fama ita praefulsit, ut dignus sit habitus illustri condecorari testimonio cl. me. Cardinalis Massaia tunc temporis Vicarii apud Galla, a quo et Episcopus consecratus et veluti exemplar et

magister missionariis propositus fuit. Dei Famulus in oppido S. Fele, Muranae dioeceseos, ex Lucania provincia, ex piis honestisque parentibus in lucem editus die 9 Octobris anno 1800, sacro lustratus est lavacro, indito nomine Iustino. Fervidam sortitus indolem et ad virtutem proclivem, novennis ad sacram synaxim accessit, novisque auctus scientiae pietatisque incrementis, quum decimum octavum aetatis annum attigisset, ad perfectiorem vitae statum amplectendum toto animo incubuit. Divinam vocationem secutus Congregationem Missionis S. Vincentii a Paulo ingressus est. Neapoli tyrocinio expleto atque probato vota simplicia nuncupavit. Ad sacerdotium per gradus promotus animarum saluti procurandae sedulam operam dedit. Uriam primum, Monopolim deinde missus consocios aedificavit. Lyciensis Congregationis domui praepositus, in Neapolitana civitate tyronum magister et domus *dei Vergini* nuncupatae superior, hisce muneribus egregie perfunctus est. Sibi austerus, caeteris comis, Deo in oratione iunctus, concionatoris insimul et confessarii optimi laudem promeruit. Quod illi maxime in votis erat ad missiones pergere, id libentissime assequutus est cum Apostolici Praefecti munus in Abyssinia ipsi delatum fuit. Aduae, Tigrè capiti, veluti centro missionis constituto, quatuor fere menses, impendit, quasi in recessu praeparatorio coelestibus imploratis auxiliis sive ad idiomata varia addiscenda sive ad illarum regionum Principum, Procerum ipsiusque Regis Oubié benevolentiam sibi captandam. Deinceps romanum iter aggressus, ut alios conquireret socios, obsequentissimas literas eiusdem Regis Oubié qui Servo Dei missionem ad Cairum commiserat, Summo Pontifici exhibuit, ad cuius pedes provolutus etiam aethiopes perduxit atque obtulit. Romana una cum Hierosolimitana peregrinatione peracta, in Abyssiniam reversus arduae missionis labores, angustias, pericula atque adversariorum insidias et insectationes forti mitique animo expertus est. Deo opitulante, atque Regis auctoritate suffultus plures ecclesias extruit, alias haeretica labe contaminatas, rogantibus incolis, reconciliat et ad catholicum cultum restituit et convertit, simulque satagit ut seminaria et collegia pueris clericisque instituendis erigantur. Interea ne crescenti gregi sacerdotes et pastores in posterum deficerent, Romanus Pontifex Iustinum, ex animi demissione reluctantem sed divinae voluntati mandatisque apostolicis obtemperantem, Episcopali dignitate auget. Episcopus Nilopolitanus et paulo post anno 1847 Vicarius Apostolicus Abyssinensis renunciatus, veluti supra candelabrum positus in domo Dei, ita refulsit ut dissipatis errorum tenebris, quamplurimos ad veritatis lucem reduxerit. Nihilominus exinde ortae irae atque invidiae haereticorum erga missionarios catholicos ac praecipue in Iustinum quem probris, calumniis atque minis ipsi appetere non destiterunt. Instigante Episcopo haeretico atque iubente Theodoro qui ex bello adversus regem Oubié victor redierat, in vincula et in carcerem una cum discipulis coniectus est. Multa atque atrocia in illo loco *Gondar* nuncupato per quinque menses pati debuit Iustinus; neque ei defuit consummati martyrii voluntas prouti defecit tyranno animus capitalem sententiam ferendi. Hic enim timens excitare in se odium populi ob saevitiam in Servum Dei, omnium opinione, iustum et sanctum, iniquam sententiam temperavit, illata tantum in eum exilii poena. Catenis solutus atque e carcere emissus Abyssiniam repetiit et in oppido Halay moratus est Iustinus. Illuc veluti peregrinus itinere laboribusque defatigatus post unum et viginti apostolatus annos sanctis operibus plenos sibi suaeque missioni valde fructuosos, aliquantulum requiescere coepit. Dies tamen appropinquabat quae virum tot tantisque meritis cumulatum et coelesti praemio dignum in perpetuam requiem sanctamque Dei civitatem introducere debebat. In febrim incidit Christi famulus putansque salubriori aëre suae valetudini prospicere, consilium init alias regiones adire, sed vix coepto itinere, morbo ingravescente, sistere cogitur. Suae peregrinationis persentiens finem novissima discipulis suis dedit salutis monita, extremisque Ecclesiae sacramentis religiose susceptis, pie obdormivit in Domino die 31 Iulii anno 1860, aetatis suae sexagesimo. Iustini de Iacobis corpus quod omnes sive catholici sive haeretici sive mahometani custodire gestiebant, ad pagum *Ebo* elatum atque in Ecclesia repositum, solemni funere peracto, honorifice sepelitur, confluentibus ad tumulum turmatim advenis et peregrinis divinam opem per intercessionem Servi Dei imploraturis. Interim sanctimoniae fama quam Servus Dei adhuc vivens adeptus fuerat, post obitum in dies magis magisque clara causam dedit, ut super ea Ordinariis Inquisitionibus Informativis institutis, Processuales tabulae Neapolitanae, Lycienses et Abyssinenses ad S. Rituum Congregationem transmitterentur. Quum vero, peracta revisione scriptorum atque obtenta dispensatione ab interventu et voto Consultorum nihil obstaret quominus ad ulteriora procedi posset, instante R.mo D.no Augustino Veneziani Congregationis missionis Postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis quorumdam E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium sacrorum Antistitum aliorumque virorum sive ecclesiastica sive civili dignitate praestantium, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Dominicus Ferrata huius Causae Ponens seu Relator in Ordinario Sacrorum Rituum Congregationis Coetu subsignata die ad Vaticanum habito, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Et E.mi ac R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis, rescribere rati sunt: « *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 12 Iulii 1904.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro PIO Papae X per E.mum et R.mum D.num Cardinalem Aloisium Tripepi Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et confirmavit, propriaque manu signare dignata est Commissionem Introductionis Causae praedicti Ven. Servi Dei Iustini de Iacobis Episcopi Nilopolitani et Vicarii Apostolici Abyssinensis, e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo, die 13, eisdem mense et anno.

SERAPHINUS Card. CRETONI, *S. R. C. Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

E.me ac R.me Domine,

1. Mandatum illud, omnium praestantissimum, a Iesu Christo D. N. discipulis suis delatum, ut omnes universi orbis nationes erudirent: labentibus saeculis perseverat adhuc et viget, nullis unquam temporum vicibus, aut legantis sententia immutatum, aut legatorum incuria imminutum. Nulla enim aetate, apostolicae religionis propagandae cupiditas vel minimum elanguere, quin etiam incrementis quotidie maioribus succrescere visa est, et nova in dies fidelium accessione honestari. Quis enim eorum agmina recenset pene innumera, qui studio acerrimo promovendae catholicae religionis illecti, in id vires omnes contulerunt, ut tenebras ex hominum mentibus discuterent, et in ipsis veritatis regnum instaurarent? Nulla autem vel laborum multitudine vel periculorum adversitate deterriti, ad mitioris vitae primum rationem remotissimas gentes allexerunt, Evangelii deinde legibus sanctissimis informarunt. Magnanimos huiusmodi divinae fidei praecones saevissimae persecutiones nunquam retardarunt, eorumque animi ardorem vel minimum restinxerunt. Quin etiam compertum est in id unum vires omnes suas contulisse ut fidem catholicam, quam constantissime edocebant, sanguine consignarent. Atque ita feliciter contigit ut, superstitione tandem depulsa, barbarie depressa, triumphale nostrae redemptionis signum regiones ubicumque pervaserit, fidem, iustitiam et pacem populis allaturum.

2. Eiusmodi sanctitatis ac virtutis heroes nullo unquam tempore in Ecclesia defuerunt. Horum quidem numero dignissimus videtur, qui recenseatur Iustinus de Iacobis, qui martyris constantiam praesetulit et apostoli zelum aemulatus est. In illo omnis hominum ordo habet exemplar, sibi propositum, quod sequatur, sanctitatis et virtutum omnigenarum. Praestans emicat in Servo Dei flagrantissimus fidei propagandae zelus, singularis humilitas, incensissima charitas, sui ipsius rerumque humanarum contemptus. Et missionarii munus Famulus noster tam naviter, tam assidue, tam impense, tam fructuose obivit, ut innumeram catholicae Ecclesiae fidelium sobolem suis pararet operibus et sanctitate. En quomodo Dei Servum perillustre Cardinalis Massaia testimonium effinxit: « Copia del Vangelo, immagine di Gesù Cristo, dolce ed umile di cuore, prodigio di umiltà, tipo e maestro che Dio gli aveva dato nella vita Apostolica, che si era proposto d'imitare per quanto il permettesse la sua debolezza e che formava perciò l'oggetto pratico e continuo delle sue meditazioni ».

3. Totum idcirco controversiae caput in eo situm esse apparet, utrum constet ex actis de ea fama sanctitatis, quam ex praeceptis iuris nostri demonstrare oportet, priusquam ad signaturam Commissionis deveniatur. Ad hanc famam probandam tota haec nostra intendit oratio: atque, ut eo facilius procedat, breve quoddam syntagma praeponendum duximus de vita rebusque gestis S. D.; ut, quum PP. EE. noverint quis ille fuerit, dein commodius qualis quantusque evaserit, quantique habitus sit ab hominibus, pro sua sapientia valeant aestimare.

VITAE SYNOPSIS SERVI DEI.

4. In oppido, cui S. Fele nomen factum, Muranae Dioeceseos in Lucania provincia, primam lucis usuram die 9 Octobris anno a partu Virginis 1800 accepit Dei Servus et Iustini nomine, ut in actis baptismi patet, appellatus fuit. Septimo loco natus e quatuordecim liberis, parentes sortitus est puer honesto genere, re familiari et virtute spectatissimos, qui voce et exemplo ad honestatem probosque mores mentem animumque infantis effinxerunt. Optimae vero eorum institutioni apprime respondit puerulus et qualis postea futurus esset a pueritia ostendit. Pietatis enim cultor eximius evasit et ad virtutem proclivis, sanctitatis palestram a teneris annis aggressus est. Tunc matrem, nec virtute minus quam pietate spectabilem, infantis educationi advigilantem suspicimus: suspicimus et intacto eius animo rerum caelestium amorem mature committentem; nec christianae religionis rudimentis eum imbuere destitit ipsa, neque ad mentalem orationem eius allicere spiritum. Vix nonum vitae suae annum Iustinus noster inierat, cum coelesti primum dape refectus est. Quid de illius fervore dicam cum ad sacram Synaxim accederet? A prima autem aetatula confessario optime et pie excolendum datus a sedula genitrice, pietati deditum puerum vidimus, allicientem aequales ad religionis exercitia, misericordem in pauperes. Vidimus et timentem Deum, ac ita a culpa alienum, ut noxas ipsas veniales plusquam pestem horresceret; vidimus, quidquid ad Deum non intenderet, abhorrentem. Inerat Iustino insignis ingenii vis, ut aequalibus in studiis praestaret, et quaedam magis senis propria gravitas quam pueri, ita ut animus, plusquam ferret aetas a vanis et ludicris alienus, libris et pietati unice addictus, puerile nihil saperet. Indolem nactus erat adolescens noster fervidam, quam virtutis studio mature compescuit. Pueritiam summa morum innocentia transegit, piaeque adscriptus Congregationi, ea praebuit divinae dilectionis argumenta, ut intelligi facile posset ad altissimum virtutis gradum evectum iri.

5. Aetate augescente, virtutum semitam firmo gressu calcavit iuvenis, qui ad perfectionem christianam mire protendens, alia ac maiora animo moliebatur. Ad clericalem procliviorem esse statum haud dissimulavit; nil magis gestiens, quam in Christi Dei militiam conscribi ac sacerdotio augeri. Consilio cum confessario communicato, ac potestate ab eo facta aeque ac a parentibus, qui statim Deo vocanti obtemperarunt, Congregationem Missionis, a S. Vincentio de Paoli institutam, iniit, et Neapoli ad tyrocinium, suavi perfusus iucunditate, aetatis suae anno decimo octavo, mox convolavit. Quantum splendoris ac decoris sacro sodalitio ex eius adventu esset accessurum, confessarius testatus est!

6. Inter novitios cooptatus ab ipsis initae Congregationis exordiis praecellens apparuit Iustinus et adeo summa praestitit pietate, regularum observantia et virtutum laude, angelica praesertim vitae castimonia, ut exemplar a tyronum magistro contubernalibus propositum esset. Tyrocinio expleto, simplicibus votis, unanimi patrum consultorum consensu, admittitur: quibus nuncupatis, ad praestituta incubuit studia quae superiorum laude, sodalium admiratione confecit. Ad sacerdotalem deinde dignitatem per subdiaconatus et diaconatus ordines die 12 Iunii anno 1824 fecit gradum. Vix sacerdos, apostolico ministerio maximo cum zelo studuit et assiduam ad animarum salutem, omni ope procurandam, operam navavit adeo ut consociis exemplo esset. Superiorum iussu, Oriam primum, Monopolim deinde concessit: ibique zelo, charitate et prudentia summa omnium sibi existimationem conciliavit. Congregationis Lyciensis domui praeficitur postea, ubi obedientissimi partes subditi potius quam superioris implevit, et lenitatis ac charitatis exemplum praebens, optimi moderatoris laudes meritus est « *dilectus Deo et hominibus* ». Ad virtutum cultum polliciens suaviter, uberrimos ubivis religionis fructus collegit et celebratam nominis sui memoriam passim reliquit. Neapolim

porro appellatus, tyronum magistri munere, omnium satisfactione, functus est: superior deinde alterius Congregationis domus, cui nomen scilicet « *dei Vergini* » paullo post renunciatur,

7. In his muneribus obeundis, excelluit Dei Servus in flagranti divini amoris ardore, in zelo indefesso, ut quotquot posset ad Deum perduceret, in reconciliandis cuiusve conditionis peccatoribus, qui Eius a confessionibus Tribunal innumeri fere obsidebant, charitate illecti et suavitate, quibus ab ipso excipiebantur, adeo ut optimi sane confessoris laudem ac famam adsecutus sit. Emicuit quoque Iustinus in mortificatione, in assiduitate concionandi, in charitate industria erga indigentes, in comitate suavissima, in oratione altissima et perpetua. Ipsae conciones, quas hinc illinc habebat, tam magna populi frequentia cohonestabantur, ut templa saepissime audientium numerum minime capere possent: et, quovis licet verborum ornatu destitutae, splendidos gignebant effectus: simplicitas enim in iis emicabat, cum nihil artificio compositum, nihil conquisitis ornamentis expolitum proferret; ex quo magis mirabantur homines, quorum animi mirifice ad rectius vivendi genus flectebantur; nec deerant qui, concione absoluta, animi motu perculsi, conclamarent: « *E cosa straordinaria: – quest'uomo ha qualche cosa che vi lascia a pensare* ». Apostolico enim viro, simplicitate procedenti, inerat Spiritus sancti gratia, quae mundanam prudentiam odit et prudentiam sequitur simplicitati coniunctam.

8. Verum amplissima ac uberrima Iustino nostro alia ex parte patebat seges colligenda. Quod ab adolescentia consilium inierat, totum se missionibus dicaret et fidem catholicam, animas ut Christo lucrifaceret, inter ethnicas gentes diffunderet, ardentius maturiore aetate exarsit. Dum anxie occasionem D. S. quaeritabat, oblatum ei fuit, divina certo adnuente gratia, Apostolici Praefecti munus in Abyssinia. Non est cur multis prosequar, quam libenter id Dei Famulus exceperit. Laetitia elatus, internum effundens gaudium, munus suscepit apostolicus vir et potestate sibi a Praeside Generali Vincentiani Instituti facta, patriam parentes deseruit, et Abyssiniam versus, primus illuc e Congregatione missionarius, iter intendit. Annum tunc agebat aetatis suae 39um.

9. Adouam Tigrè caput cum pervenisset, ibi constitit, quasi centrum urbem seligens evangelicae suae missionis. Quam antequam iniret, odium pernoscens illius gentis contra nomen catholicum, fundamenta agendi eius rationis prudentiam, humilitatem et charitatem posuit. Domi in pio fere recessu, diu se continebat: integros orando dies extrahebat: quod reliquum supervacabat tempus, totum ad idiomata illa pernoscenda impendit. Omnes insuper beneficiis cumulans, mansuete iniurias perferens, bonum pro malo reddens, cunctorum sensim amorem et aestimationem sibi comparavit ac supereminentis adeptus est sanctitatis notam. Quatuor sic elapsis mensibus, in publico se ostendere, ut ad populum conciones habere posset, arbitratus est. Hinc profecto apostolica eius vita exorditur. Et primo benevolentiam illarum regionum Principum ac Procerum ob admirabilem eius zelum humilitatemque evangelicam sibi captavit Dei Servus: immo et Abyssiniae tunc Rex Oubié, cui magna facinora et praeclarae Iustini nostri virtutes iam innotuerant, haereticus licet, tanti Eum fecit, ut Missioni ad Cairum, haereticum Episcopum pro eius regno, rogaturum, eum praeficere voluit.

10. Haesit anceps prima fronte Famulus noster, regis iussum corde agitans. At, ne, munus renuens, totam suam in Abyssinia missionem in discrimen poneret, consilium, regiae suscipiendae provinciae, iniit. Spes vero animum eius subierat, Romam deinde socios missionis, ei a rege concreditae, perducendos, eosque, aptissimo eo medio, ad fidem alliciendos. Dies advenit abitus, itineri D. S. se commisit ac in patriam remeatus, Neapolim primo attigit, deinde Romam pervenit, ut litteras ipsius regis Oubié Summo Pontifici exhiberet, utque Eius ad Pedes Aethiopes duceret. Iis absolutis, haud multo post redire coactus, ab Urbe discessit: Jerusalem iter intendit, unde postremo in Abyssiniam regressus est.

11. Totum denuo ibique se apostolicae vitae dedidit, ut animarum saluti prospiceret, ac inter illius regionis gentes veritatis regnum instauraret. Quo in munere multa Iustinus perpessus est, ac, licet gracilis natura corporis, graves exantlavit labores, omnibus omnia factus, longiusque et remotiora petens loca, tempestate adversa, saeviente canicula, ad levandam tenuiorum inopiam. Aegrotos per montes asperos, per summa pericula invisit: asiatica lue infectos suae domo recipit, charitate eos amplectens et morientibus adfuit: ardua peregit itinera, ut populos, pueros praesertim, sacro donaret baptismo et ad catholicam veritatem converteret, utque stirpitus insidentes errores ex hominum mentibus evelleret et ad divinum Evangelii lumen victrici gratia adduceret. Ubique salubria monita D. S. relinquebat: a cunctis eius exquirebantur consilia: dissidia componebat, iurgiorum semina restinguens: tantaque lenitate ac charitate effulsit, ut patris appellatione ab universis decoratus esset. Brevi, nihil de religionis provehendae, in missione ei concredita, curis Iustinus remisit.

12. Haud tamen difficultatibus adversitatibusque minime obnoxius fuit Noster. Omnes enim eius generis praeclarissimi viri adversus difficillima quaeque et innumera colluctari debuerunt, quae nonnisi constanti studio, enixa contentione et inconcussa tenacitate poterant evinci. Huiusmodi fuit Iustinus, insidiis obvius haeretici Episcopi, calumniis impetitus, impiis mulctatus excommunicationibus: omnia, quae invicto animo mire vir fortis exsuperavit. Facultatem tamen a rege Oubié, qui ei plurimum, ut innuimus, deferebat, adeptus, ad Ecclesias aedificandas animum appulit. Quarum plures ex novo excitavit, plurimas, ei ab incolis dono oblatas, haereticas pridem ad cultum convertit catholicum et Deo vel Virgini Sanctissimae dicavit. Sciens autem quid religioni fovendae maxime conferret, et Ecclesiae bono expediret, plura Seminaria instituit, ubi germina catholici nominis in Abyssinia poneret et ad virtutem pietatemque iuventutem fingeret. Nec sane frustratus spe fuit D. F.; permulti enim clericalem sunt amplexi statum; eorumque numerus, temporis progressu, auxit. Multis igitur pro religione et catholica Fide gestis, maiora in posterum Iustinus, Deo feliciter opitulante, praestiturus portendit.

13. Deerat modo, qui ordines clericis conferret, ut ecclestica hierarchia in Abyssinia constitui posset, deerat et novo gregi pastor. Necessitatem hanc persensit admodum Sacra Propagandae Fidei Congregatio, quae, mature re perpensa, consilium iniit Episcopum eligendi pro populo Abyssinensi. Statuit sane Romanus Pontifex hac dignitate Dei Servum augeri, et Cardinali Massaia, tunc Episcopo et Vicario Apostolico apud Galla, munus commisit Iustinum de Jacobis Episcopum consecrandi. Dictis heic nequit expleri, qua humilitate singulari, qua animi rara demissione se gessit in his rerum adiunctis Dei Famulus. Incessit enim eius animum pavidum dubium, ne, ob suam exiguitatem, tanta indignum esset dignitate. Res sane admiratione digna, per decem et quatuor menses oblatum munus, ex humilitate innumeris haustis argumentis, constanter ille recusare contendit. Auctorante postremo Apostolica Sede, iussu Summi Pontificis Dei Famulus adactus, quod humilitate officium

respuit, obedientia tamen suscipere coactus fuit. In salebrosis demum temporis adiunctis, ac mortis periculo incumbentis ob Mahometanorum insanum furorem et saevissimam contra catholicum nomen persecutionem, consecratus fuit Episcopus Nilopolitanus ab ipso Massaia, ac deinde Vicarius Apostolicus Abyssiniae renunciatus est anno a nativitate Christi 1847. Mirum profundae ac perrarae humilitatis et obedientiae exemplar!

14. Tam tenax ab honoribus dignitatibusque aversatio effecit, ut nunquam fere induerit Iustinus episcopalia insignia, sed paupere usus sit tritaque veste ad obitum usque, nullimode ab aliis dissimili. Addito vero tempore, ob ingentem eorum numerum, qui ad veritatem ab eo conversi fuere, invidiam Famulus noster excepit eorum, qui inimicitias cum nomine catholico gerebant. Acerbiores admodum persecutiones adversus heroicum missionarium coeperunt desaevire, et, quas ipse sane persenserat, aerumnae, missioni obventurae, re quidem vera acciderunt. Nam haereticus Episcopus larvam aperte detraxit; probris et calumniis Servum Dei insectari coepit, minis etiam appetere. Hinc sensim ad atrocia prorupit: concitavit nempe Theodorum, cui tunc prosperae adversus Oubiè belli sortes fuere, contra Iustinum. Victor rex Dei Famulo potitus, gravissimis constrinxit catenis, ac in carcere una cum discipulis Gondar detrudit.

15. Ibique martyris fortitudinem praesetulit Dei Servus, paratus ultro ad effundendum pro Fidei veritate sanguinem. Penitus interea sui ipsius oblitus, carceris socios inter cruciatus et dirissima tormenta solabatur: eosque verbis operibusque adiuvabat atque ad testandum heroice catholicum nomen mire alliciebat. Quinque ita transegit menses, gravissima perpessus: haud vero maturum erat tempus, quo Deus voces Servi sui, e vinculis corporis cupientis dissolvi, exauditurus erat. Reformidabat enim tyrannus, ob sanctitatis opinionem, quam sibi Dei Servus penes omnes collegerat, Eum palam interficere vel tormentis excruciare: exilio tamen affecit. Dum interea Iustinus, catenis revinctus, in exilium traducebatur, ardentissimo constanter zelo incensus pro animarum salute, libertatem ab excubiis obtinere potuit, ac ipsam despicatui habens mortem, Abyssiniam repetiit et in Halay pago constitit.

16. Sed tot profecto tantique labores, quos per unum et viginti apostolatus annos diuturne D. S. perpessus est; gravissimi, queis laboravit, morbi; plurium per avia et impervia itinerum cruciatus; persecutiones saevissimae et continuae, dirae captivitates, tanti Apostoli vires attriverunt. Dies vero adventabat, qua homini, tot operibus perfuncto ac pene confecto, aeterna requies deberetur. Licet maligna oppressus febri, discipulorum valetudini, non suae, ad extremum usque anhelitum prospiciens, in alias ac salubriores regiones concedere statuit. Iter capessit; sed, ingravescente morbo, ad fauces mortis redactus, sistere coactus fuit. Paullo post se ab humanis abripi sentiens, novissima discipulis suis dedit monita: Ecclesiae deinde sacramentis munitus, caput lapide recumbens, placidissime ex hac vita, ingenti omnium adstantium luctu, ad superos commigravit, die 31 Iulii mensis anno 1860, aetatis suae sexagesimo.

17. Haec hactenus recensita magis plana et aperta fient, si quae gesta sunt ab hoc apostolico viro singillatim expendantur, et quae edidit variarum virtutum argumenta per partes atque ordine A.A. Patrum oculis subiiciantur. Et primo:

(*Hic agitur de virtutibus*).

DE FAMA SANCTITATIS IN VITA.

133. Affirmandum modo est, quod si virtutum demonstratio tam claris nititur coaevorum testium depositionibus, tam illustri roboratur supernorum charismatum testimonio, iam non minus communi et unanimi hominum iudicio firmatur, iuxta iuris sententiam: « Consentiens fama confirmat rei de qua quaeritur fidem » (1). Nam cum in multis magnisque rebus susceptis ac gestis ad insidentes errores ex hominum mentibus stirpitus evellendos et populos ad humanum civilem cultum, victrici Evangelii luminis gratia, deducendos, versata integra fere vita Dei Servi Iustini de Iacobis fuerit, necesse fuit omnino ut pleraque ex iis, quae exposita sunt de heroicis eius virtutibus ac donis, compluribus innotescerent, ac ita praenobilem sanctimoniae famam Illi conciliarent. « Gloria enim quasi umbra sequitur virtutem », ut ait Hieronymus (2).

134. Sanctitatis opinionis, qua Dei Servus, dum viveret, penes omnes potitus erat, fundamentum iustum et legitimum reperiemus, si singuli considerentur ad normam testium depositionum vitae eius actus. Vero nostrum heic potius erit, ea in medium adducere, quae de Dei Servi sanctitatis fama virtutum, miraculorum passim edebantur. In id sane consona est universorum testium vox.

135. Multorum gratia, ceu nuperrime innuimus, D. S. valebat, sed plurimum spectatae hominis sanctitati doctrinae et prudentiae detulerunt, una cum perillustri Cardinali Massaia, ii omnes e clero saeculari vel regulari, Abyssinensi Missioni addicti. Quam sanctitatis opinionem satis praeconia probant laudis, Dei Famulo unanimi voce exhibita. Talis autem erat vis ac dignitas heroicae virtutis ac sanctitatis praeclarissimae, ut haereticorum vel infidelium quidem mentes in sui converteret aestimationem. Ex quo contigit ut virum sanctum D. S. esse omnes profiterentur. Neque minoris Iustinum nostrum fecere Reges, Principes et Magnates, quamquam haeretica labe infecti. « Le roi Oubié, « scripsit olim pro rege Sardiniae Vice-Consul ad generalem « Consulem, l'aime beaucoup (Dei Servum) et lui a donné « des preuves incontestables de confiance et d'estime, il lui a « remis son cachet, par exemple, ce qui pour les orientaux, « comme vous savez, est un véritable blanc-seing... ». Augetur demum talium suffragiorum pondus auctoritate gravissima Summi Pontificis s. m. Pii IX. « Vero è, Monsignore, « refert D. Cahen in sua epistola, quel che disse il Santo « Padre della santità di Monsignor De Iacobis; è Santo, è « Santo, l'Abissinia è sicura di un Protettore, non solo colle « fatiche qui in terra, ma eziandio per l'avvenire lassù in « cielo coronato di gloria ».

136. Haec vera gloria seu publica existimatio novum dici potest argumentum ad heroicitatem confirmandam virtutum D. S.; quemadmodum enim non datur umbra nisi adsit corpus, sic non habetur gloria si deficiat virtus. Sed, quod admiratione magis dignum arbitramur, id profecto est, quod omnes, vel perditissimi haeretici ac D. S. propter fidem osores acerrimi, omnes, inquam, nedum, ut vidimus, ad instar sanctae vitae hominis, Eum summo in honore habuere, verum passim hac compellatione eumdem designarunt, aliisque honestissimis exornarunt epithetis. In Abyssinia illius virtute egregia et sanctitate illecti... omnes « lo hanno sempre proclamato « e lo proclamano come il vero Apostolo mandato da Dio per « la conversione di quelle contrade ». Sancti autem appellatione cohonestatur Iustinus: « Arrivati ad un certo punto, « ait IX Testis Abyss., noi c'incontrammo con una grande « carovana. Monsignore istruì gli uomini di essa e consocii « costoro lo chiamavano un Santo ». Quid vero de D. F. senserunt? Id nobis memorat X Testis eiusd. inquis: « Tutti « lo chiamavano un Santo, Monsignor Biancheri, Fratel Abatini, e tutti gli altri lo dicevano tale. Ed io mi feci questa « idea del De Iacobis ». Laudatus saepius Cardinalis Mas-

(1) Leg. 3, ff. de Testibus.

(2) Ad Eustoch. Pars I.

saia nunc Dei Servum: « campione di Santità » conclamat, nunc « Santo Vescovo ». Ipse pro rege Francorum Consul haud anceps haesit S. Francisco Xaverio Iustinum aequiparare. « Décidément, scribit ille, Dieu protège d'une manière sensible l'entreprise de l'apôtre de Jacobis, que, j'ose, dès à présent nommer le S. François Xavier de l'Abyssinie ».

137. Haec autem sanctitatis opinio, quam de D. S. maximam et universalem conceperant, sive cives et consocii, sive haereticae gentes, sive Principes et Reges, ad ultimum usque vitae eius spiritum perduravit, illaesa ubique manens, in suo splendore fulgidissima, in suo vigore integra « ... Il Servo « di Dio, ait Testis V Neap., in tutta la sua vita ha goduto « costantemente fama di vera santità di vita e di grandi « virtù ». Quid mirum exhinc, quod illi quidem, qui ex adverso D. S. erant, infideles nempe et fidei catholicae osores, nedum minime famam eius sanctimoniae quovis modo extenuare valuerint, verum et nil contra eum, quod malum aliquid saperet, dicere aggressi sint? Sit pro omnibus Testis I Neap.: « Non ho mai veduto, inteso o letto che contro la « fama predetta del Servo di Dio si sia detta, fatta o scritta « cosa e in vita e dopo morte ». Idem affirmant innumeri alii testes. Ex his quae hucusque delibavimus, colligite quaeso, PP. EE., et videte num quid magnificentius sanctitatis famae Dei Servi possit desiderari. Modo

DE PRETIOSO OBITU ET DE CONCURSU AD FUNUS.

138. Reliquum iam est, ut mortem Dei Servi Iustini de Iacobis exequamur; nam, ut ait Urbanus VIII in suis Decretis Generalibus, illud maxime et praecipue observandum est, ut videatur exitus vitae illius, qui petitur canonizari, quoniam cum, ut dici solet: exitus acta probet; si finis vitae illustris sit, et sanctimonia plenus et publica praesertim testificatione notatus, argumentum erit, quod actiones anteactae poterunt esse sanctae. Patet sane ex universo Summarii numero XVII, quod Iustini mors vere fuerit pretiosa in conspectu Domini. Paucis igitur videamus oportet, quae felicem Eius obitum praecesserint, quae ipsum comitata sunt, quae denique eumdem subsequuta. Immorandum vero non est in praecedentibus referendis circumstantiis; nam, licet D. S., postremo vitae suae tempore, adversa valetudine frueretur (fractum enim erat corporis robur vigiliis et laboribus attritum), haud tamen mortali et diuturno morbo laboravit, sed apostolicae vitae cursum inopinato absolvit, nihil ad extrema usque momenta de ferventi zelo pro animarum salute remittens, nihil de assiduis consuetisve curis.

139. Tantummodo et brevi dicam, quae D. F. obitum comitata sunt. Quotquot vero sunt testes, qui de felici Iustini nostri transitu sive de visu, sive de auditu loquuntur, omnes in eo conveniunt, D. S. vitam laude plenam pretioso exitu conclusisse, nullo affectum timore, divinae solum voluntatis placitis animi quiete et tranquillitate acquiescentem: « Risentendo vicino la morte, ait IV Testis Neap., non cessò « egli sino all'ultimo di parlarne e sempre con grande calma « e serenità ». Quod autem obitum suum, nondum licet lethali morbo esset implicitus, D. S. praenunciaverit, in ea orationis parte significavimus, ubi de donis supernaturalibus disserebatur. Hic vero, aliis omissis testibus, qui uno ore et fusius adiuncta narrarunt obitus D. F., in medium producemus V Testem Abyss. qui postremam D. S. confessionem audivit et oculis suis vidit, suisque audivit auribus, quae fecit et dixit, paullo ante suum transitum, fortis ille et heroicus Abyssiniae Apostolus.

140. En igitur verba testis: « Dopo d'aver passata l'ottava « di S. Vincenzo de' Paoli a Massaua, disse a noi: io non « voglio essere seppellito in terra di Mussulmani, perciò par- « tiamo subito per Halay. Esso non dava alcun segno di « malattia grave, era all'ordinario. E così ci mettemmo in « via... Il De Iacobis si pose in un luogo un po' ombroso, « e solo, per recitare il Breviario. Allora esso disse ad Abba « Gabré Mariam che allora era semplice domestico, di far « presto il caffè, e che non gli rimanevano di vita che un « tre ore. Il che accadde. Ciò fatto, il De Iacobis prese in « mano il Breviario e poi la corona. Poi prese il suo caffè, « e subito disse di far presto il pranzo e di pranzare al più « presto possibile. Esso portò alla sua bocca un po' di riso, « ma mi sembra che non l'abbia mangiato. Ciò fatto chiamò « me, e fece da me l'ultima sua confessione. Dopo la con- « fessione mi disse di chiamar tutti gli anziani, cioè a dire « i preti ed i monaci. Tutti, meno due che erano amma- « lati, ci riunimmo intorno al De Iacobis ». Qui tunc novissima et saluberrima discipulis suis dedit monita, iisque benedixit, ac proximum suum obitum lugentes solatus est. Iussit porro ut extrema instructus esset unctione. Sed rursus audiatur memoratus Testis V: « ... Stando uno dei preti per « incominciare a dargli l'Estrema Unzione, ma leggendo « troppo a bassa voce le orazioni, allora il De Iacobis disse: « Venga Abbà Zaccaria (il più giovane di Seghli) e pro- « nunzi ad alta voce le parole. Così si fece. Ed il De Ia- « cobis additò al detto prete tutte le parti del corpo che si « dovevano ungere, e così anche le cerimonie, rispondendo « a tutte le preghiere. Esso stette a sedere. Finito tutto, « esso ci ordinò di ritirarci tutti e di lasciarlo solo. Il che « facemmo ponendoci poco distanti da lui. Poco dopo ritor- « nammo a lui, e lo sentii che parlava in italiano. Noialtri « non capimmo che il nome di Abbà Uelde Gabriel, allievo « della Propaganda e non altro. Parlò per un quarto d'ora... « Il De Iacobis teneva allora gli occhi rivolti al Cielo. Al- « lora gli demmo l'assoluzione uno dopo l'altro. E ciò a « quanto mi sembra. Allora il De Iacobis spirò. Però non « potemmo notare il momento preciso della di lui morte, « perchè il di lui viso era risplendente ». Haec pariter narrant IX et XI Testes Abyss.

141. Ex iis itaque, quae de D. S. obitu Testes commemorant, evidentissime patet eius mortem vitae plenissime conformem esse et virtutes, quas vivus coluit, in extremis heroice pandidisse. Nonne Eius fides eluxit in flagranti, quo exarsit, desiderio sacramentorum praesidio ad supremum iter comparari? Nonne ex ardenti fiducia eiusdem cupientis dissolvi et esse cum Christo spes sane evincitur? Charitatem autem in proximum, quam adeo toto vitae suae tempore invictissimam habuit et quae tam singularis in Iustino fuit, exercere ipse in extremis non destitit. Quidnam luculentius charitatis huiusmodi argumentum illo, quod, paullo antequam suum exhalasset spiritum, edidit, aegrotum nempe, suorum Iustinus malorum oblitus, invisens et spem eius deiectam recuperandae sanitatis aptis verbis erigens? Admirabilis quidem fuit Eius patientia et summa animi aequitas, quam saevissimos inter dolores sereno vultu praesetulit. Nonne splendidissimum paupertatis et humilitatis documentum in ipso obitu edidit? In aperta enim planitie, sub arboris umbra, ut ab ardentibus aethiopici solis ictibus delassatum iam corpus tueri posset, super paupere stragulo iacens, capite petrae adnixo, sic vitam Iustinus tot laboribus plenam, tot iactatam procellis, tot meritis insignem, felici exitu conclusit, et miseram hanc aerumnarum sedem cum coelesti beatitatis domicilio commutavit.

142. Modo videamus, quae fuerint circumstantiae, quae D. S. obitum sunt subsecutae. Comploratio primum discipulorum tam pretiosam excepit mortem, qui vero ad fletum compulsi, et pectus percutientes, profusis lacrymis ingemuere. Ad rem Testis I Neap: « ... e quindi assistito (Dei Servus) « da quei sacerdoti nello stesso sito dove si era adagiato,

« si morì, nel pianto e profonda commozione di tutti del suo « seguito, i quali non si ristavano dal percuotere i loro petti « per la gravissima perdita di un grande apostolo ». Et unus clamor erat omnium, quos suis Ille beneficiis demeruerat, haereticorum quidem qui D. S. interitui adfuere, Sanctum obiisse virum et apostolum « ... e tutti gli Eretici, inquit IX Testis Abyss., che furono presenti alla morte del De Iacobis, « furono ripieni di grande mestizia e chiamavano il De Ia- « cobis un Santo ». Ubi primum tristissimum mortis nuncium in vulgus manavit, omnes subiit miseratio ac Aethiopia universa in maximos incidit luctus, eoque defuncto perdoluit. Qui sane vivum adamarunt, singularis moeroris indicio demortuum eluxerunt et ad venerandum cadaver summa doloris significatione undique confluxerunt. Alta enim in omnium animis suasio erat praeclarissimae Iustini sanctitatis.

(Sequitur).

E SACRA CONGREGATIONE PROPAGANDAE FIDEI

DECRETUM.

Erigitur Praef. Apl. « Bornaei Hollandici » et Ord. Capuccinorum concreditur.

Ut in multiplicibus illis amplissimisque insulis, quae sub Indiarum Hollandicarum nomine, Vicariatum Apostolicum Bataviae constituunt, nova incrementa catholica religio suscipiat atque Evangelii lux sylvestribus adhuc nonnullis populis illucescere incipiat, E.mi Patres Sacri huius Consilii, Christiano Nomini Propagando in Generalibus Comitiis habitis die 23 Ianuarii mox elapsi, a praedicto Vicariatu Bataviae seiungendum totum insulae Bornaei territorium, quod nunc Hollandiae dominio subest, in eaque erigendam novam Praefecturam Apostolicam nomine *Bornaei Hollandici* nuncupandam, atque Ordinis Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum curis tradendam censuerunt. Hanc vero E.morum Patrum sententiam ab infrascripto huius S. Cong.nis Secretario in Audientia diei 7 vertentis Februarii relatam, SS.mus Dominus Noster Pius PP. X benigne approbare ratamque habere dignatus est; atque praesens ea de re decretum edi praecepit.

Datum Romae ex Aedibus S. Congregationis de Propaganda Fide, die 11 Februarii 1905.

Fr. H. M. Card. GOTTI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

ALOISIUS VECCIA, *Secretarius.*

E SECRETARIA STATUS

I.

Epistola circularis ad Ordinarios Ditionis Aequatorianae relate ad novas dispositiones introductas in lege, ad urgendam inscriptionem civium in publicis tabulis, antequam ipsis baptismus ministrari possit.

Col più vivo dolore ha appreso il Santo Padre la nuova offesa arrecata testè alla Religione Cattolica dal Governo Equatoriano, con le disposizioni introdotte nella legge del registro civile, le quali impongono, non senza gravi pene per i parroci, la precedenza dell'atto civile di nascita all'amministrazione del sacramento del battesimo.

Ed invero, essendo articolo di fede che i Sacramenti della nuova legge, istituiti dal Redentore, sono sorgenti della vita soprannaturale, sottoposti alla sola autorità della Chiesa, qualsiasi pretesa del potere civile di subordinarli alle formalità prescritte da lui è doppiamente lesiva del diritto divino: offende, cioè, la dignità soprannaturale di questi riti augusti di nostra Religione e viola insieme i diritti e la libertà della Chiesa in cosa di sua esclusiva competenza. Quanto poi al battesimo in particolare, essendo esso necessario ad entrare nella Chiesa e conseguire così la salvezza eterna, conforme sta scritto: « *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto non poterit introire in regnum Dei* » (Ioann., III, 5), è manifesto che l'ostacolarne, come che sia, il conferimento si oppone ai disegni pietosi della bontà di Dio, che vuole tutti membri del suo corpo mistico, che è la Chiesa, eredi della eterna gloria del cielo: « *Vult omnes homines salvos fieri* » (I. Tim., II, 4), ed anche più direttamente, al comando dato dal divino Maestro agli Apostoli, di battezzare tutte le genti: « *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos* » (Matth., XXVIII, 19).

Quindi è che tutte le nazioni cristiane e civili, anche in momenti di agitazione antireligiosa, hanno sempre lasciato completamente libera l'amministrazione del santo battesimo: mai, nè in Europa, nè altrove, è stata tollerata alcuna prescrizione restrittiva su questo punto. Soltanto in Haiti, nel 1874, venne promulgata una legge simile alla legge equatoriana; ma la stessa autorità civile, riconoscendone la enormità, non tardò guari a modificarla.

Con ragione adunque torna sommamente doloroso che nell'Equatore, ove la quasi totalità della popolazione è cattolica, e la stessa legge fondamentale dello Stato proclama e garantisce la libertà del culto cattolico, siano state prese disposizioni tali, che mentre offendono la fede del popolo, violentano la coscienza de' sacerdoti. Che se il Governo Equatoriano intendeva ordinare indistintamente a tutti i cittadini la iscrizione dei nati nel registro civile, ciò non doveva fare violando le leggi divine ed ecclesiastiche.

A scongiurare intanto il più che sia possibile i danni gravissimi che possono derivare dall'applicazione delle accennate disposizioni, i Rev.mi Ordinarî dell'Equatore si daranno premura, anzitutto, d'instruire i fedeli ad essi soggetti dell'obbligo gravissimo che hanno di far battezzare quanto prima i loro figli.

Non omettano inoltre di ammonire i parroci ed altri aventi cura di anime, circa i doveri imprescindibili del loro ministero in questo punto, richiamando quanto prescrive in

proposito il Concilio Plenario dell'America Latina. In ispecial modo rammentino loro, che, stante la necessità del battesimo per salvarsi, peccherebbero essi gravissimamente, non solo se ricusassero di conferire questo sacramento a coloro, che versano in pericolo prossimo di morte (nel qual caso sarebbero obbligati ad amministrarlo anche a rischio della propria vita), ma altresì se lo differissero molto tempo, ovvero a tempo indeterminato, esponendo così bambini ed anche adulti, all'eventualità di morire senza battesimo. Il che potrebbe avverarsi sia nel caso che si rifiutassero di battezzare coloro che vengono presentati da regioni lontane dalla parrocchia, sia nel caso che trovandosi essi stessi in questi luoghi lontani, non volessero battezzare chi viene loro presentato, sia finalmente nel caso che rimandassero quelli anche vicini, i cui genitori trovassero difficoltà a fare l'iscrizione nel registro civile.

Potranno inoltre i suddetti sacerdoti consigliare ai fedeli, se e quando lo stimeranno opportuno, di fare iscrivere i loro figli nel mentovato registro; e potranno altresì domandare la presentazione dell'atto civile di nascita, quando ciò si possa ottenere senza incontrare gravi difficoltà.

Vogliano infine i Rev.mi Ordinarî adoprarsi con tutto il loro zelo, affinchè tutti i buoni cattolici mettano in opera alacremente ogni mezzo, consentito dalle leggi, per indurre il Governo ad abrogare questa e le altre disposizioni legislative che offendono le sante dottrine e i diritti inviolabili della religione cattolica.

Roma, 30 marzo 1903.

M. Card. RAMPOLLA.

II.

Pius X commendat Associationes catholicas iuvenum in Gallia, et speciatim Conventum *du Sillon*, mox Parisiis celebrandum.

Eminentissime et Révérendissime Seigneur (1),

Sa Sainteté a été informée en même temps de la réunion prochaine, dans votre capitale, d'un Congrès des jeunes gens du « Sillon » et de la bienveillance que Votre Eminence leur assurait pour la réalisation de leur projet. Le Saint-Père en a éprouvé une vive satisfaction, en faisant remarquer une fois de plus que les sentiments de Votre Eminence répondent merveilleusement à ceux que lui inspire son grand amour pour la France.

Dans sa sollicitude pour le bien de cette nation, le Saint-Père croit nécessaire que les pasteurs accueillent bienveillamment et protègent dans leurs diocèses les différentes associations et les œuvres multiples d'action catholique et sociale dues à l'initiative de simples laïques, pourvu qu'à la profession franchement déclarée de la foi catholique ils joignent une filiale et réelle soumission à l'autorité ecclésiastique.

Le but de ces associations et des œuvres ainsi dirigées a déjà mérité plusieurs fois les éloges du Saint-Siège, car les unes et les autres visent à ramener dans les bras de l'Eglise ceux de ses fils qui s'en sont malheureusement éloignés; elles sont destinées à seconder l'action du clergé, mais souvent elles le font grâce à des initiatives privées, dont les auteurs, par suite de leurs conditions de laïques, se trouvent, dans l'accomplissement de leur œuvre, plus à l'aise que ne le seraient les prêtres. Ainsi s'explique que « l'Association de la Jeunesse catholique » et la Société plus récemment fondée sous le nom du « Sillon », ont pu, en peu de temps, s'étendre et se développer sur la terre de France, toujours prête à accueillir la bonne semence. Ce n'est pas la différence des méthodes suivies par les diverses associations qui puisse être un sérieux obstacle, car, on le sait, il y a, dans l'Eglise, « multiplicité et variété de grâces », et, d'accord avec la doctrine apostolique, l'histoire nous offre l'exemple de divers types de sainteté, très différents les uns des autres; ce qui importe, c'est l'unité de l'esprit, rendue manifeste grâce au lien de la paix.

Le Saint-Père, dans le court espace de temps qui s'est écoulé depuis qu'il a assumé le gouvernement de l'Eglise, a déjà eu plusieurs occasions de connaître de près les principales associations qui fleurissent en France, et a éprouvé une sainte joie du bon esprit qu'il a constaté aussi bien chez la « Jeunesse catholique » que chez les membres de l'association du « Sillon ». En ce qui regarde ces derniers, le Congrès annoncé vient à propos pour faire connaître encore mieux leurs intentions droites et leurs louables desseins. Il peut servir à éclairer tels points de leur programme qui, pour certains, n'ont pas paru peut-être assez lumineux; il fournira l'occasion aux chefs de l'associatione d'affirmer qu'en fait de doctrine, ils entendent suivre toujours et uniquement l'Eglise catholique, et qu'en fait d'attitude, s'ils devaient intervenir dans les affaires publiques, ils se proposeraient de joindre leurs forces à celles des autres catholiques, auxquels l'autorité ecclésiastique se montrerait favorable, afin qu'en aucune manière ils ne puissent réduire, par leur faute, les avantages de l'unité d'action.

C'est pour ces motifs que Sa Sainteté loue votre Eminence de la faveur déjà accordée aux jeunes gens du « Sillon » et désire qu'elle continue à les encourager de sa précieuse bienveillance, assurée qu'ils sauront accueillir avec docilité les conseils que Votre Eminence croira devoir leur donner pour la continuation de leur œuvre, ses progrès et son plus grand bien. L'auguste Pontife ne doute pas que l'exemple de la faveur de Votre Eminence aura pour effet de concilier à l'association du « Sillon » la bienveillance et la faveur des autres illustres membres de l'épiscopat français.

Ayant l'honneur, ainsi que Sa Sainteté m'en a chargé, de vous faire connaître les sentiments et les vœux de Sa Sainteté même, je vous baise humblement les mains, et avec les sentiments d'une profonde vénération, je me félicite de me redire

De Votre Eminence,

Le très humble et dévoué serviteur,

† R. Card. MERRY DEL VAL.

Rome, 4 janvier 1905.

---

(1) Emo Card. B. Richard, Archie.po Parisien.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

30. Canarien. — Anniversariorum.

Sub die 14 Iunii 1670 Canariensis Episcopus occasione visitationis SS. liminum inter caetera dubitavit: An Capitulum potuerit et possit dividi, tuta conscientia, in duos choros ad effectum explendi onera officiorum quibus integrum Capitulum non valet intra annum satisfacere, et qua ratione providendum pro praeterito. Et Sac. Congregatio respondit: *Negative, quoad aliam provisionem melius informet exprimendo onera;* sed quia ecclesia abundat ministris, dum dignitates, Canonici, Dationarii, et Cappellani, sunt in totum quinquaginta novem, ac divisio huiusmodi practicata fuit a triginta iam annis, unde qui postea fundarunt anniversaria videntur voluisse illi se conformare, cum caeteroquin magnus sit fundationum numerus, nunc Capitulum supplicat declarari:

An possit se dividere pro celebrandis anniversariis, post divisionem introductam fundatis.

R. *Affirmative.*

31. Dubium. — Servitii.

Die 28 Martii 1676 haec S. Congregatio censuit Canonicum coadiutum non teneri inservire in locum coadiutoris infirmi, sed quia coadiutor est infirmus extra Civitatem supplicat declarari:

An etiam in hoc casu resolutio p.ta locum habeat.

R. *Negative.*

32. Dubium.

Renunciatus idoneior in concursu ad parochialem, post signatam supplicationem a SS.mo, litteris tamen nondum expeditis, incidit in amentiam, cuius notitia non obstante, Dataria, bullas in forma gratiosa expedivit, cum commissione Ordinario. Sed cum nulla appareat spes resipiscendi, quaeritur:

An et quomodo apostolicae litterae sint expediendae, vel quomodo providendum.

R. *Deputetur oeconomus pro tempore, arbitrio Archiepiscopi, assignata congrua oeconomo, quo tempore elapso, E.mus Archiepiscopus certioret de statu infirmi.*

X. Die 12 Iunii 1677.

TAURINEN. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

TORNACEN. — Professionis. — R. *Quatenus emiserit professionem post diem 4 Februarii 1677 in qua fuit acceptata, non debere emittere aliam professionem, sin minus admittatur non obstantibus quibuscumque.*

TORNACEN. — Matrimonii. — R. *Matrimonium in sui initio fuisse nullum, quia tamen fuit bona fide contractum plene suffragari, tam quoad legitimitatem prolis, quam quoad successiones quascumque, tum respectu filiorum, quam uxoris.*

FANEN. — Emphyteusis. — R. *Dilata et singuli deducant sua iura Ordinario, qui transmittat ad Sacram Congregationem.*

NULLIUS. — Absolutionis et Dispensationis. — R. *Negative.*

NEAPOLITANA. — Haereditatis. — R. *Affirmative ad effectum vendendi.*

VELITERNEN. — Servitii. — R. *Audiantur Coadiutores et videatur bulla unionis.*

EUGUBINA. — Processionis. — R. *Ad 1, 3 et 4. Negative, sed esse hortandos; ad 2. Affirmative.*

33. Tornacen. — Matrimonii.

Remissus fuit a SS.mo hic supplex libellus: Catharina Betteneturt, et q. Carolus Grambrecq Comites Belgae obtinuerunt a Sede apostolica dispensationem super 3° affinitatis gradu ad effectum contrahendi, qua mediante, contraxerunt inter se matrimonium, iuxta formam Concilii Tridentini et in eo vixerunt spatio 34 annorum. Mortuo modo d. Carolo, consanguinei eius praetendunt annullare dictum matrimonium sub praetextu, quod essent affines in duplici 3° affinitatis gradu, et solum dispensati super simplici 3°, dum tamen ipsi bona fide contraxerunt, et ita in matrimonio toto tempore permanserunt, nec quidquam de huiusmodi impedimento sciverunt; supplicat propterea Oratrix declarari validum dictum matrimonium.

Declaratio autem celeriter petitur, quia iudex brevissimum terminum ad eam a S. Sede reportandam praefinisse dicitur. Quare supplicatur decerni:

An hodie matrimonium p.tum censendum sit validum.

R. *Matrimonium in sui initio fuisse nullum, quia tamen fuit bona fide contractum, plene suffragari, tam quoad legitimitatem prolis, quam quoad successiones quascumque, tum respectu filiorum, quam uxoris.*

34. Nullius. — Absolutionis et Dispensationis.

Pro parte subdiaconi Galli, suppresso nomine, oblatus fuit Sanctissimo, et a Sanctitate sua ad hanc S. Congregationem remissus supplex libellus tenoris sequentis:

Orator alias tunc in 19 suae aetatis anno constitutus, parentibus orbatus, cuiusdam ordinis ex austerissimis Ecclesiae habitum suscepit, et expleto novitiatus anno, per quem pluries per vim suorum fratrum primogenitorum, qui eius administrabant bona, habitum suscepisse, et professionem emittere protestatus est, dictam professionem emisit, deinde ad Sacrum subdiaconatus ordinem promotus extitit, sed anno a professione huiusmodi emissa nondum expleto habitum dereliquit, et veniendum Romam iter ingressus est; sed eius superiores, absque legitima causa, et levi animo habitum huiusmodi reliquisse censentes, vias suas scientes, illum retineri, et in carcerem per quatuor annos et amplius adeo stricte detineri iusserunt, ut facultatem suis consulendi negociis non habuerit. Elapso tempore huiusmodi, modum invenit breve commissionis pro declaratione nullitatis professionis a Summo tunc existente pontifice obtinendi, quo a votis solemniter emissis dispensabatur et hoc anno 1663, sed eius fratres de hoc moniti, iterum in carcerem per septem annos detineri obtinuerunt. Non valens executioni demandare breve huiusmodi, tandem dictus orator

adstrictus fuit omnia sua bona suis fratribus cedere, mediante modica pensione annua 400 librarum turonen., et breve huiusmodi ab eo obtentum eis remittere. Dictus Orator sic omnibus suis praetensionibus orbatus, patriam dereliquit, et provinciam suam mutavit, in qua per diutinam experientiam se in celibatu vivere non posse cognovit. Ideo, patria mutata, matrimonium cum quadam muliere illarum partium bonis fortunae omnino destituta contraxit, ex qua plures suscepit liberos. Nunc a quibusdam inimicis quietem suae familiae perturbari timens, cupit propterea a praemissis absolvi et in eodem matrimonio sic per eum a pluribus annis contracto remanere posse dispensari. Ideo supplicat humiliter pro absolutione, et dispensatione huiusmodi; factum est omnino occultum, attento quod Orator in aliena provincia habitat.

Quaeritur itaque:

An precibus huiusmodi sit annuendum.

R. *Negative.*

35. Neapolitana. — Haereditatis.

In controversia Neapoli agitata remissa fuit ad S. Sedem infrascripta inspectio; proinde monita utraque parte ad informandum per libellum a SS.mo remissum quaeritur:

An Domus professa Societatis Iesu sit capax haereditatis.

R. *Affirmative ad effectum vendendi.*

36. Eugubina. — Processionis.

Saepe alias haec S. Congregatio censuit clericos nullum beneficium, vel officium ecclesiasticum in dioecesi obtinentes non posse cogi ad publicas processiones accedere.

Nihilominus experimento compertum est in pluribus locis et praesertim in Civitate Eugubina per declarationem huiusmodi non parum detrahi divino cultui, et processionum solemnitati ac decori. Imo non hac scandalum populo inferri, dum ipsarum processionum tempore Clerici vel presbyteri hac illac Eugubii in numero centum viginti et ultra vagi et errantes conspiciuntur.

Delata propterea ad SS.mum D. N. huiusmodi inconvenientis notitia, visa res est considerari digna; ideoque, ut si quae ratio pro divino cultu ineunda sit, possit executioni demandari pro instante SS.mi Corporis Christi solemni processione, Sanctitas Sua negotium in proxime habenda Congregatione discutiendum remisit.

Sane, legitima concurrente consuetudine eadem S. Cong. censuit cogi posse. At in praesenti num adsit consuetudo, nunc minime constat, ac stante temporis angustia, de illa nequit explorari; proinde praescindendo a consuetudine quaerendum videtur:

1. An clerici nullum officium vel beneficium ecclesiasticum obtinentes, ad publicas processiones cogi possint.

2. An cogi possint obtinentes beneficia, quamvis non sint residentialia, aut servitoria.

3. An cogi possint simplices presbyteri.

4. An saltem cogi possint ad processiones solemniores.

R. *Ad 1, 3, et 4. Negative, sed esse hortandos; ad 2. Affirmative.*

XI. Die 3 Iulii 1677.

Sypontina. — Parochialitatis. — R. *Ad 1. Curam esse penes Capitulum. Ad 2. Curam exercendam esse per Capitulum iuxta solitum donec aliter provideatur per Sacram Congregationem. Ad 3. Archiepiscopum cogere posse et si non inveniat idoneum Capitulum provideatur de idoneo approbando ab Ordinario. Ad 4. et 5. provisum.*

Dubium. — Irregularitatis. — R. *Negative.*

Calaritana. — Matrimonii. — R. *Audiatur mulier et Archiepiscopo pro informatione audita muliere.*

Nucerina Paganorum. — Decimarum. — R. *Proponatur omnino in prima.*

Cracovien. — Unionis. — R. *Non liquet.*

Ecclesien. — Electionis Vicarii Capitularis. — R. *Ad 1. Affirmative in casu proposito. Ad 2, et 3, non esse respondendum.*

Mantuana. — Iurium Parochialium. — R. *Negative ad omnia, et ad 5. totum deberi parocho, nisi habeat ius sepulturae.*

Cavallicen. — Distributionum. — R. *Quatenus accesserit licentia Episcopi, affirmative.*

Mirapicen. — Constitutionum. — R. *Negative in omnibus.*

37. Dubium. — Irregularitatis.

Puer nondum 7m aetatis annum attingens domi clausus cum sorore quatuor annorum, dum incaute tractabat parvum sclopum eo inopinate exonerato, soror interfecta est; quaeritur:

An sit irregularis.

R. *Negative.*

38. Ecclesien. — Electionis Vicarii Capitularis.

Pro Cathedrali in qua unicus tantum doctor existit, cum in unitate electio verificari non videatur, pro regula in futurum supplicatur decerni:

1. An existente in Capitulo unico tantum doctore, aliis tamen idoneis non deficientibus, doctor necessario sit eligendus in vicarium Capitularem.

2. An sit eligendus, quamvis unicus is doctor iuxta Canonicorum conscientiam non sit bene morigeratus, et idoneus, omissis aliis imbutis bonis moribus, et idoneis.

3. An a sententia iudicis pronunciantis initam electionem factam a Capitulo canonici doctoris in sacra theologia idonei et bene morigerati, relicto unico doctore in iure canonico non idoneo, et male morigerato, detur appellatio suspensiva.

R. *Ad 1. Affirmative in casu proposito. Ad 2, et 3, non esse respondendum.*

39. Cavallicen. — Distributionum.

Cum die 27 Martii proximi praeteriti propositum fuisset dubium infrascriptum, responsum fuit, exprimantur casus particulares; sequens igitur exprimitur:

Praepositus Cathedralis pro praebenda habet prioratum parochialis ecclesiae Robionis, uti taliter praebendatus usque ab anno 1674 prius Avenione, deinde Roma litem habuit cum communitate dicti loci circa quamdam transactionem a praedecessore initam super decimis. Et quamvis Cavallio non distet Avenione ultra 12 milliaria, attamen primo anno abfuit per 5 menses cum dimidio. 2° quatuor, et nihilominus integre distributiones percepit, et iam hoc anno a quinque mensibus abfuit. Et quandoque absentia incidit tempore quo a tribunalibus vacatur. Quare pro isto casu, et similibus qui poterunt occurrere, Capitulum supplicat declarari:

An praeposito, seu Canonicis absentibus causa litium huiusmodi suarum praebendarum interesse concernentes, debeantur distributiones quotidianae.

Et quatenus resolutio differatur, quoniam tempus distributionum imminet, instatur mandari ut distributiones deponantur.

R. *Quatenus accesserit licentia Episcopi, affirmative.*

40. Mirapicen. — Constitutionum.

Remissa fuit a SS.mo D. N. ad hanc Sacram Congregationem epistola tenoris sequentis: mittimus Sanctitati vestrae ordinationes nonnullas ad commune dioecesis nostrae bonum, praesertim vero ad cleri reformationem factas, ut post Sanctitatis vestrae iudicium, et approbationem, maiorem benedictionem regimini nostro Deus impertiatur.

1. Qui tonsuram petunt, induuntur publice in templo veste clericali, sub qua deinde per sex menses in seminario nostro instituti tonsura tandem donantur, si tamen decimum quintum aut decimum sextum annum attigerint. Eam enim aetatem requirimus, ut multi abusus vitentur.

2. Qui ordines sacros postulant, maneant praescripto octodecim menses in seminario.

3. Quando quis parochus factus est, si nullo quidem in seminario ante fuerit, teneatur commorari quatuor menses in nostro, ut ibi proprium vocationis suae spiritum hauriat. Alii autem beneficiarii, qui non habent curam animarum, duos tantum menses.

4. Quia multi ex Clero procliviores erant ad libidinem et ad popinas, nobis reservavimus utrumque casum, eaque severitas pro Dei misericordia multum profuit ad emendationem morum, scilicet post duos et viginti annos in Episcopatu exactos, haec extremis malis adhibenda remedia iudicavimus. Iudicii vestri erit iudicium nostrum si in aliquo aberrat dirigere. Nos interim non desinemus Deum ardentibus votis, precari, ut sospitem diu, et incolumem servet Sanctitatem vestram, a qua et nobis et toti dioecesi nostrae benedictionem venerabundi petimus, iterantes illi obsequii iuramentum solemni ordinationis nostrae die prolatum, quo volumus vivere et mori Romae et Apostolicae sedi.

Dignentur itaque EE. PP. perpendere:

An et quae ex praemissis ordinationibus sint approbandae.

R. *Negative in omnibus.*

ANALECTA VARIA

De coniugio clandestine inito in loco exempto a peregrinis qui domicilium in loco Tridentino asservant.

DISQUISITIO ALTERA POLEMICE INSTITUTA

(Vide pag. 87 sq.).

§ XV.

Quatuor anteactae disputationis conclusiones. — Duo corollaria — Qualis praesumptio admittenda. — Solvuntur obiectiones.

Ut ad brevem epilogum reducam eas conclusiones quas, medias inter tot difficultatum syrtes, ad portum usque incolumes perducere, Deo iuvante, conatus sum, quatuor uti probata, ni totus fallor, retineri possunt:

PRIMUM est nihil obstare in capite *Tametsi*, imo omnia in eo suffragari, ut inhabilitatio quae in eo personae edicitur, naturam sequatur legis restricte promulgatae eamque ideo extra Tridentinum sui domicilii territorium peregrinantem non liget in loco non Tridentino.

ALTERUM est Urbanum qui notis suis responsis oppositum huius consectarii decrevit, legem capitis *Tametsi*, iure novo condito, *exceptione* firmasse ideoque extendisse, nedum mere declarasse.

TERTIUM est Urbanum edixisse in statu huius peregrini sic nubentis fraudem latere obiectivam contra legem, in eo praecise quod *sic* e suo loco ipse *exiverit ut* in loco meri transitus non Tridentino nuberet, unde ex illa sola fraude validitatem nuptiarum eius infici.

QUARTUM est Urbanum declarasse vi iuris communis ac vi restrictae promulgationis capitis *Tametsi*, posse hanc admissam sanari fraudem, domicilio vel-quasi domicilio, in loco illo immuni, ante nuptias acquisito.

***

Ex his porro duo corollaria sequuntur: PRIMUM: comparato mero facto retenti domicilii in loco Tridentino, vel non acquisiti domicilii in loco non Tridentino, cum obiecto fraudis ab Urbano determinato ut matrimonium sit invalidum, evidenter constat hoc illi non adaequate acquiparari, sed obiectum fraudis ab Urbano determinatum continere praeter illud domicilii vel retenti vel non acquisiti factum, aliud factum, in quod fraus cadere debet, ipsam nempe *translationem* ab uno loco in alterum *ut* matrimonium contrahatur. Evidenter etiam constat dari posse merum illud domicilii vel retenti vel non acquisiti factum quin aliud factum, translatio haec tamquam medium intenta fuerit, etiamsi postea adhibita fuerit praesentia ex translatione resultans, ad finem coniugii contrahendi.

ALTERUM COROLLARIUM. Probata fraude obiectiva in ea praesentia atque in eo *transitu* admissa, per probationem domicilii in solo loco Tridentino retenti neque in loco non Tridentino acquisiti, nondum exclusive probata habetur fraus in *translatione* etiam admissa quam Urbanus requisivit. Ad actorem igitur pertinebit eam insuper probare ut matrimonium convincatur fuisse invalidum. In ea autem probatione, quandoquidem

de intentione interna agitur quae ex factis externis iuxta communiter contingentia, per praesumptionem et non aliter demonstrata possibilis est, actor ostendere debebit facta praecedentia, concomitantia et sequentia translationem illam ita contigisse ut iam tunc *exclusive praesumere* facerent intentionem internam matrimonii ineundi in illo alio loco, etiam adfuisse. Ex qua probatione si bene constituta fuerit, concludere licet non tantum *praesumi* illam intentionem adfuisse, sed *vere adfuisse.* Nam sumus in humanis, contingentibus, internis et liberis, quae *adesse* semper et simpliciter dici solent, quantumvis reipsa non possint nisi *praesumi.* Solus enim Deus intuetur cor. Equidem aliquando huiusmodi interna libera dicuntur solum *praesumi,* sed ideo tantum quia et quando praesumptiones pro una contradictionis parte non ita praesumptiones pro altera perimere valuerunt ut hae solidam adhuc probabilitatem non sibi retinerent, etsi minorem probabilitate illarum: tunc enim illa pars probabilior, quamvis, ut aiunt moralistae, non *unice* probabilior, *praesumitur* tantum in praxi, esse vera, non vero dicitur *esse* pro praxi vera. Si e contra fuerit illa pars *unice* probabilis quia scilicet eius praesumptiones probabilitatem solidam in nulla partis oppositae praesumptione subsistere sivit, illa pars habetur, uti aiunt, *moraliter certa,* ac simpliciter asseritur *esse,* quia in humanis huiusmodi, frustra requireretur maior rei demonstratio. Ita v. g. singuli fideles dicuntur *esse* baptizati; sacerdotes singuli *esse* ordinati, quantumvis de intentione *interna* ministri faciendi quod facit Ecclesia, quae ad validum requiritur sacramentum, nonnisi probationes *praesumptivae* haberi queant. E contra S. Officium decrevit baptisma positive *dubium praesumendum* esse validum ad matrimonium deinde ineundum.

Porro, sicut in casu illo baptismi et ordinationis, non obstante illa probatione vi cuius sacramentum habitum est uti certum nedum praesumptum solummodo, admittitur probatio contraria a ministro facta, ipsum reapse intentione debita caruisse ac contrariam habuisse: ita in praesenti, si nupturiens evidenter demonstrare potuerit se in translatione sua locali exclusive contrariam fovisse intentionem nec de matrimonio ante cogitasse aut tractasse quam in loco exempto praesens esset, non apparet revera cur prohibeatur audiri, sique adversas praesumptiones fortioribus eliserit, causa decidere debeat. Si vero reus iste intentionem suam modo nunc explicato probare non potuerit, oppositae praesumptiones ita praevalebunt ut matrimonium sic contractum cum tota fraude ab Urbano requisita contractum et consequenter invalidum vere *fuisse,* nedum *praesumendum* solummodo legitime iudicetur.

Si itaque ex *ipsa rei natura,* fraus illa melius demonstrari non possit quam huiusmodi *praesumptivis* argumentis, necesse non erat ut sive Urbanus in suo responso sive Instructiones S. C. Inquisitionis in suis declarationibus " de *praesumptione* verbum haberent " (1); poterant optime imo debebant dum humano usu loquendi utebantur, matrimonia dicere *esse,* non dicere *praesumi* invalida, verificata in eis fraude tota quam Urbanus requisivit.

*
* *

Apposite nunc dixi: *verificata in matrimoniis* de quibus instituitur iudicium, *fraude tota, quam Urbanus requisivit,* quia ex hucusque disputatis, satis, ni fallor, directis atque intrinsecis argumentis constare mihi videtur, *totam* illam fraudem obiectivam ab Urbano ad coniugii invaliditatem requisitam neque in solo non acquisiti domicilii facto consistere posse, neque consequenter, solo hoc probato, et ipsam totam esse in iudicio comprobatam. Idipsum tamen, in praecedenti meo opusculo, nimia forte indulgentia (si ita dicere fas est) seductus, adversariis transmiseram, contentusque fueram asserere ac demonstrare, *admittendam esse probationis contrariae exceptionem,* quod et nunc ex hucusque demonstratis ostensum est necessario sequi. Sed in illo opusculo dixeram ideo hanc probationis contrariae exceptionem esse admittendam, quia in solo facto coniugii clandestine initi ab illis incolis loci Tridentini, in loco non Tridentino, fundabatur, vi primi Urbaniani responsi, *praesumptio iuris et de iure fraudis illius obiectivae* contra legem Tridentinam atque Urbanianam, adeo ut, aiebam, fuerit satis probare illud factum ut fraus praesumi deberet, nisi evidentissime a reo demonstraretur abfuisse (2).

Haec autem explicatio primi Urbaniani responsi, qua intelligeretur in eo constituta praesumptio iuris et de iure, nonnullis haud arrisit atque a Wernz satis acriter carpitur imo apud ipsum forte in causa fuit cur cetera etiam a me in illo opusculo disputata, uno puncto de fraude *obiectiva* excepto, omni disiicere conatu tentaret; an prospero exitu, alii ex praesenti dissertatione decernent. Equidem hanc meam assertionem ulterius et validius propugnare forte possem aliorum etiam, quibus scio ipsam non displicuisse, auctoritate fulcitus. Atvero ex noviter disputatis in praesenti, alia via conciliandi dissidium mihi aperitur quam libentius nunc prosequar.

Nimirum non alia indigeo praesumptione quam illa quae ex *ipsa rei natura* uti paulo ante dixi, admittitur ab omnibus, nec potest non admitti, ad validam sacramentorum collationem in foro, in theologia atque in rei veritate comproban-

(1) WERNZ, vol. IV, p. 261, fere in ima pagina: « Et profecto in allegata Instructione S. C. Inquis. (de qua ego paulo infra sermonem inducam) de *praesumptione* ne verbum quidem habetur sed matrimonia simpliciter dicuntur *esse* non *praesumi* invalida, si *conditio domicilii* non verificetur ».

(2) Cf. cit. opusc. p. ultima et 29, 30, vel in *Analectis,* vol. VIII, p. 382, 383.

dum. Utrum ipsa sit etiam *iuris et de iure*, nunc non inquiro, nec mea refert in praesenti. Illam deinde qua dico me indigere, aliter *ex iure probare* non cogor quandoquidem non ut *vir privatus* eam mihi *finxi*, sed *ex natura rei probandae* non mihi solum sed omni iuri, omnique iuristae aut theologo, velit nolit, imponitur adhibenda.

Neque amplius, adversariis indulgens, eam fraudis praesumptionem in casu haberi concedo in sola probatione coniugii clandestine initi, domicilio Tridentino retento, vel altero non Tridentino non acquisito: quia antea probavi fraudem obiectivam quae in hoc solo facto continetur, non esse *totam* illam quam Urbanus in suo primo responso ad invaliditatem requisivit. Sed dico nunc probandum esse fraudem obiectivam insuper infecisse ipsam a loco Tridentino ad coniugii locum *transmigrationem*: id autem contendo, natura rei inspecta, non posse aliter demonstrari quam probationibus illis praesumptivis a me explicatis.

* * *

Mihi opponitur Card. D'Annibale scripsisse se " ut primum " *praesumptioni* ad rem nostram explicandam recurrere *non audere* (1). Optime quidem sed alia erat illa a Card. D'Annibale excogitata praesumptio iuris et de iure in casu, ab illa quam proposueram ego: utraque quippe de obiecto penitus diverso, sicuti legi potest in meo praecedenti opusculo, p. 28, 29 (2). Quae autem ibi animadvertuntur, ostendunt veram rationem propter quam illa a Card. D'Annibale excogitata praesumptio in iure admitti nequeat; nondum vero demonstratum est in primo Urbani responso *aliquam* praesumptionem iuris et de iure non fuisse constitutam quemadmodum, v. g. in cap. ult. § *Si quis vero* de cland. desp., et in Trid. sess. 24, c. 5, de reform. matrim., agnoscunt constitutam praesumptionem *iuris et de iure* coniuges impedimentum *non ignorasse*, in eo quod neglectis denuntiationibus contraxerint matrimonium in gradu prohibito. Sed hoc omittere possum, cum ex una parte, Card. D'Annibale eo in loco (3), alteram sententiam, de fraude *subiectiva* in primo Urbani responso legenda, propugnaret, a qua recedendum esse, cum ipso Wernz potius censui; ex altera vero parte Card. D'Annibale praesumptivas illas fraudis obiectivae probationes quas nunc propugnavi, certo certius non recusaret.

* * *

Obiicitur etiam " disciplinam vigentem parum favere istis praesumptionibus iuris et de iure " (4). Hoc omittere possem eadem ratione ac praecedentem difficultatem. Obiter tamen advertere iuvat hanc disciplinae vigentis aversionem inde forte deduci quod Leo XIII illam praesumptionem coniugii initi aboleverit quae in commixtione sponsorum fundabatur in loco a lege Trid. exempto admissa. At, si S. Pontifex hanc abolevit quae gravissima incommoda hodie secum *per se* inducebat, alias quae in iure existunt, uti v. g. illam a me paulo supra memoratam, aut alteram cap. *Litteris*. 12 *De praesumpt.* neque abolevit, neque unquam, puto Pontifices abolebunt. Unde videtur in hac re non tam a praesumptionibus iuris et de iure *generatim* atque *in communi* abhorrere praesentem disciplinam sed a quibusdam *speciatim*. Unde non fluit consequentia in hac obiectione adversus conclusionem in praecedenti meo opusculo propositam.

Ad summum quaerere poterunt hodierni *codificatores* iuris, utrum conveniat nunc abolere hanc ab Urbano statutam (in hypothesi quod sit vera illa mea praecedens coniectura) praesumptionem iuris et de iure qua fraus obiectiva probaretur inesse in illo coniugio sic clandestine contracto; annon forte potius conveniat non amplius *fraudis obiectivae* titulum ad invaliditatem in casu illo requirere, sed *merum domicilii defectum*. Sed ipsi viderint.

* * *

Obiicitur tandem; " Loco *unius* et simplicis *facti* de domicilio, unde facile de *valore* vel *nullitate* constare potest, nova ista theoria, *quomodocumque denique explicetur*, solummodo aperit viam ad incerta matrimonia et prolixas intricatasque disceptationes *de fraude* non commissa. "

Respondeo: 1) non fuisse *novam* theoriam meam quae necessitatem induxerit viamque aperuerit ad incerta matrimonia et prolixas etc. disceptationes *de fraude* non commissa; sed, parcat mihi bonus Pater, fuisse Urbanum Pp. VIII qui per Breve in forma specifica, solemniter decrevit titulum nullitatis in huiusmodi coniugiis, *in fraude* esse requirendum, et quidem in *fraude* non solum in *transitus* praesentia, sed in translatione *et* in transitu. Atqui probato mero facto *de domicilio*, ad summum solam in *transitus* praesentia fraudem obiectivam adfuisse constat. Ergo theoria mea sub hoc saltem respectu nova haud est sed tam antiqua quam ipsum Urbani responsum iuxta iuris normas, non vero, iure reluctante, explicatum. Ergo potius *novitatis* argui posset sententia ab obiiciente propugnata, quippe quae sibi Urbanianum responsum, non vero Urbaniano responso semetipsam accommodare praetulit. Ergo prolixae disceptationes, incerta matrimonia, non mihi, sed ad summum Urbaniano statuto logice essent imputanda; et ne Urbano quidem eiusve statuto, quod sapientissimum fuisse omnes facile concedent, illa sunt imputanda incommoda, sed rei naturae: talis enim est natura fraudis ex sua nota generica (quae a fraude obiectiva non

(1) Wernz, vol. IV, p. 261 in fine.
(2) In *Analectis*, vol. VIII, p. 382.
(3) *Summula*. Edit. 2. III, 327 (43).
(4) Wernz, ibid.

abiicitur), ut sit difficillimae probationis quae aliter quam intricata praesumptionibus *humanis* supradictis disceptatione perfici non potest.

Optimum quidem intentum sibi praefixerunt recentiores illi canonistae qui mihi adversam excogitaverunt sententiam, ut lites *simplificarent*, sit venia voci barbarae.

Atvero non aeque constat eos ad optimum finem aeque aptum ac bonum elegisse medium: litis enim ordo haud simplificatur uti oportet, sed melius dicitur perverti, si ab eo probando impeditur, quod legislator voluit ut probaret; si mediis a natura rei atque ab omni iure requisitis ut hoc legislatoris volitum probetur, alia media substituuntur quibus obiectum hoc adaequatum non probatur. Atqui idipsum in sententia adversa contigit, uti tota praestructa mea demonstratio, ni coecutierim, fecit manifestum.

Transmittere equidem possem theoriam, in praecedenti meo opusculo, propositam sub eo respectu fuisse novam, quatenus opinabar primum Urbani decretum praesumptionem iuris et de iure statuisse ut ex solo facto sic initi coniugii in loco exempto absque requisito a lege domicilio, praesumeretur id cum fraude saltem obiectiva in transmigratione etiam peractum. At si in hanc *novitatem* deductus fueram, id non tam meo arbitrio, quam logicae deductioni ex adversariorum placitis debebatur: sane a praecipuis adversae sententiae patronis (1) asseri videbam subiectum quod Urbanus in primo suo responso (prout primo Archiepiscopi Colon. quaesito datur) decrevit nullitate laborare fraudis obiectivae causa, subiectum hoc esse matrimonium initum in loco exempto ab incolis loci Tridentini qui etiam *absque animo nubendi e suo exiverant domicilio*. Id itaque indulgentiori credulitate, a tantae auctoritatis viris assumpseram uti omnino retinendum, neque ulterius probandum: dicebatur enim id „ ex verbis ipsis et ex contextu patere „. Clausis idcirco oculis assensum fidei praestiti. Atvero tali quaestionis statu assumpto, statim mihi occurrit quaestio: quomodo ergo *in statu* et *facto* horum peregrinorum adaequate spectata *fraus obiectiva* ab Urbano requisita adaequate verificatur? Ex una parte abiicere non poteram a fraudis obiectivae definitione eius notam genericam; ex altera parte videbam eamdem explicite exclusam ab ipsa facti specie per illos summos viros mihi mutuata: ideo, ut logica salva consisteret, nihil mihi supererat nisi ut ad praesumptionem iuris et de iure recurrerem qua sola praedicatum ab Urbano definitum adaequate in tali facti specie verificari poterat. Huic enim soli praesumptioni iuris et de iure, ius adeo favet, ut *vi eius solius* pro vero habendum esse decernat id quod facta *non* demonstrant vere contigisse, sicuti facti species in casu praesenti ab illis doctis mihi descripta non demonstrabat fraudem obiectivam *etiam in transmigratione* iam admissam. — Possibilitatem deinde exceptionis reo concessi qua, si posset, contrarium evidentissime convinceret, quia neque ius eam respuit, ac praesumptionem *omnem* veritati locum cedere iubet.

Ecce igitur quomodo, logica duce, non tam mihi quam adversariorum assumpto *novitas* illa accepta debeatur. Hodie tamen ipsum illud assumptum diligentiori trutinae subieci unde viam forte meliorem obtinendae solutionis mihi apertam aggressus sum.

* * *

Respondeo: 2) veritati non esse consonum quod via per meam sententiam tam hesternam quam hodiernam, aperiatur prolixioribus atque intricatioribus disceptationibus in processu canonico instituendo, quam prolixae atque intricatae sint disceptationes in praesenti statu rerum iam admissae. In omnibus enim istis causis, prout in curiis dioecesanis instituuntur iuxta iuris et constitutionum S. Sedis normas, atque ad S. Congregationem Concilii in secunda instantia cum integris actis deferuntur, iam ad solum factum non acquisiti domicilii in loco exempto vel retenti in loco Tridentino iuridice, probandum, tot quaestionibus, actor, reus, testesque innumeri, qualificati et alii discutiuntur, tot documenta, epistolae et alia iudicialiter compulsantur, relate ad *primum etiam matrimonii ineundi tractatum*, ad tempus transmigrationis, ad loca habitata plus minusve permanenter, etc., ut iisdem probationibus quibus illud de domicilio factum demonstratum est, *iisdem et aliud factum* quod in sententia mea demonstrandum esse volo, *non minus ineluctabiliter et non minus iuridice verificatum evadat.*

Hoc mecum (1) contestari valent omnes iudices delegati, omnes vinculi defensores constituti in omnibus orbis terrarum Curiis in quibus huiusmodi causae frequentius occurrunt agendae.

Quod autem dixi de *processu* in S. Congregatione Concilii usu recepto, in altera Supremae Inquisitionis, eadem fere ratione comprobari debet, cum prima causae institutio in Curiis dioecesanis habeatur cuius acta supremo Romano Tribunali deinde remittuntur. Neque inquisitio minus rigorosa certo certius est in hoc Tribunali quam

(1) Cf. v. g. Gasparri, *de Matrim.*, II, n. 985. ab initio. In editione altera anni 1892.

(1) Illi qui in ipsis causis aut instruendis, aut ex alterutra parte defendendis, aut tandem iudicandis non versantur, adeo secura sententia non valent discernere; ex solis actis in annuo *Thesauri* volumine vulgatis, motivum quo iudicialis sententia determinata est, saltem in curia Congregationis Concilii. Nam volumine illo eduntur tantum cum folio relationis ex officio a secretario *antea* concinnato, vota consultorum, si fuerint requisita, atque defensoris vinculi animadversiones, quae decimo die ante Congregationem plenariam iudicibus perpendenda et partibus distribuuntur. Porro in hoc decem dierum intervallo advocati adversi sibi mutuo respondere solent novis foliis ac summariis additionalibus ad iudices diribitis, ex quibus causae decisio huiusque motiva non raro dependent. Iamvero haec omnia suppletoria iudicii elementa a quadriennio edita praesto mihi fuerunt.

in altero Congregationis Concilii. Nec ratio huius meae responsionis exinde attenuatur quod Congregationes illae " unice inquirunt num saltem *una pars* in territorio immuni acquisiverit *aliquod domicilium* " (1). Nam, utique si hoc statim fuerit comprobatum, nihil obstabit quominus matrimonium *validum* declaretur, et quidem summarissima illa iudicii forma atque unica sententia, de qua sermo est in decretis S. Officii 5 Iunii 1889, et 27 Martii 1901 (2). At in praesenti difficultate spectantur causae quae sententia *invaliditatis* finiuntur. Porro quoad has, primo quidem casus noster non includitur in concessione facta Ordinariis per illa duo decreta, formam adhibendi summariam absque defensoris vinculi appellatione. Secundo, in hypothesi idcirco domicilii huius in loco immuni, non *evidenter* probati, procedendum erit *ordinaria inquisitione*. Iamvero in ea verificatur praecise id quod dixi in solutione difficultatis obiectae, scilicet eadem causae instructione qua inquiritur de hoc domicilio, eadem obtinetur notitia atque iuridica probatio facti illius quod in mea sententia insuper probatum requiro ut fraus tota ab Urbano requisita demonstrata dici possit.

Porro cum ita res se habeat, ipsum obiectae difficultatis suppositum evanescit.

***

Similiter respondetur alteri immediate subiectae difficultati: " Quo domicilio *non* probato, sine ambagibus nullitas matrimonii pronuntiatur neque *ulla fit ulterior inquisitio*, de *alia* fraudis purgatione. " (3). — Primo quidem negari iterum debet alterum suppositum, in mea sententia scilicet requiri *aliam* fraudis *purgationem*: si fraus intercesserit ab Urbano determinata, nulla alia purgatio possibilis nisi ut, antequam matrimonium clandestine ineatur, domicilium vel quasi-domicilium in loco immuni acquiratur. Atvero quaestio est non de *purgatione* fraudis quae exstiterit, sed de *ipsa fraude*, utrum exstiterit et quidem tota quantam Urbanus requisivit ad matrimonii invaliditatem. Statu vero quaestionis ita restituto, concedo factum, quod nempe, domicilio *non* probato sine ambagibus nullitas matrimonii pronuntiatur *sine ulla ulteriori inquisitione*: sed cur hoc? praecise quia in inquisitione *iam peracta* simul ac de facto non domicilii, constitit *reapse* de *facto transmigrationis cum intentione matrimonii ineundi* in loco illo *transitus*; id autem sufficit ad *totam* fraudem obiectivam quam Urbanus requisivit, verificandam. Esto quod consultores vel advocati qui adversarii mei sententiam forte sequantur, probationis argumenta eo urgeant ut factum domicilii non acquisiti solum in tuto ponere intendere videantur. Sed consultores et advocati haud sunt iudices: iudices sunt qui et quatenus *sententiam pro tribunali ferunt*; *motiva* autem sententiae huius iudicialis desumenda sunt ex iis quae in *probationibus* per testes, documenta, etc., *obiective continentur*, nedum per ea solummodo quae consultores aut advocati in iis urgere intenderunt.

Si ergo instructae per inquisitionem iudicialem probationes *reapse etiam factum hoc in mea sententia requisitum demonstrant*, simul ac factum ab adversario in sua solummodo requisitum, *argui nequit* Tribunal in sua iudiciali sententia potius adversarii mei opinioni quam meae favere. Ad summum adversarius sibi fautores habebit illos consultores illosve advocatos. Sed isti non sunt S. Congregatio nec S. Officii nec multo minus Concilii. Idem fere dicendum de summario causae quod a Secretario S. C. C. conficitur ex actis atque ex defensoris vinculi, consultorum advocatorumve orationibus. Si quandoque Secretarius ipse de suo penu, sive *ex officio*, ut aiunt, aliquas adiungit animadversiones (quod tamen in causis matrimonialibus quoad *motiva* vix unquam accidit, cum in actis, in votis, in orationibus simul sumptis omnia haec contineantur; et, si quandoque quoad processus ordinem accidit, nihil *motivis* additur) eae vel eiusdem sunt ut privati doctoris, vel *rationem* referunt *decidendi* in praxi a Congregatione adoptata: qua de re infra dicam nonnulla.

Ex parte quam vinculi defensor agit, nihil deducere pro sua conclusione valebit adversarius, ex pari ratione: in hypothesi enim quae nunc perpenditur, huius defensoris interest ex officii natura, ut in actis et probatis in causa, illius facti de quo ego in mea sententia, mentionem et probationem delitescere sinat donec advocatus actoris matrimonium impugnantis, eam in propatulo non posuerit.

Manifestum igitur est obiectam difficultatem et supposito falso et inani consequentia laborare.

(*Prosequendum*)

G. Arendt, S. I.

(1) Wernz, vol. IV, pag. 262 in nota.
(2) Cf. *Analect. Eccles.*, vol IX, pag. 286.
(3) Wernz, ibid.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1903-904 (1).

XII.

De sanatione matrimonii in radice.

Die 11 Iulii 1904, hora 18 1/4 (6 1/4 pom.).

Titius Bertam puellam aeque nobilem ac divitem in uxorem duxit, servato ritu tum religioso tum civili. Decursu temporis Berta, eo quod a Titio asperioris indolis viro, et alienis amoribus dedito, male tractaretur, a gubernio sen-

(1) *N. B.* Hosce nostros casus Consc. sub tutela legum positos, nemo fraudulenter iterum edat, secus iudicialem poenam luet.

tentiam divortii obtinuit: et paulo post, coram civili magistratu, novas nuptias iniit cum Caio.

Accepto deinde certo nuntio de Titii morte, Berta in se reversa et cupiens suae conscientiae prospicere, enixe Caium precata est, ut coram parocho saltem per procuratorem vellet matrimonium convalidare. At Caius utpote vir incredulus, licet saepius rogatus, id pertinaciter recusavit. Nesciens misera Berta, quo tandem se verteret, accessit ad parochum. Hic eam solatur declarans, remedium praesto esse per matrimonii sanationem in radice.

Verum parochus, antequam libellum supplicem S. Sedi exhibendum curet, secum ipso recogitans, de sua responsione dubitare incipit. Hinc ab eximio theologo quaerit:

1° *In quo consistat sanatio matrimonii, ut dici solet in radice, et in quo a simplici dispensatione differat?*

2° *Quinam sint huius sanationis effectus proprii?*

3° *An matrimonium Bertae cum Caio in radice sanari, et omnes effectus huius sanationis proprios habere possit?*

Ut a definitione exordiamur, sanatio matrimonii in radice est dispensatio a lege irritante, vi cuius Summus Pontifex, de plenitudine potestatis, consensum in matrimonium *vere*, sed *nulliter* praestitum, ita purgat a nullitatis labe, ut vel matrimonium per ipsum contractum reddat *ex nunc* validum, vel prolem inde susceptam *ex tunc* legitimam declaret, vel utrumque simul operetur.

Dicitur: *dispensatio a lege irritante* et in hoc sanatio convenit cum simplici matrimonii revalidatione, quae tota in eo est ut per dispensationem auferatur dirimens impedimentum, quod matrimonii validitati obstaret. Dicitur: *Summus Pontifex*; quia ipse solus potest matrimonia sanare. Dicitur: *de plenitudine potestatis*; quia sanatio est actus potestatis supremae. Dicitur: *consensum in matrimonium vere sed nulliter praestitum*; quia sanatio in radice possibilis non est nisi *verus* adfuerit partium consensus in matrimonium, licet *nullus* evaserit ob dirimens impedimentum. Dicitur: *purgat a nullitatis labe*; quia sanatio, per quamdam fictionem iuris sese refert ad tempus, quod immediate praecessit invalidam matrimonii celebrationem et hoc efficit, ut consensus, qui fuit nulliter praestitus, habeatur tamquam si validus positus fuisset. Dicitur: *vel matrimonium . . . vel prolem . . . vel utrumque*, ut innuatur effectus sanationis esse quidem revalidationem matrimonii et prolis legitimationem, non ita tamen, ut haec duo semper obtineantur: cum possit sanatio unum tantum vel alterum, iuxta casuum diversitatem, respicere. Additur vero: *ex nunc* vel *ex tunc* ad significandum matrimonii revalidationem obtineri *ex nunc* scilicet a die fulminatae sanationis, legitimationem vero prolis obtineri *ex tunc*, videlicet a die contracti matrimonii. Quo posito,

*Ad I^um^*. Ex dictis pronum est deducere in quo proprie consistat matrimonii sanatio in radice et in quo a simplici dispensatione discriminetur. Sanatio enim, teste Benedicto XIV, hoc producit *ut effectus de medio tollantur, qui ob matrimonii nullitatem ante indultam dispensationem atque etiam in ipso matrimonii contrahendi actu producti fuerunt*; unde tempus futurum simul et praeteritum respicit, in quantum dispensatio retrotracta per fictionem iuris ad matrimonii initium, primum consensum nulliter positum sanat et in vim sanati huiusmodi consensus et absque eiusdem renovatione, prolem ab eo transacto tempore legitimat, et matrimonium quoad futurum convalidat. E contra simplex dispensatio, seu convalidatio matrimonii tempus futurum unice respicit, et priori consensu pro nullo habito, matrimonium firmat, per concessam dispensationem, a die renovati consensus. Unde

*Ad II^um^*. Facile est designare quinam sint effectus proprii sanationis in radice. Sanatio enim duo producit, nempe revalidationem matrimonii a die fulminatae sanationis, et legitimationem prolis a die celebrati matrimonii. Sed fieri aliquando potest ut haec duo simul concedi non possint. Si enim ex. gr. unus vel alter ex coniugibus mortem obierit, poterit quidem concedi legitimatio prolis, sed impossibilis erit matrimonii revalidatio: e contra viventibus coniugibus poterit revalidari matrimonium, sed nullimode legitimari proles, si fuerit in adulterio procreata.

Hinc nonnulli Doctores sanationem dividunt in *perfectam* et *imperfectam*, iuxta quod vel duos simul effectus producit vel unum tantum. Et si ita lubet sanationem dividere, ratione effectuum, ita ut utraque sanatio, *perfecta* scilicet et *imperfecta*, verae sanationis naturam retineat, non me adversarium opponam. At si quis vellet a sanatione *imperfecta* verae sanationis naturam repellere, illamque relativam tantum et *impropriam* dicere, hoc ipse denegandum retineo. Ibi enim habetur *vera* et *proprie* dicta sanatio, ubi Summus Pontifex per fictionem iuris primum consensum nulliter positum ob dirimens impedimentum, ita purgat potestate sua a nullitatis labe, perinde ac si ab initio validus positus fuisset. Atqui hoc efficit Summus Pontifex etiam in sanatione *imperfecta*. Ergo etiam in sanatione *imperfecta* habetur *vera* et *proprie* dicta sanationis ratio.

Maior propositio inde patet quod vera et fundamentalis ratio sanationis non in eo consistit quod Summus Pontifex matrimonium convalidet, et prolem legitimam declaret: haec enim efficit Summus Pontifex etiam absque sanatione, et cum Rescripto simplicis revalidationis. Sed tota vis sanationis in eo est, ut sanetur prior consensus nulliter positus, ad effectum revalidationis matrimonii, et legitimationis prolis obtinendum. Haec ratio fundamentalis; efficere nempe, ut consensus nulliter positus, validus evadat.

Hinc minor etiam propositio per se comprobata manet. Quando enim Summus Pontifex, per sanationem, solam prolem legitimat, mortuis parentibus; vel solam matrimonii revalidationem concedit, ob prolem in adulterio procreatam; id praestat in vim sanati illius consensus, qui ab initio nulliter positus fuit. Ergo hic etiam licet dimidiatus effectus obtinetur per illum actum, in quo *vera* et *propria* sanationis ratio consistit; ideoque etiam in hoc casu non relativa et *impropria*, sed *vera* et *proprie* dicta sanatio habetur.

Adest et alia quaestio, scilicet quibus in casibus, possit sanatio concedi. Et primo certum est sanationem concedi posse a Summo Pontifice quoties matrimonium est nullum ob dirimens impedimentum *iuris Ecclesiastici*, super quo Ecclesia *potest* et *solet* dispensare. At si agatur de impedimento *iuris naturalis* vel *divini*, oro ut mihi permittatur cum distinctione respondere. Si enim sermo sit de impedimento *iuris naturalis* vel *divini* actu persistente, conveniunt omnes Doctores sanationem a Summo Pontifice concedi non posse; cum nemo valeat in lege superioris dispensare, nisi probetur hanc potestatem a Superiore eidem concessam fuisse. Cum autem fieri possit ut impedimentum cesset per se; hinc quaeritur an possit Summus Pontifex, cessato impedimento *iuris naturalis* vel *divini*, matrimonium sanare, quod fuerit cum tali impedimento contractum. Et ut propius ad rem nostram accedamus, quaerimus an possit Summus Pontifex, post mortem veri coniugis, matrimonium sanare, quod fuerit contractum cum impedimento ligaminis.

Quaestione sic in discussione proposita, Rmi Censores in contrariam abierunt sententiam. Alii quidem tenuerunt,

etiam in hoc casu, scilicet etiam in hypothesi quod impedimentum cessaverit per mortem veri coniugis, non posse Summum Pontificem matrimonium sanare; cum semper verum sit, matrimonium illud contractum fuisse cum impedimento *iuris divini*, super quo nulla Summus Pontifex pollet dispensandi facultate (1). Alii e contra ex R.mis Censoribus sustinendum censuerunt, sanationem, hoc in casu, concedi posse; ea ducti ratione quod consensus ab initio praestitus, fuit *verus* consensus, licet *inefficax* ob existens ligaminis impedimentum. Unde sublato impedimento, consensus suam efficaciam adquirit et sanabilis evadit.

Cui igitur assentiendum? Loquens ut minus sapiens, cum timore et tremore, puto neutri assentiendum esse; seu verius, puto, hoc in casu, sanationem quidem concedi posse, sed non ea de causa, quam in medium proferunt secundae sententiae Patrocinatores. Ut enim iam dixi in resolutione casus praecedentis, prior ille consensus, qui emissus fuit in actu invalidae celebrationis, etsi *verus*, prout est actus voluntatis; tamen in ratione causalitatis habendus est uti *nullus* et *non verus*, ideoque nullius roboris ad matrimonium conficiendum.

Neque putandum quod per simplicem cessationem impedimenti consensus ille evadat *verus* et *validus*. Siquidem ex data sanationis definitione clarissime patet duo generatim perficienda esse a Summo Pontifice, scilicet impedimentum per dispensationem removere, et consensum per quamdam iuris fictionem a nullitatis labe purgare; quorum si unum vel alterum desit, matrimonii sanatio nullimode habetur (2). Unde errare videntur Patrocinatores secundae sententiae quando asserunt quod, cessato impedimento, consensus efficaciam adquirit et sanabilis evadit; efficaciam enim adquirit consensus non in vim cessati vel dispensati impedimenti, sed praecipue in vim concessae sanationis; unde locutio illa: *consensus efficaciam adquirit et sanabilis evadit*, vertenda videtur in hanc aliam: *consensus efficaciam adquirit, quia sanatus*. Efficacia enim, ut clarius repetam, tribuitur consensui non quia impedimentum cessavit, sed quia per sanationem fuit a nullitatis labe purgatus.

Undenam igitur repetenda potestas Romani Pontificis sanandi, post mortem legitimi coniugis, matrimonium contractum cum impedimento ligaminis? Dicam breviter repetendam ex facto, quod cessato per mortem legitimi coniugis impedimento ligaminis, nil aliud perficiendum remanet nisi priorem consensum nulliter praestitum, a nullitatis labe purgare. Iam vero licet Romanus Pontifex dispensare non possit in impedimento iuris divini, eo perdurante; ideoque dispensare non possit in impedimento ligaminis, adhuc vivente legitimo coniuge; tamen nulla adduci potest naturalis vel divina lex, quae vetet Romano Pontifici consensum nulliter praestitum purgare a nullitatis labe, post cessatum impedimentum licet iuris vel naturalis vel divini.

Hinc cum per mortem legitimi coniugis, cesset per se impedimentum ligaminis; nulla apparet ratio, quae impossibilem declaret vel purgationem praestiti consensus in actu celebrati matrimonii, vel eiusdem sanationem ad matrimonium ipsum convalidandum.

Et quod revera nulla adsit prohibitiva ratio, inde apparet quod de facto Romanus Pontifex hac potestate usus est; et nos admittere cogimur illud iure fieri posse, quod semel per Romanum Pontificem factum fuisse comprobetur. Casum appello resolutum a S. Poenitentiaria sub die 25 Aprilis 1890. En supplex Libellus: « N. mulier catholica Dioec. Parisien. « exponit quod ipsa anno 1867 matrimonium rite contraxerat « cum X, sed ab illo atrociter verberata, obtenta divortii « sententia . . . . in Helvetia anno 1872, in eadem civitate « matrimonium mere civile inivit cum H viro catholico . . . « vivente adhuc priore coniuge. E vivis erepto X (priore « coniuge) oratrix praefata a H (secundo marito) obtinere « studuit ut coram Ecclesia consensum renovarent... sed « frustra... Hisce in adiunctis nihil Oratrici restat, nisi ad « Sanctitatem Vestram recurrere ad hoc, ut suae miserae « conditioni per SANATIONEM IN RADICE provideatur... ». Et S. Poenitentiaria reposuit: « S. Poenitentiaria de speciali et « expressa Aplica Auctoritate Ordinario Parisien. facultatem concedit... praefatum matrimonium, sic uti praefertur, « nulliter contractum, *dummodo consensus perseveret*, « Aplica Auctoritate IN RADICE SANANDI, prolemque sive su- « sceptam, non tamen in adulterio conceptam, sive susci- « piendam exinde legitimam decernendi etc. ».

Scio equidem praeclarissimos Auctores persuasum habere quod in casu nunc exposito non fuerit concessa vera ac proprie dicta sanatio in radice. At si nolumus ludere verbis, certum est 1° a muliere catholica petitam fuisse sui matrimonii *sanationem in radice*; 2° pariter certum est Archiepiscopo Parisiensi concessam fuisse facultatem huiusmodi matrimonium, Aplica Auctoritate *in radice sanandi*. Quo igitur iure, quo fundamento asseritur veram ac proprie dictam sanationem in radice concessam non fuisse?

Reponunt Adversarii veram ac proprie dictam sanationem in radice, in casu, concessam non fuisse, eo vel quia matrimonium convalidatum fuit *a momento*, in quo, *per mortem* legitimi coniugis cessavit impedimentum ligaminis, et solummodo ab eo momento proles legitimata fuit.

Ni fallor, in gravem errorem labuntur adversarii nostri, dum asserunt, quod in casu *convalidatio* matrimonii concessa fuit *a momento*, in quo per mortem legitimi coniugis, cessavit impedimentum ligaminis. Omnibus enim notum est convalidationem matrimonii non concedi nisi a die fulminatae sanationis. Est igitur absonum a conceptu sanationis, quod convalidatio matrimonii concedatur a tempore, quod ipsam sanationem praecedit. Id quod sanatio concedit a die celebrati matrimonii est prolis legitimatio; quae revera in casu concessa non fuit nisi a momento, in quo, per mortem legitimi coniugis, cessavit impedimentum ligaminis. Ast ex hoc non sequitur veram sanationem concessam non fuisse.

Adversarii videntur desumere rationem specificam et fundamentalem sanationis in radice a tempore concessae prolis legitimationis; ita ut perfecta dicenda sit sanatio si proles legitimata fuerit a die celebrati matrimonii, imperfecta vero si a tempore posteriori. Sed hoc, nisi me fallit opinio, error est vel maximus. Natura enim sanationis in radice, conceptus et ratio specifica ac fundamentalis eiusdem, in eo posita est ut validus reddatur primus ille consensus, qui praestitus fuit in actu celebrati matrimonii; qui verus quidem, ut fuit actus voluntatis; tamen neque verus neque validus fuit, in ratione causalitatis matrimonii, ob dirimens impedimentum. Ratio igitur sanationis in radice abstrahit omnino a tempore sive celebrati, sive convalidati matrimonii, sive legitimatae prolis: sed tota in eo est, ut purget

(1) Quod Summus Pontifex nulla polleat facultate dispensandi super impedimento *iuris divini*, accipiendum est cum mica salis. Certum est enim Summum Pontificem dispensare solere super votis solemnibus, quae certe ad *ius divinum* pertinent. Caeterum semper memoria tenendum est Romanum Pontificem potestatem exercere, *ordinariam* quidem IN FORO SUO, *ministerialem* vero et *vicariam* IN FORO DEI; unde facilius est quae possit asserere, quam quod non possit certo statuere.

(2) Dixi — generatim — quia licet remotio impedimenti semper necessaria sit ad hoc ut matrimonium sanari possit; tamen haec impedimenti remotio locum habere poterit vel *per dispensationem*, uti in casu impedimenti ex. gr. consanguinitatis: vel *per se*, uti in casu impedimenti ligaminis, quando mors verificatur legitimi coniugis.

a nullitatis labe priorem consensum, qui revera et dicitur et est matrimonii radix.

Non me latet viros caeteroquin sapientissimos in ea esse sententia, quod in casu celebrati, seu attentati matrimonii cum impedimento ligaminis, primus ille consensus sanari non possit, cum fuerit substantialiter nullus; eo vel quia esse non potuit consensus in matrimonium, sed fuit simpliciter consensus in concubinatum. Et si quidem partes in concubinatum consentire declaravere, etiam ego sanationem concedi non posse contendam. At si consensum in matrimonium dedere saltem ex ignorantia; tunc tale matrimonium contractum cum impedimento ligaminis, in eadem conditione reperiri contendo, ac matrimonia contracta cum impedimento clandestinitatis, affinitatis, consanguinitatis etc. Atqui postrema haec matrimonia possunt in radice sanari. Ergo et primum.

Ad evincendam veritatem maioris propositionis, animadvertere iuvabit, quod si consensus matrimonialis inspiciatur prout est actus voluntatis, in utroque casu, uti verus in matrimonium consensus habendus erit: si vero praedictus consensus consideretur prout est causa matrimonii, in utroque casu censendus erit uti consensus in concubinatum; non enim ii soli qui contrahunt cum impedimento ligaminis, sed etiam qui contrahunt cum impedimento consanguinitatis, in concubinatu permanere censendi sunt. Eadem igitur est eorum conditio.

Neque valet recursus ad factum, quod qui contrahit cum impedimento consanguinitatis, posset valide contrahere, obtenta dispensatione; cum ex adverso qui contrahit cum impedimento ligaminis, neque dispensationem obtinere posset, perdurante ligamine; hoc enim non mutat naturam consensus et prout est actus voluntatis, et prout est causa matrimonii. Si itaque matrimonia eorum, qui contrahunt cum impedimento consanguinitatis sanari possunt et de facto sanantur; hoc probat sanationem pendere non a validitate consensus, prout est causa matrimonii, sed tantummodo a veritate eiusdem consensus, prout est actus voluntatis. Et cum sub hoc respectu idem omnino sit tam in eo, qui contrahit cum impedimento ligaminis, quam in eo, qui contrahit cum impedimento consanguinitatis, consequens est ut uterque agnoscatur tamquam sanabilis, remoto impedimento vel per dispensationem si agatur de impedimento consanguinitatis, vel per mortem legitimi coniugis, si agatur de impedimento ligaminis (1).

Haec autem omnia plenissime confirmata reperiuntur in casu Parisiensi, resoluto a S. Poenitentiaria. Tria enim ex hoc casu probata manent, nempe 1° matrimonium contractum fuisse quando urgebat impedimentum ligaminis; 2° nullam consensus renovationem impositam fuisse a S. Poenitentiaria, ea tantum adiecta conditione ut perseveraret consensus, utique praestitus in actu celebrati matrimonii; 3° sanationem in radice et petitam et concessam fuisse. Ex duobus itaque unum: vel S. Poenitentiaria sanavit illum unicum consensum, praestitum in actu celebrati matrimonii, vel matrimonium convalidavit absque ullo consensu. Media nulla adest via. Demus adversariis in casu veram sanationem concessam non fuisse; demus et facultatem inveniendi et excudendi nomen novum ad significandam illam concessionem factam per S. Poenitentiariam: semper tamen verum erit, in casu nullum alium consensum interfuisse, nisi illum praestitum cum aderat impedimentum ligaminis. Vel igitur fuit primus ille consensus sanatus; vel sine ullo consensu fuit matrimonium convalidatum. Atqui hoc alterum asserere absurdum est. Ergo primum consensum sanatum fuisse tenendum est; ideoque recognoscendum quod consensus praestitus cum impedimento ligaminis, mortuo legitimo coniuge, est sanabilis (1).

Hisce cum tremore disputatis, facilis est responsio

Ad IIIum. Siquidem cum casus Bertae in omnibus conveniat cum casu Parisiensi, mulieri consulendum ut recurrat ad S. Poenitentiariam, quae ob identicas rationes, matrimonium in radice sanabit, cum legitimatione prolis, si quae adsit, conceptae post mortem legitimi coniugis.

Et ita quidem, salvo meliori iudicio, cui me pertinacem non opponam.

Joachimus Ferrini, Ministrantium Infirmis,
Epitomator ex officio.

II.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

III.

De quadam tituli Ecclesiae mutatione.

Die 25 Aprilis 1904, hora 3 1/4 a meridie.

In oppido N. duae extant Ecclesiae, quarum altera consecrata, altera tantum benedicta est. Illa Deo dicata in honore Deiparae sub titulo illius Assumptionis; ista in honorem S. Thaddaei Apostoli. Rector Ecclesiae consecratae, occasione centenarii occurrentis festi Immaculatae Deiparae Conceptionis, cogitat de titulo Ecclesiae mutando in alterum Immaculatae Conceptionis, licet de nova Ecclesiae consecratione non agatur. Rector vero Ecclesiae benedictae titulum S. Thaddaei in alium S. Ioseph mutare cupit almae Virginis sponsi. Ambo inter se conveniunt, et adeuntes Episcopum, demonstrare satagunt, utrumque posse iure fieri, si ipsi placeat. In primo enim, severe loquendo, vera mutatio non fieret, cum substantialiter idem esset titulus, nempe Deipara: quod alterum autem spectat vix institui posset quaestio, cum de Ecclesia tantum benedicta agatur. Hisce haud obstantibus, Episcopus anceps haesit, et negotium suo Caeremoniarum magistro expendendum dedit, haec *inquirens:*

1° *Quaenam sit antiqua Ecclesiae, seu latinae, seu graecae, disciplina circa ecclesiarum titulos, horum maxime firmitate inspecta?*

2° *Utrum praesens latinae Ecclesiae disciplina tituli Ecclesiae omnimodam mutationem patiatur, seu de benedicta agatur, seu de consecrata?*

3° *Episcopus Ordinarius gaudet-ne potestate titulum*

(1) Hinc patet responsio ad ea, quae obiiciunt Adversarii, quando asserunt quod Summus Pontifex sanare in radice non potest matrimonium contractum cum impedimento ligaminis, cum potestatem non habeat dispensandi in iis, quae sunt iuris vel naturalis, vel divini. Esto; sed in casu Summus Pontifex nullam concedit dispensationem, cum, mortuo legitimo coniuge, impedimentum per se cessaverit, et nulla amplius dispensatione egeat. Utique perdurante ligamine, non posset Summus Pontifex dispensare, quemadmodum dispensat in perdurantibus impedimentis clandestinitatis, consanguinitatis etc. At cessato per se impedimento, Summus Pontifex consensum nulliter praestitum sanat, absque ulla dispensationis concessione.

(1) Cum ex expositione casus resoluti a S. Poenitentiaria non appareat utrum partes egerint ex ignorantia vel ex malitia, cumque ex responsione nulla facta fuerit limitatio vel exceptio, quoad praestitum consensum; hinc concludere possumus, quod consensus sit sanabilis sive praestitus fuerit ex ignorantia, sive etiam ex malitia.

alicuius Ecclesiae mutandi, quidque eidem Episcopo consulendum in casu?

SOLUTIO.

In Conventu Academiae habito die 4 Ianuarii 1905, super casu proposito disseruit R. D. Ioannes Perniola e Pontif. Seminario Vaticano, atque epitomen egit R.mus D. Philippus Can. Difava.

Ad Ium. Titulus, graece τίτλος, iuxta Dominicum Macri (1) « ex ditione latina *Titulus* trahitur ab aliquibus, quae tutare, et defendere significat; sic titulus librorum quasi nomen, facta, et memoriam auctoris continet in se, et in tutelam, ac velamentum habet: unde Varro, *lib. 6, de lingua lat.*, ait, quod titulati dicti sunt, qui in sacris capitibus habere solent ut metam; id titulus appellatur ab eo quod matres-familias crines convolutos ad verticem capitis, quos habent uti velatos, dicunt titulos; sive ab eo quod est altissimum in urbe, quod est arx, ea res tutissima titulus vocatur ». Alii autem multifariam titulum accipiunt uti videre est apud eumdem Macri *(loc. cit.)*. In Urbe nonnullae Ecclesiae sub custodia, cura, et tutela Patrum Cardinalium a Summis Pontificibus traditae tituli nuncupantur. Verum in sensu liturgico, quod nostra interest, titulus est divina Persona, Mysterium, Res sacra, Sanctus (non Beatus) sub cuius nomine Ecclesia ipsa consecrata fuit, aut solemniter benedicta. Iamvero a prioribus Ecclesiae saeculis templa in honorem Dei et Sanctorum dicata fuisse, indubia res est. Sane, in Breviario Romano in festo Dedicationis Basilicae SS. Salvatoris legitur in secundo nocturno: « Ab Apostolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quae a quibusdam Oratoria, ab aliis Ecclesiae dicebantur ». Verum ritus consecrandi et dedicandi Ecclesias a S. Silvestro Papa, uti in eodem Breviario legitur, fuit institutus, nam licet apostolicis temporibus Ecclesiae consecrarentur, non tamen solemni ritu, nec in eis adhuc in titulum erectum erat altare Chrismate delibutum. Tempore Constantini Imperatoris, Basilicam ab hoc conditam S. Silvester Papa consecravit, ac S. Ioanni Baptistae dedicavit ». Haec pro latina Ecclesia.

Quod graecam attinet, dicendum et in illa vigere vetustissimum morem, templa Deo ac Sanctis dicandi. Ita v. g. Constantinopoli habetur Ecclesia Resurrectioni Domini dicata, quam S. Gregorius Nazianzenus fundavit, cuius festum Graeci die 13 Septembris agunt. Verum Graeci minime habent consecrationis ritum a ritu benedictionis distinctum, prout latini, sed tantum ipsis benedictio est, quae tota consistit in oratione quadam deprecatoria.

Ad IIum. Reponendum *negative* per omnem modum, seu de benedicta agatur ecclesia, seu de consecrata. A S. R. C. in *Brugen.* n. 2853, quaesitum fuerat: « 1. Utrum, semel assignato Titulari Patrono alicui ecclesiae, liceat Episcopo, rationabili ex causa, illum in alium immutare? et quatenus negative; 2. Enixe efflagitat, ut ex Apostolico indulto haec sibi facultas in casu elargiatur ». Et Sacra Congregatio respondit: « Ad I. Non licere. Ad. II. Pro gratia assumendi sanctam Annam in contitularem cum sancto Andrea Apostolo, facto verbo cum Sanctissimo. Die 18 Febr. 1843 ». Decretum hoc approbatum et confirmatum fuit a Gregorio XVI, die 11 Martii eiusdem anni. Ergo ex lege Ecclesiae nunquam titulus mutari potest, quod confirmatur etiam ex hoc, quod immutando titulum, praeter iniuriam quae irrogatur Sancto vel Mysterio cui ecclesia dicata fuit, fit quoque iniuria fundatori ipsiusmet ecclesiae.

Sed neque mutatio probari potest quando, licet subiectum remaneat, tamen ratio immutatur sub qua Titularis veneratur, uti legitur in casu proposito; nam quanta cum sacrae liturgiae hoc fieret iactura, nemo sanae mentis est qui non intelligat.

Ad IIIum. Provisum in secundo; hinc quaestio finita est. (Cf. etiam Decr. S. R. C. 6 Sept. 1834, n. 2719², et Vol. IV. Decr. S. R. C. pag. 341, et 369). Quapropter Episcopus Oppidi N. absque ulla haesitatione, leges Ecclesiae Sanctae Dei omnino defendere debet, consensum suum denegans utrique Rectori, ecclesiae nempe Assumptionis Deiparae, et S. Thaddaei.

P. Elias Maria Coccia, *Ord. Carm.*
Sacr. Rituum Cong.nis Consultor
Censor Academiae Liturgicae.

(1) Hierolexicon, ad verbum *Titulus.*

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Mars 1905.

1 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Henri-Ludovic Chapon, Ev. de Nice; — S. G. Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli; — Mgr Ferdinand de Croy, Protonot. Apost.; — ainsi qu'une députation de la Vén. Archiconfrérie de Notre-Dame du Bon-Conseil *ai Monti.*

2 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean Tacci, Délégué Apost. à Constantinople; — Mgr Edouard-Adolphe Cantel, Ev. d'Oran; — Mgr Paul-Emile Henry, Ev. de Grenoble; — et Mgr Jacques Radini-Tedeschi, Ev. de Bergame.

3 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Prince Philippe Lancellotti; — S. G. Mgr Nicolas-Joseph Catteau, Ev. de Luçon; — S. G. Mgr François Giacci, Ev. des Marsi; — et le T. R. P. Withmee, Recteur de l'Eglise de St-Sylvestre *in Capite.*

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Sébastien Martinelli est nommé Protecteur de la Vén. Archiconfrérie de Notre-Dame du Bon-Conseil *ai Monti.*

4 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Edouard Adolphe Cantel, Ev. d'Oran; — S. G. Mgr Antoine Valbonesi, Ev. de S. Angelo in Vado; — Mgr Albert Battandier, Proton. Apost.; — ainsi que les membres du Comité Directif de l'Académie *dei Nuovi Lincei.*

5 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Philippe Meunier, Ev. d'Evreux; — S. G. Mgr Pierre-Emile Rouard, Ev. de Nantes; — S. A. R. l'Abbé Maximilien, Prince de Saxe; — et Mgr L.-A. Paquet, Prot. Apost., Doyen de la Faculté de Théologie de l'Université Catholique Laval de Québec.

6 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Benoît Lorenzelli, Arch. de Lucques; — ainsi que les prédicateurs du Carême pour les églises de Rome:

En voici la liste:

S. Giovanni in Laterano, Mons. Filippo Moriconi.
S. Pietro in Vaticano, D. Giacomo Capocchi.
S. Maria Maggiore, P. Vincenzo Savarese, d. C. d. G.
S. Lorenzo in Damaso, D. Agostino Can. Crocetti.
S. Maria in Trastevere, P. Luca Cosimi.
S. Maria in Vallicella, P. Luca da Padova, Capp.
SS. Concez. (dei PP. Cap.), P. Giuseppe da Livorno, Capp.
S. Carlo (al Corso), P. Ciro da Pesaro, dei Min.
S. Maria in Aracoeli, P. Luigi-Cesare De Paolis.
S. Luigi de' Francesi, Can. Vallet.
S. Maria in Traspontina, P. Telesforo Fiorentini dei Carmelitani.

S. Cuore (al C. Pretorio), D. Albino Cavallini, di Verc.
S. Agostino, P. Posidio M., Parroco di Cave.
SS. XII Apostoli, P. Stefano Jacopi, Conventuale.
S. M. sopra Minerva, P. Antonino Luddi, dei Pred.
Chiesa del Gesù, P. Luigi Mazza, d. C. d. G.
S. Silvestro in Capite, Mons. Giovanni Vaughan.
S. Maria degli Angeli, P. Salvatore Bussiglieri.
S. Maria dell'Anima, Padre Tommaso Esser.
S. Antonio (via Merulana), P. Cherubino Prezzolini.
S. Gioacchino (P. di Cast.), P. Filippo di Tommaso, Red.
S. Lorenzo (fuori le mura), P. Michele da Muro Lucano.
S. Isidoro, P. David Fleming, dei Minori.

7 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience le Rme P. Pellegrino Stagni, Prieur Général des Servites, ainsi que les Pères du Chapitre Général.

9 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Sauveur Casañas y Pagès, Ev. de Barcelone; — S. A. R. le Prince Maximilien de Saxe; — et M. le Baron de Schilling, Secrétaire de la Légation de Russie près le St-Siège.

10 Vendredi.

Le R.me P. Pacifique de Seggiano, Prédicateur Apostolique, prêche le premier sermon du Carême au Vatican, *coram SSmo.*

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Comte D. Emmanuel Aguirre de Tejada, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège; — et S. Em. le Comte Galeazzo Thun de Honhestein, nouveau Grand-Maître de l'Ordre Souverain de Malte.

12 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Dominique Svampa, Arch. de Bologne; — et le Rme Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins.

13 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François Mostyn, Ev. de Menevia; — et Mgr Emile Rouard, Ev. de Nantes.

14 Mardi.

Congrégation préparatoire des S. Rites tenue au Vatican, pour l'examen des deux miracles proposés pour la Canonisation du Bienh. Joseph Oriol, prêtre séculier de Barcelone.

15 Mercredi.

S. G. Mgr Raniero Sarnari, Ev. de Macerata et Tolentino, est reçu en audience.

16 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Ridolfi, Ev. de Todi; — le Rme P. Fr. M. Ragonesi, Sup. Gén. des Théatins; — M. le Prince Idislas Czartoryski; — et S. Exc. M. Nicolas Casas, Chargé d'Affaires de la République Argentine près le St-Siège.

17 Vendredi.

Sermon du Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

18 Samedi.

S. G. Mgr François-Xavier Schoepfer, Ev. de Tarbes, est reçu en audience.

19 Dimanche.

A l'occasion de Sa fête onomastique, le St-Père reçoit les vœux et les hommages du S. Collège.

21 Mardi.

S. Em. le Card. Sauveur Casañas y Pagès, Ev. de Barcelone, est reçu en audience.

— Les membres du Corps Diplomatique, accrédité près le St-Siège, offrent au St-Père, aujourd'hui et les jours suivants, les hommages et les vœux de leurs Gouvernements respectifs, à l'occasion de la fête patronale de Sa Sainteté.

23 Jeudi.

S. G. Mgr Sébastien Herscher, Ev. de Langres, est reçu en audience.

24 Vendredi.

Sermon de Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

— Le St-Père reçoit en audiences: S. A. R. le Duc d'Alençon; — S. G. Mgr Théodore Valfré di Bonzo, Ev. de Côme; — et le Rme P. Félix Fiorelli, Supérieur Général des Barnabites.

25 Samedi.

Un groupe de pèlerins du Diocèse de Tarbes assiste à la messe que le St-Père célèbre dans la Salle du Consistoire.

26 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Silverio Gomes Pimenta, Ev. de Marianna (Brésil); — Mgr François de Stein, Arch. de Munich; — Mgr Guido Conforti, Arch. Tit. de Stauropolis, Admin. Apost. de Ravenne; — et Mgr Charles Parodi, Arch. Tit. élu de Pessimonte.

27 Lundi.

Consistoire Secret tenu au Vatican *(Voir aux Anal. Nova,* p. 105).

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le R.me P. Pacifique de Seggiano, Prédicateur Apostolique, est nommé Consulteur de la S. C. des Rites.

— Le St-Père impose le rochet aux nouveaux Archevêques et Evêques préconisés dans le Consistoire de ce matin.

28 Mardi.

S. G. Mgr Joseph Staiti di Brancaleone, Ev. d'Andria, est reçu en audience.

— A 3 heures et 1½, le St-Père bénit le *fac-simile* du Sanctuaire de Lourdes, érigé dans le Jardin du Vatican, sur l'initiative de S. G. Mgr Schoepfer, Ev. de Tarbes.

— Congrégation Ordinaire Rotale des S. Rites, tenue au Vatican, sous la présidence des E.mes Ponents Ferrata, Mathieu et Tripepi, pour examiner les questions suivantes:

1° Validité du Procès Apost. instruit dans le Vicariat du Tonkin maritime, au sujet d'un miracle opéré par l'intercession des Vén. Etienne-Théodore Cuénot, Ev. de Métellopolis, Théophane Vénard et Compagnons, tués en haine de la Foi dans la Cochinchine, le Tonkin et la Chine.

2° Validité et relevance du Procès Apostolique instruit par la Curie de Tournay sur la réputation de sainteté *in genere* du Vén. Joseph-Amand Passerat, Prêtre Profès de la Congrég. du T. S. Rédempteur;

3° *Non-culte* pour la Cause du Vén. J.-B. Trona, Prêtre de l'Oratoire, à Mondovi;

4° Validité des procès Apostoliques et Ordinaires instruits pour la Cause de Béatif. du Vén. Alain de Solminiach, Ev. de Cahors;

5° Validité et relevance du Procès Apost. instruit dans la Curie de Ferrare sur la réputation de sainteté *in genere* du Vén. Bonaventure Barberini, Capucin, Arch. de Ferrare.

29 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Darius Mattei-Gentili, Arch. de Pérouse; — Mgr Emmanuel Merra, Ev. de San Severo; — Mgr Jean Roessler, Ev. de St-Hippolyte; — ainsi que Mgr Henri Folchi, Prélat de Sa Sainteté; — et S. Exc. M. Carlos Calderon, Ministre de Colombie en Belgique.

— S. Em. le Card. Louis Macchi impose le S. Pallium aux nouveaux Archevêques, ou à leurs procureurs respectifs.

30 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Vincent Zoccoli, Ev. de Rimini; — et Mgr François-Xavier Schoepfer, Ev. de Tarbes.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Salle Royale un groupe de pèlerins autrichiens.

31 Vendredi.

Sermon de Carême au Vatican, *coram SS.mo*

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. Georges Meyer Von Lengerke, Ambassadeur des Etats-Unis en Russie; — ainsi que LL. GG. Mgr Paul-Marc Tei, Ev. de Pesaro; — Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli; — et Mgr Jacques Radini-Tedeschi, Ev. de Bergame. F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS QUARTUS - APRILIS 1905

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Sanctissimi Domini Nostri Pii divina providentia Papae X Litterae encyclicae ad sacros universi catholici orbis Antistites de christiana doctrina tradenda.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis aliisque locorum Ordinariis cum Apostolica Sede pacem et communionem habentibus.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Acerbo nimis ac difficili tempore ad supremi pastoris munus, in universum Christi gregem gerendum, arcanum Dei consilium tenuitatem Nostram evexit. Inimicus namque homo sic gregem ipsum iam diu obambulat vaferrimaque insidiatur astutia, ut nunc vel maxime illud factum esse videatur, quod senioribus Ecclesiae Ephesi praenuntiabat Apostolus: *Ego scio quoniam intrabunt... lupi rapaces in vos, non parcentes gregi* (1). — Cuius quidem religiosae rei inclinationis, quicumque adhuc divinae gloriae studio feruntur, causas rationesque inquirunt; quas dum alii alias afferunt, diversas, pro sua quisque sententia, ad Dei regnum in hisce terris tutandum restituendumque sequuntur vias. Nobis, Venerabiles Fratres, quamvis caetera non respuamus, iis maxime assentiendum videtur, quorum iudicio et praesens animorum remissio ac veluti imbecillitas, quaeque inde gravissima oriuntur mala, ex divinarum ignoratione rerum praecipue sunt repetenda. Congruit id plane cum eo, quod Deus ipse per Oseam prophetam dixit: ...*Et non est scientia Dei in terra. Maledictum, et mendacium, et homicidium, et furtum, et adulterium inundaverunt, et sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, et infirmabitur omnis, qui habitat in ea* (2).

(1) Act., XX, 29.
(2) Os., IV, 1 ss.

Et re quidem vera, aetate hac nostra esse quamplurimos in christiano populo, qui in summa ignoratione eorum versentur, quae ad salutem aeternam nosse oportet, communes, eaeque proh dolor! non iniustae, sunt quaerimoniae. — Quum vero christianum dicimus populum, non plebem tantum aut sequioris coetus homines significamus, qui saepe numero aliquam ignorantiae excusationem ex eo admittunt, quod immitium dominorum imperio cum pareant, vix sibi suisque temporibus servire queunt: sed illos etiam et maxime, qui etsi ingenio cultuque non carent, profana quidem eruditione affatim pollent, ad religionem tamen quod attinet, temere omnino atque imprudenter vivunt. Difficile dictu est quam crassis hi saepe tenebris obvolvantur; quodque magis dolendum est, in iis tranquille iacent! De summo rerum omnium auctore ac moderatore Deo, de christianae fidei sapientia nulla fere ipsis cogitatio. Hinc vero nec de Verbi Dei incarnatione, nec de perfecta ab ipso humani generis restauratione quidquam norunt; nihil de Gratia, quae potissimum est adiumentum ad aeternorum adeptionem, nihi- de Sacrificio augusto aut de Sacramentis, quibus gratiam ipsam assequimur ac retinemus. Peccato autem quid nequitiae insit, quid turpitudinis nullo pacto aestimatur; unde nec eius vitandi, nec deponendi sollicitudo ulla: sicque ad supremum usque diem venitur, ut sacerdos, ne spes absit salutis, extrema agentium animam momenta, quae fovendae maxime charitati in Deum impendi oporteret, edocendo summatim religionem tribuat: si tamen, quod fere usuvenit, usque adeo culpabili ignorantia moriens non laboret, ut et sacerdotis operam supervacaneam arbitretur et, minime placato Deo, tremendam aeternitatis viam securo animo ingrediendam putet. Unde merito scripsit Benedictus XIV decessor Noster: *Illud affirmamus, magnam eorum partem, qui aeternis suppliciis damnantur, eam calamitatem perpetuo subire ob ignorantiam mysteriorum fidei, quae scire et credere necessario debent, ut inter electos cooptentur* (1).

Haec quum ita sint, Venerabiles Fratres, quid quaeso mirabimur, si tanta sit modo inque dies augescat, non inter barbaras inquimus nationes, sed in ipsis gentibus, quae christiano nomine feruntur, corruptela morum et consuetudinum depravatio? Paulus quidem apostolus ad Ephesios scribens haec edicebat: *Fornicatio autem, et omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos; aut turpitudo, aut stultiloquium* (2). At vero sanctimoniae huic ac pudori cupiditatum moderatori divinarum rerum sapientiae fundamentum posuit: *Videte itaque, fratres, quomodo caute ambuletis: non quasi insipientes, sed ut sapientes... Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quae sit voluntas Dei* (3).

Et plane id merito. Voluntas namque hominis inditum ab ipso auctore Deo honesti rectique amorem, quo in bonum non adumbratum sed sincerum veluti rapiebatur, vix retinet adhuc. Corruptela primaevae labis depravata, ac Dei factoris sui quasi oblita, eo affectum omnem convertit ut diligat vanitatem et quaerat mendacium. Erranti igitur pravisque obcaecatae cupiditatibus voluntati duce opus est qui monstret viam, ut male desertas repetat iustitiae semitas. Dux autem, non aliunde quesitus, sed a natura comparatus, mens ipsa est: quae si germana careat luce, divinarum nempe rerum notitia, illud habebitur, quod caecus caeco ducatum praestabit et ambo in foveam cadent. Sanctus rex David, quum Deum de veritatis lumine laudaret, quod menti hominum indidisset: *Signatum est*, aiebat, *super nos lumen vultus tui, Domine* (1). Quid porro ex hac largitione luminis sequatur addidit, inquiens: *Dedisti laetitiam in corde meo;* laetitiam videlicet, qua dilatatum cor nostrum, viam mandatorum divinorum currat.

Quod revera ita esse facile consideranti patet. Deum namque eiusque infinitas quas perfectiones nominamus, longe exploratius, quam naturae vires scrutentur, christiana nobis sapientia manifestat. Quid porro? Iubet haec simul summum ipsum Deum officio *fidei* nos revereri, quae mentis est; *spei* quae voluntatis; *charitatis* quae cordis: sicque totum hominem supremo illi Auctori ac Moderatori mancipat. Similiter una est Iesu Christi doctrina, quae germanam praestabilemque hominis aperit dignitatem, quippe qui sit filius Patris caelestis, qui in caelis est, ad imaginem eius factus cumque eo aeternum beateque victurus. At vero ex hac ipsa dignitate eiusdemque notitia infert Christus debere homines se amare invicem ut fratres, vitam heic degere, ut lucis filios decet, *non in commessationibus, et ebrietatibus; non in cubilibus, et impudicitiis; non in contentione, et aemulatione* (2); iubet pariter omnem sollicitudinem nostram proiicere in Deum, quoniam ipsi cura est de nobis; iubet tribuere egenis, benefacere iis qui nos oderunt, aeternas animi utilitates fluxis huius temporis bonis anteponere. Ne autem omnia singulatim attingamus, nonne ex Christi institutione homini superbius audenti demissio animi, quae verae gloriae origo est, suadetur ac praecipitur? *Quicumque... humiliaverit se..., hic est maior in regno caelorum* (3). Ex ea prudentiam spiritus docemur, qua prudentiam carnis caveamus; iustitiam, qua ius tribuamus cuique suum; fortitudinem, qua parati simus omnia perpeti, erectoque animo pro Deo sempiternaque beatitate patiamur; temperantiam denique, qua vel pauperiem pro regno Dei adamemus, quin et in ipsa cruce gloriemur, confusione contempta. Stat igitur, ab christiana sapientia, non modo intellectum nostrum mutuari lumen, quo veritatem assequatur, sed voluntatem etiam ardorem concipere, quo evehamur in Deum cumque Eo virtutis exercitatione iungamur.

Longe equidem absumus ut ex his asseramus, pravitatem animi corruptionemque morum non posse cum religionis scientia coniungi. Utinam non id plus nimio probarent facta! Contendimus tamen, ubi crassae ignorantiae tenebris sit mens circumfusa, nullatenus posse aut rectam voluntatem esse aut mores bonos. Apertis namque oculis si quis incedat, poterit ille sane de recto tutoque itinere declinare; qui tamen caecitate laborat, huic periculum certe quidem imminet. Adde porro: corruptionem morum, si fidei lumen penitus non sit extinctum, spem facere emendationis; quod si utrumque iungitur et morum pravitas et fidei ob ignorationem defectio, vix erit medicinae locus, patetque ad ruinam via.

Quum igitur ex ignorantia religionis tam multa tamque gravia deriventur damna; alia vero ex parte, quum tanta sit religiosae institutionis necessitas atque utilitas, frustra enim christiani hominis officia impleturus speratur qui illa ignoret: iam ulterius inquirendum venit, cuius demum sit

(1) Instit., XXVI, 18.
(2) Ephes., V, 3 s.
(3) Ephes., V, 15 ss.

(1) Ps. IV, 7.
(2) Rom., XIII, 13.
(3) Matth., XVIII, 4.

perniciosissimam hanc ignorantiam cavere mentibus, adeoque necessaria scientia animos imbuere. — Quae res, Venerabiles Fratres, nullam habet dubitationem: gravissimum namque id munus ad omnes pertinet, quotquot sunt animarum pastores. Hi sane, ex Christi praecepto, creditas sibi oves agnoscere tenentur ac pascere; pascere autem hoc primum est, docere: *Dabo vobis*, sic nempe Deus per Ieremiam promittebat, *pastores iuxta cor meum, et pascent vos scientia et doctrina* (1). Unde et Apostolus Paulus aiebat: *Non.... misit me Christus baptizare, sed evangelizare* (2), indicans videlicet primas eorum partes, qui regendae aliquo modo Ecclesiae sunt positi, esse in instituendis ad sacra fidelibus.

Cuius quidem institutionis laudes persequi supervacaneum ducimus, quantique ea sit apud Deum ostendere. Certe miseratio, quam pauperibus ad levandas angustias tribuimus, magnam a Deo habet laudem. At longe maiorem quis neget habere studium et laborem, quo, non fluxas corporibus utilitates, sed aeternas animis docendo monendoque conciliamus? Nihil profecto optatius, nihil gratius queat Iesu Christo animarum servatori accidere, qui de se per Isaiam professus est: *Evangelizare pauperibus misit me* (3).

Hic tamen praestat, Venerabiles Fratres, hoc unum consectari atque urgere, nullo sacerdotem quemlibet graviori officio teneri, nullo arctiori nexu obligari. Etenim in sacerdote ad vitae sanctimoniam debere scientiam adiici, quis neget? *Labia... sacerdotis custodient scientiam* (4). Atque illam reapse severissime Ecclesia requirit in iis qui sint sacerdotio initiandi. Quorsum id vero? Quia scilicet ab eis divinae legis notitiam christiana plebs expectat, illosque ad eam impertiendam destinat Deus: *Et legem requirent ex ore eius: quia angelus Domini exercituum est* (5). Quamobrem Episcopus, in sacra initiatione, sacerdotii candidatos alloquens: *Sit*, inquit, *doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei; sint providi cooperatores ordinis nostri; ut in lege sua die ac nocte meditantes, quod legerint credant, quod crediderint doceant* (6).

Quod si nemo est sacerdos, ad quem haec non pertineant, quid porro de illis censebimus, qui, nomine ac potestate curionum aucti, animarum rectoris munere, vi dignitatis et quodam quasi pacto inito, funguntur? Hi quodammodo pastoribus et doctoribus sunt accensendi, quos dedit Christus ut fideles iam non sint parvuli fluctuantes, et circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum; veritatem autem facientes in charitate, crescant in illo per omnia, qui est caput Christus (7).

Quapropter sacrosancta Tridentina Synodus, de animarum pastoribus agens, officium eorum hoc primum et maximum esse edicit, christianam plebem docere (8). Hinc iubet illos, dominicis saltem diebus festisque sollemnioribus, de religione ad populum dicere, sacri vero Adventus tempore et Quadragesimae quotidie, vel saltem ter in hebdomada. Neque id modo: addit namque teneri parochos, eisdem saltem dominicis festisque diebus, per se vel per alios, in fidei veritatibus erudire pueros, eosque ad obedientiae in Deum ac parentes instituere. Quum vero sacramenta fuerint administranda, praecipit, ut qui sunt suscepturi, de eorumdem vi, facili vulgarique sermone, doceantur.

Quas sacrosanctae Synodi praescriptiones Benedictus XIV decessor Noster, in sua Constitutione *Etsi minime*, sic brevi complexus est ac distinctius definivit: *Duo potissimum onera a Tridentina Synodo curatoribus animarum sunt imposita: alterum ut festis diebus de rebus divinis sermones ad populum habeant; alterum, ut pueros et rudiores quosque divinae legis fideique rudimentis informent.* — Iure autem sapientissimus Pontifex duplex hoc officium distinguit, sermonis videlicet habendi, quem vulgo Evangelii explicationem vocitant, et christianae doctrinae tradendae. Non enim fortasse desint qui, minuendi laboris cupidi, persuadeant sibi homiliam pro cathechesi esse posse. Quod quam putetur perperam, consideranti patet. Qui enim sermo de sacro Evangelio habetur, ad eos instituitur, quos fidei elementis imbutos iam esse oportet. Panem diceres, qui adultis frangatur. Catechetica e contra institutio lac illud est, quod Petrus Apostolus concupisci sine dolo a fidelibus volebat, quasi a modo genitis infantibus. — Hoc scilicet catechistae munus est, veritatem aliquam tractandam suscipere vel ad fidem vel ad christianos mores pertinentem, eamque omni ex parte illustrare: quoniam vero emendatio vitae finis docendi esse debet, oportet catechistam comparationem instituere ea inter quae Deus agenda praecipit quaeque homines reapse agunt; post haec, exemplis opportune usum, quae vel e Scripturis sacris, vel ex Ecclesiastica historia, vel e sanctorum virorum vita sapienter hauserit, suadere auditores eisque, intento veluti digito, commonstrare quo pacto componant mores; finem denique hortando facere, ut qui adstant horreant vitia ac declinent, virtutem sectentur.

Scimus equidem eiusmodi tradendae christianae doctrinae munus haud paucis invidiosum esse, quod minoris vulgo aestimetur nec forte ad popularem laudem captandam aptum. Nos tamen hoc esse iudicium eorum censemus, qui levitate magis quam veritate ducuntur. Oratores profecto Sacros, qui, sincero divinae gloriae studio, vel vindicandae tuendaeque fidei, vel Sanctorum laudationibus dent operam, probandos esse non recusamus. Verum illorum labor laborem alium praevium desiderat, scilicet catechistarum; qui si deest, fundamenta desunt, atque in vanum laborant qui aedificant domum. Nimium saepe orationes ornatissimae, quae confertissimae concionis plausu excipiuntur, hoc unum assequuntur ut pruriant auribus; animos nullatenus movent. E contra catechetica institutio humilis quamvis et simplex, verbum, illud est, de quo Deus ipse testatur per Isaiam: *Quomodo descendit imber, et nix de coelo, et illuc ultra non revertitur, sed inebriat terram, et infundit eam, et germinare eam facit, et dat semen serenti, et panem comedenti: sic erit verbum meum quod egredietur de ore meo: non revertetur ad me vacuum, sed faciet quaecumque voluit, et prosperabitur in his, ad quae misi illud* (1). — Similiter arbitrandum putamus de sacerdotibus iis, qui, ad religionis veritates illustrandas, libros operosos conscribunt; digni plane qui ideo commendatione multa exornentur. Quotus tamen quisque est, qui eiusmodi volumina verset, fru-

(1) Ier., III, 15.
(2) I. Cor. I, 17.
(3) Luc., IV, 18.
(4) Malach., II, 7.
(5) Ib.
(6) Pontif. Rom.
(7) Ephes., IV, 14, 15.
(8) Sess. V, cap. 2 de ref.; Sess. XXII, cap. 8; Sess. XXIV, cap. 4 et 7 de ref.

(1) Is. LV, 10, 11.

ctumque inde hauriat auctorum labori atque optatis respondentem? Traditio autem christianae doctrinae, si rite fiat, utilitatem audientibus nunquam non affert.

Etenim (quod ad inflammandum studium ministrorum Dei iterum advertisse iuverit) ingens modo eorum est numerus atque in dies augetur, qui de religione omnino ignorant, vel eam tantum de Deo christianaeque fidei notitiam habent, quae illos permittat, in media luce catholicae veritatis, idololatrarum more vivere. Quam multi eheu! sunt, non pueros dicimus, sed adulta, quin etiam devexa aetate, qui praecipua fidei mysteria nesciant prorsus; qui Christi nomine audito, respondeant: *Quis est..., ut credam in eum?* (1) Hinc odia in alios struere ac nutrire, pactiones conflare iniquissimas, inhonestas negotiorum procurationes gerere, aliena gravi foenore occupare, aliaque id genus flagitiosa haud sibi vitio ducunt. Hinc Christi legem ignorantes, quae non modo turpia damnat facinora, sed vel ea cogitare scienter atque optare; etsi forte, qualibet demum de causa, obscoenis voluptatibus fere abstinent, inquinatissimas tamen cogitationes, nulla sibi religione iniecta, suscipiunt; iniquitates super capillos capitis multiplicantes. — Haec porro, iterasse iuvat, non in agris solum vel inter miseram plebeculam occurrunt, verum etiam ac forte frequentius inter homines amplioris ordinis, atque adeo apud illos quos inflat scientia, qui vana freti eruditione religionem ridere posse autumant et *quaecumque quidem ignorant, blasphemant* (2).

Iam, si frustra seges e terra speratur quae semen non exceperit, qui demum bene moratas progenies expectes, si non tempore fuerint christiana doctrina institutae? — Ex quo colligimus iure, quum fides id aetatis usque eo languerit ut in multis pene sit intermortua, sacrae catechesis tradendae officium vel negligentius persolvi, vel praetermitti omnino. Perperam enim ad habendam excusationem quis dixerit, esse fidem gratuito munere donatam nobis atque in sacro baptismate cuique inditam. Equidem utique quotquot in Christo baptizati sumus fidei habitu augemur; sed divinissimum hoc semen non *ascendit... et facit ramos magnos* (3) permissum sibi ac veluti virtute insita. Est et in homine, ab exortu, intelligendi vis: ea tamen materno indiget verbo, quo quasi excitata in actum, ut aiunt, exeat. Haud aliter christiano homini accidit, qui, renascens ex aqua et Spiritu Sancto, conceptam secum affert fidem; eget tamen Ecclesiae institutione, ut ea ali augerique possit fructumque ferre. Idcirco Apostolus scribebat: *Fides ex auditu, auditus autem per verbum Christi* (4); institutionis autem necessitudinem ut ostenderet, addit: *Quomodo... audient sine praedicante?* (5)

Quod si, ex huc usque explicatis, religiosa populi eruditio quanti momenti maxime esse oportet, ut Doctrinae satis ostenditur, curae Nobis quam quod sacrae praeceptio, qua, ut Benedicti XIV decessoris Nostri verbis utamur, ad Dei gloriam et ad animarum salutem nihil utilius est institutum (6) vigeat semper aut, sicubi negligitur, restituatur. — Volentes igitur, Venerabiles Fratres, huic gravissimo supremi apostolatus officio satisfacere, atque unum paremque

(1) Ioan. IX, 36.
(2) Iud. 10.
(3) Marc. IV, 32.
(4) Rom. X, 17.
(5) Ib. 14.
(6) Constit. *Etsi minime*, 13.

morem in re tanta ubique esse; suprema Nostra auctoritate, quae sequuntur, in dioecesibus universis, observanda et exequenda constituimus districteque mandamus.

I. Parochi universi, ac generatim quotquot animarum curam gerunt, diebus dominicis ac festis per annum, nullo excepto, per integrum horae spatium, pueros et puellas de iis, quae quisque credere agereque debeant ad salutem adipiscendam, ex catechismi libello erudiant.

II. Iidem, statis anni temporibus pueros ac puellas ad Sacramenta Poenitentiae et Confirmationis rite suscipienda praeparent, continenti per dies plures institutione.

III. Item, ac peculiari omnino studio, feriis omnibus Quadragesimae atque aliis, si opus erit, diebus post festa Paschalia, aptis praeceptionibus et hortationibus adolescentulos et adolescentulas sic instruant, ut sancte sancta primum de altari libent.

IV. In omnibus et singulis paroeciis consociatio canonice instituatur, cui vulgo nomen Congregatio Doctrinae christianae. Eâ parochi, praesertim ubi sacerdotum numerus sit exiguus, adiutores in catechesi tradenda laicos habebunt, qui se huic dedent magisterio tum studio gloriae Dei, tum ad sacras lucrandas indulgentias, quas Romani Pontifices largissime tribuerunt.

V. Maioribus in urbibus, inque iis praecipue ubi universitates studiorum, lycea, gymnasia patent, scholae religionis fundentur ad erudiendam fidei veritatibus vitaeque christianae institutis iuventam, quae publicas scholas celebrat, ubi religiosae rei mentio nulla iniicitur.

VI. Quoniam vero, hac praesertim tempestate, grandior aetas non secus ac puerilis religiosa eget institutione; parochi universi caeterique animarum curam gerentes, praeter consuetam homiliam de Evangelio, quae festis diebus omnibus in parochiali Sacro est habenda, ea hora quam opportuniorem duxerint ad populi frequentiam, illa tantum excepta qua pueri erudiuntur, catechesim ad fideles instituant, facili quidem sermone et ad captum accommodato. Qua in re Catechismo Tridentino utentur, eo utique ordine ut quadriennii vel quinquennii spatio totam materiam pertractent quae de Symbolo est, de Sacramentis, de Decalogo, de Oratione et de praeceptis Ecclesiae.

Haec Nos quidem, Venerabiles Fratres, auctoritate apostolica constituimus et iubemus. Vestrum modo erit efficere ut, in vestra cuiusque dioecesi, nulla mora atque integre executioni mandentur; vigilare porro et pro auctoritate vestra cavere, ne quae praecipimus oblivioni dentur, vel, quod idem est, remisse oscitanterque impleantur. Quod ut reapse vitetur, illud assidue commendetis et urgeatis oportet, ut parochi ne imparati catechesis praeceptiones habeant, sed diligenti prius adhibita praeparatione; ut ne loquantur humanae sapientiae verba, sed, *in simplicitate cordis et sinceritate Dei* (1), Christi exemplum sectentur, qui quamvis *abscondita* eructaret *a constitutione mundi* (2), loquebatur tamen omnia *in parabolis ad turbas et sine parabolis non loquebatur eis* (3). Id ipsum et Apostolos, a Domino institutos, praestitisse novimus; de quibus Gregorius Magnus aiebat: *Curaverunt summopere rudibus populis plana, et capabilia non summa atque ardua praedicare* (4). Ad reli-

(1) II. Cor. I, 12.
(2) Matth. XIII, 35.
(3) Ib. 34.
(4) Moral. l. XVII, cap. 26.

gionem autem quod attinet, homines magnam partem rudibus, hac tempestate nostra sunt accensendi.

Nolimus porro, ne ex eiusmodi simplicitatis studio persuadeat quis sibi, in hoc genere tractando, nullo labore nullaque meditatione opus esse: quin immo maiorem plane, quam quodvis genus aliud, requirit. Facilius longe est reperire oratorem, qui copiose dicat ac splendide, quam catechistam, qui praeceptionem habeat omni ex parte laudabilem. Quamcumque igitur facilitatem cogitandi et eloquendi quis a natura sit nactus, hoc probe teneat, nunquam se de christiana doctrina ad pueros vel ad populum cum animi fructu esse dicturum, nisi multa commentatione paratum atque expeditum. Falluntur sane qui plebis imperitia ac tarditate fisi, hac in re negligentius agere se posse autumant. E contrario, quo quis rudiores nactus sit auditores, eo maiore studio ac diligentia utatur oportet, ut sublimissimas veritates, adeo a vulgari intelligentia remotas, ad obtusiorem imperitorum aciem accommodent, quibus aeque ac sapientibus, ad aeternam beatitatem adipiscendam sunt necessariae.

Iam igitur, Venerabiles Fratres, Mosis verbis, in hac postrema litterarum Nostrarum parte, liceat vos alloqui: *Si quis est Domini, iungatur mihi* (1). Advertite, rogamus quaesumusque, quanta animarum clades ex una divinarum rerum ignoratione veniat. Multa forte utilia planeque laudatione digna, in vestra cuiusque dioecesi, sunt a vobis instituta in commissi gregis commodum: velitis tamen, prae omnibus, quanta potestis contentione, quanto studio, quanta assiduitate hoc curare atque urgere, ut doctrinae christianae notitia cunctorum pervadat animos penitusque imbuat. *Unusquisque*, Petri Apostoli utimur verbis, *sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei* (2).

Diligentiam industriasque vestras, beatissima Virgine immaculata intercedente, fortunet vobis Apostolica benedictio, quam, testem charitatis Nostrae ac caelestium gratiarum auspicem, vobis et clero ac populo cuique credito amantissime impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum die XV Aprilis MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

PIVS PP. X.

II.

Sanctissimi Domini Nostri Pii, divina providentia Papae X, litterae apostolicae, quibus Collegium Urbis Pium-Latinum-Americanum pontificii titulo augetur, eiusque regundi leges sanciuntur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Sedis Apostolicae providam studiosamque de America Latina curam, cum alia argumenta illustrant, tum in primis testatur multiplex instituta ratio, ut in ea perampla dominici agri parte cultores boni, satis magna copia, suppetant. Huc valent apertae ibidem Domus complures alumnis sacri ordinis pietate doctrinaque idonea conformandis: quarum quidem, novis constituendis dioecesibus, augescit numerus; atque in earum praecipuis facultas praebita melioris notae adolescentibus academicos gradus assequendi. Iamvero in hoc pontificalis providentiae genere facile primas tenet Urbanum Collegium, a decessoribus Nostris fel. rec. Pio IX conditum, Leone XIII amplificatum in sacrae iuventutis ex America Latina utilitatem. Etenim adolescentes clericos, bona indole praeditos et animi et ingenii, missos in hanc almam Urbem atque ideo ad ipsum ecclesiasticae eruditionis vitaeque centrum, ibique, advigilante Iesu Christi Vicario, omnibus praesidiis, quae disciplinam optimam deceant, ad sacerdotale munus instructos, nemo non videt, eosdem popularibus suis et Ecclesiae patriae admodum salutares debere exsistere.

Equidem, si fructus quaerimus quos Collegium Pium Latinum-Americanum hoc intervallo tulerit, reperiemus rei exitum expectationi egregie respondisse: responsurum autem de caetero vel melius, si quidem paulo diligentius ea, quae in alumnorum delectu sunt servanda, serventur, atque si earum regionum nullus sit posthac Episcopus, quin aliquem suum alumnum in isto Collegio, ipse non parcens impendiis, collocet. Utrumque Leo, qui, ad religiosam Americae Latinae rem rite componendam, Plenarium eorum Episcoporum Concilium Romam coëgerat, quum Concilio peracto dimitteret Patres, vehementer eos hortatus est, tamquam viderentur dioecesibus suis consulturi satis, si eidem Collegio pro facultate consulerent. Hi vero, quum exploratam iam ipsi per se haberent huiusce utilitatem Instituti, praeterea tanta Pontificis hortatione permoti, non modo se velle ostenderunt eius votis satisfacere; sed etiam, ut Concilii Plenarii, quod in ipsa Collegii aede esset actum, monumentum exstaret aliquod, magnopere sibi gratum fore significarunt, si Collegium *Pontificii* titulo honestaretur. Eorumdem sunt illa postulata: ut Sodales Societatis Iesu gubernationem Collegii, quam obtinent, ratam in perpetuum obtineant; ut praecipuae sanciantur leges, quibus morum et studiorum disciplina Collegii dirigatur; ut, quoniam Collegii aedes, mutui nomine, Apostolicae Sedi obligatae sunt longe ultra quam pro opibus Collegii liberari hodie queant, benigne Summus Pontifex, sibi et successoribus salvo iure, velit in commodiorem Collegio diem exactionem crediti differre.

Nos autem, quum erga Americae Latinae ecclesias Urbanumque ipsarum Collegium, haud secus ac duo illustres decessores Nostri, plenum paternae charitatis geramus animum, huius testandae benevolentiae occasionem, quam Venerabiles Fratres, ista rogantes offerunt, perlibenter amplectimur. Itaque firma et stabilia iubentes esse, quae de Collegio sive constituendo, sive provehendo Decessorum est auctoritate sancitum, atque de eo, quod dictum est, aere alieno edicturi, quo modo Sedis Apostolicae simul et Collegii rationibus consultum esse velimus, his litteris Nos eadem Apostolica auctoritate idem Collegium seu Seminarium Pium Latinum-Americanum in Urbe, secundum sacrorum statuta canonum solemniter erigimus et constituimus, ac *Pontificii* titulo decoramus, ipsique omnia privilegia et iura, quae Seminariis seu Collegiis Pontificiis attribui solent, attribuimus ad eas leges, quae infra scriptae sunt.

I. Munus regendi et moderandi Collegii inclytae Societati Iesu, optime usque adhuc de Collegio meritae, perpetuo committimus. Quocirca Societatis Praepositus e sacerdotibus,

(1) Exod. XXXII, 26.
(2) I. Petr. IV, 10.

qui sibi parent, hos saltem constituet: Rectorem, Ministrum, Subministrum, Oeconomum, Magistrum pietatis, Confessariorum quantum opus fuerit, et Praefectorum contuberniis quantum fieri poterit. Idem duos destinabit, alterum hispane, alterum lusitane doctum, qui alumnos, in patrio sermone litterisque excolendo, ad sacras potissime conciones exerceant. Praeterea volumus, ut alumni ne alias Urbis scholas quam Lycei magni Gregoriani celebrent.

II. Alumni legitimo matrimonio nati, et valetudine bona sint, et non deformi corpore. Ad haec voluntatem praeferant exploratam sacerdotalis ineundae vitae, ac non vulgare ingenium discendi studio coniunctum: nec minus eorum debet disciplinae amor et integritas morum constare.

III. Alumni non ante cooptandi sunt, quam exhibito testimonio probaverint, se humanitatis et litterarum spatium recte confecisse, ideoque idoneos esse, qui maiorum doctrinarum cursum ineant.

IV. Liceat, raro tamen et singularibus de causis, adolescentes, natu minores necdum gravibus studiis maturos, in Collegium admittere, his quidem conditionibus: primum, ut eiusmodi nunquam plus quam decem in Collegio sint; deinde, decimum tertium aetatis annum compleverint; tum, e scholis primordiorum honestum ingenii deligentiaeque testimonium retulerint, iidemque elegantiorum litterarum institutionem cum laude, magnam partem, perceperint, itaque Romae possint, quod reliquum sit, anno aut summum biennio absolvere; deinde aere ipsi suo vel benigne ab aliis collato, non autem pensionibus seu *Capellaniis*, quae alumnorum causa constitutae sint, sustententur, quos quidem sumptus suppeditatum iri Episcopus, suo et successorum nomine, spondeat; postremo Episcopus ne candidatum Romam ad Collegium dimittat, nisi postquam per authenticas litteras fidem Rectori fecerit, omnia, quae hoc loco sunt requisita, suppetere, ab eoque cooptationis, quae permissu Cardinalis Patroni facta sit, legitimum documentum acceperit.

V. Omnes alumni, ne iis quidem exceptis, qui pensiones seu Capellanias consequuti sint integras, tantum afferre debent pecuniae, quantum satis erit ad reditum: quae pecunia in thesauro Collegii reponetur, eaque aliam in rem insumi, vel Ordinario probante, non poterit.

VI. Qui suae familiae impensis aut de cuiuspiam beneficio sustentandus erit, nullo pacto inter alumnos recipiatur, nisi, praeter Episcopi sui licentiam, syngrapham afferat, qua ipse Episcopus, proprio et successorum nomine, obligationem se suscepisse testetur subministrandi Collegio pecuniam pro alumno debitam, si quidem huius propinqui vel alii qui fidem dederunt, eam praestare aut neglexerint aut nequiverint.

VII. Universis et singulis Americae Latinae Episcopis omni ope curandum est, ut in Collegio pensiones id genus, quae vernaculo sermone *Becas* dici solent, alumnis sustentandis instituantur, Capellaniarum titulo; quarum redditibus alumni qui fruantur, suae quisque Capellaniae fundatorem Deo commendare, quotidie quidem tertiam marialis Rosarii partem rite recitando, in singulos autem menses semel aut sancta de altari libando aut sacerdotes sacrum faciendo, debeant. Pecuniae vero summa cuiusque Capellaniae constituendae Consilio pontificali Stipi Petrianae administrandae tradetur: quod Consilium redditus huius pecuniae statis temporibus Collegio pensitabit.

VIII. Alumni, sive in doctrinae studiis indiligentes, sive in cultu pietatis desidiosi, sive qui ea natura eisque moribus exstiterint, ut sodalibus offensioni et Collegio perturbationi sint, si quidem opportune correpti, non se tamen emendarint penitus, e Collegio sine dubitatione expellantur. Expellendi potestatem Rector obtineat; is tamen in causis singulis, ut rite se pro tanta rei gravitate gerat, moderatores Collegii caeteros in consilium adhibebit.

IX. Alumnis qui, semel et iterum facto periculo, academicos gradus in Lyceo magno Gregoriano adipisci nequiverint, minime licebit, sine Nostra aut successorum Nostrorum venia, in aliquo Americae Latinae gymnasio aut alibi tertium periclitari.

X. Integrum Rectori erit sinere, ut alumni, qui studiorum cursum absolverint, in Collegio dies aliquot, non plus triginta, ante reditum in patriam, morentur; obnoxii tamen etiamtum Collegii legibus et moderatorum auctoritati.

XI. Rector quotannis de disciplinae rationibus, de moribus alumnorum, de rei familiaris conditione accuratam descriptionem duplici exemplo conficiet; quorum alterum, Cardinali Patrono, alterum, cui quidem idem Cardinalis subscripserit, Nobis et successoribus Nostris deferet. Idem ad omnes Americae Latinae Episcopos, praeter descriptionem eiusmodi summatim factam, aliam de alumnis cuiusque peculiarem mittet.

Haec decernimus et statuimus, contrariis non obstantibus quibuscumque. Item quae in utilitatem Collegii oeconomicam vel a Decessoribus Nostris vel a Nobis decreta et statuta sunt, ea confirmamus rataque habemus. Quod vero ad domesticam disciplinam pertinet, Collegii moderatoribus mandamus, ut eius temperandae rationem, collatis consiliis cum Cardinali Patrono et cum Praeposito Societatis Iesu, opportune retractent, eamque retractatam Nobis probandam atque auctoritate iussuque Nostro stabiliendam offerant.

Reliquum est, ut omnes, quoscumque haec causa attingit, non modo quae praescripta a Nobis hic sunt, religiose servent, quod minime dubitamus, sed etiam ex eisdem praescriptionibus nitantur quam laetissimos fructus elicere, quod magnopere hortamur. Itaque religiosi viri, quorum vigilantiae et curis tot sunt Americanarum Ecclesiarum spes concreditae, non satis habebunt, alumnos apud se tamquam in umbraculis diligenter excoluisse; verum eosdem iam in solem atque pulverem eductos, et trans Oceanum in sacris muneribus desudantes, pergent consiliis, hortamentis, omni denique amoris officio adiuvare universos. Hi vicissim dociles se bonis patribus dabunt, et hanc maxime eis itemque Apostolicae Sedi studebunt referre gratiam, ut illorum disciplina multum profecisse videatur. Episcopi vero in dies melius ostendent, hoc suum Collegium sibi non minus esse cordi quam Nobis, qui certe, ipsorum praecipue causa, habemus carissimum: ideoque ad eius stabilitatem et incrementum nitentur, quantum quisque poterit, conferre. — Deprecante Maria labis nescia, cuius in tutela Collegium est, faveat optatis Nostris divina benignitas; atque auxiliorum eius sit auspex Apostolica benedictio, quam omnibus, quos memoravimus, universaeque Americae Latinae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XIX Martii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

III.

Pius X hortatur Epos Austriae ad fidem in subditis tuendam et amplificandam.

PIUS PP. X.

Dilecte fili noster et Venerabiles Fratres,
Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Austriam catholico caram nomini caussamque sane pernobilem, unde assidue caperet christiana respublica decus, dolemus non ita, ut antea, communem praebere in praesens laetitiam professioni catholicae. Tuendae amplificandaeque fidei a Christo Iesu praepositis, nihil est Nobis antiquius quam ut catholicae doctrinae disciplinaeque germen non modo in filiis custodiatur Nostris, sed iis etiam in mediis florescat, quos non eadem Nobiscum communio devincit. At lacrymabili nimium fortuna, quos Nostra institutio aluit, eos ipsos quandoque adspicimus abire prodige a Nobis, ac sanctissima praecepta et documenta vitae, hausta ex illibato Christi fonte, dissentiendo publice propulsare, et nova placita infenso animo amplecti. Nostra quo spectet maxime oratio, perspicuum profecto vobis est, qui Nobiscum una satis nunquam censetis posse impie factum defleri, cuius adspectum, non multos ante dies, horruit Austriae religio: quod quidem factum ideo certe molestissime tulimus, quod addicti studiis adolescentes complures, in quibus spes tanta erat suavissime posita, a catholica publice sententia recesserint. Solutos scilicet se ab imperio et potestate religiosa volunt, atque e sacris legitimis propterea sese expediunt, quia vim multam fortitudinemque animi in explendis divinae legis operibus catholica religio quaerit, dissidentium coetus non quaerit. Hac fieri de ratione comperimus non paucis in Austria fidelibus funestissimam illam perniciem animi inferri, catholicum ut deponant nomen atque haereticae sese pravitati dedant. Calamitatem nostis, dilecte Fili et Venerabiles Fratres, omnium hanc aestimari iure tristissimam, animas interire misere, quae tanti valent, quanti perfusus a Christo sanguis. Vos quidem Praesules, quos in excelso ecclesiarum munere ad curam populi divina mens posuit, scimus non immemores officii esse, sollicitaque sollertia discrimini obsistere creditarum ovium. Verum quo instant praesentiora pericula, eo debent Episcopi maiora adhibere ad praecavendum studia tantoque debent alacrius in pastoralibus curis eniti. Hanc vero ad rem industriam vestram contendere exploratum est iamdiu, habemusque non sine voluptate compertum vobis esse vertendum laudi, si maiora christianus grex detrimenta non cepit. Hortamur tamen in Christo vos, Dilecte Fili et venerabiles Fratres, animosiores ut bello repugnetis in dies, nullumque patiamini abesse a vobis, sive privatim sive publice, studium, unde sarta tecta filiorum fides permaneat, habeatque in vobis communio Nostra ab infestis armis praesidium. Perillustris ista natio, cuius nobilissimae sunt in catholica historia laudes, catholica, Deo opitulante, persistet, vestra si sedulitas navabit divinae Providentiae operam: clara etiam et opibus et concordia et quiete manebit, si de religione patrum, in qua salus potissimum Imperii et fortitudo consistunt, invidia aut dissensio aut omnis religiosarum simultatum causa prohibeantur. Caeterum vestrae ultro navitati, divinaeque desiderio gloriae, quo praecellitis, fidimus, coelestiumque gratiarum auspicium ac Nostrae benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem vobis populisque vestris peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 6 Martii anno 1905, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

IV.

Pius X saecularem natalem Asceterii vulgo *Ponterotto* de Urbe summopere commendat.

Dilectis Filiis Richardo Schüller moderatori temporario asceterii in aedibus pontianis caeterisque Sacerdotibus eidem Asceterio addictis.

PIUS PP. X.

Dilecti Filii, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Proximi, ut accepimus, dies saeculum conficient ab asceterii vestri primordiis: eosque, uti faustos et laetabiles, varia vos caeremoniarum celebritate acturi estis. Laudi vobis est, hoc suscepisse propositum: quippe non modo cum amore studioque congruit, quo istum laborum vestrorum campum recte diligitis, sed etiam valde videtur opportunum esse atque utile. Etenim hoc toto spatio temporis praeclara obvenere ab isto ipso asceterio beneficia romanae plebi; quae si, in tot tantisque offensionibus, illecebris et insidiis, adhuc tamen non adeo amplam iacturam fecit christianae professionis et vitae, tribuendum non exigua ex parte est industriae ac diligentiae sacerdotum, qui sacro eo secessu elaborare solent, ut rudes adolescentum ac saepe etiam virorum animos reddant Divino Pabulo accipiendo idoneos. Sane Sanctissimae Eucharistiae libatio prima, vix dici potest quanti referat ad christiani hominis salutem, ut rite sancteque fiat. Hoc persuaso, et sacerdos ille optimi exempli, Ioachimus Michelini totum se ad tam salutare sacri ministerii genus contulit, et deinceps nunquam defuerunt e romano Clero viri, qui opus, ab ipso inceptum, diligentissime persequerentur. Atque in his complures doctrina, sanctimonia et animarum charitate insignes recensendi sunt: illa nominatim catholicae Ecclesiae lumina et ornamenta, Gaspar Del Bufalo, Vincentius Pallotti et Pius IX, qui quidem sacerdotale suum munus ibidem est felicissime auspicatus. Iamvero egregiam fructuosamque horum commemorari operam, ac mirabilia celebrari, quae saepius Magna Dei Mater, *Refugium peccatorum*, dedit instituto vestro patrocinii sui documenta, id quod per saecularem asceterii natalem fiet, omnino dignum est, idemque conducibile ad acuendos in vobis rectos spiritus, ad simile in aliis excitandum studium, ad popularem pietatem refovendam. Itaque visum est Nobis vestras istas augere laetitias his litteris: qua occasione libenter utimur, ut vobis, tam qui piam istam Domum regitis, quam qui in eadem sive concionatorum sive adiutorum id est assistentium officium obitis, animum Nos et gratum et propensum singulis testemur. Quare agite, dilecti filii, et commendatione ac voce Nostra erecti, pergite vel alacriores, Curionum Urbis, in re maxima, onus atque munus, secundum ea quae nuper a Nobis praescripta sunt, pro viribus allevare. Interea caelestium bonorum auspicium et paternae Nostrae benevolentiae pignus, habete Apostoli-

cam benedictionem, quam vobis peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Februarii anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

V.

Conceditur indulg. plen. visitantibus ecclesias Carmelitarum die festo B. Franci.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam fidelium religionem animarumque salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui quamlibet Ecclesiam vel publicum Oratorium Fratrum Ord. B. M. V. de Monte Carmelo tum primi Instituti, tum Excalceatorum die festo B. Franci, Conf. Carmelit., a primis vesperis usque ad occasum solis diei huiusmodi quotannis devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse, misericorditer in Domino concedimus. Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud S. Petrum sub annulo piscatoris die XI Februarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro D.no Card. MACCHI
N. MARINI.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII [1]

5513/44 I.

Sabinen. — Refectionis expensarum.

Quum cessio iuris decimandi ex parte Capituli in favorem Canonici N. acceptantis, fuerit ad normam iuris canonici valida, iste pactas hinc inde conditiones servare tenetur.

Die 17 Decembris 1904.

Capitulum Cathedrale Sabinense iure decimandi pollebat super latifundio, vulgo *tenuta di Montecalvo o Viconovo* in territorio oppidi Poggio Nativo.

Publicato an. 1860 decreto dictatoriali Pepoli, latifundii possessores hoc Capituli ius impugnare coeperunt: hinc Capitulum pro suorum iurium manutentione pluries insistere apud eosdem possessores debuit, quin tamen usque ab an. 1855 aliquod inde emolumentum reportaret.

Ad litis itaque molestias et expensas devitandas, satius duxit actu Capitulari diei 22 Octobris 1884 delegare sua iura tuenda Canonico Pagani Capituli Camerario, qui sibi litis consortem adiunxit Primicerium Franciscum Felli. Hoc primo mandatum accepto habuit; at postea ei nuncium misit. Tunc Canonicus Pagani sibi litis adiutorem quaesivit in advocato Pistolini: qui duo tamen an. 1887 coacti fuerunt mandatum dimittere, quamvis non infundata spes adesset ius decimarum favore Capituli recuperandi.

Iterum tunc sese exhibuit Canonicus Felli et a Capitulo mandatum habere nisus est prosequendi acta litis, spem fovens sua solertia Capituli ius esse redintegrandum: mandatum quidem a Capitulo relaxatum est. At vix decurso biennio cum susceptum negotium, sive incuria mandatarii iuxta Capitulares, sive malo facto iuxta Canonicum Felli in pessum iret, Capitulum expostulata prius ratione super processu litis a Can. Felli sub die 31 Octobris 1889 ad ulteriores expensas impediendas ad hanc Capitularem resolutionem devenit, quae in Capitulari lib. *p. 103* legitur: « Il Capitolo rinunziando « assolutamente *et sub quacumque forma* alle cause tutte « per la rivendica delle decime, si obbliga con scrittura a « pagare tutti i debiti contratti fino al presente giorno entro « lo spazio di 4 mesi ». Cum autem Canonicus Felli declarasset sese promptum esse ad litem suo nomine prosequendam, dummodo Capitulum sibi iura sua cederet, in Capitulari sessione diei 24 sequentis mensis Novembris, propositio a Canonico facta ratihabita fuit. Resignatio autem facta fuit cum nonnullis conditionibus de consensu partium positis, quae referuntur in supplici libello S. Congregationis EE. et Regul. oblato ad obtinendum beneplacitum Apostolicum.

Per rescriptum eiusdem S. Congregationis sub die 6 Decembris successivi E.mo Episcopo Sabinensi tributa est facultas « providendi super praemissis cum pactis et conditionibus in omnibus iuxta preces ».

Die 19 eiusdem mensis, E.mus Episcopus per decretum executoriale memorati rescripti concessit oratoribus facultatem « deveniendi ad enunciatam iuris decimandi cessionem cum onere R.mo D. Francisco Primicerio Felli imposito solvendi favore Capituli Cathedralis Manliani in Sabinis annuum canonem perpetuum 100 libel. et cum aliis oneribus pactis et conditionibus... prout constat ex duobus Capitularibus comitiis habitis diebus 31 Octobris et 24 Novembris 1899, in quibus supradicta pacta et conditiones tum a R.mo Capitulo tum a R.mo Francisco Primicerio Felli admissa et acceptata fuerunt ».

Hisce habitis facultatibus, partes stipulationem inierunt.

Uti ex transcriptis actis elucet, Sacerdos Felli apparenter tantum mansit Capituli mandatarius, sed verus et realis dominus litis erat ipse Felli, cuius nomine et impendio erat causa prosequenda. Contractus vero cessionis non fuit redactus sub forma publici instrumenenti, seu servatis legis civilis solemnitatibus, quia iuxta Capitulum plures ex eo exoriri poterant difficultates ex parte Demanii, cuius licentia necessaria fuisset ad ius Capituli cedendum Sacerdoti Felli; hinc tantum canonicae solemnitates servatae sunt, quae per se vim habebant obligandi contrahentes in conscientia.

Peracta conventione, Canonicus Felli iura sua experiri sategit primum apud tribunal Reatinum; sed mense Augusti an. 1892 adversam tulit sententiam: provocavit deinde ad tribunal appellationis Perusinum, sed item infesto sidere,

(1) In praesenti mense non fuit Congregatio. N. D.

uti ex sententia ab eo emissa sub die 6 Aprilis 1895: et tandem etiam adversam decisionem sub die 2 Martii 1896 tulit in tertio iurisdictionis gradu, nempe apud aulam Supremi tribunalis, vulgo *di Cassazione.* Interea Capitulum Sabinense cum probe nosceret eius nomine licet apparenter causam geri, ad molestias effugiendas sive ex parte haeredum Felli in hypothesi eventualis eius decessus, sive ex parte advocatorum pro refectione expensarum et pro honorariis, pluries institit apud eumdem Felli, ut scriptam declarationem emitteret sibi tradendam, qua clare constaret Sacerdotem Felli non Capituli nomine, sed proprio litem gerere et suscepisse. At incassum, quandoquidem Felli hanc Capituli petitionem eludebat, promittendo super sua honestate, susceptas obligationes se fideliter adimpleturum. Ita profecto evenit, quando an. 1895 advocatus Raccuini pro refectione expensarum in prima et secunda alea iudicii minatus est supponere bona Capituli sequestro. Canonicus Felli satis habuit haec declarare, uti ex eius epistola, in actis existente: « In ogni tristo caso, io sono sempre abbastanza in « forze di rilevare il Capitolo da ogni molestia ».

Capituli anxietates magis auctae sunt post editam sententiam Supremi tribunalis: at etiam tunc renuit Canonicus Felli mittere Capitulo expetitam declarationem. Quapropter de huiusmodi agendi ratione pertaesum Capitulum institit apud E.mum Episcopum Sabinensem pro declarationis subscriptione. E.mus Episcopus monuit Sacerdotem Felli, ut quamprimum conscientiae vinculo erga Capitulum satisfaceret, comminatis etiam poenis in casu renuentiae. Sed etiam hac vice ab aliquo praestando effugit, appellando ad suam honestatem. Itemque anno 1898, asseverando Canonico Sabinensi Milani: « Il mio carattere non è venuto mai meno « a sè stesso ».

Quibus promissis, Capitulum confisum sperabat Sacerdotem Felli aliquando ea esse persoluturum. At inopinato idem Capitulum ex epistola a Felli scripta sub die 17 Aug. an. 1900 Archipresbytero Capituli clare detexit usque ad id temporis verba dedisse. In hac enim epistola incusato Capitulo, quod petitam cessionem in forma iuris civilis validam nunquam fecerat prout ipsum obligationem assumpserat, Sacerdos Felli nuntiabat in causae prosecutione se egisse non proprio sed Capituli nomine, ideoque addebat « intendo di essere dal « Capitolo interamente indennizzato di tutti i miei sacrifici « e dispendi sopportati angosciosamente per la durata di « oltre dieci anni ».

Hac habita notitia, Capitulum rem detulit H. S. C.: et exhaustis omnibus conatibus ad conciliationem obtinendam controversia subiici debuit supremo EE. VV. iudicio.

Uti per se in comperto est, litigantes sibi diversa probanda proponunt. Capitulum sustinet veram iurium cessionem et iuxta canonici iuris censuram validam extitisse, ideoque Sacerdotem Felli teneri capitulares a molestiis relevare. Ex adverso hic propugnat cessionem controversam alligatam fuisse conditioni, quod haec ut suum valorem explicaret, erat stipulanda in forma iuris civilis valida seu per actum publicum; quam conditionem, cum Capitulum non praestiterit, ipsum respondere debere de omnibus damnis et expensis iuxta sibi iam traditi mandati confirmationem. Hisce praenotatis, iura utrinque deducta compendiatim exponam.

Canonicus Bernasconi, Capituli procurator, primo statuit inter Canonicum Felli et idem Capitulum verum contractum et quidem bilateralem extitisse, quod ita evincere nititur. Sane contractus nomine usuvenire solet conventio duorum vel plurium in eamdem rem aliquo signo manifesta contrahendae vel distrahendae obligationis causa. D'Annibale *t. 2, n. 425*, in *Summ. Theol.* Iam vero in themate haec reciproca voluntas seu consensus adstitit, et quidem per mutuam declarationem scripto redactam manifestatus. Ex una enim parte Sacerdos Felli acceptavit cessionem iuris decimandi cum omnibus iuribus et conditionibus de quibus in actis Capitularibus dierum 31 Octobris et 24 Novembris 1889, et ex altera Capitulum pariter dictas conditiones ratas habens sua iura cessit super decimis et haec fuit conditio specifica contractus. Ex una parte cessio iuris decimandi, ex altera acceptatio cessionis cum conditione praecipue illud iudicialiter propriis expensis vindicandi: proinde iuxta procuratorem verus adfuit contractus bilateralis. Iam vero uti tradit Rota, *dec. 148*, *coram Riminaldo*, in his contractibus « iniquum est, quod quis exequi postulet quidquid sui favore stipulatus sit, quae vero contraria refugiat » uti praetendit Canonicus Felli, quae damna litis in Capitulum refundere vellet.

Quin aliquid obstet obiectio a Felli proposita de conditione apposita « che verificata la regolarità e la legalità della cessione, il Felli fosse obbligato... » quia, exclusa validitate cessionis iuxta leges civiles, ipse agere non poterat pro vindicatione iuris cessi. Reponit enim procurator, quod haec regularitas et legalitas cessionis ad tramites ss. canonum est dimetienda et de qua tamen inferius. Quoad defectum vero legalitatis civilis in cessione observat, quod haec impedimentum parare non poterat, sicuti de facto non paravit, cum ipse, licet apparenter, ageret in iudicio ex persona Capituli. Disserens autem de sensu appositae conditionis, primum conqueritur quod ipsius tenor modo excriptus, a Felli in sequentem arbitrarie sit immutatus. « Che la cessione « non avesse alcun vigore finchè non si fosse verificata la « legalità e regolarità della cessione medesima ». Hoc factum profecto ait arguere in contradictore malam fidem. Sed, hoc omisso, procurator sustinet hanc secundam conditionem legalitatis esse intelligendam subordinate ad beneplacitum Apostolicum, sine quo alienatio bonorum vel iurium Ecclesiae regularis et legalis iuxta ss. canones esse nequit.

Obtento autem beneplacito Apostolico per rescriptum S. Congr. EE. et Regul., editum sub die 6 Decembris 1889, executioni mandatum die 19 eiusdem mensis utraque pars per reciprocam declarationem, diei 5 Ian. 1890, cessionem cum conditionibus in praecedentibus sessionibus Capitularibus appositis et acceptis stipulata est, et ita cessio iuris decimandi evasit legalis, facta sacerdoti Felli facultate prosequendi acta causae « però a sue spese esclusive ». Idque potiori iure concludendum esse dicit, si prae oculis habeatur, quod nonnullas conditiones in cessiones appositas sacerdos Felli executioni commisit uti de dimissione peracta aeris alieni Capituli quod sibi persolvendum assumpserat.

Neque, instat procurator, ullo modo admitti potest praetensio sacerdotis Felli, quod nempe cessio tunc valeret quando iuxta formalitates civiles esset confecta. Plura enim hanc praetensionem diluunt. In primis enim hoc fuisset exprimendum tum in sessionibus Capitularibus praecedenter habitis, tum in supplici libello ad S. Sedem, tum in subsecuta cessionis ratificatione. Sed in hisce actis neque verbum neque vola de invocata post decem annos civili formalitate; hinc, iuxta procuratorem, applicari posset principium: quod voluit expressit, quod noluit non expressit.

Utique Sacerdos Felli contendit, id declarasse in sessione Capitulari, diei 5 Ianuarii 1890, quando ratificatio contractus ab utraque parte fuit subscripta, at quatuor Capitulares nunc superstites id prorsus impugnant. Insuper si haec civilis legalitas erat ei necessaria pro litis prosecutione nomine proprio, profecto explicari non potest cur nunquam Capitulum urserit pro ea obtinenda, at e contra maluerit potius causam prosequi, appositas conditiones adimplere, et tandem ad eam exceptionem confugere decennio post stipu-

latum contractum et postquam extremam ipse subierat ruinam per contrariam resolutionem supremi Tribunalis vulgo *di Cassazione*. Haec adiuncta, notat procurator, per se clare portendunt nullam de dicta formalitate in contractu cessionis habitam fuisse rationem, sed potius fuisse intempestivum adversarii commentum ad evitanda damna sit obventa, uti deduci valet ex his verbis in epistola, diei 17 Augusti 1900 ad Capituli Archipresbyterum « o avessi vinta « la causa o l'avessi perduta, nel primo caso la vincita ce« derebbe a mio favore, e nel secondo caso avrei avuto il « diritto di essere indennizzato di tutti i miei sacrifici e « dispendi ».

Sed maiora adhuc prostant, ait procurator, ad revincendam futilitatem propositae exceptionis. Anno 1895 uti iam superius fuit animadversum, cum advocatus Raccuini immobiliare praeceptum super quodam Capituli fundo indixisset sub comminatione illum subastationi subiiciendi, nisi litis expensae coram Reatino Tribunali factae compensarentur, Capitulum illico monuit litis cessionarium sacerdotem Felli. Hic vero Capitulo non opposuit ad evitandam solutionem expensarum defectum legalitatis in cessione, sed pure et simpliciter declaravit sese promptum ad illud relevandum a molestiis, uti patet ex epistola missa ab eodem sub die 6 Aprilis 1895 Capituli Archipresbytero, post acceptam monitionem. Idem sacerdos Felli confirmavit in epistola missa ad E.mum Episcopum Sabinensem, sub die 3 Novembris 1896. « Insino « ad ora non sono venuto mai meno ai miei obblighi, nè « conscienziosamente vi verrò meno per l'avvenire ». Et in epistolio ad canonicum Milani sub die 1 Iulii 1898, ita sese exprimit: « Vorrei sapere se il Raccuini ha notificato al Ca« pitolo la sentenza di cassazione... Il Capitolo stia tran« quillo, perchè il mio carattere non è mai venuto meno a « sè stesso ». Idem etiam confessus est advocato Milani, qui praefato canonico consobrino scribens ita ait: « Il Felli vuole « faccia sapere a te e a codesti Capitolari, che sono superflue « le tue raccomandazioni nella tua lettera contenute, perchè « egli non è ancora andato fallito, ed è uomo da fare onore « agl'impegni assunti ».

Atqui, subdit Capituli procurator, si adhuc regularis litis cessio non intercesserat, sacerdos Felli non tam facile has molestias sibi assumpsisset declarans sese adstrictum vinculo conscientiae ad suscepta onera adimplenda.

Alterum argumentum Capituli procurator corrivat ex eo, quod sacerdos Felli post secutam cessionem sibi inscripsit onus solvendi tributum vulgo *di ricchezza mobile*. Ius decimandi a Capitulo exercitum ab aerario fuerat gravatum annua responsione libellarum 50 titulo tributi praefati. Hanc taxam licet annuatim Capitulum persolverit, tamen a canonico Felli post factam cessionem semper ei fuit refusa. Ex hoc itaque facto evincitur, quod Capitulum quamvis coram lege civili uti dominus iuris decimandi appareat, aliter tamen res se habet in foro ecclesiastico et coram conscientia; nam secus dicta redintegratio explicari nequiret, eique sese opposuisset canonicus Felli.

Neque negotium facessit, quod causae acta semper peracta fuerint Capituli nomine; facta enim cessio cum esset valida tantum in ratione canonica, lis trahi non poterat civiliter nisi Capituli nomine; sed haec prosecutio ob factam a Capitulo privatam resignationem, cedere debebat exclusive in lucrum vel damnum cessionarii canonici. Sane de hac Capituli renuntiatione, fit sermo in actu Capitulari, diei 31 Octobris 1889: « Il Capitolo rinunziando assolutamente *et sub* « *quacumque forma* alle cause tutte per la rivendica delle « decime »; et in declaratione diei 5 Ian. 1890 a Camerario Capituli emissa et subscripta, omne ius circa decimarum vindicationem absolute transfertur in acceptantem canonicum Felli per haec verba: « annuendo volentieri il Capi« tolo che il Signor Primicerio Felli prosegua le cause della « rivendica delle decime di Viconovo o Montecalvo a nome « dello stesso Capitolo, però a sue spese ».

Per dictam igitur cessionem, seu resignationem litis, Felli verus causae dominus effectus est, quamvis ob non interventas civiles solemnitates, uti talis non desierit esse Capitulum coram lege civili, cuius nomine et mandato Felli causam agebat. Hinc iure ipse uti litis cessionarius omnes expensas et damna inde secuta supportare debet.

Posita autem cessionis validitate in foro conscientiae seu ante leges Ecclesiae, et hinc necessaria consequentia quod sacerdos Felli de omnibus damnis et expensis sibi ex lite obventis exclusive respondere debeat, illud veluti sponte sua fluit, quod Capitulum cuius nomine licet apparenter causa facta fuit, relevari debeat ab omnibus molestiis a vero domino litis seu cessionario, cum non debeat alii per alium iniqua conditio inferri. Hoc vero obtineri non potest nisi per syngrapham in forma iuris civilis validam a Felli subscriptam, qua hic declaret litem nomine suo gestam fuisse et Capitulum ab ea fuisse extraneum, licet Felli apparenter eius mandatarius appareat. Haec profecto declaratio Capitulo necessaria est, ut se tueri valeat contra eventuales molestias, quae sibi afferri possent vel ab haeredibus Felli, vel ab aliis interesse habentibus memoratae litis titulo.

Ex altera vero parte sacerdos Felli, nunc Patriarchalis Basilicae Lateranensis beneficiatus, praemittit in factispecie, quod relate ad cessionem iuris decimarum ipse primum expetiit in actu Capitulari diei 31 Octobris 1889, tamquam conditionem *sine qua non* ad eius valorem, ut cessionis stipulatio fieret per publicum actum, quia deficiente dicta solemnitate ipse in qualitate cessionarii agere non poterat pro vindicatione iuris decimarum: item notat quod pro hac conditione iterum institit, quando utrimque die 5 Ianuarii 1890, conditiones et onera contractus fuerunt subscriptae.

Iuxta Felli Capitulum tunc sese obligavit ad hanc solemnitatem quamprimum praestandam, facta interim sibi facultate nomine Capituli acta iudicialia prosequendi vi mandati, quod iam a duobus annis habebat. Emissa vero Capitulo contraria sententia a Tribunali appellationis, tunc primum idem Capitulum coepit expostulare notam declarationem, ait Felli, ut evaderet immune ab expensis incursis in alea primi et secundi iudicii, quod ipse uti Capituli mandatarium expertum fuisse sustinet. Haec autem Capituli insistentia etiam crevit quando instaurata causa eiusdem Capituli nomine apud tribunal supremum vulgo *di Cassazione*, adversa pariter ei prodiit sententia. Cum in his tribus iudiciis, ex non secuta legali cessione iuxta positam et utrimque acceptatam conditionem, uti Capituli purus mandatarius egerit, concludit merito sese opposuisse, et nunc etiam sese opponere relaxationi praetensae declarationis.

Haec breviter circa factorum historiam praelocutus sacerdos Felli nonnullas primum ex adverso factas accusationes disiicit, et praecipue illam qua ipse traducitur pro virili apud Capitulum adlaborasse, ut traditum mandatum pro vindicatione decimarum a canonico Pagani et advocato Pistolini revocaretur, ut ad seipsum transferretur. Id notat quam maxime a veritate abhorrere, ut probant sessiones Capitulares habitae super praefato negotio, et in quibus ne ipse quidem adfuit. Quin imo in hac controversia remissa iudicio E.mi Episcopi, dum alii canonici ad deponendum fuerunt acciti, ipse solus exclusus mansit, utpote nihil sciens de quaestione Pagani-Pistolini.

Post haec, sacerdos Felli causae meritum attingens duas praecipue prae oculis habitas fuisse conditiones sustinet in controversa cessione, nempe Beneplacitum Apostolicum, et

contractus stipulationem ad iuris civilis normas seu per actum publicum, quia aliter ipse litis dominus evadere non potuisset. Iam vero quod prima conditio locum habuerit, est extra dubitationis aleam. Sed contra prorsus accidit de secunda conditione, quae nunquam ad actum redacta fuit.

Capitulum utique contendit cessionis contractum perfectum fuisse, quando ex utraque parte die 5 Ianuarii 1890 per subscriptionem ratihabitae fuerunt ipsius conditiones expressae in comitiis Capitularibus diei 31 Octobris et 24 Novembris 1889. Verum, ait Felli, unusquisque facile intelligit, quod haec praeliminaris et reciproca onerum et conditionum approbatio, erat tamquam praevius processus ad cessionem ad legis civilis tramites stipulandam, et proinde non contractus, sed melius contractus propositio est nuncupanda.

Quod adeo verum est, ut Capitulum, quamvis in praesentiarum id neget, super hoc tunc rogatum ita iuxta Felli responderit: « Voi soddisfate intanto i debiti che vi siete « obbligato soddisfare; l'atto di cessione si farà e prose- « guite i giudizi col mandato che avete del Capitolo »: Et sub hac conditione quod, uti legitur in declaratione a Camerario Capituli signata, Capitulum libenter annuit « che « il Signor Primicerio Felli prosegua le cause della riven- « dica delle decime a nome dello stesso Capitolo ».

Sed, urget Felli, haec legalis contractus stipulatio nunquam effecta est, quamvis ad eam Capitulum sese obligaverit. Ergo dominus litis mansit Capitulum eique proinde omnes iudicii expensae et damna sunt adscribenda.

Sed esto, prosequitur Felli, quod contractus extiterit et quidem validus iuxta leges ecclesiae, prout Capitulum contendit: ex hoc nihil concludi ait, quia eius intentio alia fuit uti patet ex apposita conditione, « Che verificata la le- « galità e regolarità della cessione... »; hinc actum fuit non de contractu in foro conscientiae seu privato stipulando, sed de contractu legalibus et civilibus formis vestito, prout nunc Capitulum instat pro petita declaratione quam per actum publicum emitti vult: et ratio evidens est, quia sine hac forma contractus, ipse litis cessionarius non fiebat. Quare alium citatis verbis indere sensum, uti Capitulum praetendit, non est ea explicare et interpretari, sed potius detorquere.

Neque obiiciatur a Capituli procuratore, ait Felli, quod tali ratione contractum cessionis interpretando, ecclesiae leges iuxta quas fuit initus, posthabentur et negliguntur, siquidem reponitur, non ipsum sed potius Capitulum eas violasse. Sane iuxta obtentum indultum Pontificium, contractus erat ineundus cum omnibus pactis et oneribus in supplici libello descriptis. Ipse suscepta onera dimittendi aes alienum a Capitulo contractum penitus adimplevit: at non ita ex alia parte factum a Capitulo, quod sese obligaverat ad contractum cessionis in forma legali redigendum: ipsum putavit alieno impendio posse litem consequi; vix autem cognovit se in sua spe frustratum ob adversas habitas tribunalium sententias, tunc ad se tuendum obtendit acta litis non suo nomine fuisse facta, sed damno et lucro sacerdotis Felli et excogitavit factam iurium cessionem, quae tamen non extabat ob non adhuc impletam conditionem.

Neque item aliquid, subdit Felli, contra se evinci potest ex epistola E.mi Episcopi Sabinensis sub die 29 Octobris 1896 iubentis acceptationem propositae a Capitulo declarationis. Haec epistola a Capitulo inspirata nitebatur falso supposito cessionis: proinde in responso ei dato, non vacuas ipse adduxit excusationes iuxta Capituli procuratorem, sed iure suo utens revocavit partem adversam ad factae conventionis conditiones positas servandas. At postea, cum undecim fere anni effluxissent, quin cessio legalis esset facta et aliunde Capituli mandatum duraret: ne amplius ipse vexaretur a Capitulo pro relaxatione superius memoratae declarationis, censuit monere per peremptoriam epistolam diei 14 Augusti 1900 idem Capitulum de onere ei incumbente compensandi expensas litis. Neque de hoc damno, ait Felli, Capitulum conqueri potest, quia id fuit veluti necessarium consequens non secutae cessionis et hinc perseverantiae mandati.

Propellens deinde aliam ex adverso factam difficultatem nempe quod si cessio erat illegalis, sibi a prosecutione actorum erat abstinendum, observat quod haec abstentio non erat prorsus necessaria: nam vel Capitulum erat adimpleturum promissionem, et hoc casu ipse efficiebatur litis dominus, vel conditio non erat secutura, et in hac alia hypothesi, sive favorabilis sive contrarius esset iudicii exitus Capitulum semper erat adstrictum vi non revocati mandati ad iudicii expensas sustinendas « perchè, (ut ipse ait in mox « allata epistola) o avessi vinto la causa o l'avessi perduta, « nel primo caso *per le spese* la vincita cederebbe a mio « favore, e nel secondo caso parimenti avrei avuto il diritto « di essere indennizzato di tutti i miei sacrifici e dispendi ». Sedulo notat, quod quamvis illa verba *per le spese* non appareant in epistola ad Capitulum missa, tamen ea adsunt in minuta apud se existente: unde argui valet ea fuisse omissa ex amanuensis errore.

Demum sacerdos Felli paucis ita controversiam perstringit. In comperto quidem est Capitulum habuisse voluntatem abdicandi in sui favorem ius decimarum litigiosum: id constat nedum ex actis Capitularibus dierum 31 Octobris et 24 Novembris 1889, sed etiam ex supplici libello S. Sedi porrecto. Item certum est hanc abdicationem seu cessionem nonnullis fuisse conditionibus circumscriptam, quarum potior erat quod cessio esset facienda in forma regulari nempe iuxta civilis legis praescriptum, quia tantum hac ratione litem a Capitulo susceptam, nomine suo prosequi poterat.

Age vero obtento beneplacito Apostolico, conditiones ab utraque parte fuerunt acceptatae et subscriptae. At quia legalis cessio non adhuc intercesserat, ideo Capitulum sacerdoti Felli per mandati continuationem permisit, ut acta causae interim prosequi valeret, quoad usque conventa cessio per actum publicum stipularetur. Capitulum ad hunc actum nunquam devenit, ideoque facto ipso a promissione recedendo, mansit litis dominus, et sacerdos Felli in omnibus actis iudicialibus expletis fuit eiusdem mandatarius. Hinc cum omnes expensas et iudicii consectaria ferre debeat Capitulum, petita ab eodem declaratio utpote absurda omnino est respuenda.

Hucusque breviter retuli, quae partes in suis allegationibus praelo impressis deduxerunt: modo non incongruum duco etiam subnectere declarationis formulam a Capitulo propositam et a parte contraria impugnatam, quae ita se habet:

« *Dichiarazione da tradursi in atto legale*
« *e da firmarsi dal M. R. S. D. Felli.*

« Serva la presente per dichiarare che tutte le cause « sostenute fino al presente giorno, contro .... « avanti le autorità giudiziarie di .... riguardano « esclusivamente il mio interesse, quantunque vi figuri, come « parte interessata, il R.mo Capitolo della Cattedrale di Sa- « bina, il quale fece a me regolare cessione delle decime, « di cui in dette cause si contende. Conseguentemente di- « chiaro di rinunziare a qualsiasi azione di rimborso a cui « le cause medesime potessero dar luogo, a tutte le spese « che sino ad ora ho anticipato e che dovessi in seguito « anticipare; come dichiaro altresì di voler rilevare indenne « il R.mo Capitolo di Sabina suddetto dagli effetti delle « sentenze contrarie sino ad ora ottenute e che potessero « aversi in seguito, dovendosi avere il detto Capitolo della

« Cattedrale di Sabina assolutamente estraneo a tali giudizi,
« nei quali interviene come semplice prestanome.

« Data

« Firma ».

Hisce praemissis sequens proponitur

DUBIUM.

An sacerdos Felli teneatur ad emittendam declarationem petitam a Capitulo Cathedrali Sabinensi in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Affirmative et ad mentem et amplius.*

5222/3 **Alben.-Pompeien. — Remotionis a Paroecia.**

Decernitur parochum invitum esse removendum a parochia in casu, nam propter odium plebis, plus minusve ab ipso suscitatum, bonum regimen paroeciae omnino pessumdatur.

Die 25 Februarii 1905.

In oppido - *Baldissero* - Dioecesis Albensis, Pedemontanae regionis, usque a die 23 Novembris anni 1884, Sac. Petrus Cantarella parochi officium exercebat. Idem oppidum 1300 incolis constat, quorum fere omnes excolendis agris incumbunt.

In eiusmodi parochiali explendo munere omnem ipse diligentiam adhibuisse videtur, adeo ut boni profecto respondissent fructus, nisi idem aspera nimisque in iis minus caute tuendis, quae iure esse tuenda existimabat, obstinata praeditus fuisset indole. Inde irae et graves in eum offensiones exortae.

Et quidem inter infensos validum sibi inimicum ipse expertus est eiusdem oppidi Baldisseri Municipium, cum huic litem moverit, quaedam ab eo iura ad parochiam spectantia vindicandi causa. Haec sane idem Episcopus in relatione diei 4 Septembris an. 1896, H. S. C. significabat.

Constat etiam litem suo decessori Sac. Sicca intentasse, eo fine ut quaedam parochiae praedia ab eodem absque iure, ut ait, divendita recuperaret. Eiusmodi tamen alienationem in bonum ipsius parochiae factam esse, neque S. Sedis beneplacitum in ea peragenda defuisse animadvertit Episcopus; illud addens nempe eumdem Sicca propter eius benefacta in ore et amore eorumdem parochianorum adhuc esse.

Praeter haec adnotat idem Episcopus iura, quae idem Cantarella erga alios defendere coepit, ista respicere...

Hinc mense Augusti anni 1896 recursus Episcopo oblatus est a 168 parochianis subscriptus, atque ab omnibus fere Municipii consiliariis approbatus, quo expetebatur ut eo remoto, alter Sacerdos eidem parochiae sufficeretur.

Quin imo gliscente in dies animorum erga eumdem parochum aversione, eo deventum est, ut plures (fere, ut videtur, 150) parochialem domum peterent, ubi et lapides in eam iactae sunt, et parochus magna cum finitimorum admiratione conviciis publice affectus est.

Exinde Episcopus duodecim sacerdotes inter canonicos et parochos hac super re cum percontatus esset, hi omnes de alieno erga Cantarella parochianorum animo testati sunt, tum de ipsius indole ad odium sibi pariendum idonea; nec ullam spem adesse significarunt, ut iidem aequo animo iterum sacerdotem Cantarella reciperent. Idem parochus quamvis haesitans, die 31 Octobris eiusdem anni, Baldisserum reliquit, atque apud parochum oppidi Corneliani Dioecesis Albensis sese recepit; eidemque parochiae sacerdos Vigolungo prouti oeconomus spiritualis suffectus est. Hic tamen haud valuit parochianorum animos eidem Cantarella conciliare. Unde cum ipsorum aversio erga eum perduraret, Eadem S. C. die 13 Februarii insequentis anni 1897, iterum ipsi Episcopo rescripsit, ut eidem Cantarella paroeciae loci Baldissero renuntiationem suadere curaret, in qua, licet ex malae plebis odio, suum opus utile amplius esse non poterat; et quatenus id expedire existimaret et esset possibile, ei translationem ad paroeciam eiusdem vel parum inferioris momenti proponeret. Hoc ut facilius perficeret, duorum parochorum opera Episcopus usus est, qui scilicet ipsum ad dictam renuntiationem peragendam suaderent. Ipse tamen renuit; aliamque paroeciam ab Episcopo ei oblatam inferioris quidem redditus, pensione tamen adaugendam accipere pariter detrectavit. Cum insuper idem Episcopus dictam translationem uti impossibilem existimaret, habita scilicet ratione tum ipsius indolis tum difficultatis *regium placitum* pro eo obtinendi, haec S. C., die 13 Septembris 1897, statuit ut praevia renuntiatione paroeciae, annua ei pensio libellarum 400 reservaretur supra bonis ac redditibus quibuscumque memorati beneficii parochialis, donec ipse de congruo beneficio provideretur.

Id etiam posthabuit Sac. Cantarella, edicens dictam concessionem utpote ab eo non postulatam nullam esse, declaravitque insuper se in animo habere Baldisserum reverti. Sane occasione, qua in eodem oppido Municipium coetus solutus fuit, spe ipse fretus res in populo esse compositas, die 28 Novembris 1901, Baldisserum rediit.

Verum insequenti die 29 plures paroeciae aedes accurrentes lapidibus eas impetere, conviciaque in ipsum parochum iterum proferre coeperunt, adeo ut postero mane sacerdos Cantarella protinus e Baldissero excedere, iterumque Cornelianum petere coactus fuerit. Interea, cum plures ex ipsis parochianis ob eiusmodi malefacta laicum apud tribunal causam dicturi citati essent, eorum profecto erga sacerdotem Cantarella livor magis auctus est. His de causis probe noscens Episcopus plenam erga Cantarella parochianorum aversionem existere, eiusque redditum novarum in populo perturbationum causam fore, prouti a publica etiam auctoritate certior factus erat, apud H. S. C. institit ut omnibus perpensis, dicti parochi remotionem a paroecia decerneret. Haec autem, die 24 Martii 1902, eidem Episcopo rescripsit ut quatenus id possibile esset, offerret praeposito Cantarella congruam pensionem vel beneficium, aut etiam provisionem, quae non habeat curam animarum. Hinc cum Ordinarius quamdam eidem cappellaniam obtulisset, hanc minus sibi convenire idem parochus ratus est, addens se quidem ad renuntiationem parochiae Baldisseri peragendam paratum esse, dummodo pensio libellaram 1200 ei assignaretur. Quod quidem cum in damnum eiusdem paroeciae nimis vergeret, quae redditu lib. 2000 fruitur, libellarum 500 pensio ipsi ab Episcopo proposita est.

Verum cum ex una parte rem idem differret, ex altera dictae parochiae providere necesse esset, idem Episcopus processu super odium plebis, prout H. S. C. antea iusserat, expleto, ad H. S. C. transmisit.

— En Promotoris Fiscalis diei 4 Dec. 1902, conclusiones.

« 1.° Clare constare odium plebis contra dictum Prae-
« positum, quod publice prodiit tum supplici libello ad
« DD. Episcopum a plerisque subscripto, quo Parochi re-
« motio poscebatur, tum iteratis tumultibus.

« 2.° Eiusmodi odium a gravibus causis originem ducere,
« quae repetuntur sive ab eius indole intolerabili, litium et
« vindictae cupida, sive a controversiis adversus Municipium,
« Confraternitates, quae a Sancto Aloysio et Disciplinantium
« nomen habent et nonnullos Parochianos non semel habitis,
« in quibus quandoque desiderantur, pro Parocho solida ra-

« tionum momenta, et semper mansuetudo, humilitas et charitas, quibus fulgere debet animarum Pastor. — Adde « modos inurbanos et a charitate alienos tum in pueris excipiendis et catechizandis in rebus fidei, tum in praedicatione verbi Dei, qua non semel modo Municipium modo « Confraternitates insectabatur. Adde incuriam in bono promovendo Asyli pro infantibus recipiendis, a rationibus « haud probandis, progenitam: praesertim zelotipia contra « praedecessorem D.num Secundum Sicca, cuius memoria « apud Parochianos Baldisserii adhuc in benedictione est. « Adde negligentiam quandoque in infirmis visendis et Sacramentorum gratia reficiendis.

« 3.° Praepositum Cantarella, quamvis a Parochia absit « ab anno 1896, nihil hucusque laboris et industriae adhibuisse, ad benevolentiam sibi conciliandam, imo magis « magisque animos a se movisse.

« 4.° Administratores Spirituales ab Episcopo designatos, « qui in eius absentia curam fidelium gererent, minime « obstitisse animorum conciliationi, nullum movisse lapidem « ad odia fovenda, bene vero prouti adiuncta ferebant, operam dedisse ad ipsa extinguenda.

« 6° Spem omnem exulare mutuae animarum conciliationis, et si D. Cantarella ad Parochiam regendam redeat, « nullum fructum ex eius ministerio esse sperandum, multa « damna esse pertimescenda, et valde probabile periculum « instare, quod renoventur tumultus cum discrimine vitae « eiusdem Praepositi.

« 7.° Bonum fidelium absolute exposcere ut quantocius et « meliori modo huic Parochiae consulatur ».

Idem denique Episcopus haec, die 10 Maii nuper praeteriti anni, adnotabat concludens de necessitate removendi Sac. Cantarella a Parochia Baldisserii, assignata illi pensione lib. 300 super redditibus dicti beneficii.

— E contra patronus, qui Sac. Cantarella defensionem suscepit, duo probare nititur, videlicet in casu odium erga eumdem parochum haud existere; etsi autem detur ut subsistat, minime ipsius parochi culpa fuisse excitatum, paucosque tantum e plebe fovisse.

Et quidem cum eiusdem odii existentia, caeteroquin paucorum tantum, ut ait, e plebe, repeti videatur ex petitione, quae mense Augusti an. 1896 ad ipsum amovendum a pluribus subscripta fuit, atque ex turbis contra eumdem die 29 Nov. 1901 excitatis, utrumque expendere satagit advocatus.

Ac *primo*, quoad petitionem, cum testes ab eodem parocho inducti, negent ante annum 1896 querelas erga eum extitisse, concipi profecto nequit, adnotat advocatus, tot parochianos eodem anno eius remotionem efflagitasse, nisi ratio insimul legitima appareat cur ipsius parochi regimen fastidirent. Haec sane ait iidem testes fassi sunt: « Fino all'agosto 1896 si diceva semplicemente che non piaceva « molto nel predicare. — Io non ho mai sentito a dire che « sino a quell'anno 1896 in Baldisserra vi era un lamento « universale... Fino all'agosto 1896 era da tutti amato, rispettato ed ascoltato. — Si diceva tutt'altro che vi fosse « un lamento generale... Non è vero, ma era dai suoi parrocchiani amato, rispettato ed ascoltato ».

Iamvero (scribit idem): « fieri nequit, ut concordia improviso in tantam erumpat discordiam, ut *heri* parochianorum nullus de Parocho querelam moveat: *hodie* vero fere omnes petant ut a Paroecia amoveatur ».

Unde concludit eamdem petitionem prouti certam odii significationem parochianorum erga parochum haberi non posse. Huius insuper petitionis originem repetit advocatus ex nimia, qua parochiani propensione ferebantur erga Sac. Maratium cum ab Episcopo viceparochi munus fuerat demandatum. Unde cum aegre iidem parochiani ipsius Maratii discessum ferrent, adversantibus eumdem parochum tum Municipii secretario, huiusque consiliariis, nec non eodem Syndico, occasionem ita fuisse abreptam contendit patronus ad subscriptiones colligendas.

Id autem quo facilius assequerentur, recolit advocatus, ipsos Municipii consiliarios, quaedam alba circumferre coepisse folia ab iisdem subscribenda oppidanis, simulantes id fieri, tum ut duae Missae festis diebus iterum haberentur, tum ut Maratius in parochi officium denuo restitueretur. Hoc quidem apparere ait ex testibus quos allegat.

His ipsius secretarii Boidi testimonium addit, qui cum antea Syndici partes foveret, postea dissensionibus cum eodem exortis, hoc pandere haud dubitavit.

Patet itaque, ait advocatus, subscriptiones fuisse fraude extortas, quae proinde paucorum de plebe non plebis odium probant.

Secundo idem patronus non diffitetur parochum Cantarella conviciis fuisse affectum et lapides in eius parochialem domum coniectos esse. Verumtamen, cum aliqui dicant plures ex oppidanis seditiosae diei 29 Nov. 1901 turbae interfuisse, profecto animadvertit advocatus rationem habendam esse, non de iis, qui eidem turbae interfuerunt, sed de numero eorum qui revera vel hostiles clamores miserint, vel lapides proiecerint, cum notum sit plures saepe turbis commisceri curiositate potius quam adverso animo motos.

Atqui, ait advocatus, haec ex testibus habentur:... Non igitur centum vel quingentos aut omnes oppidanos, iuxta quosdam, lapides coniecisse adnotat advocatus, sed tantum viginti vel triginta, quod proinde minime insanabile in Praepositum plebis odium constituere contendit.

Idque clarius apparere ait ex modo quod idem odium erupit. Etenim cum Praepositus Cantarella Baldisserium reverterit die 27 Nov. et quidem sub omnium oculis, cur, quaerit advocatus, tres dies necessarii fuere ut eiusdem odii manifestationes fierent, nisi hoc temporis spatio ipsius adversarii seditiosos sibi adiungerent homines? Id quidem apparere ait ex testium depositionibus quos parochus induxit (ad inter. 51, 59, 60 et 61), qui etiam de modo agendi Sac. Raballo spiritualis oeconomi narrantes, referunt hunc, statim ac de Praepositi reditu rescivit, res suas parochiali domo abduxisse, nec non quemdam parochum inter acerrimos adversarios minus prudenter ibi excepisse.

Haud insuper immorari, censet advocatus in disserendo de clamoribus contra eumdem parochum habitis anno scilicet 1896, cum hi diebus scilicet dominicis 11 et 18 Octobris ex parte tantum quorumdam adolescentulorum, minus quidem viginti, evenerint.

Quare in irritum ipsa inamovibilitas, quae parochorum propria est, caderet, concludit, si paucorum aversio aegre ferentium parochum paroecia iura tueri, prouti totius populi vel saltem maioris partis esset spectanda.

— Ad alteram suae defensionis partem descendens, advocatus probare satagit idem plebis odium, etsi detur quod subsistat, haud parochi culpa fuisse excitatum.

Ac primo iis, quae quidam testes proferunt uti causam aversionis, subscriptionum, et turbarum contra parochum, alia ipse opponit quae testes ab eodem adducti favore istius praedicant. Hinc memorat ipsum in sacro ministerio zelum ac diligentiam adhibuisse, sive pias consuetudines instituendo, sive administrando sacramenta, sive proprio aere tum viceparochum alendo, tum sublevando pauperes, urbaneque illos excipiendo, qui eum adibant. Nec praeterit epidemico saeviente morbo, quod *cholera* nuncupant, non tantum spiritualia praesidia sed et corporalem assistentiam strenue ipsum indigentibus praebuisse.

Quod si idem Parochus pro quibusdam tuendis iuribus lites adversus aliquos intendit, profecto animadvertit patronus, quin eum earumdem litium exinde cupidum fuisse existimemus, potius investigandum erit an ipse iustam habuerit eas movendi causam.

Iamvero quoad litem Municipio ab eo intentatam aequum fuisse sustinet ut Parochus implendis a Municipio oneribus advigilaret, quae idem gravabant, tum scilicet legatum respicientia, tum subsidium pro altera Missa festis diebus celebranda. Imo iniquum fuisset, adnotat, ut Municipio sua non implenti onera silendo conniveret.

Relate ad litem Sodalitati, vulgo — *dei disciplinanti*, — motam, qui sacrarum functionum proventus in parochi damnum diminuere volebant, debitamque aedituo mercedem negabant, notum est, animadvertit advocatus, ipsum Episcopum detrectantibus mandasse, ut Parocho proventus solverent.

Item quoad S. Aloysii Sodalitatem, nihil aliud egisse Parochum contendit, nisi ut synodalis lex observaretur, praecipiens ut Sodalitates, rationes Parocho non reddentes, interdicantur sacris.

Neque denique iniuste egit, iuxta ipsum, cum decessore suo Sac. Sicca quaedam Paroeciae bona restituere nolente. Nam memorat ipsum, quin praedia ad paroeciam spectantia divenderit favore maiorum oblatorum, prouti per rescriptum ei concessum fuerat, effecisse ut per alios ipse ea acquireret; dum e contra, uti ex chirographo constat, notarii quidem signo communito, alios fuisse adnotat, qui pretium plus duplo maius quam eo obtulerint.

Quod autem potius testibus qui Parochum laudibus extollunt quam iis, qui illi contradicunt fides habenda sit, desumit advocatus ex eo quod Sac. Cantarella viceparochi munus in aliis parochiis gerens, nunquam, prout ex testimoniis apparet, (n. 9), querelis locum dederit; tum quia dum Baldisserii usque ad annum 1896 fuit, cum omnibus fere parochianis divexare assuetis, concordiam servaverit.

Quare quin ipse plebis odium sibi excitaverit, huius potius fuisse victimam contendit patronus; eo vel magis quod ipse quolibet destitutus fuerit praesidio.

Animadvertit enim eos, qui pro vicaria opera illi praestanda ab Episcopo dati fuere, quin zelo, prudentia, atque auctoritate res componere sategerint, prouti H. S. C. praeceperat, potius effecisse ut Parochi reditus perdifficilis foret. Sane memorat tum Sac. Vigolungo tum Sac. Raballum, praeposito penitus inaudito, a quo se omnino independentes praedicacabant.

Nec pariter omittit eosdem Parochi adversariorum familiaritate fuisse delectatos, ita ut Sac. Vigolungo Sodalitati cui nomen — *Società cattolica* — omnes parochi adversarios adiunxerit, et Raballus studuerit ut ipsius Praepositi adversarii inter Municipii consiliarios reciperentur. Nec praeterit eumdem Raballum quamdam epistolam sibi missam ex altari legisse, ut animos a Parocho alienaret, eumdemque populum ad novum Parochum obtinendum suasisse ut Ecclesiam clauderet.

Nulla insuper ipsis, addit, excusatio suffragatur dum asserunt se eumdem Parochum defendere haud potuisse ne fidelibus et ipsi invisi fierent: tum siquidem quia frustra S. V. O. ipsis imposuisset ut zelo, prudentia, auctoritate, res componere studerent; tum etiam quia idem argumentum positivo favore excluditur, quo ipsi eiusdem Parochi adversarios prosequuti sunt.

Quin imo nec ipsum Episcopum eidem Parocho praesto fuisse recolit. Sane memorat non modo Praepositum perperam ab eodem petiisse, ut recursum ad laicum iudicem subscriberet, quo facilius adversarii in officio continerentur; sed potius notum esse addit eumdem Episcopum post H. S. C. rescriptum diei 15 Septembris 1896 illum ad Paroeciam deserendam coëgisse. Pariter occasione, qua anno 1899 Sacram ipse Visitationem Baldisserii explevit, nihil eum peregisse adnotat, quod oppidanorum animos ad Parochum adduceret, eiusque reditum pararet.

Quare, concludit, etsi H. S. C. plebis odium in eodem parocho adesse iudicaret, hoc tamen, cum eidem haud vitio verti possit, ipsius remotio non in poenam, sed ex quodam, ut ait, prudentiae temperamento ea lege foret decernenda, ut non antea esset removendus a sua paroecia, quam alia eiusdem gradus eiusdemque redditus ei offeratur, prout factum esse recolit in *Eystettensi*, ubi Episcopus eamdem ob causam Parochum removerat: « *An iudicatum Curiae* « *Episcopalis sustineatur in casu?* Affirmative, *ita tamen* « *ut permutatio per Episcopum fiat cum beneficio red-* « *ditus aequivalentis* » (die 22 Sept. 1742).

Idem decretum fuisse addit in *Herbipolensi* d. 21 Dec. 1860; in *Limburgensi* d. 19 Dec. 1857; *Cantonis Ticini*, 1901; denique hac ipsa in causa, cum H. S. C., d. 13 Februarii 1897, Episcopo rescripserit, ut eidem Sac. Cantarella translatio ad paroeciam eiusdem vel parum inferioris momenti proponeretur.

Neque demum opponi valet, addit patronus, quae Episcopus habet, dum asserit sac. Cantarella parochialibus obeundis muneribus imparem esse.

Siquidem ex eo quod in difficili paroecia paucorum ille malevolentiam offendit, non ideo prout ineptum reputandum esse censet, cum notum sit pluribus in paroeciis vice-parochi munus non sine laude obiisse. Eo vel magis, adnotat, quod ipse Episcopus dum anno 1896 eidem iussit ut parochiam relinqueret, ei etiam obtulit aliud paroeciae regimen.

Si igitur, concludit, Episcopus tunc illum parochialibus muneribus explendis idoneum iudicabat, cum ex eo tempore nunquam amplius parochi officium gesserit, quo iure nunc eumdem, nullo, hoc temporis intervallo, experimento habito, prout imparem in parochiali fungendo munere aestimat?

Nunc aliqua *ex officio* advertam.

Quae *ad factum* spectant *summarium* confeci ex officio ex documentis, ad obtinendam remotionem, allatis.

Ad *ius* quod attinet, receptum est, a paroecia remotionem decerni posse, si parochus imperitus vel minus idoneus sit ad eamdem uti par est regendam, vel grave odium et aversio plebis adsint. Eidemque remotioni fit etiam locus si eiusmodi odium etiam ex mala plebe exurgat, adeo ut idem parochus etsi irreprehensibilis ac innocens sit, utile tamen ministerium in sua Ecclesia amplius exercere non valeat, prout etiam habet Reiffenst., *Lib. III Decr., tit. 19, n. 38:* « Procedit doctrina etiamsi causa absque culpa Beneficiarii eveniat, v. gr. exurgat gravis aversio et odium populi adversus parochum, ita ut huius verba nil amplius fructificent, populus divina contemnat, vel scandalum nascatur, etc. Ratio est quia bonum publicum debet praeferri privato, et ad extinguendum scandalum atque pro bono pacis relaxanda sunt iuris praecepta. Intellige: si alia via succurri non possit; enimvero quamdiu alia via iuvandi restat, v. gr. posset succurri malo per assignationem Coadiutoris ».

His profecto iuris principiis innixa, H. S. C. ne animarum salus aliquid detrimenti caperet, pastorum remotionibus pluries prospexit. Ita ex. gr. *Limburgen., 19 Dec. 1857*, cum Episcopi Decretum de privatione paroeciae causis gravis odii et aversionis inniteretur, ob acre parochi ingenium eiusque imprudentem agendi rationem excitatae, ad Dubium: « *An sustineatur decretum amotionis latum a Curia Episcopali Limburgensi in casu* », responsum fuit « *Affirmative* ». Ita etiam in *Presmilien., 18 Iunii 1887;* in *Lim-*

burgen., *27 Iunii 1857;* in *Taurinen.*, *7 Iulii 1855;* in *Spalaten.*, *14 Dec. 1885*: et in aliis.

Equidem ex una parte ex actis apparet, Baldisserii incolas obstinato ac pervicaci animo esse praeditos, adeo ut et alios ipsius parochi Cantarella decessores divexare non destiterint.

Ex altera Sac. Cantarella non eam apte dispositam adhibuisse prudentiam videtur, quae omnium virtutum est mater, ut suos parochianos minus animum aequum habentes sibi conciliaret, ut testatur idem Albensis Episcopus.

Caeteroquin in casu malae plebis odium innotescere videtur ex turbis adversus parochum excitatis, quae quidem effecere, ut bis idem Baldisserium petens, bis iterum discedere coactus fuerit.

Unde quamvis eiusmodi parochianorum agendi rationem prouti ab humanitate alienam bene quidem morati testes iudicent, uno ore tamen edicunt eumdem ad dictam paroeciam haud amplius reverti posse, itemque expetunt ut de novo pastore eorum Ecclesia provideatur. Id ab eodem Episcopo confirmatur, qui nuper (die 4 Febr. 1905) mittens ad eamdem S. C. quorumdam entium moralium, uti vocant, recursum (membri della Giunta, della Congregazione di carità, dell'Asilo infantile, Confraternita dei Disciplinanti, Sodalizio di S. Luigi) novum parochum expostulantium, haec habet: « È cosa certa che non c'è più un filo di speranza di conciliazione ».

Caeterum, EE. PP. sapientia et prudentia iudicabit quomodo sint dirimenda quae proponuntur

DUBIA

I. *An parochus Cantarella removendus sit a paroecia loci Baldissero.*

Et quatenus *Affirmative:*

II. *An et quomodo eidem parocho Cantarella sit providendum in casu?*

Emi Patres rescripserunt: *Ad 1um Affirmative. Ad 2um Affirmative, assignata pensione lib. 500 quarum tercentae super redditibus paroeciae, ducentae ex redditibus enunciati pii operis pro parochis, donec aliter provideatur.*

4330 / 2 VI.

Romana. — Spolii seu redintegrationis.

Infirmata fuit sententia Vicariatus Urbis lata occasione controversiae inter parochum S. Caroli Lombardorum et Archisodalitatem Lombardorum, quoad exercitium iurisdictionis parochialis.

Die 25 Februarii 1905.

In Ecclesia SS. Ambrosii et Caroli de Urbe, vulgo *San Carlo al Corso*, adest perantiqua Archisodalitas nationalis Lombardorum ab eisdem sanctis nuncupata, adnexum Ecclesiae aedificium domorum cum hospitali sub n. 437 nunc designatum possidens tamquam proprietaria. Tum hospitale, vi Brevis Apostolici Xisti IV de an. 1471 in limine fundationis, tum adnexae claustrales domus, vi instrumenti concordiae an. 1723 initae inter Confratres et Parochum S. Laurentii in Lucina, intra cuius Paroeciae ambitum Ecclesia et aedificium inveniuntur, amplissima exemptione a Paroeciali iurisdictione donatae sunt. Archisodalitatis enim Rector munera Paroecialia nedum exercere valebat in capellanos et infirmos inibi degentes, sed etiam in quascumque personas praefatas domos etiam titulo conductitio inhabitantes.

Hisce praemissis, en facti species, praesentis controversiae origo. Die 10 Dec. an. 1898, quaedam mulier nomine Esther Carli praefatam domum tamquam conductrix incolens diem inibi vidit supremum. Archisodalitatis Rector accedens ad levandum defunctae cadaver, illud non recto tramite ad Ecclesiam suam transtulit, sed processionem cum quadam pompa in nonnullis viis sub iurisdictione Parochi S. Laurentii in Lucina perduxit. Postea iustis funebribus in Ecclesia Archisodalitatis expletis, ab huius Rectore cadaver ad agrum Veranum seu publicum coemeterium recto tramite et sine pompa pro tumulatione perductum fuit.

De hoc certior factus Parochus S. Laurentii in Lucina, cuius consensus minime requisitus fuerat, illico per recursum contra Archisodalitatem apud E.mum Urbis Vicarium instituit ut ipsa cogeretur: « I° A redintegrare la Parrocchia « di S. Lorenzo in Lucina dello spoglio di giurisdizione, « mercè scritta dichiarazione di scusa, ovvero con altro « esterno atto ad arbitrio del giudice. II° A pagare alla « Parrocchia medesima l'emolumento di L. 110 come inden- « nizzo di danni pel funere suddetto ».

Ablegato recursu pro voto ad Cleri Camerarium, hic ad quodammodo laesum Parochi ius resarciendum, et controversiam componendam proposuit: « di ordinare alla medesima « Arciconfraternita di fare in iscritto al R. Parroco di S. Lo- « renzo in Lucina analogo atto di scusa »; et insuper: « Or- « dinare alla Parrocchia il dovuto compenso di L. 21,85, « cioè L. 7,85 come diritto di associazione per il Parroco, « Vice-Parroco e Crocifero, L. 14, come metà del diritto di « cera per la Chiesa parrocchiale ». At Parochus propositae concordiae acquiescere renuit.

Interim subsequenti anno 1899, cum Sabbato Sancto Archisodalitatis Rector superpelliceo et stola indutus ad domorum benedictionem perficiendam in praefato aedificio accessisset, novae querelae datae sunt a Parocho, circa usurpatam iurisdictionem parochialem, apud eumdem E.mum Urbis Vicarium. Quare duobus libellis in unum cumulatis in iudiciali citatione diei 10 Octobris an. 1899 facta a Parocho adversae parti, causa primum acta fuit apud tribunal Vices-gerentis, quod die 9 sequentis mensis Decembris sententiam Archisodalitati favorabilem tulit.

Ab hac sententia Parochus S. Laurentii in Lucina, die 8 Ianuarii an. 1900, appellationem interposuit apud Tribunal secundi gradus seu apud Tribunal E.mi Urbis Vicarii. Verum causae decisio ex nonnullis superventis circumstantiis dilata fuit usque ad diem 8 Augusti 1902, et Tribunalis resolutio quoad appellatam sententiam haec fuit: « 1° Riformiamo la « prima parte della sentenza pronunziata dal Tribunale del « Vice-gerente sotto il giorno 9 Dicembre 1899, dichiarando « che nel percorso delle sopra descritte vie, tanto al corteo fu- « nebre, quanto dal Rettore nel recarsi con cotta e stola in « forma pubblica a benedire le case, vi fu una vera viola- « zione e reale spoglio dei diritti giurisdizionali del Parroco « di S. Lorenzo in Lucina, e che perciò le L. 50,00 gli « son dovute non a mero titolo di ammenda, ma stretta- « mente come diritti parrocchiali. 2° Cassiamo la seconda « parte della sentenza medesima riflettente il giudizio peti- « torio, perchè pronunziata *contra ius et ultra petita*, ed « in conseguenza esoneriamo il Paroco dal pagare i quattro « quinti delle spese ».

Ab hac sententia sibi, die 30 eiusdem mensis pandita, Archisodalitas per appellationis libellum die 2 successivi Septembris ad H. S. Congr. provocavit, et hac mane, omnibus iam de ritu expletis, tertio instauratur inter partes certamen super proposito inferius dubio.

Archisodalitatis patronus, in sua tripartita allegatione, primum inquirit de natura actionis a Parocho contradictore intentata, dein utrum appellata sententia secundi gradus

eidem actioni plene responderit, et tertio demum nonnulla de causae merito disserit.

In primis observat quod actio spolii in priori libello ad E.mum Urbis Vicarium directo extensa fuit ad universum funus mulieris Carli uti ex tenore recursus patere ait.

At e contra haec actio spolii quoad funus, in iudiciali citatione diei 10 Octobris 1899, coarctata fuit tantum ad solemnem funeris associationem.

Posita autem actionis spolii restrictione, logicum profecto erat, ait advocatus, et petitam indemnitatem eidem aptari, dum aliter fit in praefata citatione. Nam ex conquesto spolio ob solemnem processionem concluditur ad restitutionem emolumentorum totius funeris ut in primitivo libello, quod abnorme et absurdum est, cum consequens ex praemissis non profluat.

Hoc praenotato advocatus contendit etiam partem adversam, saltem tacite facultatem concessisse iudici cumulandi iudicium possessorium cum petitorio. Sane ex intentata actione spolii ob funebrem associationem cum pompa, cui postea alia quaestio accessit ex benedictione domorum, vindicari non poterat emolumentum totius funeris, nisi iudex in petitorio iudicio statueret, cuinam hoc ius spectaret. Idque eo fortius erat admittendum, quia Archisodalitas iam fassa erat se bona fide egisse quoad associationem, et rem prudenti iudicis arbitrio iam remiserat: unde contestationis litis obiectum desierat. Item quoad aliam citationis partem ex peracta domorum benedictione a Rectore Archisodalitatis in Sabbato Sancto, iudex cumulando cum possessorio quaestionis meritum ex gravibus et iustis egit motivis iuxta advocatum.

Sane intelligi non valet, ipse ait, quomodo in themate applicari posset tritum in iure principium, spoliatus ante omnia est restituendus, seu quod praesens controversia tantum in possessorio agi debeat. Parochus equidem petiit se redintegrari in ablatam iurisdictionem « mercè scritta dichiarazione di scusa ». At praeter quam quod excusari non est restituere, et rei per spolium ablatae alia pro arbitrio substitui nequit, petita scripto excusatio causae merito evadebat praeiudicialis, cum satis ostenderet Archisodalitatem in incriminata actione nullum ius habuisse. Nec aderat necessitas ob periculum in mora, illico applicandi remedium possessorium, cum non ageretur de actu iurisdictionali in continenti et pluribus vicibus exercendo, sed de actu cuius exercitium semel in anno seu in Sabbato Sancto recurrit. Hinc iudex in hypothesi per prolationem sententiae prius in possessorio et deinde in petitorio iudicia sine causa multiplicasset cum partium dispendio, quod profecto cavendum est.

Verum, ex aliis, orator deducit enunciatum in actione spolii principium in casu stricte applicari non posse. Spolium iuxta Santi in suis *Praelect. can. l. 2, tit. 12, num. 3* cum sit deiectio a possessione rei, vel quasi possessione iuris ex magna et notoria iniustitia, patet hanc deiectionem non nisi vi evenire posse; hinc sancitum redintegrationis remedium per praetoris edictum *Unde vi.* In deiectione a possessione rei vis realis et formalis intercedit, at in deiectione a quasi-possessione iurium incorporalium vera vis non semper habetur, sed potius ficta quae turbativa quasi possessionis nuncupatur.

Iam vero quando quis a quasi possessione iuris per fictam vim fuit deiectus vel turbatus, tunc iuxta auctores citatum supra interdictum competit, sed ad instar alii interdicti *uti possidetis,* quod nec restitutionem iubet ante omnia, et admittit dominii exceptionem. Hanc doctrinam advocatus firmat praesertim auctoritate Gonzales in *com. ad lib. 3. Decret. tit. 13, c. 7*; « Supponendum est cum Bartolo cuius sententiam veriorem censet Menochius, deiectum per violentiam vere et proprie a rei possessione ante omnia esse restituendum, etiam praedonem odio deiicientis vel spoliantis, nulla exceptione dominii admissa; nec aliter purgari spolium quam per actualem et praesentaneam restitutionem spoliati; spoliatum vero a possessione sine violentia formali sed ficta restituendum esse, sed non ante omnia: nam in hac deiectione admittuntur exceptiones, quae in continenti probari possunt, et quae respiciunt defectum tituli in proprietate: itaque distinctio in violentia vel eius defectu consistit ». Atque idem auctor *l. c. cap. 17,* ita prosequitur: « In iuribus incorporalibus quaecumque intrusio vel denegatio non pertinet ad vim expulsivam, sed perturbativam; neque est propria deiectio, sed perturbatio quasi-possessionis pro qua non datur interdictum *Unde vi,* sed interdictum retinendae *uti possidetis:* sed quia in his rebus incorporalibus et iuribus datur quasi-possessio, et eius respectu quaedam impropria deiectio consideratur, ideo interdictum hoc *Unde vi* ita spoliatis accommodatur ».

In enunciatis itaque casibus, admitti potest exceptio dominii in spoliante, et sic purgari spolium antequam fiat restitutio, quod idem est ac admittere cumulationem iudicii petitorii cum possessorio. Neque haec exceptio de notorietate dominii in themate iuxta advocatum elidi potest ex eo quod, ut ait parochi defensor in suo recursu (in actis), « contro di « un parroco in confronto di una Confraternita di laici op« porre la notorietà di difetto di giurisdizione parrocchiale « nelle vie e case comprese nella parrocchia, è enorme per « non dir altro ».

Haec enim assertio quamvis vera sit in genere, aliud tamen tenendum est in proposito casu, in quo pro iurisdictione parochiali privilegiata favore Rectoris Archiconfraternitatis, quoad domorum benedictionem et alias functiones militat ab initio citatum instrumentum concordiae de an. 1723, quod satis est ad inducendam notorietatem dominii iuxta Reiffenstuel *lib. 2. Dec. tit. 13,* « ista fallentia (seu quod spoliatus non sit ante omnia restituendus) procedit sive de dominio spoliatoris constet ex actis iudicii... sive constet per publicum instrumentum, nam et instrumenta rem faciunt notoriam ». Hinc iure merito, concludit patronus, iudex primi gradus quaestionem possessoriam et petitoriam insimul tractavit, licet actor tantum spolii actionem instituerit.

Post haec, gradum facit ad expendendam appellatam sententiam, quam nullitatis tabe infici asserit, quia non dicit ius inter partes. Sane duo erant in controversia: 1° An Rector Archiconfraternitatis spolium commiserit, sive ductione solemni funeris, sive domorum benedictione. 2° An emolumenta totius funeris comprehensive ad duplicem associationem, missam exequialem distributionem cerae etc., essent restituenda. Iam vero appellata sententia licet per errorem spolium in prima quaestione quoad solemnem associationem admiserit, tamen ius dixit per ea verba « rifor« miamo la prima parte della sentenza... dichiarando che « nel percorso delle suddette vie dal corteo funebre... vi fu una « vera violazione e reale spoglio dei diritti parrocchiali ». At quoad aliud comma respiciens domorum benedictionem, observat advocatus, sententia vere peregrinavit a litis obiecto. Dum enim a parocho promota fuit actio spolii ob domorum benedictionem a Rectore Archisodalitatis arbitrarie peractam, sententia percutit Rectoris accessum in forma publica ad Archisodalitatis domum benedicendam « dichiarando che... « dal Rettore nel recarsi con stola e cotta in forma publica « a benedir le case, vi fu una vera violazione e reale spoglio », quod neque actori neque reo convento unquam in mentem venit disceptare.

Item, quoad adiudicationem emolumentorum totius funeris factam a iudice primi gradus, favore Archisodalitatis, appel-

lata sententia poterat reformare vel irritare decisionem editam in petitorio, et quaestionem dirimere in possessorio, iudicialiter edicendo an Archisodalitas iure vel iniuria funus peregerit cadaver privatim associando ad coemeterium, missam exequialem celebrando aliaque iusta persolvendo, ut tali modo intentioni actoris emolumenta funeris totius expetenti responderet. At e contra appellata sententia nihil super his decisit, et tantum coarguit primum iudicem de lata decisione quam cassare censuit « perchè pronunziata *contra ius et ultra petita* », indeque lis circa hoc punctum inter partes insoluta mansit. Ex hisce clare deduci ait, appellatam sententiam diei 18 Aug. 1902, eo ipso, quod ius inter partes in quaestione principali non dictet, nullitatis vitio laborare.

Accedens demum ad tertiam suae orationis partem, advocatus asserere satagit Archiconfraternitatis bonum ius in iis funerandis qui vel titulo conductitio domos claustrales ipsius incolunt. Id apertissime constare ait ex instrumento concordiae inter Archisodalitatem et parochum S. Laurentii in Lucina inito die 22 Septembris 1723.

Enarrat quomodo an. 1713, occasione decessus Capellani Piazza, inter ipsos gravis exarsit quaestio circa ius funerandi tum quoad infirmos hospitalis tum quoad caeteros sive capellanos vel inservientes sive quocumque titulo in hospitii domibus degentes, quae tandem in tertia iudicii sede dimissa fuit responso « quoad Lombardos pauperes et infirmos in hospitali degentes, in decisis, quoad inservientes hospitali, habitantes titulo conductitio et capellanos, omne ius competere parocho ». A qua secunda parte decisionis cum Confratres appellassent, tunc lite pendente enunciata supra concordia intercessit in qua pro parte parochi et Clericorum Regularium Minorum in ecclesia parochiali residentium concessum fuit: « Quod ius omne administrandi Sacramenta cunctis personis, sive in hospitali degentibus, sive in ambitu et Domibus Claustralibus dictae nationalis Ecclesiae tam uti Capellanis, quam uti inservientibus Hospitali, ac etiam conductitio et alio quovis titulo quomodolibet commorantibus, perpetuis futuris temporibus spectet et pertineat Rectori pro tempore eiusdem Ecclesiae et Hospitalis ut supra ad nutum amovibili. Quod eidem Rectori in futurum perpetuo spectare debeat ius omne faciendi funera et sepulturae tradendi in eadem nationali Ecclesia cadavera omnium dictorum pro tempore habitantium ut supra qui decederent in dictis Claustralibus Domibus et ambitu, sive electa sepultura in dicta Ecclesia, sive tali electione non facta, ita ut praefati Parochi, seu Clerici Regulares Minores, nullum amplius in futurum ius praetendere possint ». Ex parte autem Archic. haec fuerunt indulta, « intuitu et contemplatione pactorum et concordiae huiusmodi nec non pro omnibus, et quibuscumque assertis iuribus, quae tam de praeterito ex quacumque causa et titulo praetensa fuerint, quam in futurum in praemissis et circa praemissa dicti RR. Parochi et PP. praetendere possent, teneantur anno quolibet in perpetuum solvere eisdem Parochis, seu PP. Clericis Regularibus Minoribus Sancti Laurentii in Lucina scuta decem monetae, libere etc. ».

Quae concordia ut firmiorem sortiretur exitum, Apostolico fuit munita beneplacito, uti in ipsius instrumento legitur.

Conventa autem summa ab Archisodalitate semper persoluta fuit parocho et religiosis Clericis Min. ab an. 1723 usque ad an. 1875, quo per nefastas civiles leges, publicatis Regularium bonis, dicta praestatio devoluta fuit Commissioni vulgo *Giunta liquidatrice dell'asse ecclesiastico di Roma*. Anno 1879 Archisodalitas dictam praestationem redemit obtenta prius a S. Sede licentia, et praemonito super hoc parocho, qui sua iura contra fiscum experiri noluit. Ex huiusque relatis duo praecipue deducit patronus: I.° Concordiam non respexisse hospitale iam exemptum a parochi iurisdictione, vi Brevis A. Xisti IV, vel infirmos in eo detentos super quo iam orta erat res iudicata, uti supra est visum, sed tantum capellanos vel inservientes et quocumque titulo domos claustrales hospitii incolentes. II.° Vi concordiae Archisodalitati non concessa fuisse privilegia, sed veram iurium cessionem eius favore locum habuisse, quae iura adhuc in praesentiarum perdurant.

Hoc praestituto, advocatus notat nullam vim habere posse argumentum, quod forte adversa pars ducere posset ex cessatione praedicti hospitalis, quae contigit usque ab an. 1849, tum quia habitae ex concordia concessiones sive spectentur uti privilegia, sive uti iura ex contractu bilaterali derivantia, non habuerunt tamquam causam finalem ipsum hospitale, tum quia etiam post an. 1849 Archisodalitas conventam praestationem parocho solvere perrexit. Neque item utiliter a parocho oggeri valet argumentum praescriptionis seu ut ipse iactat « il pubblico pacifico possesso ultra centenario dei diritti di parrocchialità, specialmente di quello funerario sulle persone dimoranti a titolo di locazione nel caseggiato n. 437 della piazza di San Carlo » et post cessationem hospitalis « non solo la ordinaria di 30 an. ma ancora la quadragenaria privileggiata ». Haec enim omnia, ait advocatus, destruuntur velut uno ictu ex libris status animarum. Re quidem vera in libro status animarum paroeciae S. Laurentii in Lucina ab an. 1799 usque ad annum 1879, per 80 annos ibi nullus casus decessus citatur, ab anno vero 1879 usque ad an. 1898 tantum 5 citati inveniuntur quorum funera in paroecia fuerunt peracta.

E contra in libro mortuorum ab Archisodalitate producto apparet, quod ab an. 1778 usque ad an. 1866 in pacifica fuit possessione funerandi eos qui quocumque titulo domos ipsius incolebant: et eorum elenchus in summario refertur. Utique an. 1876 occasione decessus cuiusdam mulieris Migliozzi, in domo Archisodalitatis degentis, parochus attentavit ipsius funus peragere in propria ecclesia; at exposita de spolio querela ab Archisodalitate, parochus, praevia facta excusatione, super bono iure Archisodalitatis reliquit testimonium.

Ex eo tempore anno 1879 prima vice funus perfecit defuncti in domo claustrali Archisodalitatis quin haec reclamaret, et usque ad an. 1897 quatuor vel quinque funera pacifice persolvit. Hinc apposita praescriptio ad duodeviginti annos reducitur; verum ad praescribendum contra iura ecclesiarum *ex cap. 6, 8 et 9 de praescript.* 40 anni requiruntur. Hinc, adductum praescriptionis argumentum ex allegatis in tenues resolvitur auras.

Huc oratione perducta, patronus redit ad disserendum de benedictione domus Archisodalitatis in Sabbato S. quam ad ipsius Rectorem privative ad parochum faciendam esse sustinet, et iterum carpit appellatam sententiam de distinctione facta in benedictionem externam seu publicam et internam seu privatam, quam prorsus cerebrosam nuncupat. Hoc autem ius ait liquido erui posse ex hisce transactionis seu concordiae citatae verbis « ita ut dicta Ecclesia (S. Caroli), hospitale et claustrales domus in praesenti earum amplitudine et ambitu, in posterum intelligantur *in totum et per totum exceptae a dicta eorum* (Parochorum) *quacumque praetensa iurisdictione*, ita sane, quod eveniente casu quo aliqua persona sive in linea capellani, sive conductitio aut alio quocumque titulo habitans in dictis domibus et ambitu, decederet electa sepultura in Ven. Ecclesia S. Laurentii in Lucina, tunc istius Parochi *accedere quidem possint ad ostium* dicti claustralis ambitus ad effectum inibi recipiendi cadaver, *sed tamen dicti*

« *Parochi* neque in illa occasione valeant ullo praetextu, « idem ostium intrare ». Ex relato concordiae contextu profecto apparet concessam exemptionem primario fuisse localem, et secundario ratione loci eam competere omnibus in dictis domibus quocumque titulo habitantibus. Neminem autem fugit domorum benedictionem primario fieri in loca et secundario in personas, uti patet ex rituali formula. « Pax huic domui et omnibus habitantibus in ea ». Si itaque Rector Archisodalitatis, vi concessae exemptionis, ius habet sacramenta administrandi in domo Archisodalitatis degentibus, eosque funerandi, a fortiori potiri debet facultate benedictionem in eadem peragendi in Sabbato Sancto, concludit patronus.

Ex adverso, parochi defensor sustinet appellatam sententiam E.mi Urbis Vicarii diei 18 Augusti 1902 esse confirmandam. Animadvertit in libello appellationis Archisodalitatis nullam rationem afferri ad cohonestandum gravamen. Verum quidem esse ait, quod aliquando sufficiat simpliciter dicere, se appellare. Ast causa praesens spolii est de privilegiatis, atque summaria in possessorio et in his iudiciis prolatae sententiae habentur ceu interlocutoriae iuxta *Reg. Gregor. an. 1834 sect. 5, § 536.* Iam vero in libello appellationis a sententiis interlocutoriis necessario exprimi debent motiva et causae appellandi a gravamine illato vel comminato, eaeque probabiles haberi iuxta *cap. Interposita 70 de appel. et cap. 1, eod. tit. VI.* Hinc Archisodalitatis contrarius libellus ab ipso iudicii limine esset per se reiiciendus.

Sed instat parochi procurator, facta appellatio est omnino respuenda, quia appellata sententia in omnibus est iuri consona, et proinde nullum adesse potest iuridicum motivum ad eam infirmandam. Nam, in prima iudicii sede, clarissime posita fuerat controversia circa iurisdictionis parochialis spolium. Constabat de solemni ductione funeris Esther Carli per publicas vias facta a Rectore Archisodalitatis, irrequisito parocho S. Laurentii in Lucina ad cuius iurisdictionem spectant praefatae viae, constabat insuper de alia iurium parochialium violatione ab eodem capellano Archisodalitatis, insequenti anno 1899 patrata per benedictionem in Sabbato Sancto domus eiusdem Archisodalitatis; et cum benedictio facta fuerit nedum invito parocho, sed etiam pendente adhuc lite possessoria quoad primum commissum spolium, fiebat locus attentatis.

Haec facta ab Archisodalitate in dubium non revocabantur, imo accedebat aperta ipsius confessio. Neque incertum esse poterat ex hisce factis verum spolium constitui contra parochum, quasi intra paroeciam nova crearetur paroecia; nam spolium definiri communiter solet, deiectio a possessione rei, vel a quasi-possessione iuris ex magna et notoria iniustitia. Iudicium inde instituendum, erat iudicium possessorium redintegrationis seu spolii.

Neque alia actio proposita fuerat a parocho actore. Ipse enim uti patet ex libello citatorio ob duo praecitata facta tantum invocaverat remedium privilegiatum restitutionis, seu applicationem interdicti *Unde vi*, absque iurium disceptatione si adfuissent in petitorio. In favorem autem praefatae actionis a iure duo sancita sunt, nempe ut spoliatus ante omnia restituatur in amissam possessionem, occlusa via cuicumque exceptioni proprietatis vel dominii ex parte spoliatoris iuxta *cap. 5, de Restit. spol., et cap. 4, de Ordin. cognit.*, et secundo ut spoliatus restituatur ad totam causam seu nedum ad pristinam possessionem, sed etiam ad omne id quod amisit *cap. 11, de Restit. spol.*, idque in odium patrati spolii *Clem. un., de Causa pos. et prop.* Atqui haec facti et iuris momenta iudex primi gradus posthabens, et iudiciorum ordinem pervertens sententiam edidit in petitorio, libello actoris nullo modo respondentem. Quare iure merito iudex appellationis eam correxit et in parte irritandam duxit ex superius allegatis motivis in ea ita relatis.

Quin ex adverso, obiiciatur aliquando per viam exceptionis iudicium possessorium cum petitorio cumulari posse. Reponit enim parochi defensor id nequaquam fieri posse, actore excipiente contra spoliatorem, et allegante hoc privilegium, antequam reus audiatur, et probat auctoritate De Angelis in suis *Praelect. can., lib. 2, tit. 12, num. 26.*

Item ad convellendam sententiam iudicis primi gradus observat defensor quod obiectum actionis a parocho intentatae, est longe diversum a libello reconventionali Archisodalitatis pro iudicio petitorio; dum enim parochus institit pro redintegratione iurisdictionis parochialis usurpatae sive ducendo solemne funus, sive accedendo ad benedictionem per suum territorium, e contra per actionem reconventionalem asseritur iurisdictio parochialis Archisodalitati intra hospitale et eidem domos adnexas, quam confusionem penitus abstulit iudex secundi gradus quaestionem coarctans tantum ad limites possessorii iudicii.

Demum, dato etiam et non concesso, quod actio reconventionalis in linea petitoria recipi potuerit, procurator contendit iniuria per sententiam primi gradus declaratum fuisse Rectorem Archisodalitatis in praesens potiri parochiali iurisdictione in praefatis claustralibus domibus. Privilegium enim hoc eatenus concessum fuit quatenus adnexum hospitale ecclesiae SS. Caroli et Ambrosii pro infirmis nationis Lombardorum a iurisdictione parochiali S. Laurentii in Lucina extiterat exemptum, ut diserte erui datur ex instrumento concordiae an. 1723, in quo statuitur « quod ius omne administrandi sacramenta cunctis personis sive in hospitali degentibus sive in ambitu et domibus claustralibus libere spectare et pertinere debeat Rectori eiusdem ecclesiae et hospitalis ». At hospitale, ait procurator, a saeculo non amplius extat; ergo cessata causa finali privilegii, et ipsum privilegium cessasse dicendum est.

Neque diversa sequitur conclusio, etiamsi res expendatur in ratione contractus. Concordiae enim instrumentum, qua transactive Rectori Archisodalitatis ius concedebatur parochialitatis super cunctis personis sive in hospitali, sive in ambitu et domibus claustralibus dictae ecclesiae quocumque titulo etiam conductitio degentibus, subscriptum fuit quatenus aedes vel claustra hospitale respiciebant et in eiusdem usum erant addictae. At haec conditio cum iam a multo tempore non amplius existat seu resoluta fuerit, et ipse contractus natura sua rescissus intelligi debet.

At, prosequitur defensor, quod omne fert punctum in praesenti controversia est pene saecularis observantia, vi cuius parochus S. Laurentii in Lucina pristinam recuperavit iurisdictionem in dictis aedibus nullam ex parte Archisodalitatis passus contradictionem. Id probat pluribus inibi decessibus secutis, quorum funera a parocho peracta fuere, nulla habita ratione privilegii utpote iam cessati. Ita profecto contigit pro sacerdote Philippo Conti an. 1850, pro sacerdote Pucci, Sacrista ecclesiae Archisodalitatis an. 1862; ita pro alumno Seminarii Aloysio Salari an. 1866, cum tunc aedes et claustra in usum Seminarii essent adhibitae; ita pro Francisco Scalla an. 1879, et pro pluribus aliis, quorum elenchus facile ex libris parochialibus desumi potest. Notat autem defensor dictas aedes ex cessatione hospitalis ad usum privatum reductas ab an. 1801 usque ad an. 1805 fuisse locatas 7 inquilinis, ex an. 1805 usque ad an. 1889 fuisse locatas alumnis studentibus aliquando denominatione Seminarii Lombardi, aliquando Sem. Bohemi, et ab an. 1889 usque ad an. 1891 regulari familiae, et postea semper ad usum explicite profanum etiam mensae nummulariae he-

braicae. Hinc sive ex facto contrariae inolitae observantiae, sive ex cessatione usus aedium in hospitale pro infirmis, et privilegium parochialitatis in Rectore ecclesiae SS. Caroli et Ambrosii nationis Lombardae exolevit, uti haec privilegia exoleverunt in pluribus Urbis religiosorum domibus ecclesiae adnexis, quae ex perversitate temporum ad usum profanum pariter a fisco reductae, vel locatae sunt vel divenditae, et super quibus tamen respectivi parochi suam iurisdictionem modo exercent.

Sed haec innuisse sat est, concludit parochi defensor, cum intentatum iudicium sit stricte possessorium.

Hisce ex partium allegationibus pro meo munere depromptis, modo sit sequens

DUBIUM.

An sententia Vicariatus Urbis diei 18 Augusti 1902, confirmanda sit vel infirmanda in casu.

Responsum fuit: *Sententiam esse infirmandam*

2204/2 I.

Ostunen. — Redintegrationis in officio et solutionum.

Non admittitur recursus sacerdotis N. petentis redintegrationem in officio Vicarii generalis.

Die 25 Februarii 1905.

R.mus Salvator Palmieri vix ab anno Archiepiscopus Brundusinus et perpetuo adnexae dioecesis Ostunensis Administrator, quo melius et expeditius huius dioecesis procuratio graderetur, mense Iunio an. 1894, pro ea sibi adscivit in partem oneris uti Vicarium Generalem R.mum Dominum Nicolaum Matone dioecesis Aversanae originarium, et qui id munus iam cum alio Episcopo laudabiliter exercuisse ferebatur. Honorarium depactum fuit in libellis menstruis 100, uti ex nominationis epistola ad Matone transmissa patet. Primo anno Archiepiscopus monuit sacerdotem Matone, ut suam mercedem in annuis libellis 1200 ex reditibus Curiae detraheret, quod tamen neque pro eo anno, neque pro successivis perfecit.

Aliunde sacerdoti Matone et eius famulo victus a Seminario suppeditabatur, et plures personae Archiepiscopo iam detulerant suum Vicarium pluries dixisse officium a se gratuito et tantum honoris causa geri: hinc Archiepiscopus annis successivis honorarium amplius non obtulit, neque a Matone unquam petitum fuit.

Interea sciendum quod ei, uti Archiepiscopi Vicario Generali, praeter administrationem redituum Curiae, et alia administratio cuiusdam legati vulgo *Cappella del Sacramento* erat concredita. Praeterea cum sacerdotis Matone cura et industria essent a Gubernio vindicatae aedes Seminarii Ostunensis, a pluribus annis iam clausi, et incoepta esset restauratio ecclesiae Cathedralis, aliae hae binae administrationes accesserunt; et tandem novissimo tempore cura gestionis pro erigenda nova ecclesia SS.mo Redemptori dicanda.

Res initio recte procedere quoad praefatas administrationes visae sunt, et Archiepiscopus non semel Vicario Matone litteras laudatorias et hortatorias dedit. At progressu temporis non paucae irregularitates, praesertim quoad gestionem Seminarii et Cappellae Sacramenti, Archiepiscopo delatae sunt. Vicarius Matone, Seminarii redditus dissipare ferebatur, accipiendo ab eo victum sumptuosum pro se, pro famulo, novissime etiam pro quodam propinquo, et non semel pro pluribus invitatis. At praecipua accusatio versabatur quoad factas et ab eo exhibitas notas redditus et introitus tum Seminarii, tum Cappellae Sacramenti. Dum enim in parte activa introitus aliqua capita describere ipse omittebat, e contra in parte passiva exitus referebantur expensae fictitiae aut solutiones non factae. Eadem ferme dicebantur de pecuniae summis in Cathedralis restaurationem erogatis.

Quin imo de eo graviora ad Archiepiscopum denuntiata sunt, tum circa factam a Matone illicitam vindicationem summarum a piis oblatoribus datarum, tum circa arbitrariam alienationem cuiusdam capitalis pro quodam legato, et praesertim circa plura missarum millia a Congregatione super Sacra Visitatione de Urbe obtenta falsa subscriptione Archiepiscopi, quarum celebrationem sacerdos Matone probare non valuit.

Initio hasce accusationes a malevolis personis proficisci ratus est Archiepiscopus pro sua bona fide et pro magna aestimatione qua Vicarium Matone prosequebatur. At sensim sine sensu sive ex examine redditionum rationum, sive ex pluribus creditorum recursibus, quibus satisfactum fuisse in exitus specimine falso apparebat, Archiepiscopus suum iudicium mutare coepit, et de hoc non indubia ei dedit indicia, ut ipse Matone fatetur in suo primitivo recursu ad H. S. C. « A questa lettera di licenziamento... risposi che mi ero « accorto da un pezzetto che non era più contento (Archie« piscopus) dei miei poveri servigi ». Interim aes alienum a Matone contractum in dictis administrationibus, cui non semel ipse Archiepiscopus de suo solvendo occurrerat, ita excreverat, praesertim quoad Seminarii gestionem, ut, die 13 Februarii 1902, per publicum apparitorem indictum fuerit sequestrum bonorum mobilium illius instituti non sine scandalo bonorum Ostunensium.

His pressus acerbitatibus Archiepiscopus, et tamen non illius specialis dilectionis oblitus, qua semper suum Vicarium affecerat, litteris diei 19 Februarii eiusdem anni, eum a suo munere dimittere ita nunciat: « Con immenso mio « rammarico, costretto dalla necessità di economia e pure « apprezzando i lavori da lei ricevuti... mi veggo nella ne« cessità di licenziarla e liberarla dall'ufficio di mio Vicario « Generale di Ostuni ». Dein alia epistola ei permittebat remanere in palatio Episcopali modo precario cum functione Vicariatus, interdicta tamen quacumque ingerentia in supra relatis administrationibus.

Hisce litteris Matone, sub die 23 Februarii 1902, respondit sese insistere in dimissione exhibita ab eo officio, quam postea typis vulgavit in litteris encyclicis ad dioecesanos Ostunenses, et insimul expetebat ut sibi ab Archiepiscopo persolveretur summa libellarum 22980 ob sequentes titulos, nempe: 1° Libellae 9600 uti honorarium pro 8 annis exerciti Vicariatus; 2° libellae 3600 pro expensis factis favore Seminarii; 3° libellae 3000 ob expensas Curiae in exercitio Vicariatus; et tandem 4° libellae 6780 ex redditu Cappellae Sacramenti ob restaurationes factas in ecclesia Cathedrali.

Cum nihil Matone apud Archiepiscopum obtinuisset, tum quia hae praetensiones nullo videbantur fundamento innixae, tum quia necessaria erat praevia rationum redditio, et super modo eas reddendi et expendendi inter ipsum et Archiepiscopum orta erat dissensio; hinc Matone recursum instituit apud H. S. C. plures insimul cumulans querelas. Primo conquestus est de arbitraria sui remotione a munere Vicarii ad quod petebat reintegrari. Secundo expostulavit ut ab Archiepiscopo indemnis redderetur non solum in supra recensitis summis, sed etiam in aliis summis expensis pro inchoata ecclesia SSmi Redemptoris. Tertio demum instabat pro condemnatione Archiepiscopi ad sibi reficienda damna moralia.

Quibus habitis, causam iussi poni in folio et disceptari

iuxta propositum a recurrente libellum sub tribus sequentibus dubiis: I. *An sacerdos Nicolaus Malone sit restituendus in officio Vicarii Generalis Ostunensis in casu.* II. *An et quaenam stipendiorum solutio et expensarum refectio, eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu.* III. *An et quaenam damnorum reparatio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu.*

Sacerdotis Matone defensor, in tot capita allegationem dividit, quot sunt exscripta dubia. Exordiens itaque a primo dubio, in iure recolit quod licet officium Vicarii Generalis sit per se ad nutum amovibile quod importat in eius remotione non requiri processum formalem, tamen iuxta ecclesiasticam disciplinam semper requiritur gravis causa. Nam ut ait Santi *Praef. can. in tit. de off. Vic.*: « In genere Ecclesia in suo regimine abhorret ab arbitrio et ordinatam in omnibus exigit disciplinam. Hinc in genere amovibilitas ad nutum non potest aequiparari arbitrariae remotioni personae ab officio quo fungitur ». Quod ut melius intelligatur, defensor quaestionem sub duplici adspectu considerat, nempe in abstracto et in concreto. In abstracto admitti posse, ait, ut fit in beneficiis manualibus, remotionem absque causa, quando non adest remoti praeiudicium, et removentis intentio est recta: et in hunc sensum interpretari possunt allegationes quae forte in contrarium adduci possent, ut illa Cardinalis De Luca *De Benef.* dis. 97: « Regula est ut possit auferri possessoribus ad eius nutum et arbitrium etiam sine causa », et illud S. Rotae principium: « Capellanus amovibilis amoveri potest etiam nulla vigente causa », in *Senogallien.*, diei 1 Iulii 1866, *dec. 347 coram Hervault.*

At alia res est in concreto quando constat de non recta intentione removentis, et versatur grave remoti praeiudicium: tunc haec arbitraria remotio non sustinetur: ita Vernz *Ius Dec. v. 2, p. 1053*: « Si remotio facta sit ex fraude et odio vel cum diffamatione et damno, non sustinetur ». Cfr. etiam *De Luca, 1 c., p. 11, 12*; S. Rota in *Maceraten. Capellaniae p. 13, dec. 217 in recent.*

Quin imo nonnulli doctores, nulla facta distinctione, tradunt in huiusmodi remotionibus semper requiri sufficientem causam: ita docet Giraldi *De officio Paroch. p. 341*: « Et si Parochi amovibiles valeant toties quoties opus fuerit amoveri, attendere tamen oportet ut de facto non amoveantur absque legitima causa ». Haec doctrina firmatur etiam resolutionibus H. S. C. uti in una *Messanen.*, diei 18 Martii 1834, et in una *Nullius seu Farfen.*, diei 6 Aprilis 1792, in qua absque causa remoto Cappellano ad nutum amovibili, ad propositum dubium, *An sit locus redintegrationi Oratoris in casu*, responsum prodiit: *Affirmative.*

At pergit Orator, si in beneficiis manualibus vel cappellaniis ad nutum amovibilibus semper in removente requiritur legitima causa, a fortiori hanc theoriam vigere convenit in remotione qua magnum praeiudicium infertur honori et dignitati remoti. Hinc causa gravior requiritur, secus danda est redintegratio in officio: ita infert Ferraris *Bib. can. v. Vic. Gen.* « In remotione Vicarii Generalis semper habenda est ratio honoris illius; unde facienda est cum magna circumspectione et cum gravi et iusta causa, alias redintegrari potest »; cui doctrina adstipulatur etiam Santi in *cit. tit. de officio Vicarii.*

Hoc in iure firmato, advocatus gradum facit ad facti quaestionem. Dubitari non posse, ait, de gravi iactura quam sacerdos Matone tulit ex remotione a Vicariatu, non tam in omissione stipendii, quam in deperdita aestimatione. Neque factam remotionem ullo plausibili motivo Archiepiscopus vallare potest, si demas purum arbitrium.

Sed advocatus maiora etiam urget. Munus Vicarii sacerdoti Matone uti conlatum in themate fuit, habet specialem naturam, et spectari nequit uti precarium, sed uti ad vitam seu perpetuum. « Io (ita scripsit Archiepiscopus) se il S. Padre « non mi toglierà i suoi favori, lo nomino Vicario Generale « per la diocesi di Ostuni, vita mia naturale durante ». Sacerdos Matone difficultatem obiecerat in acceptatione oblati muneris, attenta natura eius precaria. Archiepiscopus eam diluit citatis verbis promittendo quod ipse officium conservabit quoadusque vita Archiepiscopi perdurabit. At si officium ab ipso Archiepiscopo, de amovibili ad nutum, factum est perpetuum, seu inamovibile, non quaecumque levis causa satis esse potest ad illud auferendum, sed profecto requiritur gravissima, cum ex adverso praeter enorme damnum urgeat ex iustitia facta et acceptata promissio.

Post haec advocatus transit ad secundum et tertium suae orationis caput quae omittimus.

Ex adverso favore Archiepiscopi haec animadvertenda censeo quoad primum dubium. In primis non videtur satis tuta in iure doctrina a parte contraria propugnata, nempe quod ad Vicarii Generalis remotionem requiratur gravis causa; hoc enim contradicitur a variis doctoribus. Ita Reiffenstuel, *Ius Can. lib. I, tit. 28, 108* ait: « Vicarius Generalis non est intitulatus in officio suo, ideoque ad nutum Episcopi revocari potest ut tradunt citati DD. », et inferius addit n. 110: « Nota tamen quod Vicarius Episcopi ad beneplacitum possit revocari; et quidem valide etiamsi is iurasset non revocare, licet si hoc faceret absque iusta causa excusante, reatum periurii incurreret ». Quare ut alios graves auctores idem sentientes referre omittam, ut Ventriglia in *praxi l. 2*, Pellegrin., *De offic. Vic.*, videtur posse asseri, quod necessitas causae potius pertineat ad liceitatem actus remotionis, quam ad eius validitatem. Hinc est quod hodierni Vicarii Generales in substitutionem antiquorum Archidiaconorum qui dicebantur Vicarii *nati* Episcopi, appellantur potius *dati* ad ipsius Episcopi beneplacitum, ut tradit Maschat, *Ius can. in tit. de offic. Vic.*

At quidquid sit de quaestione in puncto iuris, in facto profecto indubium est quod Archiepiscopo pro sacerdote Matone ab officio Vicarii removendo graves non defuerint rationes. Graves de die in diem vulgabantur et deferebantur ad Archiepiscopum rumores tum circa dissipationem redditiuum Capellae Sacramenti et Seminarii gestionem, tum circa debita contracta et expensas excessivas pro Cathedralis restauratione: addebatur quod sacerdos Matone magnas nonnullis innixus privilegiis affectaverit functiones gerere more Episcoporum dando trinam benedictionem et sibi erigendo parvum thronum in solemni missae celebratione, prouti ex documento in actis. Initio Archiepiscopus delatis fidem non praestitit; at postea facto proprio detexit, praesertim quoad gestas ab ipso administrationes, non esse omnino falsas incriminationes. Hanc in Archiepiscopo opinionis mutationem iam ipse Matone ante eius ab officio revocationem probe noverat, uti constat ex quadam eius epistola.

At dato etiam et non concesso, quod nullum remotionis motivum extitisset, non ideo nihil proficit adversa pars, cum sacerdos Matone concredito muneri nuncium sponte dederit. Id primo probatur ex epistola a Matone scripta ad Archiepiscopum sub die 20 Februarii 1902: « Devo fare una cir« colare alla Diocesi, esponendo il mio povero lavoro di 8 « anni e le ragioni per cui mi ritiro », et in alia epistola diei 23 eiusdem mensis ita legitur: « La ringrazio altresì « che permette che seguiti a funzionare da Vicario, ma non « l'accetto; e quando con l'aiuto di Dio e della Madonna « sabato ritornerò ad Ostuni, annunzierò che non sono più « il Vicario »; et inferius in eadem epistola: « La lettera « circolare la farò appena finita la quaresima, sicchè faccio « assegnamento di ritirarmi a casa, se piacerà alla Madonna

« alla fine di Aprile ». Secundo voluntaria sacerdotis Matone recessio ab officio constat apertius ex enunciatis litteris circularibus ad suos dioecesanos datis sub die 26 Februarii 1902 – ibi – « Alla lettera dell'Ecc.mo Arcivescovo del 23 « corrente colla quale m'interessava di seguitare a funzio« nare da Vicario, ho risposto nel modo più rispettoso ma « reciso che avesse provveduto per chi prende la firma, « giacchè sono *irremovibilmente* deciso a ritirarmi da quel« l'officio ». Post haec tam luculenta testimonia emissae resignationis officii Vicariatus, despicienda prorsus videtur petitio sacerdotis Matone ut in officium redintegretur, quod voluntarie dimisit.

Hisce pro meo munere relatis, modo sequentia proponuntur diluenda

DUBIA

I. *An sacerdos Nicolaus Matone sit restituendus in officio Vicarii Generalis Ostunensis in casu.*

II. *An et quaenam stipendiorum solutio et expensarum refectio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu.*

III. *An et quaenam damnorum reparatio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu.*

Responsum fuit: *Ad 1um Negative. Ad 2um et 3um Dilata et ad mentem.*

4752/3 II.

Nuscana. — Iurium seu privilegiorum.

Confirmatur sententia diei 19 Nov. 1904.

Die 18 Martii 1905.

Haec controversia circa nonnulla privilegia vel iura quoad nominationem canonicorum et duarum dignitatum, quae sibi adhuc competere post Concil. Tridentinum et Concordatum an. 1818 inter S. Sedem et Regem utriusque Siciliae initum, Capitulum loci Montella asserebat, vi Bullae Leonis X *Sacrosanctae* diei 15 Augusti 1515, acta fuit die 19 Novembris p. elapsi (1), et propositae rogandi formulae: *An et quomodo iura seu privilegia concessa a Bulla Leonis X, Capitulo loci Montella, adhuc vigeant in casu*; H. S. Congregatio sequens dedit responsum: « *Affirmative iuxta modum; et modus est ut in provisione paroeciarum seu nominatione curatorum, servetur ius commune: in provisione autem canonicatuum servetur resolutio Commissionis executivae Concordati* ».

Huius resolutionis edita publicatione, Capituli patronus novae audientiae beneficium petiit et obtinuit. Hinc causa iterum ad examen revocatur.

Advocatus in sua nova allegatione libenter admittit cessationem privilegiorum quoad paroeciarum provisionem in qua animarum salus exigit, ut iuri communi stetur, sed non amplectitur alteram modi partem quoad canonicorum nominationem, quia secus Bulla Leonina funditus esset eversa, quod pugnat cum responso initio dato: *Affirmative.*

Sane Commissio executiva Concordati Capitulorum privilegia non recognoscens, an. 1845 in linea tantum gratiae permisit Capitulo Montellano, ut tribus postremis mensibus Episcopalibus praesentare posset ad vacantes canonicatus, reservata institutione Ordinario. At in vim supracitati responsi privilegia Leonina Capitulo Montellano recognoscuntur; ergo decisio Commissionis executivae nullimode applicari potest.

Insuper, pergit advocatus, admisso quod Bulla Leonina adhuc extet in vigore, privilegia ab ea concessa restringi aut coarctari non poterant, inaudito supremo Principe Leonis X successore nempe actuali S. Pontifice. Nam vel Bulla est adhuc in vigore et tunc iudex concessa privilegia revocare nequit, cum id eius excedat facultatem, vel amplius non extat et concessa privilegia neque ad tres menses restringere valet, cum ipsa iam sint abolita.

Cum itaque affixus decisioni modus quamdam praeseferre videatur repugnantiam, petit ut edita resolutio reformetur.

At ex adverso adnoto relatam arguendi rationem utpote nimis probantem esse reiiciendam. Patronus enim admisit primam modi partem, uti ex eius allegatione patet; at posito nuper allato argumento, totum temperamentum decisioni additum esset delendum, quod profecto pugnat cum declaratione ab ipso emissa de acceptatione cessationis privilegii quoad parochorum nominationem.

Per editam itaque decisionem utique resolutum fuit concessa a Bulla Leonina privilegia adhuc existere sed valde imminuta, scilicet ea restricta sunt ad ius Capituli tantum praesentandi ad vacantes praebendas canonicales in ultimo trimestri Episcopali ad tramites decisionis Commissionis executivae Concordati, et exclusa canonica institutione quae Ordinario servata est ad praescriptionem Concilii Tridentini *sess. 14, cap. 12, de Reform.*

Verum quanti haec sint facienda, viderint pro sueta sapientia EE. VV. Interim benigne resumpto praeterito folio non dedignentur sequens diluere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Responsum fuit: *In decisis.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

De tertiariis in communitate viventibus Ordini Minorum aggregatis.

Beatissime Pater,

Auctis admodum ex utroque sexu Tertiariis in communitate viventibus emittentibusque simplicia vota, qui exemplo et opere optime de re catholica merentur, Apostolica Sedes per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis et Reliquiis praepositae datum sub die 28 Augusti anno 1903 (1) statuit universim, ut Ecclesiae Tertiariorum huiusmodi, dummodo ipsi Ordinibus, a quibus nomen et habitum mutuantur, legitime sint aggregati, « *eisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Ordinis fruuntur* ».

Nihilominus, sanctione hac generali per Apostolicae Sedis benignitatem edita, plurima inter Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis Sancti Patris N. Francisci enascebantur dubia, quae prohibent quominus Seraphici Instituti Sodales eumdem Tertium Ordinem Regularem amplexi, assecutam gratiam pacifice obtineant. Neque enim singulae Congrega-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 447.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XI, p. 489.

tiones colorem lanae naturaliter subnigrae seu fulvae, qui italice dicitur « MARRONE » in suo ipsarum habitu retinent, prouti servant Fratres Ordinis Minorum ex num. 107 Constitutionum Generalium apostolico munitarum robore; neque omnes Tertiariorum Regularium Domus Ecclesiam proprie dictam adnexam habent, sed passim Capellam sive Oratorium parvum, quae non semper utpote interna fidelium commodis patent, atque passim vel Sanctissimae Eucharistiae asservandae venia destituuntur.

Perplexitates vero rationabiles equidem videntur, si attendatur: 1° Decretum Sacrae Congregationis consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, die 18 Martii 1904 (1) datum, quo Monialibus Tertiariis ad Ordinem Sanctissimae Trinitatis de Redemptione Captivorum pertinentibus iniunctum esse dicitur in approbandis earum Constitutionibus, ut colorem habitus in Ordine ipso SS.mae Trinitatis consuetum, qui albus est cum Scapulari cruce rubea ac caerulea insignito Sorores acciperent loco habitus caeruleo in integrum colore, quem hucusque retinuerant; et quo, ad effectum Indulgentiarum primi Ordinis assequendarum, permittitur quidem eisdem Sororibus, ut adhibitum eousque colorem in habitu retineant, ne habitus primi Ordinis intuentium oculos percellat, sed sub promissione quod Moniales interius tunicam albam cum Scapulari Ordinis perpetuum gerant.

2° Decretum Sacrae Indulgentiarum Congregationis diei 22 Augusti anno 1842 in *Verdunen.* evulgatum, quo declaratur ad implendam Ecclesiae vel Oratorii publici visitationem, in Rescriptis Indulgentiarum requisitam, minime censendum esse publicum Oratorium sive in Monasteriis, sive in Seminariis aut aliis Conventibus canonice dedicatum, ad quod tamen Christiana plebs non soleat accedere.

Itaque hodiernus Procurator Generalis, Supremi Fratrum Minorum Moderatoris iussu, ne tot Regulares Tertii Ordinis Fratres ac Sorores, qui bonum Christi odorem verbo et exemplo ubique diffundunt, prohibeantur primo ac secundo Fratrum Minorum ascribi et inde tot Indulgentiarum lucro potiri; enixe Sanctitatem Tuam rogat, ut in favorem Sodalium Tertio Ordini S. Francisci Regulari adscriptorum viventiumque sub regulis saltem ab Ordinario loci approbatis, qui Fratrum Minorum Ordini petant accenseri, sequentia opportune Indulta dignetur elargiri:

I° Ut Fratres ac Sorores Tertii Ordinis Regularis, quamvis colorem habitus in Ordine Fratrum Minorum ultimo praescriptum non assumant, possint eidem Ordini aggregari: hoc etiam attento, quod Fratribus praefati Ordinis, ante probatas anno 1897 per Apostolicam Sedem Constitutiones Generales, nullus *proprie* erat color, quem officialem nuncupant, sed aliae Provinciae alium colorem retinebant; et quod plura Tertiariorum Tertiariarumque Instituta ante annum illum 1897, aut ab Apostolica Sede aut ab Ordinario loci probata sint cum suis Constitutionibus, ubi diversum atque nunc in Ordine Fratrum Minorum consuetum reperimus colorem cum forma speciali ordinatum, qui nunc absque intuentium admiratione et exorituris inter diversa Instituta contentionibus, mutari amplius minime possit.

II° Ut aggregationes hucusque factae Sodalium huiusmodi Tertii Ordinis Regularis, quatenus opus sit, in radice sanentur, quin eis conditio imponatur colorem habitus interius deferendi; prouti nempe, plures Tertii Ordinis Franciscani Coetus, vi Constitutionum Apostolico robore pollentium, Ordini Fratrum Minorum iam sunt adscripti, neque eis praeceptum imponebatur colorem habitus interius unquam gestandi.

III° Ut deficiente Ecclesia vel Oratorio publico Tertiariorum Domibus adnexo, possint interim Fideles lucrari Indulgentias Ecclesiis et Oratoriis publicis primi ac secundi Ordinis Fratrum Minorum concessas, in Oratorio interno ac principali earumdem Domorum, quamvis illic Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum non asservetur; hoc maxime attento quod Oratoria eiusmodi, per Decretum Sacrae Rituum Congregationis SUPER ORATORIIS SEMIPUBLICIS sub die 23 Ianuarii anno 1899 (1) datum atque sub num. **4007** in novissima collectione insertum: « *etsi in loco quodammodo privato vel non absolute publico auctoritate Ordinarii erecta sunt* », inter semipublica accensentur, in quibus « *omnes qui eidem intersunt, praecepto audiendi Sacrum satisfacere valent* », et Sacramenta recipere.

Et Deus etc.

Vigore specialium facultatum a SS.mo Domino Nostro concessarum, Sacra Congregatio E.morum et R.morum S. R. E Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, attentis expositis, benigne commisit Patri Ministro Generali Ord. Min., ut praevia quatenus opus sit, sanatione quoad praeteritum, petitam aggregationem pro suo arbitrio et conscientia concedat, imposita tamen Sodalibus utriusque sexus Congregationum in futurum aggregandarum conditione aliquod distinctivum Ordinis exterius deferendi (2). Quoad tertium postulatum, eadem Sacra Congregatio mandavit rescribi: Recurratur ad S. Congregationem Indulgentiarum (3). Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Romae 30 Ianuarii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 161.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VII, p. 22.

(2) Hoc autem distinctivum, uti ex Officialibus eiusdem Sacrae Congregationis rescivimus, arbitrio Ministri Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum designandum in posterum relinquitur.

(3) Recursus iam habitus est ad Sacram Indulgentiarum Congregationem; atque in dies Rescriptum generale exspectatur, quod omnibus III Ordinis Regularis Institutis hac in re providebit.

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

MISSIONARIORUM AFRICAE.

Dubia circa celebrationem festi Dedicationis Ecclesiae.

Hodiernus Moderator Generalis Societatis Missionariorum Africae (Pères Blancs), Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia circa festum Dedicationis pro opportuna solutione humiliter exposuit, nimirum:

I. Utrum obligatio celebrandi festum Dedicationis Ecclesiarum, Dominica post Octavam Omnium Sanctorum, per Decretum Cardinalis Caprara imposita *omnibus Ecclesiis Gallicanis*, extendatur ad omnes regiones decursu temporis Galliae subiectas, v. g. Sahara, Sudan, sine ulla praevia concessione Sanctae Sedis, vel expressa declaratione Praelati ecclesiastici, sive ibi sint Ecclesiae consecratae, sive tantum benedictae.

II. Utrum obligatio persolvendi Officium Dedicationis, de qua agitur in decreto, n. 3752, *Vicariatus Apostolici Senegambiae*, d. d. 28 Novembris 1891, pro Missionariis dicti Vicariatus, extendatur etiam ad eos Missionarios qui Calendario proprio gaudent, diverso scilicet a Calendario Vicariatus, vel Dioeceseos.

III. Et quatenus *Negative*, utrum tamen isti Missionarii in dioecesi ubi festum celebratur commorantes, in Oratorio proprio (semipublico), extra civitatem posito, celebrare debeant solemnitatem Dedicationis in praefata Dominica, ex eo quod nulla dies pro tali festo in Calendario Societatis designatur.

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque sedulo perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. Affirmative, iuxta Decretum Cardinalis Legati Caprara pro reductione festorum d. d. 9 Aprilis 1802, et alterum Generale S. R. C., n. 3863, *Celebrationis Festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli Ecclesiae*, 9 Iulii 1895, ad III.

Ad II. Affirmative, nisi indultum obtentum fuerit a Sancta Sede celebrandi Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum Ordinis sive Societatis die diversa ab illa in qua Clerus saecularis celebrat Dedicationem omnium Ecclesiarum, iuxta Decretum, n. 3861, *Ordinis Minorum Capuccinorum Provinciae Hollandicae*, 22 Iunii 1895, ad I (1), et n. 3925, *Ordinis Minorum Capuccinorum*, 10 Iulii 1896, ad V (2).

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit, die 1 Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus*.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ABYSSINEN. — DECRETUM.

Beatificationis et Canonizationis V. S. D. Iustini de Iacobis Episcopi Nilopolitani et Vicarii Apostolici Abyssinensis, e Congregatione Missionis S. Vincentii a Paulo.

INFORMATIO ADVOCATI.

(Sequitur vide p. 125).

143. Vix D. S. e vita functo, de loco humationis cadaveris contentio exoriri coepit. Omnes enim, sive catholici sive etiam haeretici vel mahometani, eius custodire exuvias quam maxime gestiebant. Pium deinde componitur dissidium, et sancti viri corpus ad pagum, cui vulgo nomen Ebo, magna effertur pompa; atque in Ecclesia repositum fuit, ut iusta persolverentur, ibique fieret tumulatio. Statim illuc frequentissima, ad invisendum exanime Iustini corpus, confluxit multitudo, ac insigni magnificoque apparatu, cuiusve conditionis, gradus et religionis adstante turba, sacrum funus celebratum est. Unanimis omnium erat concentio Sanctum obiisse, profusisque lacrymis omnes, luctu perditi, tanti patris et apostoli iacturam lugebant. Plena adhibenda est fides Testi IV Neap. Inquisit. asserenti: « Appena si sparse per « l'Abissinia la notizia della morte del De Iacobis, tutti, « senza distinzione di religione e di partiti, lo piansero con « tale testimonianza di affetto da non potersi ridire, catto- « lici, scismatici, mussulmani, tutti ad una voce lo chiama- « vano il Santo. I resti mortali del Servo di Dio furono « piamente dai monaci portati in Hebo ed in quella chiesa « furono sepolti: furono solenni le manifestazioni di lutto « rese al cadavere nell'esequie ». Suffragatur VII Abyiss. qui haec de propria scientia testatur: « Ai funerali del De « Iacobis fu presente una moltitudine straordinaria di po- « polo. Vi accorsero non solo innumerevoli cattolici, ma « anche numero grande di eretici. Ed a quanto mi sembra, « molti mussulmani. Il De Iacobis fu seppellito nella chiesa « attuale di Hebo, e propriamente ove è ora l'altare Mag- « giore. E tutti i presenti lo chiamavano un Santo. La gente « accorse da Halay, da Hebo, da Saganeiti, da Acrur, da « Addi Conci, insomma da tutti i paesi vicini, il che fecero « perchè tutti lo stimavano un Santo ». Eodem fere pertinent quae caeteri confirmant Testes.

144. Venerationis signis undique ad eius tumulum, veluti pretiosissimum invidendumque thesaurum, et turmatim pergunt gentes, Dei Servi patrocinium invocantes et auxilium, beneficia, per eiusdem intercessionem, et gratias quaerentes. « Al sepolcro del Servo di Dio, inquit VI Neap., vi è stato « sempre e vi è un continuo pellegrinaggio, accorrendo tutti « di ogni grado, ceto e condizione al detto sepolcro per « riportarne grazie da Dio ad intercessione del suo Servo ». Ingenti autem populi concursu, anno 1864, arca in qua mortales Dei Famuli exuviae custodiebantur, reserata fuit, ut ad cadaveris recognitionem rite procederetur. Reclusum denuo fuit feretrum anno 1889, omniaque integra reperta sunt. Haud vero signa, Iustino defuncto, defuere, queis Deus Servi sui sanctitatem eximiam ostendit. Perplures enim recensentur a Testibus mirabiles eventus, qui in cadaveris praesertim delatione haud forte contigerunt. Haec narrat II Abyss.: « Io fui uno di quelli che andarono a prendere « il corpo del De Iacobis, e che lo portò insieme agli altri. « Mentre noi portavamo il corpo, avvenne questo: mentre « il corpo s'avanzava, il sole splendeva innanzi, in mezzo « di noi tutti, ed arrivava sino agli ultimi. Appena passati « gli ultimi, subito cadeva la pioggia dietro a noi tutti. « Ciò durò dalla mattina fino verso le tre pomeridiane. « Io era disceso dal mio paese di Anne, insieme a quelli « del mio paese, per andare incontro al corpo del De Iacobis, « e portarlo poi ad Hebo. Appena arrivati al luogo del « sepolcro, allora cadde una gran pioggia da tutte le parti. « Tutti i presenti lo attribuirono ad un prodigio del De Ia- « cobis ». Prodigio pariter adscriptae sunt binae, quas memorat Testis IX eiusd. inquis., sanationes per intercessionem D. S. patratae. — « ..... Tra Cechemtè e Saassiè, ait ille, « due uomini guarirono sull'istante, quando dal corpo del « De Iacobis colò loro addosso del sangue putrido, mentre « portavano il corpo. L'uno si chiamava Uelde-Michel, figlio « di Zeratzion di Halay. Esso era epilettico. Un altro di « cui ho obliato il nome, aveva una grande ferita al piede. « Essendogli caduto sulla ferita del sangue del De Jacobis,

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. III, p. 253.
(2) *Item*, Vol. IV, p. 347.

« fu sull'istante guarito. Io non vidi, ma intesi subito il « racconto da quelli che erano presenti ».

145. Ceterum haec, quae hucusque recensuimus, tam perspicua et adeo evidentia sunt ad probandam sanctitatis opinionem, ut si caetera omnia deessent, ipsa sufficerent ad declarandum Iustini exitum publica et luculentissima notatum fuisse testificatione.

DE FAMA SANCTITATIS POST OBITUM.

146. Cum igitur prae oculis tam indubia sanctitatis indicia habeatis, sive inclytas eius perpendatis virtutes, sive supernaturalia dona consideretis in eo divinitus indita, non est cur admiremini si ea sanctitatis opinio, quam in vita, uti innotuimus, Iustinus sibi comparavit apud cuiusve generis, religionis, aetatis homines, post obitum aucta sit atque in praesentiarum evidentissime adhuc perseveret, ita ut dici sane possit, nullam unquam oblivionem memoriam eius deleturam esse. Neque hoc profecto mirum, siquidem scriptum est in Ecclesiastico: « Sapiens in populo haereditabit honorem, et nomen illius erit vivens in aeternum. Non recedet memoria eius, et nomen eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes et laudem eius enunciabit Ecclesia » (1).

147. Illico post mortem Dei Servi, desiderium amissi viri, vividiorem recordationem eius virtutum induxit. Hinc laudes ad sepulchrum uberrime personant, hinc turmatim populus et frequens ad illud ubique pergit, Iustini patrocinium adprecans: hinc res, olim ad D. S. pertinentes, ut reliquiae custodiuntur. Ideo sepulchrum celebre ac pervagatae Illius sanctitatis famae indubie monumentum illustre evasit, sanctitatis, inquam, quae nomen ac memoriam eius post felicem obitum honestavit. In id conveniunt testes, quorum unum aut alterum, speciminis gratia, proferemus. Audies primum a VI Abyss. Inquis.: « . . . ed anche al presente vi è molto « concorso di popolo al di Lui sepolcro nel giorno del di « Lui anniversario ». Ab altero disces, X nempe eiusd. inquisit: « L'opinione che il De Jacobis sia un Santo è opi- « nione di tutti. Quest'opinione prende maggior piede di « giorno in giorno e si va aumentando. Il concorso al se- « polcro del De Jacobis è incalcolabile. Molti vanno a cer- « care la terra del di Lui sepolcro per applicarsela ed ot- « tenere da Dio per intercessione del De Jacobis delle gra- « zie. Vi accorrono anche eretici ».

148. Quem vivum populi, ceu nuper vidimus, venerati sunt, pari honore immo multo maiori demortuum habuerunt: neque aetatum lapsus, neque rerum humanarum vicissitudines aut abolere aut imminuere potuerunt praeclara tanti viri facta: quin eorum celebritas in dies increvit ac latissime propagata est. Si quis igitur causas inquirat cur haec fama tam cito et tam late patuerit, multum sane tribuat oportet memoriae virtutum eius rerumque illustrium ab eo gestarum. Attamen e vero non aberraverit qui censeat non exiguam partem in hac celebritate complures habuisse gratias, quas, divina virtute, eo invocato, contigisse vulgo edicebantur. Quantopere autem ad augendam famam miracula inserviant, quisque facile intelligit. « . . . . Dalla morte sin « oggi, affirmat I Testis Neap., debbo deporre per quello « che è a mia notizia, che è positivamente cresciuta (Fama « Sanctitatis) segnatamente in Abissinia per le grazie che « si dicono avverate ad intercessione di Lui . . . . » Suffragatur XVI inquiens: « Questa fama perseverò costante- « mente in morte di Lui, e dalla morte sin'oggi, per quello « che rilevo dalla pubblica voce, la medesima fama è po- « sitivamente cresciuta, anche a motivo dei prodigi che si « dicono avvenire ad intercessione di Lui. Io stesso, per « quello che ho deposto di sopra, lo ho sempre avuto e l'ho « come un vero Santo ».

149. Caeteri autem Testes, qui hanc famam sancire propemodum declarant, ad unum omnes testantur sanctitatis opinionem D. S., nedum, nunquam interceptam, constanter viguisse sed et iugiter invaluisse. Attamen testimonia huiusmodi, brevitatis tantum gratia, omittimus. Minime vero reticendum, quod statim subiicio, verba licet nonnullorum Abyssin. inquisit. Testium, utpote qui, haud brevi temporis cursu, virtutes D. S. praeclarissimas, indubia sanctitatis indicia, plenius dignoscere ac aestimare valuerunt. Hinc eadem sanctitatis fama et viguit, eo vivente, penes illos et valde percrebuit post D. S. obitum, prodigiis et benefactis per intercessionem eius patratis, corroborata. Sit itaque I: « . . . . La stima pel De Iacobis è andata sempre crescendo « dopo la di lui morte, e come di un Santo. Esso fu sep- « pellito in luogo speciale ». Alter vero testatur: « Io per « me lo stimo un Santo, e come tale lo prego ». Nec desunt, qui caelestem beatitatem Iustinum iam adeptum esse firmissime credant. Voces denique omnium in id concordant Sanctum nempe virum Iustinum fuisse et esse. Sed quod porro magis invicte, et iure merito, concludenter nobis insignem eius sanctimoniam commendant, illud est quod nemo fuerit nactus qui eius famam etiam post obitum iniquo laceraret morsu, qui eum despicatui haberet, qui Iustino nostro voce aut scripto adversaretur. Verba adiiciam, coronidis loco, saepius memorati Cardinalis Massaia: « Erano già « passati tre anni dalla morte di Monsignor De Iacobis, « eppure strada facendo i viandanti, nelle case dove ci fer- « mavamo, sia per riposarci a mezzogiorno, sia per passare « la notte, dapertutto e da tutti non si faceva che parlare « di Lui.... Principalmente nei paesi dove noi passavamo, « i detti di De Iacobis, i fatti ultimi della sua morte, ed « anche alcune grazie e miracoli erano i trattenimenti ordi- « narii di quelle popolazioni.... Strada facendo, persone che « non ci conoscevano, parlavano di Lui; gli stessi eretici, « ed anche alcuni fanatici conoscenti, rendevano testimo- « nianza della sua santità ». Post haec conticescere ne eam dixeris famam cuius auctior in dies fit sonus, cuius in dies validiores vires?

DE MIRACULIS POST OBITUM.

150. Ad augendam provehendamque sanctitatis famam, de qua hactenus disseruimus, non modicum contulerunt argumentum, ceu diximus, miracula, sanationum praesertim, quae, intercedente D. F., divinitus patrata sunt. Maxima profecto a miraculis sanctitatis nota habetur, quia, iuxta Angelicum Doctorem, non fiunt miracula, nisi a sanctis. Deus enim operatur miracula ad demonstrandam sanctitatem alicuius, quem vult proponere tamquam exemplo virtutum (1). Si vellem tamen singula numerare prodigia, Dei Servo adprecante, patrata, angustus hic non sufficeret informationis limes, sed copiosissimum facile implerem volumen. Satis sit illa in Summario perlegere, quia in eo sub numero XIX distincte sunt enarrata: nonnulla tantum ex iis heic exponemus. Imprimis Testes affirmant multa, per D. F. intercessionem, patrata fuisse prodigia, necnon, Ipsi attributas, permultas sanationes. « Secondo ho attinto dalle predette me- « morie dell'Eminentissimo Massaia, asserit Testis I Neap., « ad intercessione del Servo di Dio, segnatamente dopo la « morte, si sono avverati prodigi e grazie ». Nec secus XVI ex off. II: « Per voce pubblica inoltre ho appreso che ad « intercessione del Servo di Dio, sopratutto in Abissinia, si « ottengono prodigi ».

151. Sed perbelle est in integrum mirabilem sanationem

(1) Eccl. Cap. 37, v. 29; cap. 39, v. 33, 14.

(1) 2. 2, quaest. 178, art. 2, in cap.

referre, Dei Servi intercessioni adscriptam. Sit igitur miraculi Testis XXVII Neapol. narrator, cui vero prodigium contigit. « Il quattro gennaio corrente anno mille ottocento « novantadue, ita ille, dopo varii preludii di una tal quale « malsania, fui sorpreso da un attacco al cuore ed al cervello, per cui io restai come impotente a significare qualunque mia idea, e tutto che avessi capito quello che « sentiva da altri, pure non sapeva esprimere qualunque « mio pensiero, e ricordo che parlando io non concludeva « e diceva tutt'altro da quello che avrei voluto significare. « Chiamato venne il medico della nostra Casa ai Vergini. « Egli fece tanto caso del mio male, che mi prescrisse gli « ultimi Sacramenti scorgendo in me un pericolo prossimo « di vita, Sacramenti che effettivamente ricevetti. Ricevuti « i Sacramenti, il mio confratello di Congregazione signor « Bernardo De Dominicis, Postulatore di questa Causa, mi « pose una immagine del Servo di Dio Monsignor Giustino « De Iacobis. Io la ricevetti con piacere, e raccomandatomi « a Lui con fede, perchè se fosse stato di gloria di Dio, « m'avesse liberato da quella malattia, me n'applicai sul « cuore l'immagine. Mi si disse che applicatami appena la « detta immagine, ripresi il mio colore naturale al volto e « mi rinvigorii, tanto che ritornato nelle ore pomeridiane « dello stesso giorno della fatta applicazione il surriferito « medico, e rivisitatomi mi trovò e mi dichiarò fuori pericolo, e mi ordinò anche del brodo e cibo relativo. Il fatto « fu che tra cinque o sei giorni, in cui restai ancora a « letto, potetti levarmi, e dopo qualche altro giorno dal- « l'essermi levato cominciai a celebrar la messa. D'allora « sin oggi lo stato di mia salute è andato sempre più mi- « gliorando.... Il suddetto medico Scotti coi compagni di mia « Comunità si è manifestato in modo da far intendere che « la guarigione della detta mia malattia è stato un vero « prodigio ». Revera medicus a curatione, morbi qualitate descripta, haec inter alia testatur: « ....Certo è che poteva « morire con quel fatto del cuore, come succede ordinaria- « mente, ma non mori, e questo risultato benefico non è « ordinario ». Et paullo post: « Nella predetta guarigione, « che al certo, rursus affirmat, non è stata ordinaria, io ho « notato una grazia ». Nonne veri prodigii sanatio eiusmodi notas omnes praesefert?

152. Veniant modo Testes Abyssinenses ac nobis permulta id genus portenta dicant. Agmen aperit V., qui de haeretico viro testatur, gravi implicito morbo sed penitus ac repente liberato, vix e D. S. cadavere defluentem saniem corpori suo apposuit. Praegnans foemina, eodem testante, in discrimen vitae adducta valetudinem pristinam recuperavit, statim ac aquam, quae stragulum iam a Dei Servo adhibitum tetigerat, bibit. Mulieri cuidam, auctorem sequor IX Testem, letifera cruciatae febri, corporis sanitas rediit, apposito tantum eius capiti pileo, quo usus fuerat Iustinus. Alteram itidem refert X sanationem per intercessionem D. S. patratam et miraculo adscriptam. Olim sese videndum exhibuit Noster homini cuidam pestifero laboranti morbo et morti proximo, qui statim, post S. D. apparitionem, sanatum penitus se esse cognovit. Huiusmodi mirabilibus sanationibus prodigia sane accedunt, quae haud minorem stuporem ingerunt. En quidam, in carcere detentus vir, cui vincula fracta conciduut, queis apposita D. S. tumuli pulvis fuerat. En armenta, saeviente correpta lue, quorum illa dumtaxat illaesa evaserunt, quae aqua conspersa sunt, in qua stragulum olim D. S. pertinens, demersum fuit.

153. Quantum vero eiusmodi miracula conferant ad id quod demonstrandum intendimus, praesertim vero ad roborandas illas probationes, quibus in hac dissertatione usi fuimus, nemo est qui non videat; cum haec nihil aliud sint, quam totidem divina veluti testimonia, quibus Omnipotens Deus Servorum suorum sanctitatem ostendit. Itaque non modo virtutum fumus, ceu dici solet, qui in hoc iudicii limine requiritur, in aprico positus fuit, sed virtutum singularum praestantia ad heroicitatem usque demonstrata: eaque nobilior effecta ex obitu pretioso, qui vitam sanctissime actam conclusit; ex insigni insuper supernaturalium charismatum dono, quibus Summus rerum Dominus eum exornavit; atque ex communi lateque pervagata Sanctitatis fama, quae et vivum et domortuum Servum Dei constanter est prosequuta; cuique accessit, ut vidimus, frequens ac splendidum divinum testimonium.

154. Itaque haud ambigimus, quin hisce perpensis, nulla interiecta mora, PP. EE. propositae dubitationi respondeant: signandam esse Commissionem Introductionis Causae S. D. Iustini de Iacobis, si SS.mo placuerit: ac propterea benigne Ipsi excipiant vehementissima vota universi Vincentiani Instituti, quorum legitimus interpres est R.mus D. Augustinus Veneziani, qui modo Procuratoris et Postulatoris Generalis in eadem inclyta Congregatione munere fungitur.

Quare, etc.

Die 2 Augusti 1900.

FERDINANDUS MORANI, Adv.
IOSEPHUS BARLUZZI

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

PUELLARUM CHARITATIS S. VINCENTII A PAULO.

Altare Sodalitii est privilegiatum pro omnibus missis inibi celebratis.

Augustinus Veneziani Procuratoris Generalis munere fungens in Cong.ne Missionis, Sacrae Indulgentiarum Cong.ni humiliter exponit Pium IX s. m. Puellis a Charitate S. Vincentii a Paulo, per Breve diei 23 Iulii 1857 indulsisse, ut « quandocumque ad altare Sodalitii ubicumque existenti, quod apostolico privilegio decoratum quidem non fuerit, Sacrosanctum Missae sacrificium *celebrare faciant* per quemcumque sacerdotem... Missae sacrificium huiusmodi animae seu animabus pro qua seu pro quibus celebratum fuerit aeque suffragetur, ac si ad altare privilegiatum fuisset celebratum ». Cum autem ex verbis *celebrare faciant*, oriatur dubium: « An praefatum altare censeri possit privilegiatum pro omnibus Missis, quae inibi celebrantur, an pro iis tantum Missis, quas Sorores, oblata ab ipsis eleemosyna, celebrandas committant », a S. Cong.ne eiusdem dubii solutio humiliter expostulatur. S. Cong.tio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarat in casu verba illa *celebrare faciant* late esse intelligenda, ita ut altaria intelligi debeant privilegiata pro omnibus Missis, quae in illis celebrantur.

Datum Romae ex Secr.ia eiusdem S. C. die 1 Febr. 1905.

L. ✠ S.

IOSEPHUS M. Can.cus COSELLI, *Substitutus*.

II.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus sequentes Actus adorationis et gratiarum actionis SS. Trinitati.

Beatissimo Padre,

Prostrata al bacio del S. Piede, la Priora delle Carmelitane Scalze di Bologna supplica la Santità Vostra a voler benignamente concedere l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche ai defunti, da lucrarsi una volta al giorno da tutti coloro che col cuore almeno contrito e divotamente reciteranno i seguenti

Atti di adorazione e ringraziamento alla SS. Trinità.

Santissima Trinità, Padre, Figliuolo e Spirito Santo, eccoci prostrati alla vostra divina presenza! Noi ci umiliamo profondamente, e vi domandiamo perdono delle nostre colpe.

Vi adoriamo, o Padre onnipotente, e con tutta l'effusione del cuore vi ringraziamo di averci dato il vostro divin Figliuolo Gesù per nostro Redentore, e di averlo lasciato con noi nell'augustissima Eucaristia sino alla consumazione dei secoli, rivelandoci le meraviglie del suo Sacro Cuore in questo mistero di fede e di amore! *Gloria Patri*, ecc.

O divin Verbo, amabilissimo Gesù Sacramentato, noi vi adoriamo, e con tutta l'effusione del cuore vi ringraziamo di aver preso umana carne, e di esservi fatto per la nostra redenzione Sacerdote e Vittima del sacrifizio della Croce: sacrifizio che per eccesso di carità del vostro Cuore adorabile Voi rinnovate sui nostri altari ad ogni istante nel mondo. O Sommo Sacerdote, o divina Vittima, concedeteci di onorare il vostro santo Sacrifizio nell'augustissima Eucaristia con gli omaggi di Maria Santissima e di tutta la vostra Chiesa trionfante, purgante e militante. Noi ci offriamo tutti a Voi, e poichè vi degnate di volerci vittime con Voi, accettate la nostra offerta, unitela alla Vostra, e benediteci. *Gloria Patri*, ecc.

O divino Spirito Paraclito, noi vi adoriamo, e con tutta l'effusione del Cuore vi ringraziamo di avere con tanto amore per noi operato l'ineffabile beneficio dell'incarnazione del Divin Verbo, beneficio che nell'augustissima Eucaristia si estende e amplifica continuamente. Deh! per questo adorabile mistero della carità del Sacro Cuore di Gesù, concedete a noi ed a tutti i peccatori la vostra grazia. Diffondete i vostri santi Doni sopra di noi e sopra tutte le anime redente, ma in modo speciale sopra la santa Chiesa, Sposa di Gesù Cristo e madre nostra, sopra il suo Capo visibile il Sommo Pontefice Romano, sopra tutti i Cardinali, i Vescovi e Pastori delle anime, sopra i Sacerdoti e sopra tutti gli altri ministri del Santuario. Così sia. *Gloria Patri*, ecc.

Che della grazia ecc.

SS. D. N. Pius PP. X in audientia habita die 22 Martii 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

E VICARIATU URBIS

Emus Card. Vicarius, Ordinarios Italiae hortatur, ut pro viribus cooperare velint XVI Conventui internationali Eucharistico mox in Urbe celebrando.

Ill.mo e Rev.mo Signore,

Ci pare benigna disposizione della divina Provvidenza se a sede del XVI Congresso Internazionale Eucaristico venne designata questa Metropoli della Cristianità, dove ripercuotesi ancora la eco soave dei solenni festeggiamenti per la cinquantenaria ricorrenza dell'avvenuta Definizione dogmatica dell'Immacolato Concepimento di Maria.

Ad Iesum per Mariam. La Vergine Santissima, celebrata testè con sì manifesta protezione del Cielo dall'universo intero, ci si rivela, in questa fortunata contingenza, sapiente guida, protettrice potente ed efficace, nel santo nostro proponimento di onorare il suo Divin Figlio in quella delle sue opere sublimi che, come ci lasciò scritto il dotto e piissimo oratoriano Faber, « *è la più meravigliosa, la più perfetta, perchè esprime pienamente le perfezioni interne di Dio stesso* »: l'opera che l'Aquinate definì « *il compendio di tutti i miracoli* ».

Affinchè degna riesca la indetta celebrazione in questa Roma, Sede del Pontificato Romano, e ne derivi quell'abbondanza di frutti spirituali che il nostro Santo Padre giustamente si attende a sollievo dei mali che dilagano in ogni dove, Noi, nel Suo Augusto Nome, invochiamo colla presente il concorso di tutti i veneratissimi Presuli d'Italia. E però con vero compiacimento ci affrettiamo a partecipare alla S. V. Ill.ma e R.ma, come il Santo Padre ha di gran cuore accolto la proposta del Comitato Permanente Internazionale dei Congressi Eucaristici di tenere in quest'anno un Congresso Eucaristico in Roma; e nell'ardente Sua carità per le anime, redente col Sangue prezioso del Dio di amore, Ci ha espresso il desiderio di partecipare personalmente, per quanto le circostanze presenti gliel consentono, ad alcune funzioni, di cui è parola nell'annesso programma, già colla Autorità Sua Pontificia sanzionato.

Desidera pertanto il Santo Padre inaugurare egli stesso il Congresso con un solenne Pontificale che si degnerà celebrare nella Basilica di S. Pietro il 1° giugno, festività dell'Ascensione di N. S. G. C.

Vuole inoltre tutti paternamente accogliere i suoi figli che accorreranno a Roma, pel fausto avvenimento, e a tutti rivolgere la Sua parola.

Si chiuderà il Congresso con una Processione grandiosa e solenne, alla quale il Pontefice Pio X, volendo secondare l'impulso del Suo Cuore sempre paterno ed amoroso, prenderà parte, recando nelle Sue Mani l'Ostensorio coll'Adorabile.

Non dubito punto che la S. V. Ill.ma e R.ma si adoprerà, con quello zelo che tanto La onora, affinchè numerosa sia la rappresentanza e del Clero e del Laicato di codesta sua diocesi al Congresso; ed ho ferma fiducia che le preghiere innalzate al Dio delle misericordie in comunione col nostro amato Padre, e a Lui stretti col vincolo soave dell'amore, in ore sublimi perchè commemorative dell'opera meravigliosa di un Dio che nel tornare al Padre suo volle lasciarci in eredità se stesso, apporteranno copioso e salutare vantaggio alle anime.

Sono poi ben lieto di partecipare alla S. V. il proposito del Comitato Permanente, di arricchire cioè con una più degna custodia la più preziosa reliquia che della Istituzione Eucaristica si abbia sulla terra. Nella Chiesa di S. Giovanni in Laterano, madre e capo delle chiese di tutto l'orbe, si conserva la Santa Tavola che servì per l'ultima Cena che Gesù tenne coi suoi discepoli e nella quale istituì il Sacramento dell'Amore.

Perchè imperituro rimanga il ricordo del XVI Congresso Eucaristico, approviamo il savio consiglio del Comitato Permanente d'invitare tutti i fedeli a concorrere col loro obolo per adornare con un reliquiario ricco ed artistico quel sacro Cimelio, affinchè possa esser più visibilmente collocato presso la Confessione dell'Arcibasilica, dedicata appunto al Santissimo Salvatore, e così esposto si renda più accessibile alla venerazione dei fedeli.

È anche desiderio del S. Padre che, durante il periodo del Congresso, in ogni Diocesi, in ogni Parrocchia, a somiglianza di questa Metropoli, sia onorato con speciali atti di culto Gesù in sacramento da' fedeli, cui non è consentito accorrere in Roma.

A coadiuvare pertanto il Comitato Permanente Internazionale nell'attuazione del Programma, particolarmente per quanto concerne la nostra Italia, abbiamo, coll'assentimento del S. Padre, costituito, sotto la Nostra Presidenza, un Comitato Locale Romano, il cui compito precipuo è appunto quello di fare ampiamente conoscere il proposito santo e l'invito particolare del Vicario di G. C.

Per tal fine ci rivolgiamo alla S. V. pregandola vivamente affinchè si compiaccia:

1. Comunicare, in quel modo che giudicherà migliore, ai suoi fedeli diocesani questo Nostro appello e l'annesso programma.

2. Inculcare ai parroci ed agli altri Sacerdoti aventi cura di anime di far conoscere il fine dei Congressi Eucaristici, che è di onorare vie maggiormente il Sacramento dell'ardente carità di Dio per gli uomini, promuoverne il culto, eccitarne la frequenza e ravvivarne nei popoli la riconoscenza con manifestazioni di fede e soprattutto colla pratica di una vita cristiana.

3. Deputare uno o più ecclesiastici, che d'accordo colla S. V. Ill.ma e R.ma si mettano in relazione con questo Comitato Romano affinchè possa esser loro agevolato il compito, specialmente per quanto concerne la partecipazione al Congresso:

a) tenendo informato questo Comitato del numero dei Congressisti, loro nome ecc.;

b) promovendo rapporti pel Congresso sulle questioni del programma annesso;

c) trasmettendo al Comitato Romano questi rapporti.

4. Ottenere che gli ecclesiastici come sopra designati, sotto la dipendenza dell'Autorità ecclesiastica locale, promuovano funzioni, ritiri spirituali in preparazione alle prime Comunioni, ed altre pie pratiche che nei singoli luoghi vengono giudicate più opportune e più fruttose alle anime.

5. Invitare i giornali e i periodici locali perchè vogliano concorrere a questo solenne tributo di pubblica riconoscenza verso Gesù in Sacramento, dal quale non potrà non derivare notevole vantaggio spirituale alle anime.

6. Far pervenire da ultimo a questo Comitato quelle offerte che si facessero da chi, spinto dall'amore verso Gesù Sacramentato, volesse concorrere pel Reliquiario della Santa Tavola, o anche per rendere più solenni le feste da compiersi in tale straordinaria ricorrenza.

Nella certezza che questi nostri desideri, che son quelli del Nostro Santo Padre, tanto conformi per altro alla pietà da cui tutti dobbiamo essere animati verso l'altissimo mistero, alla cui solenne celebrazione ci prepariamo, troveranno per lo zelo della S. V. la più larga e più consolante attuazione, ho l'onore di sottoscrivermi con i sensi di mia distinta considerazione.

Roma, 20 aprile, Giovedì Santo del 1905.

Della S. V. Ill.ma e R.ma
Dev.mo Servitore
PIETRO RESPIGHI, Card. Vic., *Pres.*

Ecco il programma ufficiale del Congresso:

Il Congresso Eucaristico di Roma avrà luogo dal 1° al 7 giugno di quest'anno 1905.

Il Congresso avrà una seduta solenne di inaugurazione e tre sedute di studio pratico.

Queste sedute o Sezioni avranno per oggetto: 1° I Congressi eucaristici e la stampa; 2° Le Associazioni eucaristiche; 3° Il Culto eucaristico.

1ª SEZIONE: *I Congressi eucaristici e la stampa.* — Tema: La divozione a Nostro Signore nella sua Eucaristia si è più largamente diffusa alla fine del secolo scorso mediante i Congressi e la stampa eucaristica. — I Congressi sono internazionali, nazionali e diocesani, di Cantone o di Circondario, e vi hanno le giornate eucaristiche. — Porre in luce il fine, i mezzi pratici, i frutti di questi Congressi. — La stampa eucaristica, i suoi organi, la sua influenza, le sue lacune.

2ª SEZIONE: *Le Associazioni.* — La divozione al SSmo Sacramento si svolge e si diffonde mediante le Associazioni. — Si hanno due specie di Associazioni: *a)* Le Arciconfraternite e le Confraternite che hanno per oggetto direttamente la Santissima Eucaristia; *b)* le varie Associazioni nelle quali il culto della Eucaristia è in speciale onore.

Si tratterà poi successivamente delle Associazioni di sacerdoti, - maschili e femminili, - di operai, di giovani, facendo ben conoscere la natura di ciascuna, i suoi elementi, le sue pratiche, - i suoi frutti.

3ª SEZIONE: *Il Culto.* — Il culto del SSmo Sacramento può essere considerato: rispetto alla Santa Messa, nella quale Gesù si immola; rispetto alla Santa Comunione, nella quale Gesù si dà; rispetto al S. Tabernacolo ed all'Ostensorio, dove ci attende.

1° Eccellenza del S. Sacrificio; assistenza alla Santa Messa, per obbligo o per divozione. — Opere che hanno per oggetto la Santa Messa alla quale assistono gli adulti, ovvero i fanciulli.

2° Preparazione dei fanciulli alla prima Comunione. — Solennità della prima Comunione. — Comunione pasquale, come attrarre alla Comunione gli uomini, che se ne astengono. — Opere che hanno per oggetto la Santa Comunione. — Comunione mensile, settimanale, per Viatico.

3° Adorazione diurna, notturna. — Ora santa. — Visita al SSmo Sacramento.

4° Feste eucaristiche.

OSSERVAZIONI E NORME.

1. Una Commissione speciale è costituita in seno al Comitato permanente per ricevere ed esaminare tutti i lavori che le saranno inviati. Tutto deve essere indirizzato: Alla Segreteria del Congresso eucaristico, Circolo della Immacolata - Torre Argentina, 76 - Roma.

2. La Commissione desidera che numerosi lavori le siano inviati, intorno ai vari punti del programma.

3. I discorsi debbono essere concisi, così da poter venire letti in 20 minuti al più. La lettura delle relazioni o rapporti non dovrà oltrepassare i 10 minuti.

4. Oltre il discorso di Sua Eminenza il Cardinal Vicario di Roma, e di Sua Eccellenza Monsignor Heylen, Vescovo di Namur, e Presidente del Comitato permanente, nella seduta inaugurale saranno letti al più quattro discorsi; e al principio di ogni seduta sarà letto un solo discorso. — Il rimanente delle sezioni sarà consacrato alla lettura delle relazioni o rapporti. Ogni rapporto metterà capo ad un voto.

5. Nessun discorso o voto sarà presentato prima di essere stato sottoposto in iscritto ed approvato da Sua Eminenza il Cardinal Vicario.

6. Gli autori delle relazioni o rapporti inviati al Comitato avranno la bontà di far conoscere al medesimo se saranno personalmente presenti al Congresso o da chi saranno rappresentati. Il Comitato curerà di far leggere i lavori che avrà giudicato importanti, in caso di assenza degli autori.

7. I discorsi e rapporti dovranno essere scritti chiaramente, perchè sia facile la loro lettura.

8. Tutti i lavori destinati al Congresso dovranno venire presentati al suindicato indirizzo entro il 15 maggio al più tardi.

ORARIO DEL CONGRESSO.

Giovedì 1° giugno. — Festività dell'Ascensione. — Messa Pontificale del S. Padre Pio X nella Basilica di S. Pietro.

Sera. — Primo del Triduo in S. Giovanni in Laterano: Ore 6. Vesperi solenni davanti alla Santa Tavola del Cenacolo — Discorso di Sua Ecc. Mgr Radini-Tedeschi, Vescovo di Bergamo — *Pange lingua* e benedizione col Venerabile.

Venerdì 2 giugno. — Ore 9. Nella chiesa de' Santi Apostoli: Seduta solenne d'inaugurazione — Discorso di apertura del Congresso di Sua Em. il Cardinal Vicario.

Sera. — Secondo del Triduo in S. Giovanni in Laterano: Ore 6. Discorso di Sua Ecc. Mgr. Heylen, Vescov o diNamur. — *Pange lingua* e benedizione col Venerabile.

Sabato 3 giugno. — Ore 9. Nella Chiesa de' Santi Apostoli: Seduta della 1ª Sezione: I Congressi eucaristici e la stampa.

Sera. — Terzo del Triduo in S. Giovanni in Laterano: Ore 6. Discorso di un Eccell.mo Vescovo — *Pange lingua* e benedizione col Venerabile.

Domenica 4 giugno. — Ore 7,30. Nella Basilica di S. Pietro: Messa e Comunione generale distribuita da Sua Em. il Card. Vicario.

Ore pomeridiane. — Ricevimento concesso dal S. Padre al Pellegrinaggio Nazionale.

Lunedì 5 giugno. — Ore 9. Nella Chiesa dei Santi Apostoli: Seduta della 2ª Sezione: Le Associazioni eucaristiche.

Sera. — Ore 6. Nella Chiesa di S. Gioachino ai Prati di Castello: Discorso, funzione e benedizione col Venerabile.

Martedì 6 giugno. — Ore 9. Nella Chiesa de' Santi Apostoli: Seduta della 3ª Sezione. Il culto eucaristico.

Ore pomeridiane. — Processione solenne del SS.mo Sacramento portato dal S. P. Pio X, nella Basilica Vaticana. Seguirà la funzione di ringraziamento col canto dell'Inno Ambrosiano, del *Pange lingua*, e in fine la benedizione col Venerabile impartita da Sua Santità.

Mercoledì 7 giugno. — Ore antimeridiane. Udienza pontificia ai soli Congressisti, nella quale Sua Santità si degnerà rivolgere ad essi la Sua parola.

Durante il Congresso, in giorno da destinarsi, il Professore Orazio Marucchi terrà una Conferenza sul tema l'*Eucaristia nelle Catacombe.*

ALTRE NOTIZIE.

1. I cattolici di tutto il mondo sono invitati a offrire ori, argenti, gemme e danaro per arricchire la custodia che contiene la Santa Tavola nella Basilica Lateranense, e per un reliquiario nel quale sarà racchiusa una particella di essa da donarsi al Comitato permanente dell'Opera dei Congressi Eucaristici.

2. I congressisti sono di tre classi secondo la loro offerta: di L. 5 per partecipare al Congresso; di L. 10 per avere eziandio diritto agli *Atti del Congresso*, e di oltre detta somma quali benefattori per concorrere alle suddette spese.

3. I congressisti avranno un posto speciale nella Basilica di S. Pietro per assistere sia al solenne pontificale Papale, sia al passaggio della processione.

4. I congressisti interveranno inoltre all'udienza speciale che il S. Padre si è degnato conceder loro, nella quale, com'è dichiarato nell'orario, rivolgerà loro la Sua parola, come discorso di chiusura del Congresso.

5. Sarà fatto invito alle Chiese del mondo cattolico, perchè, durante il Congresso, a somiglianza di Roma, facciano un triduo solenne, od altra funzione in onore di Gesù Sacramentato, secondo l'opportunità dei luoghi. In tal guisa nei giorni del Congresso il mondo cattolico si troverà insieme col S. Padre e con Roma prostrato innanzi al SS.mo Sacramento, supplicando per la Chiesa e per i popoli.

6. Le offerte si possono mandare al Vescovo di Namur, o alla Segreteria del Comitato Romano (Circolo della Immacolata, Torre Argentina, 76).

7. I periodici eucaristici, che si metteranno in rapporto col Comitato Romano, avranno comunicazione ufficiale delle cose che riguardano il Congresso.

COMITATO LOCALE ROMANO.

(Segreteria presso la Sede del Circolo della Immacolata — Torre Argentina, 76).

E COMMISSIONE PONTIFICIA
PRO STUDIIS S. SCRIPTURAE PROVEHENDIS

Normae pro exegetis catholicis circa citationes implicitas in S. Scriptura contentas.

Cum ad normam directivam habendam pro studiosis S. Scripturae proposita fuerit Commissioni Pontificiae de re biblica sequens quaestio, vid.:

« Utrum ad enodandas difficultates quae occurrunt in nonnullis S. Scripturae textibus, qui facta historica referre videntur, liceat exegetae catholico asserere agi in his de citatione tacita vel implicita documenti ab auctore non inspirato conscripti, cuius adserta omnia auctor inspiratus minime adprobare aut sua facere intendit, quaeque ideo ab errore immunia haberi non possunt »?

Praedicta Commissio respondendum censuit:

« Negative, excepto casu in quo, salvis sensu ac judicio Ecclesiae, solidis argumentis probetur: 1° hagiographum alterius dicta vel documenta revera citare; et 2° eadem nec probare nec sua facere, ita ut iure censeatur non proprio nomine loqui ».

Die autem 13ª Februarii an. 1905, SANCTISSIMUS, referente me infrascripto consultore ab Actis, praedictum responsum adprobavit atque publici iuris fieri mandavit.

F. DAVID FLEMING, O. F. M., *Consultor ab actis.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XII. Die 24 Iulii 1677.

CAMERINEN. — Reductionis Missarum. — R. *Ad primum, Missas etiam reducendas. Ad secundum et tertium, Negative.*

DUBIUM. — Parochi Dementis. — R. *Expectare ad parochum fructus, administrandos per Curatorem deputandum ab Archiepiscopo.*

NUCERINA *Paganorum.* — Decimarum. — R. *Affirmative quoad omnes; et si habent privilegia, exhibeant in S. Congregatione.*

SABINEN. — Concursus. — R. *Non fuisse locum novo concursui.*

VELITERNEN. — Servitii. — R. *Detur bulla per extensum omnibus EE. PP.*

BENEVENTANA. — Iurisdictionis. — R. *Dilata et proponatur in prima omnino.*

VENUSINA. — Decretorum. — R. *Ad E.mum Praefectum iuxta mentem, mens est quod d. E.mus faciat verbum cum SS.mo et quatenus mandet S. S. quod videatur in Congregatione, tunc Episcopus transmittat acta.*

NEAPOLITANA. — Cappellaniae. — R. *Ad 1. affirmative; ad 2. in casu praesenti negative, et ad formam testamenti; ad 3. Deberi totum stipendium; ad 4. Studiantur haeredes.*

DUBIUM. — Censurarum. — R. *Negative.*

41. Dubium. — Parochi dementis.

In hac facti specie, 29 Maii prox. praet. dictum fuit deputandum ad tempus oeconomum cum congrua fructuum, quaeritur:

An et ad quem spectent reliqui fructus, qui deducta mercede oeconomi, et pensione supersunt.

R. *Expectare ad parochum fructus, administrandos per Curatorem deputandum ab Archiepiscopo.*

42. Nucerina Paganorum. — Decimarum.

In S. Congregatione habita 3. huius, dilata fuit resolutio dubii infrascripti, ut in hac omnino proponeretur. Ideo iterum queritur:

An ecclesiae saeculares, monasteria monialium S. Clarae, ac S. Dominici et Conventus seu monasteria regularium, nempe Carmelitarum, Minimorum, Scholarum piarum, Montis virginis, Minorum Convent., S. Basilii, Montis Oliveti, S. Benedicti, et S. Augustini, teneantur solvere decimas praediales ex bonis ex quibus decimae solvebantur a laicis, antequam in praedictos transirent.

R. *Affirmative quoad omnes, et si habent privilegia, exhibeant in S. Congregatione.*

43. Dubium. — Censurarum.

Cum S. Congregatio, aliquando rescribat cum clausula *suspendantur*, seu suspensis censuris ad mentem ad duos etc. quaeritur:

24

An tunc necessaria sit absolutio in forma consueta.

R. *Negative.*

XIII. Die 21 Augusti 1677.

COMEN. — Vicariatus. — R. *Ad mentem et mens est quod Episcopus removeat Paravicinum vicarium.*

NEAPOLITANA. — Matrimonii et Impedimenti. — R. *Ad primum Negative; ad 2. Affirmative.*

BENEVENTANA. — Iurisdictionis. — R. *Dilata et omnino proponatur in prima.*

IMOLEN. — Servitii. — R. *Ad primum in casu de quo agitur, Negative, excepto Custode. Ad 2. Affirmative ad formam C. 3, Sess. 22. Ad 3. Assignandas pro competenti servitio destinando ab Episcopo cum approbatione Sacrae Congregationis pro qua adeat E.mum Praefectum.*

VENUSINA. — Decretorum. — R. *Avocetur causa in S. Congregatione et ad mentem, mens est quod transmittantur acta per Episcopum.*

VELITERNEN. — Servitii. — R. *Ad primum, Affirmative. Ad 2. Affirmative. Ad 3. Affirmative dummodo non sint actualiter occupati in cura animarum.*

BUSCODUCEN. — Praebendarum. — R. *Ad primum, Affirmative et posse concedi absolutionem. Ad 2. Negative.*

DUBIUM. — Residentiae. — R. *Affirmative.*

NEAPOLITANA. — Cappellaniae. — R. *Spectare ad haeredes.*

MARSICEN. — Clericatus. — R. *Dilata ad primam.*

44. Buscoducen. — Praebendarum.

Remissus fuit a SS.mo pro voto, supplex libellus tenoris sequentis:

Il Conte di Bassiegnies come signore di Bortel, diocesi di Bolduc, conferisce le prebende della Collegiata di d.º luogo fondata già dai suoi antenati, e dopo la presa di Bolduc e suo territorio dagli Olandesi, questi al d.º Conte conservono il *jus* patronato di conferire dette prebende (che fu cosa singolare) con condizione però che dovesse conferire a Calvinisti, li quali le pigliano non come beneficio, ma come pensione vitalizia, e nel riceverle sogliono dare qualche regalo al Conte collatore. Ora vi è chi ha messo scrupolo che vi possa essere qualche di simonia, ma non dandosi, ne ricevendosi beneficio ecclesiastico, non si dà per l'incapacità di chi riceve, ne si riceve perchè li Calvinisti non conoscono la natura del beneficio, l'O.re sta in dubio. Per tanto per quiete della sua conscienza, supplica umilmente la S. V. degnarsi assolverlo da qualunque errore vi possa aver commesso, e concederli che possa continuare di conferire come per lo passato, essendo meglio che l'Oratore ne riceva qualche cosa, che lasciarlo tutto alli Calvinisti, massimamente facendo l'O.re spese notabili per mantenere in quella sua terra l'esercizio della religione in alimentare li preti, ed in pagare le multe e pene pecuniarie o regali per questo esercizio. Inspiciendum itaque videtur:

1. An Orator commiserit Simoniam.

2. An eius precibus indulgendum.

R. *Ad primum, Affirmative et posse concedi absolutionem. Ad 2. Negative.*

XIV. **Die 4 Septembris 1677.**

Beneventana. — Iurisdictionis. — R. *Ut infra.*

Leodien. — Iurisdictionis. — R. *Dilata et omnino ad primam.*

Romana seu Vicana. — Absolutionis. — R. *Negative quoad Constitutionem Alex. VII, in reliquis Secret. ad mentem, idest pro absolutione ad cautelam vigore edicti.*

Brasilien. — De Matrimonio. — R. . . . . . .

Melphiten. — Clericatus. — R. *Affirmative.*

Marsicen. — Clericatus. — R. . . . . . .

Asculana. — Participationis. — R. *Affirmative ad utrumque.*

Gedanen. — Matrimonii. — R. *Matrimonium fuisse nullum.*

Malacitana. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

Die 24 Iulii 1677.

45. — **Beneventana — Iurisdictionis.**

In oppido Petrae Sturninae Beneventanae dioecesis extat archiparochialis Ecclesia, et altera parochialis sub invocatione S. Bartholomei. Istarum cura non per confines, sed per familias. Istam S. Bartholomei, quae praetenditur annexa Abbatiae S. Sophiae de Benevento, archiepiscopus visitavit uti delegatus, eamque interdicto supposuit quia minabatur ruinam et ad Sacramentorum usum non est sufficienter instructa. Ministri E.mi Commendatarii ex inhibitione multis abhinc annis obtenta ab A. C. cum deputatione iudicis praetendunt visitationem declarari attentatam; sed quia archiepiscopi iurisdictio fundatur in dispositione Concilii, SS.mus pro declaratione opportuna circa haec, et alia rescripsit:

Alla Congregazione del Concilio che proveda per giustizia.

Propterea citata parte Archiepiscopus instat decerni:

1. An Archiepiscopo competat ius visitandi dictam Ecclesiam S. Bartholomei.

2. An competat ius eligendi et puniendi parochum d. Ecclesiae.

3. Et privandi eumdem quatenus non sit electus servata forma Concilii.

4. An monaci, an canonici regulares Abbatiae S. Sophiae, seu presbyteri in dicto Monasterio possint audire confessiones absque approbatione Archiepiscopi.

5. An a casibus Archiepiscopo reservatis absolvere.

R. *Dilata et proponatur in primo omnino.*

46. **Beneventana. — Iurisdictionis.**

Cum pro parte E.mi Commendatarii non nisi in limine propositionis magna scripturarum congeries exhibita fuerit, iterum dilata fuit resolutio. Ideo E.mi Patres reassumptis foliis et scripturis Congregationum diei 24 Iulii et 21 Augusti proxime praeteriti, non graventur decernere:

1um. An Archiepiscopo competat ius visitandi d. ecclesiam S. Bartholomei.

2um. An competat ius corrigendi et puniendi parochum eiusdem ecclesiae.

3um. Et privandi eumdem, quatenus non sit electus servata forma Concilii.

4um. An monachi seu canonici regulares Abbatiae S. Sophiae, seu presbyteri in dicto monasterio possint audire confessiones absque approbatione Archiepiscopi.

5um. An a casibus Archiepiscopo reservatis absolvere.

R. *Exquiratur votum Rotae super articulo territorii separati tantum, et interim per modum provisionis et ne cura animarum detrimentum patiatur, et sine praeiudicio ambarum partium respond.: Ad 1um. Affirmative ad formam Concilii. Ad 2um. Affirmative in concernentibus curam animarum, et in actu visitationis. Ad 3um. Negative et posse suspendere. Ad 4um. Dilata. Ad 5um. Negative.*

47. **Romana** seu **Vicana. — Absolutionis.**

Horatius Philippini, postquam per plures annos Romae commoratus fuerat, Vicum patriam suam ob nonnulla negotia reversus fuit. Ibi, post aliquot menses, ab Ordinario suo promotus fuit ad presbyteratum, subticendo ipsum Romae ab examinatoribus Urbis fuisse reiectum. Nunc Romae praesens, notitiam habuit Constitutionis S. M. Alexandri VII circa exercitia spiritualia ab ordinandis Urbis praemittenda, quare dubitans in suspensionem incurrisse, supplicat pro absolutione ad cautelam; qua instantia remissa ad S. Congregationem pro declaratione, respondendum videtur non incurrisse, quoniam Constitutio non videtur ipsum comprehendere, dum loquitur tantum de iis, qui promoveri volunt in Urbe, et in sex Episcopatibus vicinis, ibi: *Quicumque in eadem Urbe ratione originis, beneficii, domicilii, vel cum dimissoriis promoveri volent*, et infra. Denique in sex Episcopatibus et ad Urbem accedant, et exercitia spiritualia iniungit, et contravenientibus suspensionem infligit ipso Iure. Orator autem non est ex aliquo sex Episcopatuum, quia Vicum est in regno Neapolis, neque se promoveri fecit in Urbe, et Constitutio non prohibet quominus degentes in Urbe possint ire ad suos Episcopos ad se promoveri faciendum, sed tantum illos, qui hic promoveri volent ad exercitia spiritualia obligat; praeterquam quod Orator se bona fide promotum dicit.

His per summarium relatis, E.mis PP. res visa est examinatu digna in folio. Ideo quaeritur:

1um. An Orator incurrerit in poenam suspensionis ex dicta Constitutione.

2um. An incurrerit irregularitatem per celebrationem ante notitiam dictae Constitutionis.

3um. An absolvendus.

R. *Negative quoad Constitutionem Alex. VII. In reliquis, Secret. ad mentem, idest pro absolutione ad cautelam vigore edicti.*

ANALECTA VARIA

I.
Privilegia Protonotariis Apostolicis de numero participantium concessa.

Ss. D. N. Pius Pp. X in suo *Motu proprio* nuper edito (1), § 2 confirmavit " privilegia, iura, praerogativas et exemptiones quibus ex Ss. Pontificum indulgentia iamdudum gaudet Collegium Protonotariorum Apostolicorum de numero participantium...., prout determinata inveniuntur in Apostolicis Documentis " paucis exceptis; opportunum ergo duximus huiusmodi privilegia referre, documenta citando ex quibus eruuntur.

Privilegia Collegii Protonotariorum de numero Participantium, nec pauca, nec parva sunt. Antiquitus maiora quidem erant et praestantiora, nam Martinus V (*Constit.* In Apostolicae Sedis, *1419*), concessionem Protonotariis iam factam a Callisto II (1120) restauravit, percipiendi taxas pro expeditionibus Bullarum pro Episcoporum provisione. Ipsi praecedentiam habebant super ipsos Episcopos, quam tamen iure meritoque abstulit Pius II (*Const.* Cum servare *12 Iunii 1459*). Xystus V (*Const.* Laudabilis *6 Febr. 1586*) facultatem iis fecerat: 1. Doctorandi etiam in medicina et artibus, 2. Spurios legitimandi, 3. Notarios creandi, 4. arma deferendi; haec vero omnia abrogavere Benedictus XIV, (*Const.* Inter conspicuos *29 Aug. 1744*) et Pius IX (*Const.* Quamvis peculiares *9 Febr. 1853*).

Nunc autem, quae adhuc vigent, privilegia, iura, praerogativae et exemptiones, sunt quae sequuntur:

I. Septem Praelati, quibus constat ipsum Collegium, munere funguntur Notariorum Romani Pontificis et Apostolicae Sedis. Ipsorum est porro acta conficere mortis Summi Pontificis, clausurae ac reserationis Conclavis, coronationis et possessionis novi Pontificis; itemque et acta pro Dogmatum definitionibus, ac pro Sanctorum Canonizationibus. Locum obtinent in Conciliis Generalibus pro quorum sessionibus instrumenta conficiunt. (*Xystus V, Constit.* Laudabilis, *6 Febr. 1586; Card. De Luca,* Relat. Cur. Rom., *disc. 44, n. 2)*.

II. Unus saltem ex iis accersendus est pro quibuscumque actibus in Consistoriis publicis faciendis, et scripturis quibuscumque, acta publica concernentibus illius manu subscriptis, et proprio sigillo munitis, etiam absque testibus, plena fides in iudicio adhiberi debet (*Xystus V, ibid.*).

III. Item ipsorum est acta quoque conficere in cuiuslibet Tituli vel Diaconiae possessione novi Cardinalis.

IV. Romano Pontifici immediate sunt subiecti, et a quacumque Ordinariorum iurisdictione exempti (*Leo X Const.* Regimini, *4 Maii 1515; Xystus V, ib.; Pius IX, Const.* Quamquam peculiares, *9 Febr. 1853*).

V. Septem Protonotarii eo ipso Summi Pontificis sunt familiares ac Praelati Domestici (*Xystus V, ib.*).

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* fasc. praec., p. 53.

VI. Referendarii sunt utriusque signaturae, et unus ex eis antiquior in signaturae gratia semper adstare potest; (*Xystus V, ib.*), et primum locum habere (*Urbanus VIII, Const.* Circumspecta, *5 Sept. 1629*). Ideo uti Referendarii verae nobilitatis titulo decorantur, et eo ipso sunt Comites Palatini (*Paulus III, Const. 23; Xystus V, Const. 41*).

VII. Unus ex Protonotariis locum obtinet in conventibus Congregationis de Propaganda Fide (*Urbanus VIII, breve 2 Nov. 1626*); alter in omnibus conventibus S. Rituum Congregationis (*Xystus V, ib.*); ibique primum locum habet post Cardinales, *(Urbanus VIII, br. 12 Mart. 1642)* quod si Sacrista D.ni Papae sit Episcopus, post hunc sedet. (*S. R. C., 11 Feb. 1598, Card. De Luca,* Rel. Cur. Rom., disc. 18, n. 14).

VIII. Quolibet anno Collegium Protonotariorum gradum Doctoris, seu Lauream in S. Theologia quatuor candidatis, et aliis quatuor in utroque vel alterutro iure conferre potest, praevio diligenti et severo examine per ipsum Collegium instituendo. (*Xystus V, ib.; Benedictus XIV Const.* Inter conspicuos *29 Aug. 1744; Pius IX ib.*). Huiusmodi autem gradus a Collegio collatus, cuique suffragatur ad obtinendum quodcumque beneficium, vel officium. (*S. Cong. Conc. in Aquen., 14 Nov. 1746*).

IX. Collegii Decanus Fidei professionem ac fidelitatis iuramentum recipit a cuiusvis Ordinis Protonotariis noviter electis. (*Pius VII, Const.* Cum innumeri, *13 Dec. 1818; Pius IX, Const.* Apostolicae Sedis, *29 Aug. 1872; Pius X, Motu proprio*).

X. Ad septem Protonotarios privative spectat Acta conficere in causis Beatificationis et Canonizationis ubicumque degunt; rite eliguntur in Conservatores Ordinum Regularium aliorumque piorum Institutorum, in Iudices et Commissarios Apostolicos; et apud ipsos professionem fidei recte emittunt qui ex officio ad eam adiguntur. (*Pius VII, ib.; Pius IX, ib.; Card. Petra, l. c., n. 27*).

XI. Collegio Protonotariorum ius munusque inest alteram ex Rotis custodiendi, quae extant in sectis Conclavis, occasione electionis novi Pontificis Romani. (*Gregorius XV*).

XII. Idem Collegium, Statuta et ordinationes proprias prosperum statum concernentia condere, et pro tempore condita restringere, ampliare aut de novo ordinare potest. (*Xystus V, ib.*) (1).

XIII. Protonotarii Participantes habitu praelatitio induti, ubicumque, etiam in quibusvis Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis et Cathedralibus locum obtinent immediate post Episcopos, atque quoscumque Praelatos etiam Auditores Rotae, Clericos Camerae, Abbates omnes licet infulatos, nec non dignitates et Canonicos etiam Patriarchalium Urbis in ipsis Patriarchalibus collegialiter quoque coëuntes praecedunt. (*Pius, II Const.* Cum servare, *12 Iun. 1459; S. R. C.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 314 ubi reperiuntur recentiora Statuta revisa et approbata die 12 Aprilis 1904.

N. D.

Decr. 4 Maii 1613, n. 311; Gregorius XV, Const. Sane cum, *1622; Card. De Luca, l. c., n. 2*).

XIV. Uti possunt habitu praelatitio, cum rochetto, cappa ac etiam oblunga clamyde quam vocant *mantellone*, qua induti in pontificiis equitationibus locum habent post Episcopos Solio assistentes, et alios Episcopos non assistentes Solio, praecedunt. (*Xystus V, ib.*).

XV. Usum habent palmatoriae, canonis et annuli gemmati quotidie etiam in alma Urbe *(S. R. C., 21 Aug. 1601, 11 Febr. 1623, et 30 Nov. 1628)*.

XVI. Gestare possunt pileum tum pontificalem, tum semipontificalem lemniscis et flocculis rosacei coloris ornatos; et in pileo usuali, privative quoad alios Praelatos, cordulam et flocculum eiusdem coloris rosacei *(S. R. C., 17 Febr. 1617, et 6 Aug. 1674)*. Pontificalis pilei usus, ait Cataldi *(Ap. Caerem. Mag.)*, largitus est Protonotariis in functionibus tantum et equitationibus quae in Romana Curia celebrantur, non vero in aliis functionibus et extra Curiam.

XVII. Protonotarii omnes Participantes in Capella Pontificia utuntur cappis iuxta usum Praelatorum ipsius Capellae, nunquam tamen cottis supra rocchetum, uti utuntur Auditores Rotae et alii inferiores Praelati, sed semper incedunt in cappis *(Card. Petra, l. c., n. 25)*; et locum obtinent in scamno posito retro Cardinales Diaconos *(Pius II, Const.* Cum servare, *12 Iun. 1459; Xystus V, ib.)*.

XVIII. Duo Protonotarii Participantes ius habent deferendi anteriorem fimbriam Summi Pontificis, dum procedit ab aula paramentorum ad faldistorium in Capella aut in Ecclesia, et quando inde recedit *(Xystus V, ib.)*.

XIX. Singulis Protonotariis Participantibus distribuuntur in Capella candelae, cineres et palmae, nec non *Agnus Dei*, ratione eadem qua Episcopis Pontificio Solio Adsistentibus de more distribui solent *(Xystus V, ib.)*.

XX. Ius habent iidem, commemoratitia numismata aurea et argentea, percipiendi, in solemni coronatione Summi Pontificis, nec non annuatim in solemnitate SS. Petri et Pauli *(Xystus V, ib.; Alexander VII,* Motu proprio, *14 Sept. 1656)*.

XXI. Item ius habent accipiendi lugubres vestes in morte Summi Pontificis, et violaceas in creatione Successoris *(Xystus V, ib.)*.

XXII. Gratis omnino expediri debent quaecumque Apostolicae Litterae in eorum favorem concessae *(Xystus V, ib.)*.

XXIII. Ius habent privati Oratorii, in quo et consequi possunt Indulgentias Stationum Urbis *(Catal. penes Colleg. Caerem Pontif.)*.

XXIV. Privilegio gaudent altaris portatilis, super quo, in locis ad hoc convenientibus etiam non sacris, aut interdictis, tempore quoque cessationis a divinis, dummodo causam interdicti huiusmodi non dederint, etiam ante diluculum et circa meridiem, Missam per se, vel per quemlibet Sacerdotem approbatum celebrare possunt *(Xystus V, ib.)*.

XXV. Missa, quam super idem altare portatile, aut in Oratorio privato, diebus etiam solemnioribus celebraverint, vel ab alio celebrari fecerint, tum Protonotariis ipsis, tum eorum consanguineis et affinibus cohabitantibus quibuscumque, et personis eorum famulatui aut comitatui addictis in ecclesiastici praecepti adimplementum suffragatur. In aliena autem domo numquam altare portatile erigere poterit Protonotarius, nisi ipse occasione itineris, seu hospitii gratia, in eadem domo diversetur *(Pius IX, ibid.)*. — N. B. *Hodie vero Missa ab ipso Protonotario ubivis celebrata, sive in privato suo oratorio, sive in altare portatili ut supra, pro adimplemento festivi praecepti quibuscumque adstantibus suffragatur* (Vide n. 11, in *Motu proprio*).

XXVI. Protonotarii participantes, si in ordine presbyteratus sunt constituti, quibuscumque pontificalibus insigniis, in quibusvis Ecclesiis, etiam Cathedralibus, de illarum tamen Praesulum, si praesentes sint, si vero absentes absque illorum consensu, etiam illis irrequisitis extra Romanam Curiam uti posse concesserat Xystus Pp. V *(Const. cit.)*. *Nunc autem, in posterum, uti poterunt omnibus pontificalibus insignibus, excepto throno, baculo pastorali et mitra pretiosa; et mitra ex tela aurea tantummodo conceditur. Insuper toties quoties venia Ordinarii loci ab eis exquirenda erit* (Vide nn. 5, 6 et 9 in *Motu proprio*).

XXVII. Protonotarii participantes, qui per decennium officium obtinuerint, si forte illud resignaverint, per proximum quinquennium consequens iisdem iuribus et honoribus gaudent, exceptis iis quae collegialiter utenda sunt (*Xystus V, ib.*). — *Nunc vero is qui ante decimum annum Collegium deseruerit, eo ipso inter Protonotarios ad instar adscribitur. Item ille qui post decimum annum, per alios quinque privilegiis Protonotariorum de numero gavisus sit* (Vide n. 12 in *Motu proprio*).

Cum autem Xystus V in citata sua Constitutione, inter alia haec statuerit: « .... Pro tempore existentes septem Notarii, et eorum singuli, qui iam per decennium officium Notariatus huiusmodi obtinuerint, quique in futurum saltem per praedictum tempus a die, quo in Collegium eorumdem Notariorum admissi fuerint computandum, illud obtinuerint, si forte illud resignaverint, nihilominus Notarii sint et vocentur, eisdemque honoribus, praeeminentiis, antelationibus, privilegiis, immunitatibus, et exemptionibus, aliisque omnibus praemissis ad quinquennium tantum utantur, perinde ac si in dicto Collegio adhuc essent.... concedimus pariter et indulgemus »; hinc qui per integrum decennium, protonotarius de numero Participantium revera fuit, per consequentes alios quinque annos omnibus iuribus illorum gaudet, exceptis iis quae Collegialiter utenda sunt, ut supra sub num. I, II, III, VII, VIII, IX, X, XI, XII, XIX, XX, XXI et XXV.

Igitur per dictos quinque annos Protonotarius vocatur et est; insuper: *a*) non subiicitur locorum Ordinariis; *b*) est Praelatus domesticus et D.ni Papae Familiaris; *c*) Referendarius utriusque Signaturae; *d*) habito praelatitio utitur; *e*) eo indutus praecedit omnes Praelatos et Abbates et locum obtinet immediate post Protonotarios de numero; *f*) usum habet palmatoriae et canonis et annuli gemmati etiam in Urbe; *g*) gestare potest pileum pontificalem et semipontificalem, cum lemniscis et flocculis *rubini* coloris; *h*) locum habet in Capella Pontificia post Protonotarios de numero; *i*) si unus tantum ex Protonotariis de numero praesens sit, Protonotarius resignatarius iure potitur deferendi cum illo anteriorem fimbriam Summi Pontificis; *l*) gratis expediendae sunt Apostolicae Litterae in eius favorem; *m*) privilegium habet Oratorii privati; *n*) Altaris portatilis; *o*) et pontificalium insignium ut Protonotarii de numero.

Post autem transactos quinque annos a resignatione Protonotariatus, vigore huius *Motu Proprio*, eo ipso inter Protonotarios *ad instar* adscriptus erit.

Item, qui Protonotariatum de numero resignaverit ante decimum annum, ex nova S. D. N. concessione similiter inter Protonotarios *ad instar* eo ipso recensendus est.

Quod omnino congruum omnibus esse patet, qui enim dignus ab Apostolica Sede visus fuit, ut adscriberetur almo Collegio Protonotariorum de numero Participantium, quando huic tanto honori nuncium mittit, ne nimis decus eius deprimatur, inter Protonotarios saltem *ad instar* rite adnumeratur.

Dr. Petrus Piacenza.
Prot. Apl. de numero participantium.

II.

DE MARIA NUNQUAM SATIS

De quantitate gratiae Beatae Mariae Virginis

THEOLOGICA DISQUISITIO.

« Siste, vir vere devote ac docte, in laudibus ratione fultis ». Card. Caiet., in 3, Quaest. VII, art. 10.

Introductio.

Cum de gloriosa Deipara tractatum theologicum instituerenus, et quaestionem de eius initiali gratia ad trutinam revocaremus, deprehendimus id quod ab aliquibus auctoribus indubitanter asseritur, scilicet gratiam Mariae concessam in primo instanti illius Immaculatae Conceptionis, superasse gratiam omnibus simul sanctis angelisque, etiam in eorum consummatione unquam concedendam, solidis rationibus destitui, ideoque contrariam sententiam probabilitate non carere conclusimus (1).

Contra quod novissime insurrexit R. P. F. X. Godts, e Congregatione SSmi Redemptoris, edito libro, in quo hanc, quae est S. Alphonsi, sententiam, pro zelo, quo ardet, sui Fundatoris doctrinam tuendi, longiori sermone exponit, et pro aris focisque tuetur (2). In quo quidem et alium adversarium sibi constituit, R. P. I. B. Terrien, inclytum e Societate Iesu theologum, qui et ipse in egregio opere *La Mère de Dieu et la Mère des Hommes*, debilitatem rationum illius sententiae deprehenderat (3). Igitur contra hunc auctorem, nunc e vivis ereptum (4), et nostram tenuitatem, arma convertit P. Godts, de paterna haereditate tuenda, ut apparet, valde sollicitus, atutinam obiectivae veritatis investigandae aeque studiosus (5)!

Quibus Patris Godts impugnationibus haudquaquam respondere primum quidem statueramus, cum nobis alte persuasum maneat, parum iuvari, huiusmodi disceptationibus, veritatem; responsione ad eorum manus, qui impugnationes legerint, raro perveniente, et, quod plus est, litigantibus e controversiae puncto ad extranea facile transeuntibus. Hanc tamen mentem ut mutaremus aliorum nos impulit ratio, arguentium hoc nobis ipsis, hoc Ordini ad quem pertinemus, hoc denique veritati nos debere, ut fallacias, quae in illo opere inveniuntur, breviori sermone diluerêmus.

In quo quidem opere plura non desunt egregie dicta, ob quae auctorem, praeeunte poëta, laeti compellamus:

.... " *Tota mihi mente, tibique gratulor,*
Ingenium non latuisse tuum ";

latent tamen inter flosculos anguiculi, lingua vibrantes inexcusabile crimen, nos, propter sententiam, quam defendimus, inter adversarios privilegiorum Deiparae connumerari debere (1), qua quidem accusatione nil plane gravius fingi potuisset, cum huc semper totas converterimus vires, totus huc noster collimaverit labor, ut Deiparae privilegia, quibus post Dei honorem nil nobis magis cordi est, exponeremus, illustraremus, vindicaremus (2).

Quapropter muneris nostri partes esse duximus illam imputationem refellere, hac prima animadversione, videlicet, minime confundendas esse pias alicuius sancti opiniones, cum certis et exploratis Deiparae privilegiis; et haec quidem impugnare criminosum esse, illas autem profundius rimari, et ubi recta ostenderit ratio, de illis scire dubitare, virtuti laudique vertendum (3).

---

(1) Tractatus de Bma Virgine Maria, Matre Dei. P. II, c. 1, a. 4, p. 165, et Appendix, p. 494. Parisiis, Lethielleux, 2a editio.

(2) « *La sainteté initiale de l'Immaculée, exposée et défendue selon la doctrine de saint Alphonse* ». Bruxelles, Albert Dewit, 53, Rue Royale, 1904.

(3) T. I, pp. 388, seqq.

(4) Decessit in pago Bellevue, prope Parisios, 5 Decembris 1903.

(5) « *Il nous faudra même*, scribit ille (p. 137), *défendre la sublime doctrine de notre Bienheureux Père contre les hésitations du P. Terrien et les négations du R. P. Lépicier; deux excellents Théologiens qui, dans presque tous les autres points, sont nos vénérés maîtres en Mariologie, et que, seul, notre zèle pour la défense de notre héritage paternel, semble nous autoriser à contredire* ». Sententiam quam tuetur S. Alphonsus non *negavimus*, sed alteram sententiam, ut saltem aeque probabilem, defendimus: sed dato etiam nos illam aperte negasse, ubinam essent *negationes* de quibus loquitur P. Godts?

(1) Pater Terrien, cuius memoriae haud ita facile parcit P. Godts, in eadem accusatione comprehenditur. « *Nous espérons bien montrer*, dicit Godts (p. 181), *que l'excellent Père Terrien se trompe lui-même, ce qui est le sort ordinaire de ceux qui veulent diminuer les vrais et grands privilèges de celle à qui Dieu a fait de si grandes choses* ». Miror quanto pius et doctus P. Terrien stupore moveretur, si adhuc vivens, cerneret se inter adversarios verorum et magnorum privilegiorum Mariae connumerari! At certe per hyperbolem, sensu intellectum praeoccupante, hoc a patre Godts scriptum crediderís: libenterque ad eum quae habet Angelicus referimus: « *Hoc ipsum quod aliquis odio habet ea quae repugnant amato, ex amore procedit: unde zelus proprie ponitur effectus amoris magis quam odii* » (1. 2, Quaest. XXVIII, art. 4 ad 3). Cavendum tamen erat ne aliqua tamquam amato repugnantia exhiberentur, quae forsan ipsi magis conveniunt et placent.

(2) Cum nil nobis magis displiceat quam litibus, quae nihil prosunt, vanum insumere tempus, hinc statuimus ab ulterioribus de hac re conscribendis abstinere, si P. Godts, qui semel nos gratis appetiit, scriptis denuo fuerit adortus.

(3) Ex quo statim apparet quam inconsulto, in prima sui operis pagina, P. Godts referat sequentia S. Bonaventurae verba (4, Dist. XXVIII, Quaest. VI, a. 5): « *Cavendum est enim diligenter*

Accedit hunc auctorem de gratia initiali Deiparae non illa accurata methodo, ut tam altam materiam decet, pertractasse; sed superficiali quadam ratione, quasi id de gloriosa Deipara a priori decerni debeat, quo illa magis exaltari videatur, *de Maria enim*, conclamat ille, *nunquam satis* (1)! Qua quidem argumentandi ratione vix quidquam deterius posset proferri, cum eâ fidei nostrae dogmata infidelium irrisioni exponantur, putantium nos propter tam debiles rationes veritatibus revelatis assensum praebere.

Quae etiam agendi ratio haud consentanea videtur altae illi existimationi quam de tanta Virgine habere debemus: siquidem, dum illam incertis dubiisque praeconiis, quasi vera essent, cumulamus, immensa illa et pene infinita dignitatum munera praetermisisse iure censeri poterimus.

Denique intempestiva illa prurigine, de Maria omnia, etsi nova et insolita, praedicandi, falsus fidelium animis ingeritur sensus, devotionem erga Deiparam consistere haud posse, nisi quis peregrinis illis opinionibus mente adhaeserit, quas illi theologi, quorum tessera est *de Maria nunquam satis*, pro lubitu confinxerint: quo fit ut plures, ab irrationabili obsequio refugientes, ab hac tam salubri devotione, in suarum animarum perniciem, arceantur (2).

Quae ita cum sint, statuimus quaestionem de initiali Deiparae gratia iterum ad trutinam revocare (3), non quidem ut patris Godts rationibus respondeamus, nihil enim novi protulit, sed ut veritas magis magisque elucescat, ad honorem et laudem gloriosissimae Virginis Mariae Matris Dei.

Ut autem plenior de hac re tractatio evadat, huic rei aliquid praemittendum esse censemus de modo quo doctrinam ad Deiparam spectantem pertractari oporteat, necnon de recto Sacrae Scripturae et Traditionis usu in exponendis veritatibus fidei nostrae, tum de libertate theologo concessa, ab alicuius, etiam in sanctorum albo relati, Doctoris, sententia discedendi, demum de distinctione prudenter sapienterque facienda inter diversos sacrarum rerum scriptores, ne videlicet eodem censu, doctorum merito longe disparium auctoritas pensitetur.

Quibus haud absque utilitate ad mentem revocatis, ad quaestionem de quantitate gratiae initialis Deiparae, denuo, et quantum fieri poterit, penitiori ratione, definiendam accedemus.

Caput I.

De modo doctrinam de Beata Virgine Maria pertractandi.

Cum de quantitate gratiae, quam in primo suae conceptionis immaculatae momento recepit Beata Virgo, edissereremus, rationibus hinc inde perpensis, nobis visum est eorum sententiam qui, cum S. Alphonso, volunt gratiam Deiparae tunc superasse gratiam consummatam omnium sanctorum et angelorum collectim sumptorum, *non sufficienti theologica ratione fulciri, ut ultro possit praedicari* (1); unde conclusimus contrariam sententiam, tamquam probabilem, doceri tuto posse (2). Qua quidem positione, alphonsianae sententiae probabilitatem haud penitus negavimus: probabilitas enim unius sententiae probabilitatem, saltem extrinsecam, sententiae contrariae non aufert: quod enim uni probabile est, alteri improbabile videri utique poterit, qui tamen omnem sententiae, quam impugnat, formidinem abiicere haud valeat, hac saltem ratione, quod ab auctoribus, forsan magni nominis, illa sententia defendatur.

Quae ita cum sint, haud sine ingenti mentis stupore vidimus Patrem Godts, sapientis adagii oblitum: *In certis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas*, indignanter ferentem quod nos illam sententiam agitantes, infirmam, et utpote insufficienti fulcitam ratione, deserendam esse duxerimus. At intolerabilius quid protulisse perhibetur, cum nos et Patrem Terrien, tamquam privilegiorum Deiparae adversarios traduxerit, hac solum de causa, quod ab illa S. Alphonsi sententia discedendum nobis esse visum fuerit.

Profecto haud levis res est de Matris Dei dignitate, gratia et privilegiis tractationem instituere. Cum enim Maria, propter divinam maternitatem, ad Trinitatis solium quodammodo pertingat,

ut honor Dominae Nostrae in nullo ab aliquo minuatur, qui etiam in periculo capitis (al. carnis) *debeat* (al. debebat) *integer custodiri* ». Ed. Ad Claras Aquas, T. IV. Haec legentis menti succurrunt verba poëtae:

« *Sed nunc non erat his locus* »...

(Horat.).

Sane illis verbis haec alia opponi possent eiusdem S. Bonaventurae (3, Dist. III. P. I. a. 1. Quaest. II ad 3): « *Sufficiunt Virgini aliae dignitates, quas sibi Filius communicavit et dedit, in quibus excellit omnes humanas laudes et devotiones; et ideo non oportet novos* (al. nos) *honores fingere ad honorem Virginis, quae non indiget nostro mendacio, quae tantum* (al. tam) *plena est veritate* ». Ed. cit. T. III.

(1) Op. cit., p. 251.

(2) Noverit profecto pius Mariae filius veram devotionem erga tantam Matrem haudquaquam confundendam esse cum opinione S. Alphonsi pro qua P. Godts tam acriter decertat: ac proinde illum non effugiet fallacia huius propositionis (p. 14): « *Enfant de Marie! tenons, vous et moi, l'opinion de Saint Alphonse; comprenons-la, défendons-la, propageons-la de toutes nos forces. Sachons-le bien: la vraie dévotion envers Marie est un signe assuré de prédestination* ». — Num ab illa opinione discedentes praesciti sunt?

(3) Quod quidem latino potius quam gallico idiomate praestandum esse ducimus, rati latinum idioma prae vernaculo aptius ad theologicas disquisitiones, vulgo impervias, evolvendas.

(1) Tract. de Bma Virgine Maria Matre Dei, p. 165. — Miramur haec verba a P. Godts ita gallice reddi: « (Cette opinion) *ne me semble pas suffisamment fondée,... pour qu'on puisse encore la prêcher* ». Siquidem latinum vocabulum *praedicare* non correspondet gallico *prêcher*, sed significat *divulgare, publicare*; *ultro* autem non est idem ac *ultra*, significat enim *sponte*; et quia ea sponte fiunt de quibus nullum est dubium, ideo propositionis nostrae sensus obvius est sententiam, quam impugnamus, nonnisi dubitanter, seu, ut loquitur Schola, cum alterius formidine, proponi posse et defendi.

(2) De Sancta Maria Virgine Deipara, Quaestiones quodlibetales, Bibl. *Analect. Eccl.* n. 21, p. 17. — Vide 2ᵐ editionem Tractatus de Bma Virgine Maria, p. 499.

omnes perfectiones, quas sive in ordine naturae, sive in ordine gratiae et gloriae, Deus profuderit, mirabili consensione, in se adunat, ita quod operum Dei ad extra nobile compendium, post Christum, dici possit. Et hoc quidem opus, hic quoque labor: ut de tanta creatura nil nisi dignum, nil nisi solidis theologiae principiis innixum proferatur, ne videlicet error circa Beatae Virginis dotes, in fidei, cuius summa in illa reposita est, discrimen cedat. Quo faciunt verba Angelici Doctoris, vetantis ne quis dogmata nostra insufficientibus rationibus demonstrare praetentet, " *ne forte aliquis quod fidei est demonstrare praesumens, rationes non necessarias inducat, quae praebeant materiam irridendi infidelibus existimantibus nos propter huiusmodi rationes credere quae fidei sunt* " (1).

At hoc praecise vitium, in iis, quae ad Deiparam pertinent, pertractandis, saepius nos animo crevisse fatemur: ea videlicet absque examine passim admitti, quae Dei Matrem prima fronte extollere videntur, etsi peregrina sint et forsan quoque rationi pugnantia: qua profecto agendi ratione sublimia et tam nobilia fidei nostrae dogmata haud raro ab extraneis irrisioni habentur.

Quem in locum quadrant aurea Card. Caietani verba, ubi praecise de Virginis gratia sermonem inserens, ait: " *Hic nota contra loquaces et gratiam Beatae Virginis extendentes ad omnes effectus gratiae, quasi Matris Dei laus indigeat nostris pro voluntate, non ratione, laudibus sub quadam pietatis specie. Siste igitur, vir vere devote ac docte, in laudibus ratione fultis* " (2). Et sanctus ipse Alphonsus monet utique opinionem quae Deiparae magis faveat, pro devotione qua quis erga eamdem moveatur, tenendam esse prae contraria, at certe dummodo fidei, Ecclesiae decretis, aut veritati minime obstet (3).

Cum igitur deprehenderimus opinionem, quae tenet initialem Deiparae gratiam superasse gratiam consummatam omnium simul sanctorum et angelorum, veritati parum esse conformem, ideo illam inter gratuitas assertiones esse recensendam duximus, quam quis proinde non tanta fiducia docere debet, imo a qua quis discedere tuto potest.

Ubi tamen circa modum theologiam marianam pertractandi, aliud praenotare volumus, scilicet de Deipara non a priori, sed iuxta ea quae de fine, ob quem a Deo constituta fuerit, deprehenderimus, nos loqui debere.

Et quidem, ex modo quo ad suam conclusionem pater Godts praeceps ruere videtur, putare quis posset validas ipsi suppetere rationes ad causam, pro qua dimicat, roborandam: et utique una suppetit ratio, quae in eius existimatione tanti valet, quanti quaecumque alia: haec ratio est amor, amor fervidissimus (1); ideoque si qui aliam ab ipso sententiam tenuerint, hoc ideo est quia ipsis desit amor erga Deiparam (2). Nova sane et insolita argumentandi methodus! Num bonus pater iudex est constitutus internae dispositionis eorum quos a se dissentire non patitur? Quam rite dixerit regius psaltes: " *Melius est ut incidam in manus Domini, multae enim misericordiae eius sunt, quam in manus hominum* " (3)!

Et utique, amore illum vehementi in Deiparam affici oportet qui de eius gratiis et privilegiis sermonem texere contenderit (4): at amor iste, ni fide et ratione collustretur, in absurda quaeque proruit, sicut evenisse diuturna historia testatur. Quapropter, cum de Beata Virgine sermo inciderit, nihil tam excludendum esse censemus, quam ut quis dictis dicenda congerat, hoc solum quia *de Maria nunquam satis*. Hoc quippe criterio, cui vaga multa et omnino peregrina a scriptoribus saeculorum decimi sexti et decimi septimi prolata debentur, in multiplices errores rerum divinarum indagatores abduci necesse est.

In quo opportunissimum est quod S. Thomas, de Deipara loquens, habet: " *Beata Virgo, ex hoc quod est Mater Dei*, (habet) *quamdam dignitatem infi-*

(1) I, Quaest. XLVI, art. 2.

(2) In 3, Quaest. VII, art. 10.

(3) « *Lorsqu'une opinion est en quelque manière honorable pour la Sainte Vierge et qu'elle a quelque fondement, pourvu d'ailleurs qu'elle ne répugne ni à la foi, ni aux décrets de l'Eglise, ni à la vérité, ne pas la tenir et même la contredire, par la raison que l'opinion contraire peut aussi être vraie, c'est montrer peu de dévotion à la Mère de Dieu* ». Gloires de Marie, P. II. D. I. §. I. Notabis S. Alphonsum plus requirere ad hoc ut quis adhaereat alicui sententiae quae Deiparae faveat, quam olim requisierat Scotus, qui sic scripserat: « *Si auctoritati Ecclesiae vel auctoritati Scripturae non repugnat, videtur probabile quod excellentius est tribuere Mariae* » (3, Dist. III. Quaest. I. n. 10.)

(1) « *Ce qu'il faut quand on étudie Marie, quand on parle, quand on écrit d'elle, c'est l'amour, l'amour le plus chaleureux* » (p. 12).

(2) « *Il se rencontrera des auteurs écrivant avec la meilleure intention du monde des Traités de Théologie mariale, et qui ne se laisseront convaincre par aucun des arguments employés par notre Saint Docteur! Ils nieront audacieusement ce que notre saint affirme si clairement. D'où provient cette différence de conception? Elle provient du manque d'amour* » (p. 169). Cuinam haec legenti poëtae versus menti non succurrant:

> « *Quid dignum tanto feret hic promissor hiatu?*
> *Parturiunt montes, nascetur ridiculus mus.*
> *Quanto rectius hic qui nil molitur inepte*
> . . . .
> *Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem cogitat*».
> (Horat.)

(3) 2 Reg. XXIV, 14.

(4) Talem in scribendo amorem nobis non defuisse, testari dignatus est Leo XIII (Ep. Almam Dei Matrem, 26 Aug. 1901): « *Accedit autem estque sane ea laus potissima, quod, cum in scribendo disputandoque scholastica methodo, ut decet, uti decreveris, non ieiune id egeris, sed quadam animi suavitate qua, dum mens illustratur, fertur lector in amorem Deiparae* ». Quibus suffragantur verba Emi Card. Rampolla (Ep. 27 Aug. 1901): « *E mentre ho ammirato la sodezza delle dottrine, tratte dalle pure fonti teologiche, e il metodo strettamente scientifico dell'esporle; sono stato colpito da un non so che di spirituale unzione che per tutto s'incontra, e che, mentre rivela l'amore che nella mente le ragionava, infiamma i lettori di santo affetto verso la Madre di Dio* ». Veniam a lectore humillime petimus quod, suis intempestivis obiurgationibus, bonus pater Godts nos ad talia revocanda invitum prorsus impulerit.

nitam, ex bono infinito quod est Deus, et ex hac parte non potest fieri aliquid melius „ (1). Ubi agnoscit quidem S. Doctor criterium illud: *De Maria nunquam satis,* valere quantum ad hoc quod Matris Dei dignitatem, in se utique inspectam, respicit, quam quidem dignitatem nunquam satis aestimare, laudare, extollere poterimus; non autem absolute et universaliter loquendo, quasi Beatae Virginis perfectionibus, sive naturalibus sive gratuitis, limites ulli non sint adsignandi: sic quippe nec Maria existere posset, cum, data qualibet mensura in quantitate creata, alia maior semper possibilis evadat: unde si Deus Mariam debuisset gratiis et privilegiis exornare maiori quo absolute fieri potuisset modo, nunquam sistere in determinata mensura potuisset, et sic nec possibilis quidem talis creatura foret.

Dicendum igitur est, in iis quae respiciunt Deiparae perfectiones, sicut etiam in omnibus Dei operibus, non exclusa ipsa Domini Nostri Iesu Christi sacrosancta humanitate, attendendum esse fixum et determinatum modum, ex fine ad quem res ordinatur, commensuratum: qui finis, a divina Sapientia praefixus, est ratio omnium eorum quae ad rem illam quoquo modo pertinent. Quapropter cum quis operibus Dei investigandis incubuerit, non a priori quid in illis habeat decernat, sed prius attento fine propter quem a Deo constituta sunt: sic quippe et circa Deiparae gratias et privilegia dicendum erit: ut prius ratio investigetur propter quam istis perfectionibus a Deo illa fuerit donata, qua habita, utique exagerentur, quantum fas sit, huiusmodi perfectiones: quod et de Christo Domino proportionaliter dicendum est. At si quis cognoscendis rebus theologicis de Christo et Maria hoc proprie criterio sese duci voluerit, quod de istis sanctissimis personis, quas toto nos amore prosequi oportet, nunquam sufficientia dici possunt, ei similis dicendus erit qui navi sive gubernaculo, immenso semet oceano, commiserit: miserandum ipsi naufragium certissime imminet (2).

Caeterum, quod haec proprie sit ratiocinandi methodus quam theologum, in investigandis Deiparae privilegiis, sequi oporteat, et verbis et re ipsa docet Doctor Angelicus. Sic quippe de Deipara loquens, ait (3): " (Maria) *habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti eius* „. Et similiter loquens de Domino Nostro, ait (4): " *Unioni* (hypostaticae) *sufficienter correspondet talis mensura gratiae, secundum definitionem divinae sapientiae* „. Quibus auditis forsan scandalum patietur bonus pater Godts, aegre ferens vocem istam *sufficienter* applicari a sancto Thoma *Specioso forma prae filiis hominum;* et certe illum condemnaverit, quasi divinam bonitatem nimium coarctet, qui dixerit satis esse quod Deus semel pro homine mortuus sit: et tamen nil hac positione verius est (1).

Non satis est ergo, ad theologicas res, quae ad Deiparam attinent, explorandas, hoc criterio duci, scilicet eam *nunquam satis* posse extolli (2): sed res, iuxta proprium illarum finem, ex fontibus divinae revelationis deduci debent, in quo tamen etiam sapiens discretio observanda est, ut nunc ostendemus, ubi plura a P. Godts oscitanter aut inaccurate prolata, aegre quidem, at ipsamet rei veritate cogente, indicabimus (3).

(Sequetur).

A. M. Lépicier.

(1) 1, Quaest. XXV. art. 6, ad 4m.

(2) Risum movent quae in excessu suo scribit bonus p. Godts: « *Ah! ce tiède* satis erat, *qu'il sonne faux dans la vraie théologie mariale!* De Maria nunquam satis! » (p. 251) Et adductis paucis verbis Bullae *Ineffabilis*: « *Dieu soit béni! Voilà une doctrine qui est aux antipodes du faux et glacial* satis est! » Mox tamen, quasi advertat se limites excessisse, pedem aliquantisper retrahit: unde *satis est* desinit esse « *glacial* », est solum « *au moins tiède* », remanet tamen « *faux* », addit statim bonus vir (p. 252), timens forsan ne nimium recesserit.

(3) 3, Quaest. VII, art. 10 ad 1m.

(4) Ibid. art. 12 ad 2m.

(1) Obiter hic notare possumus, ex illo criterio, scilicet *de Maria nunquam satis*, hoc quoque deduci, quod habet P. Godts (p. 126), Mariam a primo instanti rationis, virginitatis votum emisisse, quod incongrue omnino dicitur, cum hominem non deceat hoc votum emittere, nisi convenienti aetate constitutum: unde B. Virgo, prioribus vitae temporibus potuit quidem huius voti excellentiam agnoscere, et etiam statuere se, adultiorem factam, illud emissuram; sed nonnisi cum ad nubilem aetatem pervenit, ut rei natura fert, illud votum actu emisisse dicenda est. Reprehendendum pariter est, utpote falso illi innixum criterio, quod iterum habet P. Godts, dum indiscriminatim ait (p. 136) Mariam usam fuisse donis sapientiae et scientiae, contra id quod habet S. Thomas (3, Quaest. XXVII. art. 5 ad 3m). Rectius et theologo dignius hoc argumentum de gratiis gratis datis in Maria prosequitur insignis e Congr. SS. Redempt. scriptor, scilicet R. P. Thomas Livius, in egregio opere « *Mary in the Epistles* », pp. 147, seqq. Londini, 1891. Cf. quod scripsimus in Tract. de Bma Virgine Maria, P. II. C. I. a. 5, pp. 186, 187.

(2) Huic quoque criterio debetur quod pauci quidem, attamen tenaciter, propugnant, videlicet Mariam haudquaquam mortuam esse; contra quos egregie disseruit R. P. Carolus Dilgskron, C. SS. R.: « *De Beatissimae Virginis Mariae obitu eiusque Immaculato Conceptu* ». Analecta Eccles. Dec. 1898, pp. 496, seqq. Cf. Tract. nostrum de Bma Virgine, pp. 515, seqq. 2a Ed.

(3) Ab hisce recensendis ultro abstineremus, nisi P. Godts elucubrationem suam tanquam efficax medium ad Deiparam melius cognoscendam et amandam praetendisset (p. 14; cf. p. 4).

III.

De coniugio clandestine inito in loco exempto a peregrinis qui domicilium in loco Tridentino asservant.

Disquisitio altera polemice instituta

(Vide pag. 135 sq.).

§ XVI.

Ratio decidendi in Congregationibus observata.

Ab adversario tamen variae causae in Congr. Concilii disceptatae allegantur veluti eius intentioni faventes. Ast infelici delectu, quandoquidem a prima ad ultimam, omnes et singulae

meum confirmant assertum: in prima, 28 Aug. 1864 (1), sponsi e suo domicilio in parochiam non suam cum *fraude subiectiva et dolo* transmigrati sunt. In altera, 16 Iunii et 28 Iulii 1866 (2), sponsi ambo *eo fine* e loco Tridentino in Angliam transmigrati sunt *ut* matrimonium ibi inirent: ergo cum fraude *obiectiva* licet cum alio fine *operantis*, in ipsa *translatione* et consequenter in *transitu*. In tertia, quae est illa famosa Alberti et Armandae, 25 Ian. 1873 (3), *inquisitum iuridice* fuit non tantum utrum alter saltem et duobus domicilium vel quasi-domicilium Neo-Eboraci acquisivisset, *sed etiam utrum ambo illuc appulissent matrimonii celebrandi causa*. Probatum autem fuit, fraudem *obiectivam* Armandam in sua *transmigratione* admisisse, quam neuter, acquisito in illa parochia ullo domicilio, purgavit, eamdemque Armandam in hunc suum *operis* finem traxisse Albertum qui quamvis *itineris causa* e Gallia in Americam transmigrasset, simul animo alte repositum iugiter servaverat toto itinerum tempore, et affectum erga Armandam et persuasionem matrimonium posse facilius in illis Americae statibus iniri. Unde finis *operantis* itinerandi scilicet, quem in sua transmigratione habuit, *haud excludebat* finem matrimonium illic ineundi, si quando occasio propitia obtingeret; sed non tantum *ille* finis *operantis hunc* haud excludebat, sed adiuncta *perdurantis affectus, commercii non interrupti* epistolarum, persuasio illa de faciliori matrimonio in America, maxima qua fieri potest praesumptione ostendunt Albertum in ipsa profectione sua fovisse animum nubendi cum Armanda quando et ubicumque posset, ac facilius in America. — Atqui ista profecto satis probant transmigrationem Alberti licet principalius itinerandi causa institutam, *etiam secundario saltem nubendi causa* fuisse productam. Quod sufficere videtur ut in ambobus etiam fraus *tota* ab Urbano Pp. requisita, verificata comprobaretur.

Advocatus quidem Alberti actoris et defensor vinculi praecipue in quaestione domicilii institerunt; non tamen unice et cum aliunde ex actis sufficienter *factum illius fraudis* ex se elucesceret, quaestio consequenter reducebatur ad unicum purgandae ipsius medium demonstrandum: ideo utraque pars in eo institit.

Causa haec itaque mihi ac meae conclusioni in praesenti, potius quam adversarii placito favet.

Aliae causae tum in S. Officio tum in S. Congr. Concilii discussae et iudicatae, ab adversariis, antequam primum meum exararem opusculum, opponebantur, quas tamen in eo pag. 31, 32 ostendi mihi non adversari; nec Wernz in praesenti eas iterum reducit in medium (4).

§ XVII.

Instantia adversarii praepedita.

Adversarius aliis verbis sed eadem via oppositam sibi sententiam iterum impetere ex iis S. Congregationum responsis conatur. Occasione enim arrepta ex Avanzini assertione in vol. VII, *Actorum S. Sedis*, pag. 559, anno 1872, Quodsi, ait Wernz, l. c., iidem (*Actor. S. S.*) editores, concludunt " *aliis rationibus* innixam S. C. C. sententiam nullitatis in illa causa (Alberti) tulisse ", id quidem suspicantur et asserunt sed morem illum insolitum non probant, atque scite Rosset (*de sacr. matr.*, n. 2095), animadvertit: " Certe nulla alia (ratio) fuit producta in processu; porro *alienum* est a more S. Congregationis ferre sententiam ob rationem, cuius nulla mentio in actis facta sit ".

His obiectis facilis nunc est responsio: si Avanzini hanc suam *conclusionem* probare non curavit, ideo fuit, non quia haec esset mera eius suspicio nullo gravi innixa fundamento; sed quia, uti fert vetus proverbium, *intelligenti pauca*. Verum, factum iam a tricennio protractum, partem scilicet avanzinianae sententiae adversam reapse reticitas eius rationes in lucem educere noluisse vel saltem non eduxisse, hoc factum, inquam, ostendit quanto melius fecisset Avanzini, si praemissas etiam suae conclusionis expressius evolvisset. Huic ergo defectui supplere non erit incongruum. Respondeo itaque alienum revera esse non a more tantum S. Congregationis sed etiam ab omni iuridico processu, sententiam ferre iudicialem cuius motivum *in actis* iuridice fundatum ac probatum non resultaret: idque praesertim si agatur de nullitate declaranda matrimonii. Atvero motivum hoc ex *actis* resultare probe potest quin ex orationibus sive consultorum sive advocatorum aeque resultet, praesertim si species facti secum ferat intricatissimam, diu disputatam in scholis, necdum finitam controversiam, sicuti in casu nostro contingit. Si ergo ex *actis* motivum resultaverit inque actis iuridice fundatum exstiterit, quamvis ab oratoribus non expresse evolutum, sententia lata pro nullitate *obiective* respondet tali motivo eique inniti dici potest et debet. Id autem sententiae meae, meaeque conclusioni sufficit, dum adversae sententiae

(1) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. I, pag. 129 seq.

(2) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. II, pag. 385, seq., 398 seq.

(3) Cf. *Acta S. Sedis*, vol. VII, pag. 545 seq.

(4) In hoc ultimo quadriennio causa occurrit in Congr. Concilii 18 Iulii 1903, et 23 Ianuarii 1904 quae nostrum refert casum: duo haeretici Parisienses in Anglia matrimonium iniverunt clandestinum; atvero ipsa facti species meam confirmat sententiam, cum ambo in Gallia de matrimonio ineundo diu tractaverint atque eo fine in Angliam peregrinati fuerint ut ibi in quodam castello quod ad totam sponsi familiam pertinebat nuptias celebrarent: id porro ex actis erat comprobatum unde nihil superérat, nisi ut de domicilio vel quasi-domicilio in eo castello habito vel non, unice disceptaretur: de fraude enim obiectiva translationem inficiente iam evidentissime constabat. Idem de causa Parisiensi in S. Officio iudicata, 6 Apr. 1895 dici debet. — Idem de alia Parisiensi 1° Martii 1902 in S. C. C. decisa.

Haec, 1 Martii 1902 refertur in *Analectis Ecclesiast.*, vol. X, pag. 111; alia, 18 Iul. 1903 et 23 Ian. 1904, in *Anal. Eccles.*, vol. XI, pag. 284; tertia tandem S. O. 6 Apr. 1895, in *Anal. Eccles.*, vol. III, pag. 443.

ac conclusioni ratio evanescit ex illis causis arguendi.

Animadversio idcirco clar. ROSSET fundata non est: nam ipsa supponit motivum sententiae decisivum *semper et exclusive* apparere ex advocatorum et consultorum orationibus, et vinculi defensoris animadversionibus, quae in *Thesauro* resolutionum S. C. C. publicantur cum folio Secretarii. Atvero in *Actis* quae in illo *Thesauro* non eduntur, haud raro alia insunt elementa in quibus iudices suam fundant sententiam, sicuti superius in nota explicavi.

* * *

Neque urgeat adversarius non sufficere quod motivo *sic in actis* contento sententia iudicialis *obiective* respondeat, ut inde *lata a iudicibus ex eo motivo* praedicetur: ut enim *lata a iudice ex eo motivo* fuerit, imprimis necesse est ut a iudice motivum in actis contineri advertatur. Atqui si, nequidem eruditissimi illi consultores, peritissimi illi advocati etc. id adverterint, et quidem ratione vigentis intricatissimae illius controversiae in scholis, nonne eadem ratione ab eo motivo ex actis eruendo et ipsi iudices praepeditum iri dicendi sunt?

Respondeo sane negando consequentiam atque illationem ab illis advocatis et consultoribus ad hos iudices, multiplici de causa:

Primo quidem adverto in facto non stare huiusmodi motivum animadversioni effugere, cum, uti in illa Alberti atque Armandae causa notatum est, ipsa iudicialis inquisitio de eo ream et actorem et testes interrogaverit.

Deinde inter iudices semper nonnulli saltem, sin plerique, peritissimi et ipsi in iure ac theologia inveniuntur, ac diligentissimo singularum causarum studio ad iudicium toties quoties, sive industria propria, sive alicuius peritioris adiutorio accedunt, ac melius quam advocati, unius alteriusve partis favore sunt immunes: nihil igitur impedit quominus quod illi non adverterunt in actis, hi percipiant, etiam relate ad quaestiones in scholis controversas.

Satis autem est iudices *potuisse* illud verum motivum percipere in actis contentum, ut nihil adversarius pro sua conclusione ex eis decisionibus deducere valeat.

Appellare enim debet in ea sua ratiocinatione ad virtutem obligatoriam quae inest *in ratione decidendi a S. Congregatione constanter atque uniformiter servata*. Haec autem *ratio decidendi* imprimis erui debet ex comparatione instituta *actorum* cum sententia: nam in sola proferenda sententia S. Congregationes fere nunquam motivum eius exprimunt. Dum igitur in *actis* motivum aliud probatum obiective includitur praeter illud quod patrocinatores vel consultores evolverunt, nunquam *ratio decidendi* ex uno potius quam ex altero *firmata* fuisse cum *certitudine* dici potest.

Praeterea haec ratio decidendi suam virtutem obligatoriam mutuatur, sicut quaevis legitima consuetudo, ex consensu tacito S. Pontificis *cuius organa sunt Congregationes*, cuiusque solius virtute obligare valent. S. Pontifex autem non censetur rationi decidendi in Congregatione adhibitae consentire nisi in quantum, nec plus nec minus, sententia motivo *obiectivo in actis* correspondet ac proportionatur cum *exclusiva certitudine*, et vice versa, motivum sententiae. Cum vero haec certitudo qualicumque ex titulo deficit, *ratio illa decidendi* ut *obligatoria* invocari nequit, sed refundi debet in *privatam* officialium et iudicum scientiam quae non facit legem.

* * *

At in specie nostra in qua de validitate agitur iudicanda matrimonii, augetur multum virtus haec obligatoria a Pontifice in organon ipsius derivans. Nam pertinet omnino ad rectum Ecclesiae regimen, ad fidem in subditis tutandam dogmatum quae naturam et proprietates matrimonii christiani constituunt, ad mores in sua integra puritate servandos, ut S. Pontifex ne unum quidem in individuo valide constans ac consummatum matrimonium christianorum decernat esse nullum. Sicut enim *factum* continentiae, in *obiectivo* auctoris sensu, unius propositionis reprobandae in aliquo libro, docetur a theologis ita extrinsecus connexum cum fide dogmatis apud Ecclesiae membra custodienda, ut dicendum sit sub magisterii infallibilis obiecto comprehendi; ita similiter, sin etiam a fortiori, sententia S. Pontificis de nullitate unius matrimonii in facie Ecclesiae contracti ac deinceps consummati, videtur sub assistentiae divinae obiecto includi posse ac debere (1). Vi igitur huius perennis assistentiae Vicario Christi promissae, asserere non ambigo omnino repugnare ut Pontifex *per se ipsum* huiusmodi sententiam ab obiectiva veritate dissonantem uti supremus Ecclesiae gubernator emittat.

Haec autem repugnantia ex assistentia divina derivans *solum factum sententiae* Pontificis prolatae tuetur, non vero per se *motiva* etiam quibus *inductus Pontifex fuerit* ad sententiam proferendam: motiva haec fuerint vera, fuerint errata, hoc in assistentiam divinam refundi nequit, quippe quae via qualicumque *factum* sententiae verae obtinere valet.

Equidem quando Pontifex non per seipsum in forma solemni sententiam nullitatis edicit sed ad eam proferendam ordinariis S. Congregationum organis utitur, assistentia divina organo proferenti sententiam ipsa non transfertur, sed in tantum influit in organi sententiam, in quan-

(1) Sane huiusmodi sententia *ex natura obiecti*, non pure *disciplinaris* censeri debet sed materiam attingit *fidei practicae*, ut ita dicam. Porro Theologi etiam ad *mere disciplinaria* decreta infallibilitatis et assistentiae divinae promissionem extendunt, saltem si haec universalia sint. Cf. v. g. CHR. PESCH *Propaedeuticam*, n. 541, edit. 1894.

tum assistentia *Pontifici ipsi praestatur,* quae *ipsum impediat permittere* ne matrimonia valida in Ecclesia declarentur nulla per Congregationes quibus ipse utitur; idque in tantum per assistentiam divinam Pontifex impeditur permittere, in quantum necessarium est pro Ecclesia quidem ut *generatim* et *communiter* matrimonia sint firma, pro *singulis* autem coniugibus christianis ut quieta conscientia, primo vinculo declarato nullo, in novo vinculo contracto remanere valeant. Ad effectum autem hisce limitibus constrictum obtinendum sufficit ut Congregationes maxima *humana* prudentia in his edendis declarationibus utantur, qua *periculum* quidem sententiae erratae, fiat remotissimum non vero *possibilitas* ipsa huius erroris arceri debeat. Propterea etiam in iure cautum est ut huiusmodi sententiae nullitatis nunquam eo usque in rem iudicatam transirent ut, si error detegeretur, causae non possent novo subiici iudicio. Nihilominus cum error vel nunquam vel rarissime de facto contigerit, hinc coniuges in iteratis nuptiis coniuncti ea securitate manere possunt qua vix in aliis rebus humanis quietari eos continget: in aliis enim rebus humanis paucissimi sunt qui tanta cautela ac prudentia utantur quanta utuntur Congregationes illae, et tamen in illarum rerum consecutione quiescunt.

Iamvero ut talis effectus obtineatur, necessarium est et sufficit FACTUM NON ERRATAE SENTENTIAE, ex quibuscumque motivis ipsa pronuntiata fuerit: *sufficit* idcirco ut ei motiva ex parte speciei facti vel etiam ex *actis et probatis* obiective *respondeant,* etiamsi animadversa a iudicibus non fuissent.

Idipsum etiam *necessarium* est quia si ne quidem in *specie facti* motiva nullitatis laterent, sententia nullitatis vera esse nequiret; si eadem in *actis* et *probatis* obiective saltem non continerentur, iudices merito insipientiae argui deberent quippe qui motivis omnino erratis vel iuridice non probatis sententiam omnino *per accidens* tulissent veram. In ea autem hypothesi error in motivis existens, non autem in sententia, ad summum refundi in *iudices* deberet nequaquam vero in *Pontificem,* quippe cuius imputabilitas salvatur per solum *factum* sententiae speciei facti cum veritate respondentis.

*
* *

Ut igitur totam responsionem paucis constringam: nulla allegatur causa in qua factum transmigrationis adhibitae uti medii ad finem matrimonii ineundi, obiective non contineatur in actis iuridice per testes vel documenta etc. comprobatum. Porro hoc sufficit ut *ratio decidendi* in *solo* facto *domicilii* non acquisiti comprobando constituta non possit ab adversario invocari, sive 1) prout generatim *ratio decidendi conformis et constans* ex tacito Pontificis consensu facit legem; sive 2) prout speciatim in quaestione nullitatis coniugii christiani, ipsa aliquem influxum remotum et indirectum sibi communicatum habet illius assistentiae divinae supremo Ecclesiae regimini promissae, iuxta paulo superius explicata.

Probatur consequentia *primi:* quia si alterum illud motivum in actis obiective continetur, nunquam cum *certitudine* asseri poterit, omnibus perpensis personarum adiunctis, sententiam fuisse a iudicibus in altero domicilii non acquisiti facto *exclusive* fundatam. Probatur consequentia *secundi:* quia ad salvandum illum supra explicatum influxum, sufficit *factum sententiae* non erratae: *motivum autem decisionis* non refunditur in Pontificem sed in solos iudices quibus ipse utitur. Imo, si ipsa sententia erronea esset, quod aegerrime et rarissime contingere *posset,* nequidem tunc error Pontifici per Congregationem iudicanti esset attribuendus sed soli Congregationi quae profecto infallibilis haud est.

Quae cum ita sint non apparet quomodo vel qua ex parte causae particulares a Congregationibus decisae mihi ac meae opinioni ulla ratione opponi valeant.

Contrarium dici debet de altera extrema sententia quae fraudem ab Urbano VIII ad coniugii nullitatem requisitam interpretabatur etiam in primo Archiepiscopi Coloniensis quaesito fraudem quidem (et hoc rectissime) sed non tantum obiectivam sed exclusive etiam *subiectivam,* uti late explicatum est.

Qua de re Patri Wernz assentio cum multis aliis ab ipso in praesenti loco citatis.

§ XVIII.

Instructiones S. Officii mihi non refragantur.

Superest tandem ut aliquid dicatur de responsis *doctrinalibus* S. Officii quae ab adversario pro sua sententia adducuntur: de *sententiis* enim eiusdem prolatis in causis particularibus coniugii ex capite clandestinitatis invalidi, pro re nostra, eadem valent quae paulo ante de sententiis in S. C. Concilii prolatis disserta sunt; imo *magis* valent, nec solum *aeque* pro S. Officii tribunali quam pro S. C. Concilii tribunali. Manifestum tamen est me de solis sententiis loqui posse quae publicatae sunt. Sed ex hac parte adversario minor non sum, quandoquidem et ipse in notis sui recentissimi tractatus, *canonistam* agens, solis publicatis iam sententiis utitur, nec nondum publicatis uti *potest* quippe quae sub gravissimo secreti Pontificii sigillo clausae remanent.

In medium porro iterum adducitur 1°, particula Instructionis S. C. Inquisit. 14 Dec 1859 ad Archiep. S. Francisci, quae particula legitur relata in vol. XXVI *Act. S. S.*, pag. 256, in praecedenti meo opusculo, pag. 17, atque in supplemento Lucii Ferraris a Ian. Bucceroni edito, pag. 592. — Verum exinde nihil pro adversa

mihi sententia deducitur quia ibi S. Officium Tridentinam legem interpretatur ex suppositis iam datis Urbani responsis, unde lex Tridentina *personalis* in ea Instructione dicitur expresse eo sensu, quo personalem eam esse *in confesso est apud omnes:* eo sensu igitur de quo retuli et distinxi supra pag. 60 ipsius Wernz verba asserentis *omnes convenire* incolas territorii Tridentini si in locum a cap. *Tametsi* immunem absque acquisitione saltem quasid-omicilii SESE TRANSFERANT in fraudem.... propter vinculum OBLIGATIONIS personalis invalidas celebrare nuptias. Quod deinde ista *obligatio* fuerit iam *resultata inhabilitas,* uti vult Wernz, vel fuerit *mera moralis subiectio* legi *virtualiter* inhabilitanti, cui illi peregrini etiam extra *suum* territorium subiacent vi Urbaniani decreti, uti ego probavi: hoc non determinat Instructio, imo mihi potius favere videtur uti resultat ex iis quae notavi l. c. pag. 18. — Ulterius, eo ipso quod haec Instructio appellat ad illam intellectionem capitis *Tametsi* etiam ab Urbano VIII interpretati, " in quam *omnes* conveniunt ", non potest significare nisi casum quo peregrini fraudem admiserint *etiam in translatione* sua, nedum in solo *transitu:* nam tunc temporis (ann. 1859) plerique DD. *non* admittebant matrimonium vi decreti Urbaniani fore invalidum, si in *ista translatione etiam* fraudem (*subiectivam* quam solam intentam ab Urbano volebant) peregrini non admisissent. Propterea caute scripsit ipse Wernz l. c. " omnes conveniunt..... SESE TRANSFERANT in fraudem.... " Ergo iterum ex illa Instructione, nihil contra meam *hodiernam* explicationem deduci potest (1). Noluit sane huiusmodi Instructio uni Episcopo directa ipsique fere reservata, dirimere authentice quaestiones disputatas sub S. Sedis oculis apud Doctores catholicos. Reapse Wernz eam nunc affert praecipue ut ex ea *arguat* contra patronos fraudis *subiectivae,* idque in subsidium ac confirmationem primarii sui argumenti, cui subscripsi, desumpti ex constanti et diutina praxi Congregationum solvendi matrimonia in quibus clandestine ineundis sola fraus intercesserat *obiectiva.* Deinde ex ea ipse contra meum praecedens opusculum etiam arguit, cui tamen obiectioni superius satisfeci.

2° In eumdem finem atque eodem fere modo arguitur ex litt. encycl. S. C. S. Officii 7 Iunii 1867, ad Episc. Angliae et Statuum Foederat. Americae Septentrionalis de indiciis ad probandum quasi, domicilium. (1) Frustra autem haec Instructio mihi oggereretur, cum ipsa clarissime ab initio definiat *subiecta* de quibus deinde tradit doctrinam a Wernz allegatam, eos nempe territorii Tridentini incolas qui " ad locum se conferunt in quo illud (cap. *Tametsi*) publicatum non est, UT LIBERIUS ibi possint maritali foedere coniungi citra illas difficultates, quibus in patria praepediuntur ". Loquitur ergo Instructio *in hypothesi* fraudis obiectivae iam in ipsa *translatione* admissae. Cum ergo, paulo post, matrimonium *sic* contractum invalidum dicit, neque a *talibus* posse valide iniri in loco exempto, " *nisi* ibi... vere domicilium fixerint, fraudem, si qua intercesserit, purgare omnino debeant ": per illam conditionem adiectam, " si qua intercesserit (fraus) " intelligit, ultra fraudem *obiectivam* quae iam in *subiectis* praesupponebatur, fraudem etiam *subiectivam*, quae potest abesse in istis *subiectis* iam sola fraude *obiectiva* infectis. Nisi enim ita ea verba intellexerimus, dicere cogeremur quod mihi magis etiam faveret, in casu tali non necessario et semper includi fraudem etiam solam obiectivam sed aliquando includi, aliquando non, ideoque ultra factum non acquisiti domicilii, debere etiam *probari* fraudem obiectivam et ipsam intercessisse: *conditio* enim illa ita *dubitativa* non apponitur de iis quae semper insunt.

Conclusio totius dissertationis.

Neque alia sunt quae mihi opponantur nisi elenchus auctorum, qui eamdem ac Wernz sententiam dicuntur patrocinari, quorum duos tresve video ipso W. esse antiquiores, alios autumare possum eiusdem praecipue auctoritati fuisse obsecutos. Ceteroquin rationes quas apud illos omnes auctores ipse sibi favere detexit, diligentissimo studio collectas atque ordinatas in propriae sententiae defensionem ac propugnaculum convertere non omisit. Si igitur eius arcem expugnare mihi contigerit, ceteros omnes qui eam forinsecus tuebantur, arma cedere, paulatim saltem, non detrectabunt. Sin autem, te arbitro, erudite Lector, ego omni ex parte victus ac profligatus in hac nostra concertatione fuero iudicatus et convictus, libentissime et ipse adversae sententiae utraque manu subscribam. Non enim respexi personas sed res atque argumenta, veteris memor effati: Amicus Plato, magis amica veritas.

Scripsi Romae, in die festo S. Augustini E. D., anno 1904.

A. M. D. G.

GUILLELMUS ARENDT, S. J.

(1) Iis etiam respondetur animadversioni a Dominico Palmieri adiectae in notula ad n. 810, vol. VI, editionis tertiae operis Balleriniani. Relato ibi textu huius S. Officii Instructionis, additur: « Haec universalia sunt omnesque afficiunt qui in altero loco domicilium vel quasi-domicilium non habent ». — Universalia sunt utique, probata prius fraude saltem obiectiva in transmigratione admissa, de qua sola hypothesi loquitur Instructio: *concedo* assertum; — etiam in hypothesi non probatae fraudis obiectivae in transmigratione admissae, universalia sunt: *nego* suppositum, Instructionem nempe de ea hypothesi loqui, uti hic, in textu demonstravi.

(1) *Act. S. S.*, vol. XXVI, pag. 267, 268.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905,

DE CENSURIS IN GENERE.

I.

De culpa requisita ad incurrendam censuram.

Die 12 Decembris 1904, hora 15 (3 pom.).

Quodam in oppido mos invaluerat, ut horis pomeridianis festorum dierum, dum in Ecclesia parochiali catechesis habebatur ad populum, et divina officia celebrabantur, iuvenes una cum puellis choreas, licet specie honestas, magna adstantium frequentia ducerent. Post varia, sed frustra tentata conamina ad hanc consuetudinem extirpandam, novus Archipresbyter oppidi recurrit ad Episcopum dioecesanum, qui severissimo edicto, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendae et sibi reservatae, omnibus oppidanis praecepit, ne huiusmodi choreas ducerent, vel eisdem adsisterent, ratus, hac ratione et morum honestati et catechismi sacrarumque functionum frequentiae efficacius consultum iri. Non defuerunt ex finitimis oppidis presbyteri, qui Episcopi legem rescientes, illius zelum tamquam imprudentem et non secundum scientiam insimularent, simul notantes, quod ludus secundum se, et proinde etiam ludus choralis, non est malus, aliter in ludis non esset virtus, quae dicitur Eutrapelia. Quo iure igitur choreae potuerunt interdici? et quomodo possunt esse materia gravis obligationis et poenae?

Interim illius oppidi populus, nullatenus lege episcopali deterritus, choreis prout antea indulget. Archipresbyter vero poenitentium confessiones excipiens bene novit, plures ex eis Episcopi legem violasse, quin tamen hac de re sese accusent. Sciscitatur ab eis, cur de choreis sileant, quas ignorare non poterant esse sub censura prohibitas; reponunt ipsi, de re agi per se innoxia, ideoque nullum peccatum choreis indulgendo patrare. Hinc Archipresbyter optimum factu reputat, eos in bona fide relinquere, iisdemque absolutionem sacramentalem impertiri.

Paulo post dubitans, an recte se gesserit, amicum theologum consulit ab eo quaerens:

1. *An et qualis culpa requiratur ad censuram incurrendam?*

2. *Quodnam iudicium tum de lata ab Episcopo lege, tum de rationibus in contrarium allatis ferendum sit?*

3. *An recte ipse se gesserit, vel e contra in posterum, denegando etiam absolutionem, legis Episcopalis observantiam urgere debeat?*

Ad 1um. Ad incurrendam censuram duobus opus est: *a) culpa* seu *delicto*, et *b) contumacia* delinquentis. In praesenti casu agimus de culpa, acturi in sequenti de contumacia.

An et qualis culpa requiratur ad incurrendam censuram?

Resp. Censuram poenam medicinalem esse, poenam autem huiusmodi sine culpa seu delicto corrigendo non incurri, neminem praeterit. Ex parte autem culpae, ob quam censura incurratur, requiruntur conditiones sequentes:

a) Ut sit *peccatum grave*. Censura enim, qualis est excommunicatio, suspensio et interdictum, prout communiter feruntur, scilicet ad omnem usum, est poena gravis, utpote quae privat usu illorum omnium bonorum spiritualium, quorum administratio et dispensatio ad Ecclesiam pertinet. Requiritur ergo ad illam incurrendam culpa mortalis; secus enim poena non esset culpae proportionata. Hinc patet, eum, qui committit peccatum de se grave, cui censura adnexa sit, sed ob ignorantiam, passionis impetum etc., a mortali reatu immunis est, simul etiam a censura excusari: scilicet peccatum debet esse mortale non modo ratione obiecti, sed etiam malitiae in actu voluntatis. Hac in re notanda sunt, quae habet *Conc. Trident. Sess. XXV, cap. III, de reform.* « Quamvis excommunicationis gladius nervus sit ecclesiasticae disciplinae, et ad continendos in officio populos valde salutaris; sobrie tamen magnaque circumspectione exercendus est, cum experientia doceat, si temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, et perniciem potius parere, quam salutem ».

Interdum tamen accidere potest, quod aliquid ratione materiae leve, vel etiam de se indifferens, mortale evadat ob scandalum, periculum commune, finem a legislatore intentum, etc.; et quod proinde possit esse capax gravis prohibitionis et gravis poenae, adeoque et censurae; sic excommunicationem incurrit, qui monialium clausuram parumper violat. Unde invalida est censura gravis ob culpam undequaque venialem impositam. Non repugnat tamen iuri naturali aut ecclesiastico, delictum sub omni respectu leve puniri aliqua suspensione vel interdicto ad breve tempus duraturo et solum unum alterumve actum prohibente, neque censuris proprie dictis adnumerando.

b) Ut censura incurratur, requiritur, ut actus peccati, propter quod fertur censura, gravis sit non solum quoad actum internum, sed etiam quoad actum externum; idest praeter gravem malitiam interioris voluntatis, etiam actio exterior secundum se et quoad substantiam operis externi debet gravitatem habere. Censura enim potissime poena fori externi est, ad externam disciplinam pertinens. Hinc censuram contra haereticos latam non incurrunt qui haeresim actu mere interno committunt, vel aliqua tantum verba proferunt, quae non sint de se apta ad haeresim significandam.

Haec autem altera conditio ad incurrendam censuram, potius ex praxi Ecclesiae, quam ex defectu potestatis ad censuram peccato mere interno imponendam, derivanda videtur. Peccatum enim mere internum censura ferendae sententiae puniri nequit, quia in iudicio probari non potest: censura autem ipso facto incurrenda puniri quidem posset, at usus in Ecclesia non viget censuris latae sententiae puniendi peccata interna. Unde illud: *Cogitationis poenam nemo patitur (L. 18, De poenis).*

c) Ut peccatum quod censura punitur sit consummatum. Plures sunt Auctores, qui tertiam hanc conditionem ita explicant, ut scilicet non sufficiat actus *attentatus*, sed actus sub poena prohibitus vere positus, et in suo genere per *effectum secutum* completus esse debeat: leges enim poenales sunt strictae interpretationis, quae ad actus consummatos restringuntur, *nisi lex ipsa aliud decernat.*

Sed clarius hanc conditionem sic *Schmalzgrueber (lib. 5, tit. 39, n. 64)* proponit, ut exceptionibus non indigeat: « Ut incurratur censura peccatum illud externum, ob quod censura contrahenda est, debet esse completum in suo genere secundum proprietatem verborum, quae in praecepto seu lege continentur ».

Inspicienda ergo et perpendenda sunt diligenter verba legis, seu praecepti. Nam quando haec significant sub censura prohiberi effectum ultimum, haec non incurritur, nisi effectu illo ultimo sequuto. Quando vero sub censura prohibetur principaliter ipsa actio vel conatus, tunc ea posita statim incurretur censura, etiam effectu non sequuto; quia sufficienter censetur completus actus sub censura prohibitus.

Quam regulam quoad utramque partem, sic licet exemplificare.

Ubi sub excommunicatione prohibetur *violenta manuum iniectio* in clericum, non incurrit censuram, qui in clericum explodit, quin illum attingat; quia non ponitur actio sub censura prohibita. Sic etiam ubi sub censura prohibetur *homicidium*, censuram non incurrit, qui vulnus letale infligit, nisi mors sequatur, quaecumque sit causa, quae mortem impediat, sive remedium naturale, sive miraculum, quia homicidium proprie ille tantum committit, qui ipsam mortem infert. Pariter si censura plectatur *incestus*, non incurretur censura, nisi ob copulam carnalem perfectam cum consanguinea vel affini. Ergo non incurretur ob aspectus, aut meros tactus utcumque impudicos, neque etiam ob copulam imperfectam.

Contra si lex sub censura prohiberet *actus inhonestos* cum consanguineis, vel affinibus aut persona sacra, ad hanc incurrendam non requireretur copula perfecta, sed sufficerent v. gr. tactus impudici: quia eiusmodi tactus, licet non sint actus completi in genere luxuriae, secundum tamen proprietatem verborum legis sunt *actus inhonesti*. Sic ipsa lex non solum duellum, sed etiam actus praeparatorios, nempe provocationem et acceptationem sub censura prohibet. Hi actus tamen in suo genere completi esse debent, ut inducant censuram; ideo non incurritur censura, si provocatio, e. gr. ex quavis causa ad offensorem non pervenit.

Fit a theologis quaestio: num completus esse debeat effectus, qui sub censura prohiberi intenditur, si censura feratur in mandantes vel consulentes, ex. gr. homicidium vel abortum, etc.

Responsio debet colligi ex ipsis verbis legis, iuxta regulam superius traditam. Etenim si verba legis principaliter prohibent effectum (homicidium, abortum, etc.) et accessorie tantum mandatum vel consilium, hoc in casu mandantes vel consulentes non incurrunt censuram, effectu non secuto. Sic mandantes vel consulentes, e. gr. Episcopi percussionem, non incurrunt censuram, quando effectus secutus non est: quia haec excommunicatio, quae est sub num. V inter reservatas specialiter Pontifici, praecipue lata est ad impediendam percussionem, ac proinde mandantes et consulentes accessorie tantum in ea comprehenduntur.

Probabiliter etiam a censura iidem immunes sunt, quando constat mandatum vel consilium non influxisse in effectum, ex. gr. quia executor iam ad scelus patrandum determinatus erat, vel quando dubium est, num ista in effectum influxerint; nemo enim censendus est ligari censuris, donec constet impletas esse omnes conditiones a lege positas.

Attamen censuram incurrunt mandantes et consulentes, etiam effectu non secuto, quando lex fertur principaliter in ipsum mandantem et consulentem, videlicet quando impedire vult non tantum effectum, sed etiam in se et ratione sui ipsummet mandatum et consilium. Tunc enim ipso mandato vel consilio iam ponitur actio sub poena prohibita, atque adeo ad censuram incurrendam non est insuper necessarium, ut sequatur effectus mandati vel consilii.

Ad 2um. Quodnam iudicium de lata ab Episcopo lege ferendum sit?

Resp. Edictum ab Episcopo latum, de quo in casu, non solum iudicandum est, ut severissimum, sed insuper nullam habere videtur vim obligandi sub reatu gravis culpae et consequenter sub poena excommunicationis a transgressoribus incurrendae. Et hoc quidem non ex parte Episcopi, qui potestatem certo habebat ferendi censuras, nec ex parte eorum contra quos censura fuerat lata; erant enim dioecesani, et ideo Episcopo subiecti; sed ex parte materiae, utpote incapacis gravis obligationis et poenae.

Quod ut explicetur, abs re non erit ante omnia recolere doctrinam, quam tradit S. Thomas circa chorearum moralitatem. Loquens *de ludis chorealibus* haec habet A. D. *in cap. 3. Isaiae ad fin.*: « Ludus secundum se non est malus; aliter in ludis non esset virtus quae dicitur Eutrapelia... sed secundum quod ordinatur diverso fine, et vestitus diversis circumstantiis, potest esse actus virtutis vel vitii. Quia enim impossibile est semper agere in vita activa et contemplativa, ideo oportet interdum gaudia curis interponere, ne animus nimia severitate frangatur, et ut homo promptius vacet ad opera virtutum. Et si tali fine fiat de ludis cum aliis circumstantiis, erit actus virtutis, et poterit esse meritorius, si gratia informetur *(nempe si ludens sit in statu gratiae)*. Istae autem circumstantiae videntur in ludo choreali observandae, ut non sit persona indecens, sicut clericus vel religiosus; ut sit tempore laetitiae, ut liberationis gratia, vel in nuptiis, et huiusmodi; ut fiat cum honestis personis, et cum honesto cantu, et quod gestus non sint nimis lascivi *(scilicet liberiores)*, et si qua huiusmodi sunt. Si autem fiat ad provocandam luxuriam, et secundum alias circumstantias, constat, quod actus erit vitiosus ».

Nunc applicando expositam theoriam ad propositum casum, inspiciendum est, utrum ludus chorealis, de quo in casu agitur, qui secundum se non est malus, saltem ratione finis et circumstantiarum habendus sit ut vitiosus et proinde prohibendus et puniendus.

Atqui hoc videtur negandum. Sane agitur in casu de choreis in specie honestis, quae secus in publico loco non fuissent habitae. Istae ducebantur inter iuvenes et puellas, personas, ut supponi debet, pariter honestas. Equidem exercebantur festis diebus; verum inter opera servilia, quae per id temporis fieri prohibentur, non computantur choreae, licet magnam corporis defatigationem interdum importent. Neque obstat, quod factae fuerint horis pomeridianis, tempore, quo divina officia celebrabantur, et catechesis in Ecclesia parochiali habebatur ad populum. Nam, ut constat, nulla est in fidelibus obligatio, praeter Missam, interessendi diebus festis etiam Vesperis et aliis functionibus fieri solitis; catechismum autem frequentare ii tantum tenentur, qui nondum sunt sufficienter instructi circa credenda et agenda a christianis. Finis insuper intentus ab his, qui choreas agebant, non erat profecto ad provocandam libidinem, vel ad aliquid huiusmodi: sed ad animum recreandum. Agebatur enim de oppidanis, qui dum per totam hebdomadam laboribus vacassent, sustinentes pondus diei et aestus, diebus festis, quibus ab illis abstinere debebant, ludos et gaudia curis interponebant, ne nimia defatigatione frangerentur et promptiores deinde fierent ad occupationes sui status proprias resumendas. Non enim hi, prout cives in urbibus, habent alia spectacula, quae ad animi recreationem frequentent. Sed quid demum dicendum de fine intento ab Episcopo, qui in ferendo edicto voluit morum honestati et catechismi aliarumque functionum frequentiae efficacius consulere? Animadvertendum est, quod in casu non erat necessitas providendi per legem morum honestati, cum ageretur de choreis honestis: neque chorearum prohibitio videtur fuisse medium efficax, ut oppidani ad catechesim frequentes essent. Sane numquid putandum, quod, qui a choreis abstinuissent, fuissent deinde accessuri ad catechesim, et non potius ad alias recreationes et ludos, forsan minus honestos?

Quae huc usque animadvertimus, quoad eos qui choreas ducebant, valent etiam quoad illos, qui iisdem aderant.

Insuper hac in re aliud observandum occurrit. Lex, ut sit vera lex, et vim subditos obligandi habeat, debet esse ordinatio rationis ad bonum commune. Legislator enim non est ad instar magistri novitiorum, qui illos exercere in vir-

tute obedientiae unice curat; sed nequit ipse suorum subditorum libertatem per legem restringere, nisi a bono communi ista lex exigatur. Lex vero, ut ad bonum commune ordinetur illudque promoveat, praeter alia debet esse accommodata personis, locis et etiam temporibus pro quibus fertur. Hinc videre est, quod plures leges, quae quando fuerunt conditae, erant ad bonum commune valde conducentes, decursu temporis evaserint vel inutiles vel interdum etiam nocivae, et proinde cessaverit in illis vis obligandi. Narratur a Scavini *De Sacramento Poenitentiae n. 311, edit. 12ae* quod S. Franciscus Salesius in sua dioecesi sub excommunicationis poena prohibuerit esum et potum tempore divinorum officiorum in tabernis. Sine ullo dubio ista lex, attento zelo illuminato et secundum scientiam, quo sanctus ille vir informabatur, ista inquam lex pro suo tempore fuit saluberrima et ad compescendos abusus, qui invaluerant, valde efficax. Sed haberet-ne efficaciam eamdem, et eumdem produceret effectum salutarem, si ferretur nostra aetate, quando fides est tam languida, quando fervor pietatis est tam tepescens, et quando fideles non admodum commoventur ut antea censurarum metu? Puto quod idem sanctus vir, si nunc dioecesim regeret, non daret profecto eamdem legem. Huiusmodi leges nostris temporibus non congruunt et magis contemnerentur, quam formidarentur et perniciem potius parerent, quam salutem.

Et idem prorsus videtur dicendum de edicto lato ab Episcopo, de quo in casu nostro est sermo. Quod confirmatur ex facto ipso. Ut enim legitur in casu, illius oppidi populus, nullatenus lege episcopali deterritus, choreis prout antea indulsit; quod certo fieri non potuit sine ipsius auctoritatis episcopalis contemptu.

Concludendum igitur videtur, legem in casu ab Episcopo latam, nullam habere vim obligandi eo quod illius legis materia undequaque inspecta, idest, tum ratione sui, tum ratione circumstantiarum, in quibus est lata, tum demum ratione finis ab Episcopo intenti, non apparet capax gravis saltem obligationis et poenae.

Quodnam iudicium de rationibus in contrarium allatis ferendum sit?

Rationes a presbyteris contra Episcopi decretum allatae, sunt nimis generales et rem non evincunt. Nam solum probant, ludum chorealem in se inspectum non esse malum, quod nemo negat. Attamen, prout audivimus a S. Thoma, secundum quod ludus chorealis ordinatur diverso fine, et vestitur diversis circumstantiis, potest esse actus virtutis et vitii. Inspiciendum igitur insuper fuisset, utrum choreae, de quibus in casu, ratione temporis vel aliarum circumstantiarum et finis essent habendae ut vitiosae, et ideo prohibendae et puniendae. Quamquam fatendum est, ad presbyteros finitimorum oppidorum nullatenus pertinuisse, Episcopi agendi rationem insimulare et carpere.

Ad 3um Resp. Novus archipresbyter oppidi est sane laudandus, ob varia tentata conamina, ad illam consuetudinem extirpandam, quae absque dubio impedire poterat fidelium frequentiam, licet non obligatoriam, semper tamen promovendam, ad sacras functiones et ad catechesim melius addiscendam. Attamen archipresbyter non debet animo cadere, et si illius zelus industrius novas ei suggerat rationes, si non in totum extirpandi, saltem infirmandi inolitam consuetudinem, iisdem statim utatur.

Attamen debuisset ipse abstinere ab interrogandis poenitentibus, qui in confessione de violata episcopali lege silebant. Ipsi enim versabantur in bona fide, et caeteroquin ex monitione fructus sperandus tam facile non erat.

Optime egit, dum, potiusquam legis episcopalis observantiam urgeret, eos in bona fide reliquit, eisdemque absolutionem sacramentalem impertiit.

Tandem curare deberet, ut Episcopus, meliori qua fieri poterit ratione, salva illius auctoritate et dignitate, edictum a se latum revocet.

PETRUS CHECCHI,
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

—

Avril 1905.

1 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph-Marie-Ignace Montès de Oca y Obregon, Ev. de San Luis Potosi; — et Mgr Théodore Valfrè di Bonzo, Arch. de Verceil.

2 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: le Rme P. Michel de Carbonara, Préfet Ap. de l'Erythrée; — et le Rme P. Jean de Rieti, Préfet Ap. de la Rhétie.

4 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Patrice O' Donnell, Ev. de Raphoë; — S. A. R. le Duc Arthur-Guillaume de Connaught, accompagné de son épouse et de ses filles; — et S. A. R. le Duc Robert de Bourbon, Duc de Parme, accompagné de son épouse et de ses filles.

5 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Gaspar Latty, Ev. de Châlons; — et Mgr. L.-A. Paquet, Doyen de la Faculté Théologique de l'Université Laval.

6 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Michel Napotnick, Ev. de Lavant; — et le R. P. Vincent Groot, Professeur de Théologie à l'Université d'Amsterdam.

7 Vendredi.

Sermon de Carême au Vatican, *coram SS.mo*

8 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jacques-Augustin Schmith, Arch. d'Edimbourg; — et Mgr Emmanuel-François Canappe, Ev. de la Guadeloupe.

10 Lundi.

S. G. Mgr Joseph Bilczewski, Arch. de Lemberg, est reçu en audience.

11 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre Latty, Ev. de Châlons; — et Mgr Louis Pareparambil, Ev. Tit. de Tio, Vic. Apost. d'Ernaculam (Malabar).

— Congrégation Ordinaire des S. Rites, tenue au Vatican, pour l'examen des questions suivantes:

1° Introduction de la cause de béatification et de canonisation du serviteur de Dieu Dominique Lentini, prêtre séculier du diocèse de Policastro;

2° Confirmation du culte rendu de temps immémorial au serviteur de Dieu Christophore de Romagne, de l'Ordre des Mineurs;

3° Concession et approbation de l'office avec messe en l'honneur du bienheureux Gaspard Del Bufalo, confesseur, chanoine de la basilique de Saint-Marc à Rome, et fondateur des Missionnaires du Précieux Sang de Jésus-Christ;

4° Mêmes dispositions en l'honneur du bienheureux Jean-Marie Vianney, curé d'Ars, confesseur;

5° Mêmes dispositions en l'honneur du bienheureux Etienne Bellesini, confesseur, prêtre profès de l'Ordre de Saint-Augustin, curé de Genazzano;

6° Mêmes dispositions en l'honneur du bienheureux Arialdo, diacre de l'Eglise de Milan, confesseur;

7° Confirmation de l'élection et de la concession de sainte Marguerite, vierge et martyre, comme patronne principale de la ville de Licodia, dans le diocèse de Caltagirone;

8° Révision des écrits des vénérables Jérôme Hermosilla, évêque de Miltopoli, de l'Ordre de saint Dominique, et ses compagnons, tués au Tonkin en haine de la Foi;

9° Et du serviteur de Dieu Antoine Penacchi, prêtre séculier;

10° Et du serviteur de Dieu Père Dominique de la Mère de Dieu, des Clercs réguliers déchaussés de la Croix et Passion de Jésus-Christ;

11° Et de la Servante de Dieu Marie-Agnès Claire Steiner, fondatrice des Clarisses du monastère de saint Jean-Baptiste, à Nocera;

12° Et de la Servante de Dieu Rose Carafa di Traetto, des Servantes du Sacré-Cœur de Jésus à Naples;

13° Et de la Servante de Dieu Vincena Gerosza, autre fondatrice des Sœurs de Charité à Brescia.

12 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: Mgr Louis Cerebotani, Camérier d'Honneur de Sa Sainteté; — ainsi que les étudiants du Collège de la Propagande.

13 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean Cameron, Ev. d'Antigonish; — et Mgr Achille Quadrozzi, Ev. de Fossombrone.

14 Vendredi.

Sermon de Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

15 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Augustin Marre, Ev. Tit. de Constance, Abbé Général des Cisterciens Réformés; — et Mgr Ange-Marie Dolci, Ev. de Gubbio.

— Les Palmes traditionnelles sont offertes au St-Père à l'occasion de la Fête des Rameaux.

17 Lundi.

Le St-Père distribue dans la Salle du Consistoire la Communion pascale à Sa Noble Famille Laïque.

18 Mardi.

Sermon du Carême au Vatican, *coram SS.mo.*

— Le St-Père reçoit un groupe de pèlerins de la Société Magistrale Catholique Allemande.

20 Jeudi.

Le St-Père distribue dans Sa chapelle privée la Communion pascale à Sa Noble Famille Ecclésiastique.

23 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audience les professeurs et les étudiants des différents Lycées et Collèges de la Pologne Autrichienne.

24 Lundi.

S. Em. le Card. Jean de Kozielsko Puzyna, Ev. de Cracovie, est reçu en audience.

— Le St-Père reçoit dans la Salle Royale plus de cinq-cents pèlerins polonais.

— Le St-Père reçoit les professeurs et les élèves de plusieurs lycées, gymnases et écoles techniques de la Hongrie.

26 Mercredi.

S. G. Mgr Joseph Bilczewski, Arch. de Lemberg, est reçu en audience.

27 Jeudi.

Le S-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean Cameron, Ev. d'Antigonish; — M. Jean Redmond, Président du parti parlementaire Irlandais; — et la Commission Centrale des Dames de l'Aristocratie Espagnole, pour les fêtes du couronnement de Notre-Dame del Pilar.

28 Vendredi.

Après avoir célébré à 7 heures la messe dans la Salle Clémentine, le St-Père bénit les deux couronnes qui doivent servir au couronnement de Notre-Dame du Pilar à Saragosse.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean Soldevilla y Romero, Arch. de Saragosse; — et M. Horace Marucchi, Directeur du Musée Egyptien au Vatican, de retour du Congrès archéologique d'Athènes.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. G. Mgr Joseph Ridolfi, Ev. de Todi, est nommé Délégué Apostolique au Mexique.

29 Samedi.

S. Em. le Card. André Ajuti rend son âme à Dieu, à 4 heures du matin. Il était né à Rome le 17 juin 1849. Il fut successivement attaché à la S. Congrégation du Concile, Secrétaire et puis Chargé d'affaires de l'Internonciature du Brésil, Délégué Apost. aux Indes, Secrétaire de la Propagande pour le Rite Oriental, Nonce Apostolique en Bavière, et Nonce Apost. à Lisbonne. Dans le Consistoire du 22 juin 1903 il fut créé Cardinal du Titre de St-Jérôme des Esclavons. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Concile, Cérémoniale, Aff. Ecclés. Extr., Lourétane et Commission Cardinalice pour l'examen des Visiteurs Apostoliques en Italie. F. C.

BIBLIOGRAPHIA

Victor Frins S. I. De actibus humanis. Pars II: *De actibus humanis moraliter consideratis.* In 8. Pag. XI – 563. Friburgi Brisg. B. Herder, 1904, M. 8, Fr. 10.

De primo volumine huius praeclari operis mentio facta est in *Analectis* v. VI, p. 96. Pars autem praesens valde perspicue exponit, docte et subtiliter discutit atque apte solvit vel componit varias scholarum catholicarum sententias, 1) de moralitate proprie dicta actuum humanorum; 2) de naturali eius regula; 3) de bonitate et malitia morali. Exponitur etiam quid revelatio in ea materia vel explicite vel formaliter implicite docuerit; quidque SS. PP., Augustinus praesertim et graeci praecipui et ipsi senserint. Multi Augustini textus de libero hominis arbitrio discutiuntur. Tertius sequetur tomus in quo reliquae quaestiones, de conscientia efformanda et de peccatis eadem methodo tractabuntur. Dictio Auctoris simplex est, elegans et valde perspicua. Quae dotes in Germano laudem merentur peculiarem. Opus integrum fructus est diuturni laboris quo ingens ille sapientiae thesaurus in Scholasticorum voluminibus reconditus ab auctore diligentissime investigatus fuit: unde pretiosum praebet adiumentum tum iis qui philosophiae morali incumbunt, tum iis qui theologiae moralis fundamenta modernis erroribus impetita stabilire satagunt. Errores enim huiusmodi minus directa refutatione quam positiva atque accurata veri propositione et explicatione sesemetipsos dissolvere demonstrantur. G. A.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS QUINTUS - MAIUS 1905

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X denuo approbat Constitutiones Instituti Ursulinarum confoederatarum, vehementerque adhortatur familias quae adhuc extra Institutum versantur, ut sese eidem adsciscere velint.

PIVS PP. X.

MOTU-PROPRIO.

Apostolicae Sedi id semper in votis fuit, ut religiosa Instituta, nominatim ea, quae iuventuti imbuendae dant operam, sese mutatis temporum et rerum adiunctis, immutato manente spiritu, congruenter aptare studerent. Quod si opportunum hoc fuit quolibet tempore, aetate hac nostra esse necessarium res ipsae plane demonstrant.

Quamobrem, quum Decessor Noster f. r. Leo XIII compertum perspectumque haberet, Ursulinarum Ordinem, cui vel illud praecipuae laudi vertendum, quod nobile munus instituendi adolescentulas maturrime suscepit, novis rerum necessitatibus non perfecte nec ex omni parte respondere, eo praesertim quod monasteria quibus coalescit, quum sui quaeque iuris essent, nec se invicem adiuvare et praesidio esse, nec mutua virtutis aemulatione ad meliora et maiora se excitare valerent; idcirco huic rerum conditioni opportuna atque salutaria afferenda censuit remedia. Et re quidem vera a cunctis Ursulinarum domibus, ubique terrarum existentibus, litteris die 21 Iulii 1899 datis, exquiri mandavit num scilicet Instituto universas domos complectenti habentique sedem principem in Urbe, si quando per auctoritatem

S. Sedis exsurgeret, libenter accederent; et quum supra sexaginta ex illis sese id libentissime velle respondissent, idem Pontifex primum pro temporum natura vivae vocis oraculo, die 28 Novembris 1900, deinceps per decretum a Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium, die 17 Iulii 1903 editum, praedictam Unionem adprobavit.

Quod ad Nos attinet, iam a primordiis pontificatus Nostri dicti Instituti Constitutiones, item per decretum a S. Congregatione Episcoporum et Regularium die 14 Septembris 1903 datum, ratas habuimus; nec ullam praetermisimus occasionem, singularem, qua illud prosequimur, benevolentiam Nostram testificandi, laetissimo etiam cernentes animo alias atque alias domos paullatim ad illud convenire.

Nunc vero, quum uberes fructus, quos Ursulinarum coniunctio peperit, per Nos Ipsos perspexerimus, quumque uberiores, quos in futurum est paritura, prospiciamus; Nos non solum unionem hanc feliciter initam, sed et Constitutiones eidem Instituto datas, auctoritate Nostra iterum plenissime adprobamus et confirmamus, illisque perpetuae et inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus.

Volentes insuper specialibus favoribus dictum Ursulinarum Institutum augere, omnibus et singulis eiusdem Instituti Sodalibus redeunte anniversaria die, qua Ursulinarum unio ab Apostolica Sede adprobata fuit, videlicet die 28 Novembris, in perpetuum plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino impertimus. Quam indulgentiam etiam animabus fidelium Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse concedimus.

Ex his sponte elucet quantum Nos optemus, ut Institutum tam fauste incoeptum, aucto in dies adhaerentium numero, in maius provehatur, latiusque pateat. Quapropter vehementer adhortamur illas, quae adhuc extra Institutum versantur, familias, ut sese eidem adsciscere velint. Neque dubitamus quin Venerabiles Fratres Nostri Episcopi, in quorum dioecesibus huiusmodi Ursulinarum domus existunt, non solum earumdem votis obsecundent, verum etiam cunctantes, si quae fuerint, ad optatam consociationem suaviter flectant, persuasum plane habentes quod dicti Instituti Constitutiones ita sint concinnatae, ut quarumlibet nationum consuetudinibus atque indoli aptissime congruant.

Volumus autem ut praesentes Litterae ad singulos, de quibus supra, Episcopos mittantur, eorumque cura, in linguam vernaculam ad verbum diligenter versae, in qualibet Ursulinarum domo, speciali ad id indicto conventu, legantur.

Haec ad maius Ursulinarum Instituti bonum atque incrementum edicimus, contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die VIII Maii an. MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

II.

Hodiernus Abbas gen. Congregationis Benedictinae Brasiliensis, pro hac vice transfertur ab Abbatia S. Mariae de Monteserrato, Fluminis Januarii, ad Abbatiam S. Sebastiani, Bahiae.

Dilecto Filio Dominico a Transfiguratione Machado Abbati Gen. Congregationis Brasiliensis O. S. B.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Tempora, dum volvuntur, res quaeque terrenae mutari ita solent, ut Providentiae Divinae munus sit, variis auxiliis tempestivisque humanam gentem munire, ut ipsa tuto pede fausta inter et sinistra ad patriam tandem deveniat. Cuius Providentiae Divinae minister atque aemulus etiam Romanus Pontifex ita variis rerum adiunctis providere debet, ut omnia, sapienter a Sapiente ordinata, ad animarum conspirent salutem. Eo motus consilio Decessor Noster, fel. mem. Leo Papa XIII, pluries iam ad instaurandam Brasiliensem Ordinis Sancti Benedicti Congregationem leges atque ordinationes pro rerum opportunitate stabilivit, cuius vestigia prementes proprioque amore in insignem Patriarchae Cassinensis Ordinem pulsi, Nos nunc temporis necessaria provide decernenda duximus. Quum enim te, dilecte fili, de excogitando et perficiendo praelaudato opere optime meritum intelligamus, dignum te habemus qui paternae Nostrae benevolentiae testimonio augearis. Auctis iam in civitate Fluminis Ianuarii de rebus monasticis stabiliendis laboribus, decrescentibus vero ob bonam tuam senectutem viribus tuis, libenter petitioni tuae obsecundantes, te, titulo munereque Abbatis Generalis Congregationis Brasiliensis servatis, relicto autem officio Abbatis perpetui S. Mariae de Monteserrato Fluminis Ianuarii, ad dies vitae Abbatis Sancti Sebastiani Bahiae civitatis titulo condecoratum volumus. Quare Litteris Apostolicis « Singulare studium » eadem hac forma, die XXVIII Novembris anni MDCCCCII (1), datis pro hac vice tantum derogantes, quae munus Abbatis Generalis Congregationis Brasiliensis cum Sede Abbatiali Fluminis Ianuarii coniunctum statuunt, te ab omni vinculo, quatenus opus sit, solventes, pariterque a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, de Aplicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium vi, a praefata Sede Abbatiali S. Mariae de Monteserrato civitatis Fluminis Ianuarii, ad Abbatiam S. Sebastiani Bahiae ad dies vitae transferimus, ita ut paterna auctoritate et charitate familiam monasticam ibidem commorantem ad omnia, quae sive aeternam salutem sive civilis consortii emolumentum spectant, pie ac sapienter dirigas. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII Februarii MCMV, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

L. ✠ S.

ALOIS. Card. MACCHI.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XI, p. 374.

III.

R. P. Gerardus Van Caloen Abbas S. Benedicti apud Olindam, nominatur Abbas S. Mariae, Fluminis Ianuarii etc.

Dilecto Filio Gerardo van Caloen Abbati S. Mariae Fluminis Ianuarii.

PIUS PP. X.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Prudentiae tuae, dilecte Fili, nec non zeli tui optimi haud obscuras significationes quum in melius instauranda Congregatione Brasiliensi Ordinis S. Benedicti, plurimis abhinc annis multiplicaveris feliciter, Nos sane decet te maioribus cumulare honoribus, ut, potiore dignitate auctoritateque munitus, ad gloriam Dei Ordinisque tui emolumentum maiora iam in dies complere valeas. Quod sane magis a Nobis requirunt rerum adiuncta, quum dilectus filius Dominicus a Transfiguratione Machado, Congregationis Brasiliensis Praeses, annorum meritorumque pondere aeque cumulatus, Nos rogaverit a Sede Abbatiali Fluminis Ianuarii ad Abbatiam Sancti Sebastiani transferri; nec ob huius optimi viri merita votis ipsius beneplacitum Nostrum denegare potuerimus. Ita factum est, ut Abbatiae Sanctae Mariae civitatis Fluminis Ianuarii, viduatae Sedi, novum Titularem providere deceat, eo maxime quum sive ob necessarias huius Abbatis cum auctoritatibus tum ecclesiasticis tum saecularibus relationes, sive ob summi momenti negotia nunc temporis obeunda, Venerabilis Frater Noster et Apostolicae Sedis in Brasilia Nuntius censuerit in providendo huic rei dilationem minime opportunam. Quae cum ita sint, te, dilecte fili, a Decessore Nostro fel. rec. Leone PP. XIII. Abbatem Sancti Benedicti apud Olindam, nec non Vicarium Generalem Praesidis Congregationis Brasiliensis nominatum, ab omni vinculo de Apostolicae potestatis plenitudine solventes et... censentes, hisce Litteris, Nostra auctoritate Abbatem Sanctae Mariae Fluminis Ianuarii renuntiamus ac nominamus, retenta in administratione Abbatia Sancti Benedicti apud Olindam. Statuimus insuper ut etiam Abbatiam Beatae Mariae apud Sanctum Paulum, usque dum proprium Abbatem habeat in administrationem accipias, nec non ut, servato Vicarii Generalis Congregationis munere, quum sive de facto sive de iure munus Praesidis Congregationis Brasiliensis vacabit, tamquam Abbas Fluminis Ianuarii ad dies vitae huiusmodi officii haeres continuo existas. Non obstantibus contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die XXVIII Februarii MDCCCCV, Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Alois. Card. MACCHI.

L. ✠ S.

IV.

Pius X ephemeridem *l'Eco di Bergamo* laudat de zelo ad tuendam religionem, per quinque lustra, ab editione inchoata.

PIO PAPA X.

Diletti figli, salute ed apostolica benedizione.

Codesto giornale quotidiano, (1) alla direzione ed amministrazione del quale voi siete proposti, lo troviamo al tutto degno, mentre sta compiendo il XXV anniversario, di ricevere le nostre più cordiali felicitazioni.

Ei trasse l'inizio della sua vita dall'infiammato amore per gl'interessi cattolici, dalla radicata e vigorosa fede di alcune persone: doti queste ed ornamenti invero nel tempo nostro, più che in ogni altra età, necessari.

Consentaneo pienamente al principiare ebbe poi il progredire. Imperocchè a coloro, i quali nella fondazione del giornale portavano profondamente scolpito nell'animo, assai meno valere il denaro o l'operosità che l'accrescimento del nome cattolico, e le spese e le fatiche misuravano solo dall'ardore della volontà; fu concesso vedere con gaudio i frutti abbondantemente e largamente sparsi per tutta la diocesi, sia a difesa dei sacri diritti e ad aumento del decoro della religione, sia ad incoraggiare ed a confermare gli animi dei cattolici, sia finalmente ad indirizzare la azione cattolica — purchè degna di tal nome — ad intera utilità del popolo.

I quali vantaggi poi tanto riescono a Noi più cari e tanto più lieti auspicii Ci offrono pel futuro, quanto maggiormente furono procurati coll'ossequio alle pontificie ed episcopali prescrizioni. In quel modo pertanto, che spesse volte fu la vostra diocesi fatta segno a pubbliche lodi, così ora alle lodi ed alle imitazioni si offre il diario di Bergamo. Poichè colle opere compite esso ha argomento per insegnare quanto possano la concordia e l'obbedienza e quanto di utilità apportino le fatiche spontaneamente e generosamente intraprese pel nome cristiano. Premio pertanto meritato ed insieme auspice dei divini favori sull'effemeride, sopra di voi e di tutti coloro che sono larghi di aiuto e benevolenza al giornale scenda la Benedizione Apostolica che col maggiore affetto vi impartiamo nel Signore.

Dato in Roma presso S. Pietro nel giorno 26 aprile 1905, del Pontificato Nostro anno secondo.

PIO PAPA X.

V.

Conceduntur indulgentiae fidelibus, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum ac Spiritualium Exercitationum a Fratribus Minoribus Provinciae Franciae habendis intersunt.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam fidelium in audiendo Dei verbo pietatem ac frequentiam benigne annuentes precibus oblatis Nobis a Dilecto Filio hodierno Moderatore Fratrum Minorum regularis Provinciae Franciae, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere poenitentibus et confessis ac S. Communione refectis, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum ac Spiritualium Exercitationum a Fratribus Provinciae ipsius nunc et in posterum de legitima licentia habendis, ultra dimidium temporis quo respective perduraverint, saltem interfuerint, et benedictioni cum Cruce in postrema concione rite respective servatis servandis a dictis Fratribus impertiendae

(1) Alluditur ephemeridi *l'Eco di Bergamo*. *N. D.*

aderint, pariterque Ecclesiam in qua dictae conciones habitae fuerint, vel Ecclesiam sive Sacellum piarum domorum, in quibus spirituales exercitationes sint peractae, devote visitaverint ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Iis vero fidelibus quoties hisce concionibus a Fratribus Minoribus Provinciae Franciae nunc et in posterum habendis, contrito saltem corde adfuerint, et Ecclesiam sive Sacellum ut supra orantes visitent, toties iis de poenalium dierum numero in forma Ecclesiae solita ducentos expungimus. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem, ut praesentium litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die 17 Martii MDCCCCV, Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro D.no Card. MACCHI

N. MARINI, *Substit.*

VI.

Conceduntur indulgentiae illis, qui concionibus Quadragesimae, etc. Patrum Ord. Minorum Prov. Thuringiae intersunt.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Benigne annuentes oblatis Nobis precibus a dilecto Filio hodierno Ministro Ordinis Fratrum Minorum Provinciae Thuringiae S. Elisabeth in Germania, ad augendam fidelium in audiendo verbo Dei pietatem ac frequentiam, de Omnipotentis Dei misericordia ac BB. Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, per praesentes concedimus, ut omnes et singuli fideles ex utroque sexu, qui concionibus Quadragesimae, Adventus, Missionum, ac Spiritualium Exercitiorum, quae habeantur nunc et in posterum a religiosis viris Ordinis Minorum e supradicta Thuringiae Provincia rite approbatis saltem ultra dimidium temporis, quo respective perduraverint, intersint, ac benedictioni cum Cruce in postrema concione huiusmodi ab iisdem religiosis respective, servatis servandis, impertiendae devote adstiterint simulque vere poenitentes et confessi ac S. Communione refecti Ecclesiam, ubi conciones habitae fuerint, vel Sacellum aut Ecclesiam piarum domorum, in quibus Spiritualia Exercitia peragentur, devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem consequi licite possint ac valeant. Insuper fidelibus praefatis, quoties contrito saltem corde piis hisce concionibus adfuerint, et Ecclesiam sive Sacellum respectivum, ut supra orantes, visitent, toties in forma Ecclesiae solita de numero dierum poenalium ducentos expungimus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuo valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in Ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, etc., die 27 Martii 1905.

ALOIS. Card. MACCHI.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 20 Maii 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. WRATISLAVIEN. — De Parocho proprio quoad matrimonium. — R. *Pro gratia iuxta petita ab E.mo Archiepiscopo Parisiensi, facto verbo cum SS.mo et ad mentem.*

II. BITUNTINA. — Concursus ad praebendam poenitentiarii. — R. *Fiat novus concursus cum iisdem concurrentibus addito canonico Cicciomessera, et acta transmittantur ad Apostolicam Datariam cum nota meritorum et demeritorum.*

III. CONCHEN. — Exonerationis. — R. *Canonicum Doctoralem relevandum esse a Secretarii munere; idque notificetur Episcopo, qui mandet Capitulo ut quamprimum ad electionem novi Secretarii deveniat.*

B. — In folio.

I. CATACEN. — Matrimonii. — Reformato dubio « An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu ». — R. *Praevia sanatione actorum, sententiam esse confirmandam.*

II. PREMISLIEN. — Matrimonii. — R. *Ad 1am partem Providebitur in 2a. Ad 2am Affirmative ad cautelam.* (Sub-secreto).

III. PLOCEN.-VARSAVIEN. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.*

IV. LAQUEDONIEN. — Concursus. — R. *Attentis omnibus, sacerdotem Benedictum Salvatore conservandum in possessione paroeciae.*

V. OSTUNEN. — Solutionis. — R. *In decisis iuxta modum: modus est, ut Archiepiscopus, intra 15 dies, deponat penes S. Sedem summam libellar. 9600. Et in prima post proximam proponatur universa redditio rationum omnino et infallanter.*

VI. S. SEVERINAE. — Concursus. — R. *Dilata.*

VII. ANDRIEN. — Pensionis. — R. *In summa quin-*

gentum libellarum ad vitam primi proximi futuri investiti. (Reservata).

VIII. PARISIEN. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.* (Extra-ordinem).

A. — Per Summaria precum.

$\frac{978}{4}$ I.

Wratislavien. et aliarum. — De parocho proprio quoad matrimonium.

In hac causa, agitata fuit quaestio maximi momenti circa parochum proprium in ordine ad matrimonium. Pro nunc *folium* supponimus, remittendo ad opportunum tempus tum egregium Consultoris *Votum*, tum declarationem *mentis* cui in responsione alluditur.

Die 23 Iunii an. 1902 E.mus Card. Episcopus Wratislaviensis H. S. Cong.ni sequentem transmisit supplicem libellum: « Omnibus ex Germaniae regionibus homines Berolinum confluunt, ut ibi, si omnia bene contingant, domicilium vel quasi-domicilium constituant; aliter autem saepe breve post tempus discedunt, ita ut civitas Berolinensis in singularissima mobilitate existat. Qua ex incolarum mobilitate magna exoritur difficultas ratione domicilii vel quasi-domicilii in ordine ad matrimonium. Saepe enim accidit, ut Berolini matrimonium ineant, qui iam in aliqua huius urbis parochia habitant, quin nec domicilium nec quasi-domicilium acquirere intendant. Itaque, cum facile inquisitio de animo permanendi omittatur, neque nupturientes sponte ullum hac de re verbum dicant, timendum est, ne matrimonia incompetente parocho assistente, nulla atque invalida interdum contrahantur.

« Quam ob rem humillime rogo ut Sanctitas Vestra privilegium Parisiis iam die 9 Novembris 1898 concessum, etiam urbi Berolinensi benigne concedere velit, videlicet quod Berolini in ordine ad matrimonium quasi-domicilium acquiratur, quin animus investigetur, dummodo ex alio loco vel parochia sese conferentes in urbem Berolinensem *per sex menses* et ibi in aliqua parochia commorati fuerint ».

Cum haec quaestio utpote grave punctum ecclesiasticae disciplinae attingens iure merito delata fuerit ad H. S. C., in uno ex plenariis conventibus c. a. S. V. Ordo mandavit votum consultoris exquiri, non tam super speciali casu proposito, quam potius in linea generali, scilicet pro norma in similibus casibus occurrentibus, stante actualis societatis conditione. Item quo tutius in re tam momentosa procederetur, de mandato V. O. per litteras H. S. Cong.nis sub die 15 Decembris 1902 rogatus est Assessor S. Officii « a voler significare se da detta Cong.ne di S. Officio per rimediare a tale inconveniente siasi accolta mai la massima, che coloro i quali abbiano dimorato sei mesi in una parrocchia, possano essere uniti validamente in matrimonio dal parroco della loro residenza, senza investigare se abbiano o no l'animo di rimanervi. E se tale massima non è stata riconosciuta, si desidererebbe conoscere se siasi supplito con facoltà concesse temporaneamente agli Ordinari ».

Hisce mandatis ea qua par est diligentia morem gerens Assessor S. Officii litteris diei 26 Ianuarii 1903 ita rescripsit: « Presso questo Supremo Tribunale non è stata mai accolta la massima che coloro, i quali hanno dimorato sei mesi in una parrocchia, possano unirsi validamente in matrimonio senza la esplorazione dell'*animo permanendi*, e che le disposizioni emanate per un caso di Parigi furono e devono ritenersi come disposizioni particolari ».

Indultum vero, de quo in allatis litteris, ita refertur ab ephemeride *Monitore ecclesiastico, vol. X, p. 2, pag. 220* (1) (reticito dioecesis nomine). « Officialis dioecesis N. ad quietem conscientiae suae et ad normam habendam in casibus similibus, dubium sequens proponit Supremae Congregationi. Anno proxime elapso, vir acatholicus et puella catholica, uterque oriundus ex Roumania, ubi domicilium habent, postquam per duos vel tres annos varia itinera susceperant, quin domum reversi sint, in civitatem N. venerunt. Proposuerant ibi commorari per tres menses, et domum ad habitandum per spatium trimestre pretio locaverant.

« Elapso autem trimestri, cogitaverunt de matrimonio inter se contrahendo. Vir erat liber ad matrimonium contrahendum, puella stabat cum matre vidua et erat pariter libera. Quum vero lex civilis praescribat ut quis per sex menses commoretur in loco ubi vult matrimonium contrahere, habitationem in civitate praedicta prorogarunt iterum ad tres menses, et mense Novembri, cum iam per sex menses ibi commorati fuerint, Officialem adierunt, dispensationem super impedimento mixtae religionis et licentiam matrimonii celebrandi petierunt.

« Praedictus Officialis haesit quaerendo, utrum praefati acquisiverint quasi-domicilium sufficiens ad matrimonium. Equidem per sex menses in dicta civitate commorati fuerunt; sed quando illam ingressi erant, non sibi proposuerant habitare per maiorem anni partem. Elapsis tribus mensibus, cogitaverant de matrimonio ineundo et iterum proposuerant habitare per tres alios menses, tantum ut compleretur spatium semestre requisitum ad matrimonium a lege civili. Deficiente intentione habitandi per maiorem anni partem, Officialis ex consulto peritorum canonistarum existimavit sponsos non acquisivisse domicilium in illa civitate, ac proinde se non habere facultatem dispensandi nec licentiam concedendi ad matrimonium contrahendum. Sponsi vero, cum omnia paraverint ad nuptias, contractum civilem iniverunt et ad aliam regionem profecti sunt.

« Petit igitur Officialis, an non severius egerit in denegandа dispensatione et licentia matrimonii contrahendi, et grato animi sensu accipiet responsum, quo in futurum ut norma pro casibus similibus uti possit ».

« Feria IV, die 9 Novembris 1898, in Cong.ne Generali coram EE. RR. DD. Cardinalibus in rebus fidei et morum Inquisitoribus Generalibus habita, proposito suprascripto casu, praehabito RR. DD. Consultorum voto, iidem E.mi et R.mi Patres respondendum mandarunt: « *Orator acquiescat, et addatur: Se conferentes in civitatem N. ex alio loco vel paroecia, dummodo ibi commorati fuerint in aliqua paroecia per sex menses, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem, facto verbo cum SS.mo* ». Sequenti vero Feria VI, die 11 eiusdem mensis et anni, in audientia a SS. D. N. Leone Div. Prov. Pp. XIII R. P. D. Assessori impertita, SS.mus D. N. resolutionem EE. ac RR. Patrum adprobavit et confirmavit ».

Interim mei officii duco etiam heic transcribere aliam petitionem ab E.mo Archiepiscopo Parisiensi H. S. C. oblatam, sub die 9 Novembris 1903, quae ita se habet. Cardinalis Archiepiscopus Parisiensis exponit, « se iam pluries ad Sanctam Sedem detulisse gravissimas anxietates quibus premitur Curia archiepiscopalis quoad matrimonia quae in civitate imo et in tota dioecesi Parisiensi contrahuntur, quaeque dubia aut nulla evadunt ratione incerti domicilii aut

(1) Cfr. etiam *Anal. Eccl.* Vol. VII, p. 7.

quasi-domicilii; unde etiam non infrequentes sententiae nullitatis prolatae, non sine magno scandalo.

« Ut tot et tantis incommodis ex parte saltem remedium afferatur, Sanctitatem Vestram enixe deprecatur ut civitati et dioecesi Parisiensi extendere dignetur, iisdem in terminis et ad eumdem effectum, declarationem datam pro Foederatis Statibus Americae Septentrionalis, datam sub die 6 Maii 1886, de sufficienti commoratione unius mensis ad validitatem matrimonii, nempe: " se conferentes e loco ubi viget caput *Tametsi* in alium locum, dummodo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem unius integri mensis, censendos esse ibidem habere quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inquisitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem anni partem " ».

Cum vero, exquisitum Consultoris votum super praefatis quaestionibus, in promptu iam sit typis editum, illud praesenti folio adnecto, totum negotium remittens prudentiae et sapientiae EE. VV., et omni me abstineo animadversione.

Quare etc.

Responsum fuit: *Pro gratia iuxta petita ab E.mo Archiepiscopo Parisiensi, facto verbo cum SS.mo et ad mentem.*

913/4 II.

Bituntina. — Concursus ab praebendam poenitentiarii.

Decernitur iterandum esse concursum qui post aliquot temporis spatium de mandato Episcopi abruptus fuerat, ex eo quod unus e concurrentibus inopinato impeditus fuerat, ob violentam aggressionem et vulnus acceptum, ne una cum aliis periculum subiret.

Cum die 20 Iulii 1903, e vivis excessisset Canonicus poenitentiarius Ecclesiae Cathedralis Bituntinae Franciscus Rossiello, Episcopus, die 27 Decembris dicti anni, ad vacantem canonicatum concursum indixit.

Animadvertendum quatuor vel quinque diebus antequam concursus haberetur, prout Episcopus refert, tres ex concurrentibus (quos inter erat canonicus Cicciomessera) quasdam sine nomine epistolas eidem Episcopo ostendisse, a Barii civitate missas, quibus ipsi minis insectabantur si concursui adesse auderent: ipseque Episcopus fatetur sibi etiam per quasdam litteras fuisse minas factas, ne scilicet eumdem concursum indiceret. « Io cercai (ait Episcopus) di incoraggiarli e non dare alle lettere ricevute importanza di sorta... Intanto tali fatti, che non erano del tutto segreti, avevano già cominciato a muovere delle dicerie in città ».

In his adiunctis, die 29 Februarii 1904, circa horam decimam cum dimidio, concursus aperiebatur. Ex undecim candidatis (quorum tamen octo quadragesimum annum haud attigisse perhibentur) septem tantummodo aderant. A quatuor examinatoribus coram Episcopo datae sunt quaestiones et examinandi scribere iam inceperant; quando Archidiaconus Capituli advenit et Episcopo nuntiavit, canonicum Cicciomessera, unum ex candidatis ad concursum, eo mane celebrata missa, cum domum suam ingrederetur, hora octava cum dimidio a quodam agricola, haud sibi noto, pugione in capite fuisse percussum, petitumque calcibus in inguine, adeo ut in lecto se collocare et medicum arcessere debuerit: notitiam huius facti civitatem pervasisse « destando varii commenti di disprezzo sul concorso e sui concorrenti alla penitenzieria, — eo vel magis quod — si faceva anche il nome di qualcuno di essi come mandante per l'aggressione ».

Episcopus sui officii esse duxit, certiores informationes ab ipso can. Cicciomessera exquirere; missoque ad eum ipso Archidiacono, hic scriptam de hac re fidem eidem detulit, quam ipse Cicciomessera, ut videtur, tantum subscripsit. Aiebat enim: « Sono stato aggredito abbasso al portone di casa mia da uno sconosciuto, il quale mi ha tirato un tremendo colpo di trincetto al capo e due fortissimi calci alle parti pudende, e dopo mi ha gettato tramortito per terra ». Unde Episcopus, de consilio examinatorum, concursum suspendere statuit, idque concurrentibus nuntiavit circa horam tertiam ab inito concursu, vel quartam, prout contendit unus ex concurrentibus, can. Cuonzo. Mirati sunt omnes de eo quod narrabatur, sed relate ad suspensionem concursus acquievere, et scripta quae confecerant absque querelis exhibuerunt. Unus can. Cuonzo cum declarasset tum se tum alios duos ex concurrentibus scripta confecisse, protestationem emisit, rogans ut caeteri quatuor eadem scripta explerent; exinde si supradictae minantes litterae nec non canonici Cicciomessera aggressio vera forent, idem concursus prouti nullus haberetur, secus vero uti confectus retinendus esset.

Nihilosecius, peracta ab Episcopo concursus suspensione, tum dicta canonici Cuonzo scripta reclamatio tum concurrentium acta clausa atque obsignata fuere.

Canonicus Cicciomessera contra aggressorem ignotum querelam movit, sed notat Episcopus: « Il processo fu soffocato ». E contra canonicus Cuonzo asserit: « Dopo istruito il processo circa quella immaginaria aggressione ogni cosa è finita come doveva finire, che cioè non si dà luogo a procedere per inesistenza di reato ».

Interim can. Cuonzo, die 25 Martii 1904, ad H. S. C. recursum habuit, expetens ut peracti concursus validitas decernatur. Sed quinque ex aliis concurrentibus, die 28 Ianuarii 1905, per Episcopum H. S. C. rogarunt ut concursus iterum indiceretur; dum Episcopus censet satius esse in praesenti animorum aestu a novo concursu abstinere, et poenitentiariam conferre in forma *Dignum*, uti vocant.

Age vero, can. Cuonzo per suum procuratorem adnotat omnia in concursu fuisse servata quae Pontifex Benedictus XIV in Const. *Cum illud*, die 14 Decembris 1742, circa hanc rem statuit, cum omnes concurrentes eodem in conclavi clausi fuerint, ipsis eodem tempore quaestiones assignatae, nec non certum temporis spatium pro his perficiendis constitutum, suaque quisque manu propositis quaestionibus responsa scripserit.

Neque in casu ipsius concursus validitati officere, ait, quod aliqui ex dictis concurrentibus scripta non absolverint « per dimostrare una affettuosa deferenza verso lo sventurato compagno (Cicciomessera) impedito per forza superiore di venire al concorso e di ossequio all'ordine del Vescovo e degli esaminatori, che colla sospensione del concorso intendevano certamente tutelare il diritto del Canonico aggredito e l'onore del concorso stesso ».

Siquidem quemadmodum, iuxta ipsum, validus concursus habetur si quis ex concurrentibus eumdem deseruerit, dum alii ipsum perfecerint, ita impedimento non erit, quominus validus quoad alios retineatur, si aliquis ex iisdem concurrentibus illum non confecerit.

Iamvero si res adhuc integra fuisset, seu si adhuc concursus inchoatus non esset, in Episcopi potestate utique fuisset concursum prorogare, ut eidem accederent qui ob aliquas rationabiles causas adesse non potuerant, sed non ultra decem dies, iuxta S. Pii V Const. *In conferendis*. Verum cum in casu ageretur de re non amplius integra, eo quod concursus non modo inchoatus, sed fere quoad omnes

absolutus fuerat; ideoque illum suspendere aut prorogare haud licitum fuisset. Quod procurator confirmat ex resolutione rotali in *Calaguritana*, 22 Aprilis 1602, *cor. Ottolengo.*

Eo vel magis quod, iuxta ephemeridem *Corriere delle Puglie* diei 5 Martii 1904, aggressio simulata retineri debet, et vulnera et percussiones, si adfuerunt, quid levissimum.

Et quod ita sit, asserit quoque syndicus Bituntinus, qui addit id esse « convinzione generale ». Imo et medicus, qui post praefatam aggressionem apud can. Cicciomessera vocatus fuit, declaravit in scriptis non invenisse in infirmo aliquid nisi in inguine « un arrossamento con gonfiore giudicato da me prodotto o da sfregamento delle parti cogli abiti soprastanti, o dallo sfioramento di una pedata » – et in sinistra parte capitis – « una leggiera graffiatura con arrossamento, che giudicai prodotta o da unghia, o dallo sfioramento di una lama pungente che avea perforato prima l'ombrello e poi il cappello, fermandomi più sulla prima che sulla seconda possibilità, stante che la lesione riscontrata sul cappello non era proporzionata a quella piccola lesione della testa ».

Accedit, quod can. Cicciomessera ardentis indolis est, qui incedit plerumque munitus armis *(revolver)*, et talis non videtur ut aggressionem aequo animo ferat.

Commentum itaque eum esse ait, quod can. Michaël Peluscio et Archidiaconus sive in odium can. Cuonzo, ut eum ab assecutione poenitentiariae pellerent, sive ob alias causas excogitarunt et perfecerunt. Ita procurator. Sed cum simus in materia suspicionum, id innuisse satis sit. Pariter innuisse sufficiat defuisse causam aggressionis ex parte concurrentium, nam can. Cicciomessera nemini timorem ingerere poterat, cum, teste syndico, ipse sit « di studi ecclesiastici limitati ».

Fusius autem procurator deinde scribit ut idoneitatem et dignitatem sac. Cuonzo tueatur, et ad hunc finem recolit officia ab eo exercita, laudum testimonia quae ipse assecutus est ab 80 sodalibus Confraternitatis B. M. V. a Carmelo; a praesidibus Confraternitatum S. Rochi, S. Antonii, et SS.mi Rosarii; a ducentis praeclarioribus civibus Bituntinis et ab ipso syndico civitatis; et quod magis est, ab ipso Episcopo, qui idcirco sac. Cuonzo prius participantem, deinde Canonicum Cathedralis ecclesiae renuntiavit.

Sed ex adverso Episcopus scribit:

« 1° Il concorso è sostanzialmente pregiudicato nella opinione pubblica: *a)* prima che si tenesse, come fanno prova le lettere anonime minatorie spedite ai concorrenti ed al Vescovo stesso; *b)* quando si tenne, pei gravissimi fatti che l'accompagnarono. – 2° Il Canonico aggredito fu privato del diritto al concorso non accidentalmente, ma violentemente per opera di persone interessate al concorso. – 3° Il canonico Cuonzo è la persona indiziata dei fatti.

« Ed ora vivamente domando, che per la nomina del Penitenziere si prescinda dal concorso tenuto e dai concorrenti tutti... Conchiudendo, prego la S. Congregazione del Concilio decidere per l'annullamento o meno del concorso tenuto. Dalla decisione di questo punto di massima dipenderà la triplice soluzione: o la nomina del Penitenziere in forma *Dignum*, o l'esame degli scritti del concorso tenuto secondo il diritto, o un nuovo concorso ».

Iamvero, ut certa ab incertis seligantur, primum recolo omissionem unius ex concurrentibus, cum ad substantialem concursus formam pertineat, aptam esse ad concursus nullitatem procreandam, prout habet Pignatelli *Consult. 1*, n. 30, 32, 47, *Garzia de benef., part. 9, c. 2, n. 341*, atque in *Tarracon.*, die 18 Martii 1863, decisum est.

Atqui id ipsum in themate aptari posse videretur, cum canonicus Cicciomessera, qui iam in concurrentium albo adscriptus fuerat, haud accedere potuerit, propter illatam sibi aggressionem.

Utique excipiunt aggressionem simulatam esse ac falsam.

Sed hoc etiam parumper admisso (non tamen concesso) nihilominus semper subsisteret, quod in eo momento Episcopus, examinatores, ipsique concurrentes omnes, uno excepto can. Cuonzo, retinuerunt aggressionem et veram et realem esse, imo eam non alii tribuendam, quam alicui interesse habenti ad impediendum can. Cicciomessera a concursu, iuxta principium illud: *Is fecit cui prodest.* Nec temere id senserunt coniungentes anonymas litteras minatorias ante concursum receptas cum facto praesenti. Quapropter sicut ex iniuria exclusionis unius ex concurrentibus ab examine, concursus infirmatur, ita in iis adiunctis aequum iustumque videbatur concursum ipsum suspendi. Error hic fuit? parum refert. Nam sive merito id factum fuerit (quia realis et criminosa aggressio extitit) sive non; stat semper quod concursus post horam tertiam vel quartam, scilicet circa medietatem temporis assignati, suspensus fuit; adeo ut plures ex concurrentibus pensum et opus perficere non potuerint: et ex his quinque hodie postulant concursum novum indici. Iamvero quaestione ita in facto posita, solutio difficilis non videtur.

De caetero E.mi Patres sueta sapientia et prudentia, quod iustum est statuent.

Quare, etc.

Emi Patres rescripserunt: *Fiat novus concursus cum iisdem concurrentibus addito canonico Cicciomessera, et acta transmittantur ad Apostolicam Datariam cum nota meritorum et demeritorum.*

1852/4 III.

Conchen. — Exonerationis.

Quamvis ecclesiastica beneficia sine diminutione conferri debeant, potest tamen Ordinarius imponere novum onus, non quidem reale beneficio, sed personale beneficiato, qui simul ac libere obligationem acceptaverit, ac praesertim illam iuramento firmaverit, ab ipsa adstrictus manet. In casu tamen, ob speciales circumstantias, et ex gratia, exoneratio fuit concessa.

In Hispaniis quatuor numerantur canonicatus dicti *de officio;* nempe *doctoralis* cui munus incumbit defendendi iura et proprietates Ecclesiae; *magistralis* pro praedicatione; *lectoralis* pro lectione theologali; *poenitentiarius* pro audiendis fidelium confessionibus.

Institutio canonicatus *doctoralis*, sicut et aliorum *de officio*, adscendit ad Sixtum IV, qui ad postulationem Praelatorum et capitulorum Castellae et Legionis bulla *Creditae nobis* a. 1474 id sanxit.

Canonicatus autem *de officio* distinguuntur a simplicibus aliis canonicatibus propter munus sibi proprium, potiorem principalitatem et plerumque etiam propter maiorem retributionem.

Anno 1886, vacante canonicatu doctorali in Cathedrali Ecclesia Conchensi, Episcopus et Capitulum in plenario conventu exararunt, die 4 Martii, edictum convocatorium, quo edicto praebenda doctoralis gravata fuit, praeter munera officii sui propria, onere magisterii in Seminario Conciliari ad voluntatem Episcopi, praedicandi quatuor sermones in

Ecclesia Cathedrali, nec non onere exercendi munus secretarii Capitularis, adiecta clausula, *sine potestate renuntiandi, nisi aliud iudicaverit Capitulum conveniens.* Praestat edictum in vernacula hispana lingua referre: « El elegido además de las obligaciones comunes á los demás Capitulares tendrá las especiales siguientes: Informar gratuitamente de palabra ó por escrito en todos los asuntos de intereses y derechos del Cabildo, de la mitra y de la Fábrica de esta Santa Iglesia Catedral, y asi mismo defender sin retribucion alguna los pleitos ó negocios, que referentes á los supradichos negocios, derechos ó intereses, se le confiaren, y si no lo hiciere por enfermedad ó cualquier otro motivo, nombreremos persona que lo haga con cargo á su Prebenda. También desempeñará gratuitamente una Cátedra en nuestro Seminario Conciliar á juicio y voluntad del Prelado, y predicará cuatro sermones al año en esta Catedral. Por último, tendrá como anejos á su Prebenda los cargos de Secretario Capitular ó Archivero y Bibliotecario, los cuales exercerá también gratuitamente y sin poder renunciarlos, á no ser que el Cabildo estime conveniente otra cosa ».

Indicto et peracto concursu, die 27 Maii anno 1886, electus fuit ad praebendam doctoralem Dom. Timotheus Hernandez Mulas, qui antequam institutionem canonicam acciperet, documentum subscripsit, quo libere acceptabat praebendam doctoralem cum obligatione adimplendi praeter omnia munera communia et peculiaria praedicti canonicatus, pariter illa quae continentur in edicto convocatorio et ad id iuramento se obstrinxit. Verum postquam per decem et septem annos haec officia fideliter exercuerat, cum novissime vacarent aliqui canonicatus per concursum providendi cum aliquo munere, petiit a Capitulo et Episcopo liberationem oneris secretariatus. Preces incassum oblatae sunt; unde ad H. S. C. recursum habuit exonerationem obtinendi causa.

Preces de more remissae sunt ad Episcopum pro informatione et voto, audito super his Capitulo. Episcopus vero in Capituli iura transmittendo, ita super ipsis et super Oratoris petitione, in litteris diei 14 Iunii 1904, mentem suam aperuit. « Existimo rationes a Capitulo adductas veras esse et consideratione dignas; et exonerationem officii Secretarii Capitularis a Canonico Doctorali petitam, nisi factam simul ab Episcopo et Capitulo, esse perturbationis seminarium; eo quod caeteri Canonici ex officio atque Beneficiati aliis oneribus gravati iuxta edictum suae provisionis, sicut Cathedra, conciones, etc., liberationem sui oneris peterent cum Capituli et Ecclesiae detrimento.

« Quod ad me attinet, promptus sum ad liberandum Canonicum Doctoralem a munere secretarii, statim ac Capitulum suae petitioni accedat, et non aliter; siquidem contractus bilateralis cum Episcopo et Capitulo sancitus, officit mihi eum frangere.

« Praeter haec, iudico hanc quaestionem esse mere personalem, et futilem rem: quia Capitulum ex congruo posset obsecundare desideriis Canonici Doctoralis post decem et septem annos huius servitii; et Canonicus Doctoralis munus suum exequi in fiducia consequendi opportune suum desiderium, eo magis quod munus suum non est magni ponderis cum habeat beneficiatum tamquam auxiliarem ad decreta, concilia, mandata Capituli ad formulam litteris consignanda ».

Nunc operae pretium duco compendiatim referre rationes a Capitulo allatas prout ab ipso Episcopo concinne in memoratis litteris subiiciuntur. « Capitulum dicit: 1° Falsum esse quod onus impositum Canonicatui Doctorali implicet suae praebendae diminutionem, quia non agitur de impositione novi oneris, ab illo acceptati et sine intermissione per spatium decem et septem annorum impleti.

« Evocat verba bullae « *Creditam nobis* » per quam stabilita est praebenda Doctoralis in Regnis Legionis et Castellae a Sixto IV, ann. 1474, et concludit ex eisdem, quod Episcopi cum suis Capitulis imposuerunt in omni loco Regionis Hispaniae Canonicatui Doctorali onera quae magis utilia existimarunt, ut adimpleantur illa verba erectionis « *alia negotia utiliter et salubriter provideantur* ».

« Addit, quod post Concordatum anni 1851, art. 18, in quo nulla existit designatio onerum Canonicis *ex officio* dictis, Praelati, de consensu sui Capituli, attenta suarum Ecclesiarum necessitate, convocarunt ad oppositionem praebendae Doctoralis ei adiungendo diversa onera et praecipue officium ministri a secretis Capitularis, sicut saepe factum est in variis Cathedralibus, eo quod Ecclesia suis redditibus privata, vix laborem praebeat Canonico Doctorali.

« Insuper insistit in terminis convocatoriae factae in die 4 Martii ann. 1886, ad provisionem huius praebendae, qui ita se habent: " Electus praeter obligationes communes caeteris Capitularibus obstrictus erit: 1° ad informandum ex scripto, etc., etc.; 2° ad defendenda litigia, etc., etc.; demum, ad exercendum munus Ministri a secretis Capitularis sine potestate renuntiandi, nisi aliud iudicaverit Capitulum conveniens.

« " Canonice electus D. Timotheus Hernandez Mulas, die 27 Maii ann. 1886, antequam institutionem canonicam acceperit a Praelato D.D. Ioanne Maria Valero, documentum subscripsit acceptando praebendam cum voluntate plena et liberrima adimplendi omnes obligationes communes et peculiares, quae canonice afficiunt praedicto Canonicatui, pariter ac illas, quae continentur in edicto convocatorio et subiiungendo – simulque officia omnia quae meo inhaerent beneficio iuxta praescriptas regulas me adimpleturum spondeo ac iuro. Sic me Deus adiuvet, etc., etc. –

« " Ex quo Capitulum invocando *cap. Antigonus, tit. 35 de Pactis*, in quo legitur: – Inita pacta suam obtineant firmitatem, – *cap. qualiter*. citato tit. – studiose agendum est, ut ea, quae promittuntur, opere compleantur – et *cap. Si vero* et *Cum contingat titul. 24 De iureiurando*, concludit: – Canonicus Doctoralis pactum inivit cum Capitulo et Episcopo, illud corroboravit cum iuramento, et quod promisit adimplere debet, nisi Episcopus cum Capitulo, non unus sine altero, opportunum iudicaverint ab eo liberare, iuxta edictum convocatorium, quod in hac materia considerari oportet sicut lex, et iuxta familiarem regulam *illius est tollere, cuius est condere* – ".

« Alias rationes adducit Capitulum in suo scripto, sed parvi momenti eas existimans, omittuntur ut EE. VV. nullam molestiam afferam ».

Ex altera vero parte canonicus Doctoralis iura sua ita depromit:

1° Extat in *lib. 3 Decret.* rubrica *tit. 12*, ita concepta *ut beneficia ecclesiastica sine diminutione conferantur*, quae est absoluta et praeceptiva ac constituit veram legem. Iamvero diminutio beneficii iuxta Reiffenst. (cit. tit. *p. 1, n. 2*), quatuor modis fieri potest: *per impositionem novi oneris*, per divisionem...; et in *Praelect. Iur. Can.* De Angelis ad eumdem tit. *n. 1*, haec habet: « Diminutio beneficii triplici modo potest contingere: adigendo eum cui confertur beneficium *ad graviora munera subeunda* quam quae adnexa erant beneficio.... ». Item Concilium Trident. (s. XXV, c. 5, *De Reform.*) ait: « Quando igitur ex beneficiorum quorumcumque erectione, seu fundatione aut aliis constitutionibus, qualitates aliquae requiruntur, seu certa illis onera sunt iniuncta, in beneficiorum collatione seu in quacumque alia dispositione eis non derogetur.... et aliter facta provisio subreptitia censeatur ». Accedunt plures reso-

lutiones H. S. C. (*Pisauren.* 6 Apr. 1647. - *Sarnen.* 3 Iul. 1690. - *Asten.* 14 Febr. 1699. - *Pacens.* 23 Febr. 1901) (1), ex quibus eruitur praebendis iam erectis nova onera auctoritate Ordinarii imponi non posse, et has impositiones non valere, nisi accesserit Ap. Sedis venia: excepto casu Ecclesiae necessitatis et utilitatis. Cum ergo canonicatus doctoralis in hac Ecclesia constitutus esset ex sua erectione cum certis oneribus illi adiunctis, in nova beneficii collatione non poterat legi fundationis derogari novi oneris impositione. Quod eo fortius valere debet, cum si etiam anteriores huius canonicatus collationes respiciantur appareat, nunquam impositum ei fuisse onus Secretariae capitularis tamquam adnexum suo beneficio.

2° In iure canonico hispano hodierno statutum est regali Decreto 6 Dec. 1888, a Nuntio Apostolico confirmato, quod dimidia canonicorum pars in Cathedralibus (praeter canonicos de officio) per concursum eligeretur et cuique canonico ita eligendo speciale aliquod munus destinaretur. Communis invaluit interpretatio, ut duo munera, nec alternative eidem canonico imponi queant. Quae non modo communis docuit interpretatio, sed etiam decretum collatis die 14 Novembris 1890 consiliis a Rege et a Nuntio Apostolico editum, confirmavit: « *Visto l'art. 16 del Real Decreto concordato del 6 Dicembre 1888, S. M. la Regina Reggente, in nome del suo Augusto Figlio, di accordo col M. Rev. Nunzio Apostolico, ha risoluto che si significhi la convenienza di ciò, che in futuro non s'impongano disgiuntivamente varie cariche speciali al medesimo canonicato* ». Et noviter in litteris circularibus die 18 Ianuarii 1904, Ministri Gratiae et Iustitiae hispani, de consensu R.mi Nuntii Apostolici, ad Episcopos huius nationis loquendo de beneficiatis statuitur, quod simplicibus canonicis per concursum eligendis unum tantum speciale munus adsignari liceat, et canoniae gravari non debeant immodicis oneribus specialibus, ut non sint peioris conditionis quam caeteri canonici liberi. Ergo a pari canonicis, quos vocant de officio, qui proprium iam habent speciale munus designatum, aliud speciale munus iniungi non potest nec gravari immodicis oneribus, ut factum est in casu.

Et quamvis concedatur Episcopis facultas imponendi munus lectionem explicandi in Seminario et concionandi in Cathedrali, sive ex necessitate, sive ex eo quod nemo sit, qui vi propriae obligationis teneatur haec adimplere, tamen idem dici non potest de Secretaria capitulari, quae ab omnibus exerceri potest, et circa quam nulla est ratio nec statutum cur uni ex canonicis imponatur tamquam onus suo beneficio adnexum cum favore caeterorum, quibus eodem modo incumbit ac per turnum vel aliqua alia forma, adimpleri potest.

3° Addendum est, quod onus secretariatus capitularis et munus canonici doctoralis proprium persaepe incompatibilia sunt, quia eadem persona teneretur simul acta conscribere et informationem ac iudicium in negotiis praestare: quae duae obligationes adimpleri nullo modo possunt secundum ius et conscientiam.

4° Demum iuxta canonici doctoralis procuratorem et alia gravior ratio specialis militat in themate ad exonerandum Oratorem ab officio Secretarii Capitularis, nempe munus Vicarii Generalis, quod ipse exercet in dioecesi Conchensi. Horum officiorum incompatibilitatem in propatulo esse ait, sive res materialiter, sive moraliter spectetur. Materialis impossibilitas exercitii utriusque officii ex eo deprehenditur, quod canonicus Doctoralis plerumque incumbens uni officio puta negotiis Capituli, non potest animum adiicere alteri officio nempe procurationi dioecesis. Moralis autem incompatibilitas ex eo patet, quod canonicus Doctoralis uti Vicarius Generalis Episcopi in casu deberet Capituli administrationi invigilare, quam ipse uti eiusdem Capituli secretarius exhiberet, quod morale absurdum praesefert, cum eadem persona fungeretur munere iudicis et partis. Verum quanti haec ratio a canonici Doctoralis procuratore adducta sit facienda, videbunt EE. VV. cum obtentae incompatibilitati consuli posset per dimissionem officii Vicariatus.

Quin aliquid obstet, ait canonicus Orator, quod ipse in consecutione praebendae doctoralis acceptavit munus secretarii Capitularis, et illud fideliter adimpleturum iuramento spopondit. Reponit enim, quod ipse electus ad petitionem Episcopi promisit se adimpleturum munera et officia propria et peculiaria suae prebendae: « *in quantum poterat et debebat* ». In hoc non existit pactum prout a iure praescribitur: nam pactum afficit res externas et liberas quae pactioni subiici possunt; sed in acceptatione beneficii non est liberum nec potest in pactum deduci obligatio adimplendi eius onera. Deinde licet extitisset verum pactum, hoc versaretur circa onera et officia, quae canonicatus haberet ex sua erectione et natura, non circa ea, quae ei illegitime sunt imposita, quae proinde nullam parere possunt obligationem.

Quoad iuramentum promissioni adiectum reponit in primis illud sequi naturam actus: deinde illud fuit editum causa non cognita et sine libertate. Fuit editum causa non cognita, quia nesciebat Doctoralis utrum Episcopus et Capitulum necessariam haberent licentiam S. Sedis ad talia munera imponenda, proinde utrum fuissent legitima vel non: propterea se obligavit « *in quantum poterat et debebat* » ut constat ex documento a se subscripto, quod Capitulum non impugnat.

Non fuit libere editum: nam quin sibi viam praecluderet ad beneficium, Canonicus Doctoralis legem indictam concurrentibus recusare non potuit.

Hinc est quod pluries S. H. C. resolvit non obligari beneficiatos ad nova onera in collatione beneficii imposita adimplenda, etiamsi illa acceptassent cum iuramento (uti videre est in *Asten.* 14 Februarii 1698, *lib. 49*, *decret. apud Pallottini*, *verb. Benef. quoad vacat.*, et in *Pacen.* 23 Februarii 1901).

Neque timeri posse ait, quominus caeteri canonici, qui aliqua onera habent ex suis edictis, eorum petant exonerationem: *a)* quia gravati non sunt sicut canonicus Doctoralis; *b)* quia onera caeterorum sicut aliqua canonici doctoralis afficiunt Ecclesiam et Dioecesim, munus vero Secretarii capitularis non afficit Ecclesiam et Dioecesim, sed tantum in canonicorum beneficium cedit.

Tandem canonicus Doctoralis argumentum Capituli deductum a verbis Bullae Sixtinae ita diluit: « Verba adducta a Capitulo Conchensi, *alia negotia utiliter et salubriter dirigi valerent*, nullam vim habent in quaestione. In primis non sunt Bullae Sixti IV « *Creditam nobis* », sed constitutionis « *In Suprema Apostolicae Sedis* » Leonis X. Deinde in citata Constitutione non fit sermo tantum de canonico Doctorali, sed eodem modo de canonico Magistrali et proinde verba ad utrumque referri debent.

« Praedicta verba non statuunt officium proprium canonicatus doctoralis, nec describunt eius onera et obligationes peculiares, sed exprimunt tantum motivum quo nixus fuit Pontifex Leo X ad edendam suam Constitutionem. En eius verba: *dudum siquidem, fel. record. Sixto Papae IV, praedecessori nostro, pro parte universorum Archiepiscoporum ac dilectorum filiorum Metropolitanorum, et aliarum Cathedralium Ecclesiarum Castellae et Legionis Regnorum exposito, quod ipsarum Ecclesiarum Canoni-*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. IX, p. 61.

catus, tam Apostolica, vigore gratiarum expectativarum specialium et aliarum reservationum ac alias, quam Ordinaria auctoritate, propter inordinatos favores persaepe conferebantur viris parum litteratis; adeo ut nonnunquam eveniret, quod nullus earumdem Ecclesiarum Canonicatus graduatus existat, cuius consilio et auxilio iura tueri, et bona occupata recuperari, et alia negotia utiliter et salubriter dirigi valerent, in non modicum dictarum Ecclesiarum detrimentum et honoris et reputationis diminutionem....

« In his verbis innuit Rom. Pontifex abusus frequentes in canonicatuum collatione et praeiudicia, quae ex talibus abusibus Ecclesiis eveniebant, inter quos enumerat defectus personarum, quarum consilio et auxilio iura tueri, et bona occupata recuperari, et alia negotia utiliter et salubriter dirigi valerent. " Qua causa, vel qua ratione deducit Capitulum Conchense, quod per dicta verba imponi possit Canonicatui Doctorali onus Secretariae Capitularis ipse, non videt"; et vere peregrina videtur haec deductio.

« Leo X loquitur de canonicatibus in genere, qui propter inordinatos favores persaepe conferebantur viris parum litteratis... ex qua praxi mala enuntiata proveniebant: " Quid hoc habet cum quaestione agitata? ".

« Et licet verba dicta relationem aliquam haberent cum obligationibus Canonicatus Doctoralis, nihil dicitur in specie de onere toties repetito. Et nota est regula iuris, odia sunt restringenda non amplianda ». Haec utrimque partes deducunt.

Ut aliquid nunc pro meo more innuam, animadverto propositam quaestionem sub duplici aspectu considerari posse, nempe in linea iuris et in linea gratiae. Si sub primo aspectu spectetur quaestio, non videtur posse dubitari, quod dicti oneris secretariatus Capitularis impositio facta ab Episcopo et Capitulo sacerdoti Hernandez Mulas in consecutione praebendae Doctoralis uti valida retineri debeat. Nam ut alias fuit adnotatum in folio citatae causae *Pacensis* fere similis praesenti controversiae, heic non agitur de onere reali imponendo ipsi beneficio, quod egreditur limites potestatis Episcopalis, sed tantum de obligatione personali novo beneficiato addenda, quae cum ab ipso fuerit accepto habita, et eius implementum sub iuramenti fide promissum, ab ipsa profecto adstrictus manet; nam *quod semel placuit, amplius displicere non potest*, ut fert regula Iuris 21 *in sexto Decretal.* Quod autem Episcopus haec onera imponere possit candidatis in edictis convocatoriis concursus quando id urgeat necessitas vel utilitas Ecclesiae, probatur canonistarum sententia in praecitata causa *Pacen.* invocata.

At aliud profecto reor esse ferendum iudicium, si res in linea gratiae expendatur. Plura siquidem adesse videntur quae gratiae concessionem suadent: Orator enim est unus ex antiquioribus canonicis, et officium Secretarii Capitularis per plures annos fideliter et laudabiliter exercuit. Cum vero nunc sit in iam provecta aetate, aequitas postulat ut ab hoc onere levetur, eo magis quod ipse pluribus aliis officiis distinetur, quorum nonnulla, ut munus Vicarii Generalis, componi non possunt cum gestione Secretariatus Capitularis.

Quare non immerito procurator canonici oratoris videtur invocare eam indulgentiam, qua usa est H. S. C. in causa pluries citata *Pacen.* erga canonicum Lectoralem Tirsum Lozano, eum dispensando ab onere nonnullarum sacrarum concionum ab Episcopo adiecto in Lectoratus praebendae collatione. « Anche lì, ait procurator, a rigor di diritto, l'*accettazione* dell'investito, il *giuramento* emesso per solennemente ratificarlo, parevano renderne contestabile la domanda; e pure si trovò modo mercè una *mente* di far sì che le prediche venissero tolte, benchè non concorressero circostanze così gravi, come nel caso presente, a consigliarne l'esenzione. Ed infatti il canonico Lozano *solo da nove anni* subiva l'aggravio delle prediche: il ricorrente esercita *da diciassette anni* le attribuzioni di Segretario Capitolare. – Il canonico Lozano era giovane di età, non occupava alcuna carica incompatibile; il ricorrente per età già vecchio, occupa la carica incompatibile di Vicario Generale. Il Vescovo di Badajoz apertamente osteggiava la petizione del canonico Lozano: alla petizione del ricorrente il Vescovo di Cuenca dichiara di non essere contrario. Ed infine l'onere di cui il ricorrente vuol liberarsi è di ordine puramente interno e non interessa che il Capitolo: all'incontro l'onere di cui il Lozano voleva liberarsi era di molto più grande importanza, perchè di interesse generale. – Dunque Voi, che al canonico Lozano concedeste una graziosa dispensa, Voi la concederete a più forte ragione al ricorrente in base a quella regola di giustizia, che accordato ad uno un favore proibisce si neghi ad altri, che all'effetto di conseguirlo presenta titoli maggiori ».

Verum an et quomodo Orator voti compos fieri debeat, erit prudentiae et sapientiae EE. VV. decernere.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Canonicum Doctoralem relevandum esse a Secretarii munere; idque notificetur Episcopo, qui mandet Capitulo ut quamprimum ad electionem novi Secretarii deveniat.*

B. — In folio.

4697/4 I.

Catacen. — Matrimonii.

Non obstante contrario Voto Consultoris, declaratur constare de matrimonii nullitate, tum ex defectu consensus ex parte viri, ob allatas sibi minas, tum ex carentia iurisdictionis in parocho, ob non acquisitum sufficiens domicilium.

Philippus, Catacensis Dioecesis, 17 annos agens, a patre anno 1897 Catacium studiorum causa missus fuerat, ibique cum suo condiscipulo Aloysio quamdam prope domum ubi familia S. degebat suum quasi-domicilium fixit.

Paullo post ipse amore captus est erga Theresiam, unam ex filiabus coniugum S. Exinde sani ille consilii expers, Theresia autem pravis moribus foemina, cum huius domum ipse adire coepisset, rem invicem habere haud erubuerunt. Interea huius parentes cum ipsam Philippo in matrimonium collocare exoptarent, eidem, prouti etiam plures testes referunt, mortem minitati sunt nisi Theresiam duxisset.

Haec sane ipse fassus est: « Il padre e la madre vollero obbligarmi a sposare la figliuola con minaccie di uccidermi. Io non avevo alcuna intenzione di sposarla e per le opposizioni di mio padre, e per la sua vita anteatta..... Promesse ne ho fatte, però senza serietà ed allo scopo di ottenere il mio intento e per timore delle gravi minaccie che mi facevano i coniugi S. ».

Verum cum parochus in cuius finibus iidem erant, prouti ipse enarrat, Theresiae patri declarasset, se nolle eidem matrimonio adsistere, tum quia ipsius Philippi pater his nuptiis vehementer adversabatur, tum etiam quia notum erat eumdem Philippum aegre eam in uxorem ducturum, Theresiae parentes quo facilius ad hunc finem alium parochum invenirent, alteram per duos menses, uti videtur,

in altera parochia domum conduxerunt, cuius domina erat Carola.

Ibi autem iidem Theresiae parentes cum timerent ne et huius Ecclesiae parochus ipsis obsisteret, aliquot post dies effecerunt, ut matrimonium clandestine illi perficerent. Revera, prout istius Ecclesiae parochus asserit, die 25 Iulii, an. 1898 Philippus et Theresia una cum duobus testibus extemplo coram eo Missam absolvente adstantes, verba mutuum de contrahendo matrimonium consensum exprimentia protulerunt. Idem autem ex officio interrogatus deposuit..... « che non li conosceva come suoi filiani, nè sapeva da quando abitassero nella sua Parrocchia, avendo ciò solo conosciuto la sera stessa del matrimonio, quando andò in loro casa per dichiarar loro che avevano compiuto un atto illecito ed incorsi nelle pene canoniche. Avvertimenti che ricevettero sogghignando e ridendo ».

Hoc actu expleto, aliquot post dies cum iterum, uti ferunt, pristinam iidem domum petiissent, hanc clausam invenerunt, cumque huius dominus C. eos recipere noluisset, in domum Carolae reversi sunt: dein, aliquo transacto die, aliam in parochia S. A. conduxerunt domum. Exinde Philippus, non multos post dies Theresiam dereliquit, militiaeque voluntarie nomen dedit.

Haec interim erga alium virum nempe amore ducta, die 14 Iunii 1902 civili nexu, uti vocant, eidem iuncta est, cum quo adhuc vivit, prolemque etiam suscepit.

Pariter cum et Philippus aliam in matrimonium mulierem ducere exoptaret, die 10 Novembris anni 1903, Catacensem adiit Curiam, expetens ut matrimonium a se cum Theresia contractum nullum, ex defectu consensus propter illatas sibi minas, nec non ex carentia iurisdictionis in parocho declararetur.

Interea, cum Catacensis Curiae Vicarius Generalis die 27 Nov. 1903, ab H. S. O. expostulasset ut extraiudicialiter procedere posset, eo quod omnino impossibile esset ut ad formam iuris et Constit. Bened. XIV *Dei miseratione* processus conficeretur, cum vir in eo esset ut civiliter contraheret, ideoque tempus deficeret, et partes essent rudes: die 5 Dec. eiusdem anni E. S. C. Catacensi Episcopo rescribere curavit, ut procedere non praetermitteret ad tramites dictae Const. *Dei miseratione*.

Quare idem Episcopus, tribunali constituto, processum instruere iussit. Iuratae tum viri tum aliorum testium etiam ex officio depositiones exceptae sunt. Mulier autem quamvis rite pluriesque a Curia Oppidi Rossano ad deponendum citata, perfracte comparere renuit.

Expleto processu, eadem Catacensis Curia, die 27 Martii elapsi anni, sententiam tulit, qua idem matrimonium ob defectum libertatis consensus ex parte coniugis Philippi et praesertim ex carentia iurisdictionis in parocho nullum declaravit.

Cum autem eiusdem Curiae Vicarius Gen. in sua relatione diei 3 Septembris 1904, inter alia praecipue adnotasset, familiam sponsae in parochiam ubi scilicet antea domicilium habuerat, haud redire potuisse ex facto ab eius voluntate alieno, S. H. C. ad quam illius vinculi defensor, die 4 Aprilis, appellaverat, eidem Episcopo, die 18 Nov. praedicti anni, rescripsit ut ulteriores perageret inquisitiones, ad examen vocando atque ad iuris tramites interrogando tum dominum domus, quam sponsae familia in paroecia incolebat de tempore quo eam ex illa dimiserat, tum omnes alios, qui de re instructi comprobare possent, quae dictus Vicarius Generalis quoad domicilium in sua relatione adnotaverat.

Hinc eadem Curia S. H. O. mandatis obsequens, iterum sub iuramento tum parochi tum Antonii cum quo familiarissime Philippi parentes utebantur, testimonium excepit, nec non Carolae in cuius domo iidem sponsi ut matrimonium peragerent permanserunt.

Eadem autem Curia adnotare non praetermisit aliquos testes antea excussos, quasdam ob circumstantias, adstante vinculi defensore haud audiri potuisse, ideoque per delegationem eorum testimonium fuisse exceptum.

Cataci denique Apostolicus Administrator Archiepiscopus Piccirilli, litteris diei 13 Novembris praeteriti anni, haec H. S. C. adnotabat: « La Teresa, già sposata civilmente con un altro e madre di figliuoli, fa premure da un lato, il Filippo poi è alla vigilia del contratto civile con una donna, e questo fatto sarebbe di grave scandalo all'intero paesello abbastanza religioso.

« Non credo che si possa dubitare della conferma della sentenza di questa Curia Vescovile, perchè il fatto deplorato non fu che una ragazzata, anzi una commedia di due giovani inesperti ed imprudenti senza proposito di adempiere un atto serio. Il Filippo si prestò al giuoco per accontentare i genitori della Teresa che lo minacciarono della vita più volte, e per condiscendere alle insinuazioni di giovani compagni, i quali lo persuasero che la semplice finzione senza volontà determinata di legarsi non pregiudicava il proprio avvenire ».

His itaque sedulo perpensis, una cum Consultoris voto ac Defensoris vinculi ex officio animadversionibus, Eminentissimorum Patrum erit decernere quomodo sit dirimendum

DUBIUM

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Reformato dubio « An sententia Curiae Episcopalis sit confirmanda vel infirmanda in casu ».* — R. *Praevia sanatione actorum, sententiam esse confirmandam.*

Catacen. — Matrimonii.

VOTUM CANONISTAE.

Emi ac Rmi Patres,

Philippus, Catacen. Dioeceseos, an. 1896, studiorum causa, Catacium se contulit. Hic amore captus erga Theresiam, perditis moribus mulierem, cum ea turpem relationem contraxit: a qua, nec patris preces, monitiones, minaeque eripere eum valuere. Quum Theresiae parentes instanter urgerent, ut Philippus filiam duceret, prouti ipse quandoque promiserat: Philippus demum matrimonium cum amasia in faciem Ecclesiae, die 25 Iulii 1898, iniit. Philippus, ut videtur, tunc aetate erat circiter 19 annorum; et Theresia circiter 22 ann.

Sed in celebratione huius matrimonii aliquid intervenit notatu dignum. Quum enim parochus, in cuius ditione familia sponsae domicilium habebat, et Philippus ratione studiorum quasi-domicilium, huic matrimonio contrarium se ostendisset; Theresia una cum familia parochiam deseruit, et habitare coepit in altera parochia, eiusdem civitatis, ut facilius matrimonium contrahere posset. Philippus quoque eo se contulit: et de facto, quodam mane (sc. die supra allato 25 Iulii 1898) ex improviso coram parocho, ab altari post missam recedente, et coram duobus testibus, verba consensus matrimonialis nupturientes pronuntiarunt. Quo facto non post multos dies parochiam omnes, i. e. Philippus, Theresia, eiusque parentes dereliquerunt: et in tertiam parochiam transmigrarunt.

Brevis tamen fuit, ut videtur, vita coniugalis. Nam Philippus, Theresia derelicta, militiae voluntarie nomen dedit: dum Theresia, novis illaqueata amoribus, die 14 Iunii 1902 civiliter alteri nupsit, cum quo adhuc convivit, et a quo prolem accepit.

Philippus nunc, e militia redux, et ipse ad novas nuptias transire cupit; proindeque ab Ordinario Catacen. sententiam nullitatis matrimonii a se cum Theresia contracti petiit. Curia Catacen. iuxta mandatum H. S. C. (quae, die 5 Dec. 1903 Episcopo rescripserat: « Ut procedere non praetermittat ad tramites Const. *Dei miseratione* ») processum confecit, et die 27 Martii 1904, iudicium nullitatis tulit; a quo sacramenti vindex, prouti de iure, ad H. S. C. appellavit.

Rogatus a R. P. D. Secretario, ut votum conficerem super totum hoc negotium, statim, prima vice, H. S. C. humilem meam mentem scriptis aperui; iuxta quam, praedictam Curiae Catacen. sententiam minime sustineri posse putabam: quinimmo totum processum censebam nullitatis labe infectum.

Verum, cum Vicarius Generalis eiusdem dioeceseos (qui ex mandato Episcopi iudicis munere functus erat in huius causae disceptatione) litteris datis 3 Septembris 1904, aliquid de hac re addidisset, quod ex actis, primitus exhibitis, non constabat: S. C. epistola data die 18 Nov. 1904 Episcopo Catacen. scripsit: ut ulteriores investigationes ad tramites iuris circa asserta perageret.

Quibus expletis, et H. S. C. missis, nova acta una cum pristinis coram EE. VV. nunc prostant; mihique denuo a R. P. Secretario commissum est, ut sapientissimis Vestris deliberationibus subiiciam quid, omnibus perpensis, pro parvo meo iudicio, sentiendum putem circa valorem huius matrimonii, de quo agitur.

In primis tamen utile puto repetere, quod in acta primo confecta animadvertebam; scilicet, quod tunc non semper adfuerit testium examini defensor vinculi: quo factum erat, ut eorum depositiones nimis incompletae et perfunctorie exaratae invenirentur. Addebam insuper, unam tantum partem a tribunali auditam esse, nec Curiam Catacen. operam dedisse, ut saltem testes ex parte mulieris adstarent, qui de rei veritate, nobis referrent.

Quae vero nunc in nova acta adnotanda sint, infra videbimus.

Relate ad causae meritum i. e. quoad solutionem quaestionis: *utrum matrimonium inter Philippum et Theresiam reapse invalidum fuerit:* expendenda censeo ea rationum momenta, quae tum a Philippo, tum a Curiae Catacen. pro eius nullitate adducta fuerunt. Nam si haec non consistere videbimus, validitas matrimonii tuenda potius nobis erit: alia enim non invenio nullitatis motiva in hac causa.

Porro ex triplici capite nullitas desumebatur: 1) ex eo, quod Philippus ficte in matrimonium consensit; 2) quia (si de fictione in foro externo non constet) ipse saltem coacte, absque sufficienti libertate et metu impellente, matrimonium iniit; 3) demum, quia clandestine, sc. apud parochum non proprium, nuptiae celebratae fuerunt.

Iamvero quoad duo prima nullitatis motiva, non multa verba mihi necessaria sunt, ut ostendam ea in themate probari non posse.

Nam quamvis actor, non modo nunc sub iuramenti fide, (*Proc. pag. 8*) sed, uti deponunt plures testes, (*p. 16, 18, 20*) etiam paulo post celebrationem matrimonii adseruerit, se absque voluntate et omnino iocose Theresiam in uxorem duxisse: tamen quaedam circumstantiae grave ingerunt dubium, an fides ei in hoc adiudicanda sit.

Illud iuris, quod « nimis indignum videtur, quod sua quisque voce dilucide protestatus est, in eumdem casum infirmare, proprioque testimonio resistere » (*l. 13, Cap. de non numer. pec.*) maiorem vim in praesentiarum habet ex eo, quod Philippus noster, ut matrimonium cum Theresia contraheret, domum deseruit, ubi cum quodam condiscipulo convivebat, et habitare se contulit cum Theresiae familia.

Nec si causam, vel potius causas inquirimus, unde Philippus affirmat, se inductum ad hoc fuisse, dubia evanescunt, quinimo augentur. Interrogatus enim a iudice, cur ab amasia illico, ante matrimonium, non recessisset, respondit: « Non ho lasciata la Teresa prima dell'atto compiuto, perchè in urto col padre mio, che voleva mi sciogliessi da tale pratica, e quindi privo di mezzi di sussistenza. Appena ho potuto mi arruolai volontario, e così l'o rotta la tresca, e non volli saper più di essa » (*p. 8 retro*).

Sed tota haec narratio valde mihi suspecta est. Nam testis Antonius, cui a patre munus delatum fuerat, filii agendi rationem Catacii observandi, deponit; quod pater, etiamsi indignabundus, tamen: « Per mezzo mio gli somministrava quanto era necessario, e tutto suppongo, andava in mano dei parenti della Teresa » (*p. 28 retro*). Et ipse pater, in depositione sua, nihil aliud testatur, nisi: « Io cercai mille mezzi di staccare mio figlio da quei vampiri, ma non vi riuscii, quindi lo abbandonai a sè stesso, privandolo *direttamente* di ogni sussidio, e di ogni altro mezzo, quando un giorno seppi, che si era fatto un pasticcio di matrimonio di sorpresa » (*p. 37*). Ergo non *absolute*, sed tantum *directe* (i. e. *per seipsum praestanda*) pater ad filii correptionem, ei alimenta negavit. Ac proinde causa cur ficte consenserit, a Philippo coram iudice assignata, hanc fictionem reapse non suadet.

De caetero, si attente perpendimus miseram conditionem oeconomicam, in qua familia Theresiae tunc versabatur, inverisimile prorsus apparet, quod Philippus, ne sibi victui necessaria deessent, incitaretur ad matrimonium, utique iocose, cum Theresia ineundum. Quid boni poterat ipse sperare a muliere, quae, ut viveret, copiam sui corporis omnibus praestabat?

Sed ex actis deprehendimus, Philippum, quum amicis loqueretur, aliam etiam causam huius facti dedisse: ipsum, nempe, matrimonium simulasse ad vitanda mala, quae Theresiae parentes ei minabantur. Verum haec quoque ratio, meo iudicio, haud firmior invenitur.

Nam quum alia media Philippo profecto praesto essent ad effugiendam iram parentum Theresiae: illa nempe media, quibus ipse tam faciliter, vix inito matrimonio, usus est (scilicet, se confugiendo in domum cuiusdam consanguinei, nomen dando militiae, etc.) minime intelligitur, cur tantum ad hanc sacrilegam comoediam confugeret.

Hinc si, ut difficilis probatio simulationis conficiatur, necesse est: « in primis probare causam simulationis..... ac deinde ipsa simulatio evinci coniecturis, seu circumstantiis antecedentibus, concomitantibus, subsequentibus, quae adeo praecisae et urgentes sint, ut certum moraliter reddant iudicem huius ficti consensus » (Gasparri, *De Matrim., n. 798*) dicendum omnino est, in themate *de simulatione* morali certitudine non constare.

Neque constat *de gravitate metus*. Etenim inter alias conditiones, quae requiruntur ad metum gravem et cadentem in virum constantem, hae a DD. recensentur: nempe, ut metum incutiens minas exequi solitus sit, vel saltem credatur, aut rationabiliter timeatur easdem executurum: et ne possit timens facile occurrere malis, quae timentur (Sanchez, *De Matrim., lib. IV, disp. 1, n. 10 seq.*—Schmalzgr., *tom. 1, p. 5, tit. 40, § 1, n. 3*). Atqui in themate hae conditiones non verificantur. Non *prima:* nam quamvis Theresiae mater (quam praecipue Philippus pertimescebat) nigris coloribus a quibusdam testibus pingatur, eorum tamen accusationes magis ostendunt ipsius proclivitatem ad libidinem (qua non abhorruit vitam ducere una cum perversis hominibus) quam crudelitatem animi. Nec *altera*, uti patet ex iam dictis: quibus addenda quoque est haec circumstantia, quod Philippus no-

ster semper in sua oppositione adiutus fuisset a patre, huic matrimonio acerrime infenso.

Haec *de fictione animi* et *de gravitate metus*. Restat ut perpendamus argumentum *clandestinitatis*, an forsan ex hoc capite nullitas huius matrimonii sustineri possit.

Porro quando, paucis abhinc mensibus, primum votum circa hanc causam scribebam, de servata forma substantiali a Trident. inducta in themate nullum dubium serio moveri posse censebam.

Etenim « quantum ad matrimonium parochus unius contrahentis est parochus utriusque » *(Piringh IV, tit. III, n. 13)*: et ex actis certum mihi videbatur parocho non deesse qualitatem parochi proprii Theresiae, si non ratione *quasi-domicilii*, saltem ratione eius conditionis *vagitatis*.

Dixi: *si non ratione quasi-domicilii*. Nam reapse si inquirimus, utrum familia Theresiae (et consequenter etiam Theresia nostra, quae aetate maior apud domum paternam voluntarium domicilium retinebat) in parochia, ne de domicilio loquar, saltem quasi-domicilium obtinuisset: *forte* negative respondendum videtur.

Etenim (omissis aliis considerationibus), quamvis ex actis nesciamus quantum temporis familia Theresiae in parochia praecise commoraverit; tamen ex locutionibus identidem adhibitis, forte neque illa menstrua habitatio inferri posse videtur: quae, nisi contrariis elidatur probationibus, praesumptione iuris habetur veluti indicium animi ibidem permanendi per maiorem anni partem *(S. C. Inquis., 7 Iun. 1867)*.

Verum, si non ratione *quasi-domicilii*, tamen parochi proprii qualitatem relate ad hoc matrimonium parochum sortitum esse putabam ex peculiari conditione, in qua Theresia, utpote *vaga*, in dicta parochia reperiebatur. Ipsa enim *ex una parte* domicilium in priori parochia vere et proprie reliquerat, animo ibi amplius non redeundi *(Proc., pag. 8, 16, 32)*: *ex alia* vero *parte*, ne quasi-domicilium quidem in nova parochia obtinuisse constabat: e qua immo quamprimum egressa erat, se conferendo in tertiam parochiam *(Proc., l. c.)*. Ergo Theresiam adnumerandam iis esse concludebam, qui « licet ordinarie domiciliati sint, et per incertas sedes pro more improborum hominum vagare non soleant, tamen vere et proprie domicilium in una parochia iam dereliquerunt, et in altera parochia forte in eadem civitate vel dioecesi sita, sibi novum domicilium *actu* iam nondum procurarunt, sed *interim* absque *ullo* domicilio ad breve tempus, sive per transennam in tertia quadam parochia habitant » (Wernz, *Ius decret., t. IV, n. 178)*. Qui quidem veri *vagi* in foro ecclesiastico habentur (Sanchez, *De Matrim., lib. 3, disp. 25, n. 4.* — Wernz, *l. c.* — Ballerini-Palmieri, *Opus morale, vol. VI, n. 1232)*.

Quo posito, tunc parochus fuisset *parochus proprius* relate ad hoc matrimonium, « licet alter tantum ex sponsis esset vagus » (Sanchez, *op. et loc. cit., n. 14)*. Neque ulla difficultas ex eo oriri potuisset, quod Theresia in conditione vagorum se adduxit, praecise ut matrimonium facilius iniret: prouti demonstrant Ferrari *(Bibliotheca etc., v. Matrimonium, art. VI, n. 87)* et Santi *(Praelect. I. C., l. IV, tit. 3, n. 86)*.

Haec scribebam. Quum vero nunc Vic. Gener. in epistola, cuius mentionem iam feci, instanter negasset familiam Theresiae, relinquendo priorem parochiam, animum habuisse ibi amplius non redeundi, immo quum addidisset: « Che se poi non si ritornò... si fu per fatti accidentali, avvenuti indipendentemente dalla loro volontà, non esclusa l'opposizione del padrone di casa, il quale, profittando della temporanea assenza, li congedò, restituendo la poca mobilia che avevano lasciato ». H. S. C. novas inquisitiones de hac re, quae ex actis exhibitis, uti iam dixi, omnino non constabat, fieri iussit.

Translatitium enim in iure est, quod sicut ad acquisitionem domicilii requiritur factum habitationis in aliqua parochia una cum animo ibi perpetuo manendi, si nihil inde avocet: ita domicilium dimitti aut amitti non intelligitur nisi tum *factum* habitationis, tum *intentio* manendi cessent.

Attamen inquisitiones peractae a Curia Catacen., et quae reducuntur ad depositionem trium testium, mihi non videntur tales esse, ut moralem certitudinem parere possint, reapse adfuisse in membris familiae Theresiae (quum matrimonii ineundi causa, se transtulerunt in altera parochiam) animum retinendi pristinum domicilium in priori parochia.

Et, inter alia, argumenta dubitandi mihi sunt:

1° Quod deest, testimonium ab S. H. C. exquisitum, domini ipsius domus, quam familia Theresiae habitaverat in altera parochia; et cuius solius opera, fertur, factum esse, ut eo redire amplius non potuissent. Hic enim vocatus noluit a iudice ecclesiastico interrogari. Nec eius testimonium suppletur, uti patet, per epistolam Rev. D., quae insuper est nimis vaga.

2° Quod huic testium examini licet adfuerit sacramenti defensor, tamen minime in eo apparet observatas fuisse illas prudentissimas cautiones, quas S. H. C. in *Instructione* 22 Aug. 1840, praescribit quoad interrogatoria in re matrimoniali. Quae cautiones hic magis requirebantur, quum ex his tribus testibus duo iam deposuerint in prima huius causae disceptatione. Si enim permissum quandoque est, huiusmodi novum testium experimentum, nemo tamen ignorat, quam periculosum illud sit, et quam magnam circumspectionem exigat (Lega, *De Iudic. Eccles., vol. 1, n. 485)*.

3° Quod si perpendimus tum testium conditionem, tum eorum assertiones, nonnulla extant, quae eorum dictis fidem minuant. Testis M. maxime familiaris exhibetur ipsius actoris, nec causam pandit unde notitiam accepit eorum, quae asserit. Quoad testem parochum inexplicabile mihi est, ipsum reapse haec omnia antea novisse, qui de hisce rebus certe maximi momenti omnino tacuit in prima sua depositione *(Proces., pag. 32)*. De teste quae domina erat domus, Curia Catacen. contenta simplici formula « avente tutti i requisiti voluti dalla legge », sollicita non fuit meliori modo S. C. certiorem reddere de huius mulieris honestate ac fide. Eo vel magis, quod, quum haec amicam se dicat familiae Theresiae, dubium manet, an sit etiam eiusdem furfuris.

4° Quod, demum, infima conditio socialis familiae Theresiae nullo modo suadet intentionem retinendi domicilium in priori parochia. Notum enim est istiusmodi familias maxima cum facilitate habitationem, domiciliumque permutare.

Post haec, quum rigorosae probationes requirantur ad iudicium ferendum contra matrimonium, ita ut in dubio potius pro matrimonii validitate sit iudicandum, concludendum censerem: *Ex deductis non constare de nullitate matrimonii inter Philippum et Theresiam.*

Hanc tamen meam opinionem ex corde submitto sapientiori iudicio Emorum Patrum, Quorum S. Purpuram humillime deosculor.

Romae, 30 Ianuarii 1905.

C. Perosi, *Consultor.*

4718
3

IV.

Laquedonien. — Concursus.

Peracto concursu, Episcopus conferre potest ecclesiam magis idoneo, posthabito altero ex approbatis, ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam nemini revelare tenebitur nisi iudici appellationis, vel Emo Praefecto S. Congr. Concilii, sub inviolabili secreti lege.

Vacata, per mortem sac. Elzearii De Angelis, sub die 21 Octobris an. 1902, paroecia abbatialis oppidi vulgo *Carife*, die 27 Martii sequentis anni Episcopus concursus edictum vulgavit pro nova paroeciae provisione. Concurrentium albo duo tantum nomen dederunt nempe Rochus Salvatore et Benedictus Salvatore oeconomus curatus memoratae ecclesiae, ambo eiusdem oppidi *Carife.*

Die 15 Aprilis habitus est concursus et, peracto ab Examinatoribus synodalibus scrutinio super scriptis concurrentium, Benedictus Salvatore renunciatus est uti approbatus, et alter reiectus ob defectum tertiae partis voti quoad mores. Hinc Episcopus Examinatorum iudicium secutus ad paroeciam vacantem, nominavit sacerdotem Benedictum Salvatore, atque sub primis diebus Augusti sequentis eius favore expeditae sunt bullae episcopales nominationis, et in realem paroeciae possessionem fuit immissus.

At Rochus Salvatore, aegre ferens suam reiectionem, appellationem tempore utili interposuit apud Metropolitanum Compsanum a mala relatione Examinatorum et ab irrationabili iudicio Episcopi.

Iudex appellationis ad trutinam revocatis actis concursus et aliis de ritu expeditis, die 3 Septembris eiusdem anni declaravit plene constare de nullitate concursus in vacantem abbatiam curatam ob *malam Examinatorum relationem tantummodo*, proindeque eius collationem esse nullam: et damnavit Curiam suffraganeam Laquedoniensem ad expensas iudicii.

Ab hac sententia intra legitima tempora, tum Episcopus Laquedoniensis, tum Benedictus Salvatore provocarunt ad H. S. C.: quae, praehabito Consultoris voto, per litteras diei 8 Iunii 1904 iussit Episcopo novum indicere concursum, eiusque acta ad eamdem Congregationem transmittere.

Novus concursus in quo iidem duo praedicti concurrentes tantum comparuerunt, habitus est die 12 Septembris successivi, et die sequenti acta concursus ad H. S. Congregationem remissa sunt. Super hisce exquisitum fuit novum alterius Consultoris votum; et cum id fuerit iam confectum, typis vulgatum praesenti folio adiunxi.

Interim animadverto quod Episcopus occasione S. Visitationis mense Septembris an. 1903 in oppido Carife peractae, percrebrescente rumore minus favorabili circa mores sacerdotis Rochi Salvatore, processum inquisitivum secreto super eius vita et moribus instituit; atque ex eo ad H. S. C. transmisso non pauca scatent, quae vitam sacerdotalem inquisiti non parum deturpant.

Uterque concurrens sibi specialem procuratorem delegit pro suis respectivis iuribus tuendis. Verum cum decreverim consultoris votum non esse partibus communicandum, nisi diebus decem ante causae disceptationem, patroni pro nunc in suis allegationibus seorsim distribuendis toti sunt in iis describendis, quae respective sese referunt sive ad validitatem habiti novi concursus, sive ad merita sui candidati prae alio, tum circa qualitates morales et alia requisita ad idoneum pastorem animarum, declarantes ampliore uti defensione, quando eis perspectum fuerit citatum Consultoris votum.

Praesertim vero patronus Rochi pro viribus enititur illum purgare ab accusationibus contra mores, quas dicit esse calumnias et commenta malevolorum, atque id conficit pluribus allatis documentis et subiicit etiam nonnullas Episcopi litteras, quamvis sibi in hac quaestione contrarii, ex quibus contendit nihil esse in Rocho Salvatore censura dignum, quod eum impediat a paroeciae consecutione.

At cum ipse in fine suarum deductionum querelas moveat de non facta sibi communicatione secreti processus inquisitivi, opportunum reor recolere et heic transcribere, quae sapienter sanxit Benedictus XIV in sua celebri Constit. *Cum illud* diei 14 Dec. 1742 § *16 n. 7* (quam etiam innuit Consultor in suo voto n. 13) ut appareat quam infundatae sint dictae querelae. Praefatus Pontifex ita porro disponit: « Ubi vero Episcopus, posthabito uno vel altero ex approbatis, ecclesiam contulerit magis idoneo ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam censeat significari oportere iudici appellationis ad detergendam iniustae fortasse praeelectionis notam: familiaribus litteris iudicem certiorem efficiat inviolabilis secreti lege adiecta. Nemo sit, qui hanc praxim nostrae tribuat solertiae, cum illa profluat ex Tridentini Decretis. Sessione etenim XXIV cap. 20, *de reform*, ita disponitur: Praeterea si quis in casibus a iure permissis appellaverit aut de aliquo gravamine conquestus fuerit seu alias ob lapsum biennii de quo supra ad alium iudicem recurrerit, teneatur acta omnia coram Episcopo gesta ad iudicem appellationis expensis suis transferre, *eodem tamen Episcopo prius admonito, ut si quid ei pro causae instructione videbitur, possit iudici appellationis significare.*

« Et quamvis iure nobis timendum sit, ne dicta praxis monendi iudicem, a quo appellatum est, in more olim posita, hac tempestate obsoleverit et a foro recesserit; attamen Episcopus (ut dictum est) si ex causa sibi tantum et non aliis nota, quae tamen approbari digna sit, ecclesiam contulerit, illam iudici appellationis datis secreto litteris denunciet et aperiat. Sciant porro iudices delatas ab Episcopo causas et rationes inviolabilis secreti fide esse custodiendas, nec parvi pendendum esse testimonium illius pastoris, cui divino mandatur eloquio oves suas agnoscere. Facile enim credi non potest, Episcopos suae non minus quam alienae salutis adeo immemores, ut non deterriti divini interminatione iudicii odio vel favore moveantur, et in sacrorum canonum singularem iniuriam *dicant malum bonum, bonum malum, ponentes tenebras lucem et lucem tenebras.*

« Si vero Episcopo fuerit suspecta fides iudicis, ad quem appellatum est, nec eidem revelanda censuerit huiusmodi occulta rationum momenta, illa signficet secretis litteris S. R. E. Cardinali Praefecto pro tempore Congregationis Concilii, qui, nec consilio, nec auctoritate deerit, quo minus a iudice appellationis debitus iustitiae locus tribuatur ».

Si itaque causae et rationes occultae ab Episcopis ad appellationis iudicem vel ad H. S. C. delatae ad aliquem excludendum a consecutione paroeciae, inviolabili secreti fide sunt custodiendae, luce meridiana clarius erumpit eas parti non esse communicandas. Atqui de hac secreti lege servanda in casu Episcopus cavit in literis, quibus acta processus comitatur.

Demum....

Hisce aliisque pensatis, quae sive in partium allegationibus, sive in voto Consultoris disceptantur, sequens EE. VV. diluendum proponitur

DUBIUM.

An et cui conferenda sit paroecia Abbatialis Collegiatae Ecclesiae loci vulgo Carife, in casu.

Responsum fuit: *Attentis omnibus, sacerdotem Benedictum Salvatore conservandum in possessione paroeciae.*

2404/2 V.

Ostunen. — Solutionis.

Redit quaestio iam proposita die 25 p. elapsi Februarii; et actio reconventionalis petita ab Archiepiscopo, aequivalenter conceditur iuxta modum.

Proposita in generalibus comitiis diei 25 p. elapsi Februarii (1) controversia inter Archiepiscopum Brundusinum Administratorem perpetuum Ostunensem Palmieri et eius ex-Vicarium Ostunensem sacerdotem Matone, H. S. Congregatio ad tunc proposita dubia, I. *an sacerdos Nicolaus Matone sit restituendus in officio Vicarii Generalis Ostunensis in casu;* II. *an et quaenam stipendiorum solutio et expensarum refectio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu;* III. *an et quaenam damnorum reparatio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu;* sequens edidit responsum: *Ad Ium Negative. Ad IIum et IIIum Dilata et ad mentem; quae est, ut Archiepiscopus et sacerdos Matone intra 15 dies eligant et proponant S. C. proprium peculiarem ratiocinatorem pro examine et discussione totius controversae gestionis, distincte tamen per singula gestionis capita. Haec autem discussio peragenda erit coram tertio ratiocinatore a S. C. constituendo; qui deinde omnibus perpensis, et cum adsistentia Consultoris canonistae pro parte iuridica, votum suum exarabit et S. C. proponet. Interim autem Archiepiscopus solvat sac. Matone summam libellarum 9600 pro honorariis, praestita tamen ab eodem Matone idonea cautione pro restitutione eiusdem summae, si in redditione rationum, de qua supra, debitor evaserit.*

Huius resolutionis accepta notitia, Archiepiscopus pro ea parte, quae respicit solutionem libell. 9600 beneficium novae audientiae expetiit et obtinuit, et modo per adlectum procuratorem in nova causae propositione sequentia deducit.

Advocatus ait in propatulo esse Archiepiscopum annuam mercedem 1200 libellarum, perdurantibus octo annis Vicariatus sac. Matone, eidem nunquam denegasse: qui imo cum ille in primo anno stipendium obtulisset, hunc ne responsum quidem dedisse. Aliunde sive ex agendi ratione sacerdotis Matone, sive ex publicis rumoribus merito coniici poterat vel hunc stipendio valedixisse vel sese compensare in administrationibus. At iuste ab officio dimissus, uti ex sententia S. Congregationis patet, sacerdos Matone nunc serotina repetitione clamat, sibi solvi summas sua culpa coacervatas plurium annorum quod per se molestissimum est, et quasi poenam in Archiepiscopum irrogat, et damnum mensae infert, ut recte Archiepiscopus opponit.

Archiepiscopus itaque se tueri valet exceptione praescriptionis, a legibus ratione publici boni invectae ne nimium incerta dominia remaneant et ne diutius culpa creditorum relationes iuridicae persistant. Quin haec exceptio coarguatur de immoralitate uti factum fuisse constat in causae discussione coram laico tribunali Lyciensi primae instantiae. Nam lex ex iustis et gravibus lata motivis dici nequit immoralis, et in themate aequum est, ut sacerdos Matone, qui se publice iactavit officio Vicarii gratuito fungi, et per octo annos mercedem non exegit, nunc cumulatis summis in damnum et iacturam debitoris, ab his repetendis exceptione submoveatur.

At subdit patronus, hanc rationem sibi sufficere tantum innuisse. Potius ipse instat ut Archiepiscopo concedatur actio reconventionalis ad exigendas rationes a Matone stipendium postulante pro munere exercito, a quo iam fuit iure remotus. Sedulo notat actionem reconventionalem plurimum differre a compensatione: haec enim locum habet inter credita liquida, dum e contra actio reconventionalis supponit ex una parte creditum expeditum, ex altera non expeditum seu liquidum cum spe futurae compensationis. Dato itaque et non concesso, quod praetensum sac. Matone creditum libellar. 9600 esset liquidum, non ideo viae petitae actioni esset interclusa, prouti etiam fuit admissum a re iudicata Curiae Tranensis, cui Archiepiscopus declaravit non posse renuntiare. Rem iudicatam Tranensem, ait advocatus, in subiicienda resolutione controversiae eventui computationis rationum innixam esse in aequitatis principio, nempe ad evitandas plures complexas quaestiones. Haud enim simplex res est nunc Archiepiscopum urgere ad petitam summam solvendam. Si enim post redditas rationes Matone debitor resultet, et hic solvere detrectet, tunc Archiepiscopus litium aleas contra ipsum, vel eius fideiussorem experiri cogeretur.

Sed et alio titulo actionem reconventionalem Archiepiscopo concedendam esse, contendit advocatus. Sane stipendium Vicario Generali Matone eatenus promissum fuit quatenus etiam esset naturalis reddituum Curiae administrator: hinc hoc stipendium cum redditibus Curiae est connexum, et cum horum administratione cumulate spectari debet et supputari.

De hoc pacto explicite patere ait nedum ex relatione officiali in priori causae propositione, sed etiam ex Archiepiscopi epistola diei 16 Septembris 1895 ab adversariis in summario relata, in qua ita scribit ad sac. Matone: « Faccia i conti di Curia e mi significhi quanto debbo aggiungere per le L. 1200 che le appartengono ». Haec epistola data fuit post anni decursum, quo Matone officium Vicarii gerebat, seu a die 1 Septembris 1894.

Post hanc epistolam, sacerdos Matone, neque honorarium expetiit, neque de reddituum Curiae gestione unquam rationem dedit. Iure itaque Archiepiscopus instat ut promissa merces in Curiae reddituum ratione supputetur. Neque ait haec imputatio confundenda est cum compensatione, quae est res totaliter diversa, ut tradit Ricci in suo libro, qui inscribitur, *Corso teor. prat. di dir. civ.*, vol. VI, ad p. 405.

Huc oratione perducta, advocatus contendit, quod summa libel. 9600 pro Matone potius quam creditum constituat *nomen* quoddam de quo ratio habenda est in compulsatione gestionis Curiae ab eo per 8 annos obtentae. Quin imo addit, quod si res ex parte Archiepiscopi spectetur, etiam hic sua expedita proferre valet: exempli gratia, haec pro Archiepiscopo expedita credita sunt: illa 12,000 libellarum summa, quam ipse pro civilibus iudiciis erogare debuit, quorum Matone auctor ac responsabilis habitus est; illa 1300 libellarum summa, quam Matone e legato Monte Ferri subtraxit, ob quam nunc Archiepiscopus a Charitatis Congregatione in iudicium vocatur; summa 6700 libellarum, quam ex incertis Curiae Ostunensis redditibus in octo annis sac. Matone percepit, et ex opportuno libro a Matone ipso subsignato apparet; summa 12,600 libellarum in Matone eiusdem manibus pro legatis piis commissa.

Hinc, concludit advocatus, sicuti haec expedita Archiepiscopi credita constituunt quaedam *nomina* subducenda in imposita ab hac Sacra Congregatione redditione rationum super quinque administrationis capitibus, ita par iudicium edi oportet de iactato a Matone credito libellarum 9600 contra Archiepiscopum Palmieri.

Ex adversa parte licet monita nihil mihi exhibitum est. Quare benigne resumpto praeterito folio EE. VV. non graventur sequens dirimere

(1) Cfr. fasc. praec., p. 163.

DUBIUM.

An sit standum vel recedendum a decisis quoad impositam solutionem libell. 9600 favore sacerdotis Matone in casu.

Responsum fuit: *In decisis iuxta modum: modus est, ut Archiepiscopus, intra 15 dies, deponat penes S. Sedem summam libellar. 9600. Et in prima post proximam proponatur universa redditio rationum omnino et infallanter.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORD. MINORUM CAPUCCINORUM.

Pro absolutione generali post sacramentalem absolutionem, formulam breviorem adhiberi posse conceditur.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X, clementer deferens humillimis precibus R.mi Patris Procuratoris Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatis, benigne indulgere dignatus est, ut in Absolutione Generali modo privato, id est immediate post sacramentalem Absolutionem a Regularibus impertienda, adhiberi valeat formula brevior, quae pro Tertiariis Saecularibus concessa fuit (1). Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Formula pro Tertiariis saecularibus adhibenda ita determinatur in Caeremoniali Tertii Ordinis: « Si haec indulgentia immediate post sacramentalem absolutionem impertiatur, reliquis omissis, Sacerdos absolute incipiat a verbis: « Dominus noster Iesus Christus, etc. » et ita prosequatur usque ad finem, plurali tantum numero in singularem immutato ». En illa formula: » Dominus noster Iesus Christus, qui beato Petro Apostolo dedit potestatem ligandi atque solvendi, ille te absolvat ab omni vinculo delictorum, ut habeas vitam aeternam, et vivas in saecula saeculorum. Amen. — Per sacratissimam passionem et mortem D. N. I. C., precibus et meritis beatissimae Virginis Mariae, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, beati Patris nostri Francisci, et omnium Sanctorum, auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, Plenariam Indulgentiam omnium peccatorum tuorum tibi impertior. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen ». — Caeremoniale pergit: « Si adiuncta vetent integram adhibere formulam, Sacerdos, reliquis omissis, dicere poterit: « Auctoritate a Summis Pontificibus mihi concessa, Plenariam peccatorum tuorum Indulgentiam tibi impertior. In nomine Patris et Filii ✠ et Spiritus Sancti. Amen ».

II.

Indultum pro sacerdotibus saecularibus III, Ord. S. Fr. dicendi Missam votivam de Imm. singulis Sabbatis.

Cupiens Reverendissimus Pater Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis Ordinis Minorum, ut cultus erga Imm. Deiparae Virginis Conceptionem magis magisque augeatur, atque omnis controversia tollatur circa Missam votivam de eadem Imm. Conc. ex Apostolicae Sedis Indulto concessam Franciscalibus Familiis, a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X humillimis precibus flagitavit:

I. Ut Sacerdotes etiam saeculares, Tertio Ordini Sancti Francisci adscripti, qui Kalendario Romano-Seraphico utuntur, quoties vel in privato Oratorio vel in Ecclesiis trium Ordinum Sancti Francisci Sacrum faciant, singulis per annum Sabbatis Missam votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione legere valeant, prouti Alumnis vel Cappellanis trium Ordinum Regularium permittitur; quemadmodum nempe Sacerdotibus Tertii Ordinis Praedicatorum conceditur Feria IV et Sabbato per annum, etiam Festo duplici minori ac maiori impeditis, Missam Sanctissimi Rosarii « *Salve radix* » iisdem in casibus celebrare (1).

II. Ut Sacerdotes e primo ac Tertio Ordine Regulari Sancti Francisci Sacrum facturi in Oratoriis privatis extra Coenobium positis, sicuti Kalendarium Romano-Seraphicum possunt ac debent adhibere, ita valeant Missam votivam de Immaculata Beatae Mariae Virginis Conceptione celebrare, prouti in Ecclesiis ipsius Ordinis conceditur; ne secus, ac praesertim Religiosi extra Coenobium rem divinam oblaturi, eodem uti privilegio impediantur, ipsis admodum salutari.

Sanctitas porro Sua, referente infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto, benigne annuere dignata est pro gratia iuxta preces: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

DIOECESUIM GALLIAE.

Beatus Ioannes Baptista Vianney constituitur Patronus parochorum Ditionis Gallicae.

Ex quo Beatorum Coelitum honores venerabili Ioanni Baptistae Vianney solemniter sunt delati, complures e Gallia sacrorum Antistites, ad vota potissimum curionum rite complenda, supplicibus iteratisque litteris a Sanctissimo Domino Nostro Pio Papa X ad unum expostularunt, ut Eum, quamvis supremo in terris gloriae fastigio, quo Sancti praelucent, nondum adauctum, de Apostolica tamen benignitate et dispensatione, speciatim apud Deum patronum sacerdo-

(1) Indultum praesens valet etiam de Ecclesiis ad Tertium Ordinem *saecularem* Sancti Patris Nostri Francisci reapse pertinentibus, si in eis Kalendarium Romano-Seraphicum observetur, etiamque vim habet pro Vigilia proque integra Octava Immaculatae Conceptionis.

tibus, inter suos cives, curae animarum addictis attribuere et declarare dignaretur. Permulta enimvero, iure veluti peculiari, requirere videbantur, ut talem opportune defensorem, in quem fidentius intuerentur, parochi sibi adsignandum crebris obtestationibus implorarent. Nam ita, dum aetas haec nostra eximiis praesertim invictisque pastoribus indiget, perfectum sacri ministerii exemplar cunctis ad imitandum praesto esset; unde alacrius B. Vianney vestigia prosequi et maiori curiones industria et prosperitate populos virtuti et Ecclesiae revocare possent; atque idcirco, opera etiam propria, iuxta propositam praeclari Confessoris normam, omnia in Christo instaurare coniunctis viribus satius contenderent. Nec exemplar solummodo, sed, patrocinio de coelis collato, daretur quoque auxilium in arduo sane parochorum munere, pro ovibus sibi concreditis, naviter pieque obeundo, et, acerba temporum vicissitudine, magnum in aerumnis solatium, idque praesentissimum, adhiberetur. Quapropter Sanctissimus Dominus Noster, similia Pontificum antecessorum exempla, nec semel quidem edita, nuperrime aemulatus, enixas sibi preces hac de re porrectas benigne fausteque excipiendas, sponte sua, existimavit. Pro impensa quippe sollicitudine et vigilantia, qua Ecclesiae bono adsidue prospicit, ac pro dilectione speciali, qua nullo non tempore erga coetum parochorum insignem paterne fertur, nihil magis in votis habet, quam ut recens laboribus favor et tutela de superis accedat; et lux *supra candelabrum posita* presbyteris, quotquot patriae et pastoralis muneris participes in Gallia sunt, ad exemplum praesidium et solamen, vividior in dies adfulgeat. Novensilem igitur Beatum, Ioannem Baptistam Vianney, in pervigili et diuturno curionis officio quod et *officium amoris* a S. Augustino merito nuncupatur, sic *formam gregis ex animo et omnibus omnia factum*, ut non tantum apud Bellicenses Francosque cunctos pagum natalem, sed totam profecto Galliam virtutibus et prodigiis aliás apud gentes potiorem in modum illustraverit, sacerdotibus animarum curam gerentibus in Gallia caeterisque in locis nationi eidem subiectis, coelestem Patronum eligere et constituere decrevit. Insuper idem Pater Beatissimus, firma spe fretus, pastores et fideles, Ioanne Baptista Vianney deprecatore, ex cultu et imitatione ipsius, uberes pietatis fructus fore percepturos, indulsit perlibenter, ut, in praedictis locis, Eius imagines atque reliquiae, de consensu respectivi Ordinarii, publicae venerationi exponi possint; diesque festus sub ritu duplici minori, sed in Bellicensi dioecesi sub ritu duplici maiori, tum pro clero saeculari, tum pro regularibus, cum Officio et Missa propriis ab Auctoritate Apostolica approbatis, recoli valeat: servatis tamen rubricis atque decretis, etiam cultum Beatorum respicientibus. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 12 Aprilis an. 1905.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

D. PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secretarius.*

IV.

COMPOSTELLANA

Circa usum musicorum instrumentorum in sacris functionibus.

E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Iosephus M. de Herrera y de la Iglesia, Archiepiscopus Compostellanus, ad Sacram Rituum Congregationem mittens elenchum tum festorum, quae in sua ecclesia Cathedrali solemniter celebrantur cum musica vocali et instrumentali, vulgo *orquesta;* tum instrumentorum, quibus musici utuntur in iisdem solemnitatibus: atque insuper interpretationem authenticam habere desiderans super iis, quae Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in *Motu proprio* super musica sacra statuit (1), nempe: « Aliquoties, servatis servandis, admitti possunt alia musica instrumenta, sed annuente Episcopo, ut Caeremoniale Episcoporum praecipit », eidem Sacrae Congregationi sequentia dubia enodanda reverenter proposuit, videlicet:

I. An, et in quibus festis permitti possit usus instrumentorum, quae (vulgo *violines, violas, violoncello, contrabajo, flauta, clarinetes, fagots, trompas)* in elencho recensentur?

II. An permitti possit usus instrumentorum in Officio et Missa defunctorum?

III. An proscribendus sit in ecclesiis parochialibus et conventualibus usus organi dicti *harmonium* in Officio et Missa defunctorum?

Sacra porro rituum Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis super Musica et Cantu sacro rescribendum censuit:

Ad I. Ad primam partem *Affirmative;* ad secundam partem, in illis functionibus et temporibus, in quibus sonus organi aliorumque instrumentorum non prohibetur a Caeremoniali Episcoporum, a praedicto *Motu proprio* et a Decretis S. R. C. uti in *Pisana* 20 Martii 1903 (2), et in *Compostellana* 8 Ianuarii 1904 (3), super Triduo Maioris Hebdomadae; verum iuxta prudens Ordinarii arbitrium in singulis casibus cum dispensatione a lege et praxi communi adhibendi in sacris functionibus cantum gregorianum vel musicam polyphonicam aut aliam probatam.

Ad II. In Officio *Negative;* in Missa et Absolutione post Missam, prouti in responso ad I et servatis servandis, ita ut sonus organi aliorumque instrumentorum tantum ad sustinendas voces adhibeatur, et sileant instrumenta cum silet cantus, iuxta Caeremoniale Episcoporum, lib. I, cap. 28, n. 13.

Ad III. Provisum in praecedenti.

Atque ita rescripsit, die 15 Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 3.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 125.
(3) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 26.

V.

CADURCEN. — DECRETUM

Confirmationis cultus ab immemorabili tempore praestiti Ven. Servo Dei Christophoro a Romandiola, Ordinis Minorum S. Francisci, Beato et Sancto nuncupato.

Inter selectos S. Francisci Assisiensis discipulos et sodales, qui ad Christi evangelium verbo et exemplo praedicandum ac propagandum missi fuerunt, conspicuum tenet locum CHRISTOPHORUS A ROMANDIOLA nuncupatus, qui antea Parochus postea religiosus ab eodem sancto patre legifero in suum primum ordinem cooptatus, fere centenarius, vitae sanctitate et ministerii operibus clarus, sancto fine et glorioso sepulchro apud Cadurcenses coronatus exhibetur. Ex actis enim processualibus, atque ex vita de eo conscripta a Fr. Bernardo a Bessa Servi Dei socio et S. Bonaventurae a secretis, plane liquet Christophorum saeculo XII, circa annum 1172, ortum fuisse et quadragenario maiorem, Parochi munere ad perfectiorem statum amplectendum dimisso, beati Patris Francisci Instituto nomen perlibenter dedisse. Adversus albigensium sectam per Aquitaniam furiose bacchantem, tum militari manu, tum sacris expeditionibus erat dimicandum. Hinc coniunctis viribus principum, inter quos emicuit comes Montisfortis, et sacrorum antistitum pro Christi fide magno animi ardore pugnatum est. Rogante Guillelmo IV de Cardaillaco, Cadurcensi Episcopo, eiusque munificentia Franciscalis Familia in Aquitania constituta est; atque Cadurci et alibi erecta coenobia ipsomet Christophoro auctore et praeside cum legitimo sui Seraphici institutoris mandato. Servus Dei cum sociis totus erat ut in haeresim lapsi ad veritatis lumen erigerentur atque omnes christiana fide bonisque moribus instructi illuc oculos animosque affigerent ubi veri thesauri et vera sunt gaudia. Austerae vitae tenore sibi proposito, in pauperes aegrotosque suam effundebat charitatem. Frequenti oratione Deo adhaerere atque Deiparam Virginem peculiari pietatis affectu prosequi in deliciis habebat. Unde *vere Christophorus, Christum ferens, in corpore per macerationem, in corde per devotionem, in ore per laudem et legis eius annuntiationem*, coelestibus etiam signis cohonestatus fuisse perhibetur. Felix Servi Dei transitus obtigit in conventu Cadurcensi, die 31 Octobris in pervigilio festi Omnium Sanctorum an. 1272, postquam ipse fratres ad se accitos de regno Dei suaviter alloquutus benedixisset, devotisque precibus suum spiritum Deo commendasset. Sacrum corpus in Ecclesiam fratrum solemni pompa elatum, funere persoluto, unguentis summa suavitate conditis conspersum et in apposita lignea arca inclusum honorifice tumulatum fuit. Coepit illico Christophorus beatus et sanctus appellari atque populi devotione et prodigiorum multitudine inclarescere. De cultu vero immemorabili huius Servi Dei seu de casu excepto a decretis sa. me. Urbani Papae VIII postremis hisce temporibus actum est; curantibus Tolosanae regionis Pastoribus una cum R.mo D.no Æmilio Christophoro Enard, Cadurcensi Episcopo, qui per iudicem specialiter delegatum super eodem cultu seu casu excepto, ad tramites iuris, processum ordinarium instituit atque subsequentem sententiam favorabilem protulit. Quibus omnibus una cum documentis authenticis ad rem pertinentibus Sedi Apostolicae reverenter subiectis, instante R.mo D.no Bernardo Nardi, Episcopo tit. Thebano, Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum Postulatore generali, attentisque litteris postulatoriis E.mi et R.mi D.ni Cardin. Lécot, Archiepiscopi Burdigalensis, et totius Tolosanae regionis Pastorum, E.mus et R.mus D.nus Franciscus Desideratus Mathieu, huius Causae Ponens seu Relator in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis comitiis subsignata die ad Vaticanum coadunatis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An sententia iudicis a R.mo D.no Episcopo Cadurcensi delegati super cultu ab immemorabili tempore exhibito Servo Dei Christophoro a Romandiola sit confirmanda in casu et ad effectum de quo agitur?* » Porro E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Ponentis, audito voce et scripto etiam R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque accurate perpensis rescribere rati sunt: « *Affirmative, seu sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo placuerit* ». Die 11 Aprilis 1905.

Quibus omnibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatis, Sanctitas Sua Rescriptum Sacrae eiusdem Congregationis ratum habuit et probavit, die 12, eiusdem mense et anno.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secr.*

VI.

PENNEN. — DECRETUM

Beatificationis seu canonizationis Venerabilis Servi Dei Gabrielis a Deipara Perdolente Clerici Professi e Congregatione Clericorum Regularium Excalceatorum a Christi Passione.

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, et Charitate in Deum et proximum; ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

Veneranda Christi religio, cuius tanta vis est, ut ex omni vitae genere queat fructus colligere sanctitatis, non eorum tantum copiam effudit, qui, publice ac veluti in acie dimicantes, rebus a se praeclare gestis terrarum orbem commoverunt, sed hominum etiam, qui, intra domesticos parietes aut septa coenobii, disciplinam Domini perfecte custodientes, haud minorem virtutis laudem adepti sunt, iuxta illud: *maximi sanctorum Deo in secreto servire eligebant* (De Im. C. c. XX). In his est admirabilis adolescens GABRIEL a Deipara perdolente, quo nobili aemulatore Aloisii Gonzaga, Stanislai Kotska et Ioannis Berchmans iure gloriatur florentissima Congregatio Clericorum a Passione D. N. I. C.

Ortum habuit Venerabilis Dei Servus, Kalendis Martiis anno MDCCCXXXVIII ex illustri familia Possenti, patriam nomenque sortitus Seraphici Patris Francisci. Vix quinquennis, amissa matre, Spoletium deductus est, ubi a scholarum christianarum sodalibus prima rudimenta pietatis attigit ac litterarum. Mox patribus Societatis Iesu in disciplinam traditus, acri ingenio solidaque pietate sic enituit, ut e con-

discipulis parem vix haberet quemquam. Fervida, qua erat indole, studiorum decursu visus est impensius, quam piissima eius indoles ac vita portenderet, cultui vestium aliisque licet honestis, oblectamentis indulgere. Brevi tamen, variis tentatus morbis, reputare secum coepit, quam vana et fluxa essent terrena omnia, quam vera et firma coelestia, convertitque animum ad vitae genus, in quo non sibi iam aut mundo, sed Christo cruci adfixo unice viveret.

Itaque IV Id. Septembr. an. MDCCCLVII, Dei spiritu actus, Monrovallensem secessum petiit Clericorum a Christi passione, eique Congregationi se adscripsit, stupentibus qui eum noverant multis, quum viderent nitidum iuvenem et mollibus pridem vestitum, id genus institutum amplecti summo cum gaudio. Expleto tyrocinio, religionis vota rite concepit, quibus obstrictus christianae perfectionis viam alacriori in diebus studio et quotidianis ascensionibus cucurrit, ad eius normam sententiae: *iustorum semita, quasi lux splendens, procedit et crescit usque ad perfectum diem* (Prov. IV, 18). Quominus autem Apostolico ministerio fax esset praesidiumque gentibus, obstiterunt iniqua tempora, quibus factum est ut, minoribus ordinibus initiatus, non potuerit ad maiores promoveri. Neque tamen, quum lateret in Christo, sibi uni profuit, qui vel adspectu ipso atque incessu obvium quemque maxime commoveret et ad superna quodammodo raperet; tanta in exemplo vis inest. Vitae innocentia et morum suavitate dilectus Deo et hominibus, virgineo corpori castigando semper intentus, proximorum salutis charitate flagrans, Christi cruci adfixi ac Deiparae a doloribus memoriam tenerrime prosequens, id maxime caeterum cavit, ut a suae Congregationis disciplina et legibus ne transversum quidem unguem discederet.

Vix emenso sexennio, a sacro inito sodalitio, iam coelo maturus, in secessu insulae apud Fiscellum montem, quo studiorum causa missus fuerat, gravi morbo correptus est. Cuius crescente vi, ubi supremam sensit imminere horam, Ecclesiae sacramenta eo pietatis sensu recepit, ut adstantium sodalium cieret uberes lacrymas. Tum denique invocatis Iesu, Mariae ac Iosephi sacris nominibus, fixis in coelum oculis ac veluti arcano visui subridens, animam efflavit placidissime III kal. Mart. an. MDCCCLXII.

In praeclari iuvenis tumulo non est consepulta fama virtutis eius ac sanctitatis, quam sibi vivens amplissimam comparaverat. Quin etiam, et crebris ad illius cineres peregrinationibus et prodigiorum diuturna copia, in dies latius pervulgatus rumor movit animum sa: me: Leonis PP. XIII ut postulationibus plurimis, praesertim S. R. E. Cardinalium et Episcoporum satisfaceret, signando commissionem, quam vocant, introductionis causae, quod ipse praestitit kal. Junii, an. MDCCCXCVI (1). Consequuti deinde sunt Apostolici processus, quorum validitate comprobata, de gradu virtutum *heroico* Ven. Servi Dei disceptatum est apud SS. Rituum Congregationem: primum in antepraeparatorio conventu, in aedibus Card. Caietani Aloisi-Masella cl. me. quarto kalendas sextiles an MDCCCCII; mox in praeparatoriis comitiis ad Vaticanum, quarto kalendas quintiles an. MDCCCCIV, in quibus R.mo Cardinali Caietano Aloisi-Masella e vivis erepto, in Causae Ponentem Cardinalis Dominicus Ferrata suffectus est; tertio denique ibidem, in generali coetu coram SS.mo D. N. Pio PP. X habito, sexto nonas Maii labentis anni. Quo in coetu, a R.mo Cardinali Dominico Ferrata Causae Relatore, proposito dubio: « *An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum, Ven. Servi Dei* GABRIELIS *a Deipara perdolente; ac de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia, earumque adnexis in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* », R.mi Cardinales SS. Ritibus praepositi et PP. Consultores suam ordine protulere sententiam. Quorum suffragiis exceptis, SS.mus Dominus mentem Suam aperire distulit, adhortatus qui aderant ut in re tanti momenti supernum lumen efflagitarent.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. IV, p. 304.

Hodierno vero die, Dominica III post Pascha, dum catholicus orbis auspicato patrocinium recolit Sancti Iosephi, cuius tutela et dilectione, ob nominis et virtutum gloriam, speciatim gaudet PIUS X Pontifex Maximus, acerbasque temporum aerumnas victrici tandem faustitate superare confidit, idem SS.mus Dominus, Sacro religiosissime peracto, nobiliorem aulam Vaticanam ingressus et pontificio solio assidens, R.mos PP. Cardinales accersivit, Aloisium Tripepi, SS. Rituum Congregationi Pro-Praefectum et Dominicum Ferrata, Causae Relatorem, simulque R. P. D. Alexandrum Verde S. Fidei Promotorem, et me infrascriptum Secretarium, hisque adstantibus rite edixit: « *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe, Charitate in Deum et proximum; necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Fortitudine, Temperantia earumque adnexis Ven. Servi Dei* GABRIELIS *a Deipara perdolente in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur* ».

Hoc autem Decretum evulgari, et in Acta SS. Rituum Congregationis referri iussit pridie idus Maias an. MDCCCCV.

ALOISIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

VII.

MONTISPESSULANI — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Soulas Sacerdotis et Missionarii, Institutoris Congregationis Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum.

Quod doctor gentium Paulus apostolus divino spiritu afflatus et Christi amore incensus intime sentiebat exclamans: « Charitas Christi urget nos »; id mirifice experti sunt iusti et sancti sacerdotes, qui ad tuendam ac propagandam fidem catholicam sacris missionibus sedulo incumbentes, in salutem animarum corporumque bonum etiam Ordinum et Congregationum Fundatores extiterunt. Inter hos merito accensetur Servus Dei Andreas Soulas, sacerdos missionarius et Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum Institutor.

Ortus die XXV Februarii anno MDCCCVIII in pago *Viols-le-Fort*, dioeceseos Montispessulani, a parentibus Antonio et Maria Caizergues virtute praestantibus, fere cum lacte pietatem hausit. Puer non puerilia amplexus est, sed animum corpusque ad aspera et ardua sustinenda disposuit. Templa Dei frequentare atque aequales, praesertim pauperes, cibo vestibusque reficere et de Deo alloqui in deliciis habebat. Inde prima vocationis ecclesiasticae indicia, quae aucta fuere cum ad sacram synaxim primitus accessit, et

sacramento confirmationis roboratus fuit. Litterarum elementa a Curione oppidi studiose diligenterque didicit. Deo favente, inter alumnos seminarii minoris cooptatus, non minus sodalium quam praeceptorum existimationem sibi conciliavit. Expleto litterario curriculo, ad superiores disciplinas gradum faciens, seminarium maius ingressus est; ubi ampliora virtutis et doctrinae cepit incrementa. Illud memorare iuvat, quod quum illi obtigisset, iuxta morem, inter prandium concionare, tanta vi tantoque sensu de aeterno supplicio ad impios scelestosque puniendos parato disseruit, ut sodales, magistri et ipse praeses, intermisso prandio, vim lacrymarum effuderint: inde coniicientes Servum Dei ad sacras missiones fore addicendum cum magna populorum spirituali utilitate. Interim concredita sunt ei munia tum magistri catechismi pueris in templo urbis principe, tum concionatoris in pia domo ad puerperas sublevandas erecta, tum denique praefecti in maioribus feriis a studiis ad alumnos convocandos, dirigendos piisque exercitiis fovendos; quae charitatis officia ex obedientia suscepta solerter obivit. Clericali tonsura initiatus atque ad ordines minores et subdiaconatus iam promotus, die XVII Martii an. MDCCCXXXV Carcassonae diaconus ordinatus est; eodemque anno sacerdotio auctus, die XIII Iunii, Nemausi primum sacrum devotissime fecit. Hoc illi fuit magnum virtutis incitamentum, quo insignia quidem sed ardua sibi proponere et imitari exempla satagebat. Quum Episcopus dioecesanus Servum Dei ad sacras expeditiones apud exteros inclinatum videret, ut saltem per aliquod temporis spatium tam digno sacerdote frueretur cum sui gregis emolumento, prius in parochum oppidi *Salvetat*, dein in curionem ipsius Cathedralis Ecclesiae Montispessulanae elegit ac nominavit. Praepositus ad sacra in valetudinario eiusdem civitatis, consilio et opere, aegrotis maxime profuit. Adscriptus ab ipso Episcopo sacerdotum missionariorum coetui dioecesano, qui iam ab anno MDCCCXXII existebat, ad nutum sui Praesulis dioeceseos loca semel iterumque perlustravit. De divina gloria deque animarum salute sollicitus nunquam sibi pepercit; quin imo, rogantibus Episcopis, etiam extra fines dioeceseos suae charitatis spatia dilatavit. Cives et advenae confluebant turmatim ad Dei Servum audiendum et spiritu renovati praeclara pietatis signa ostendebant. Probe noscens pericula quibus foeminae obnoxiae sunt aeternae salutis amittendae, Andreas remedium excogitavit quo ipsae, in sodalitatem congregatae aegrotis curandis, operam darent. Mentem aperuit Episcopo qui, consilio precibusque adhibitis, rem probavit novumque Institutum, specialibus regulis anno MDCCCXLV munitum, sua auctoritate confirmavit. Binae tyrones eisque praeposita piissima virgo Virginia Montagnol de Cavillac, Andrea moderatore, sunt primitiae illius sodalitatis, quae, veluti granum sinapis in arborem succrescens, hodie Congregatio Sororum a Nostra Domina pro infirmis adiuvandis nuncupatur. Verum quamvis haec sodalitas praecipue in spiritualem sororum profectum et in aegrotantium bonum fuerit instituta, tamen, annuente Fundatore et approbante Episcopo, ad alia pia opera se extendit. Praeter puellas, quae parentibus orbatae religione atque arte agraria excoluntur, necnon infantes et lactentes qui, stipe comparata, materna cura sustentantur, adoratio Augustissimi Eucharistiae Sacramenti perpetuo peragitur, eiusque ineffabilis Christi amoris mysterium iugiter recolitur ac provehitur. Andreas unus superstes ex dioecesano missionariorum coetu, potiusquam novum sodalitium erigere, vetus instaurare censuit; atque opus, probante Episcopo, coepit feliciterque perfecit sub auspiciis SS.mi Sacramenti, secundisque civium suffragiis, qui Servum Dei et Missionarios, praesertim asiatica lue saeviente, uti christianae charitatis heroes collaudare non desinebant. Vertente anno MDCCCLVII, die XXIII Aprilis, sacellum, quod eidem SS.mo Eucharistiae Sacramento in perpetuum adorando, Servus Dei exstruxerat, sacris caeremoniis et habito ad astantes cum affectu et lacrymis congruente sermone lustrandum curavit; in eoque die subsequente XXV Sacrum piissime fecit, protractum extra morem, quasi sacello, altari et populo extremum vale diceret. Postridie enim huius diei sub vesperas quum e templo exiret, lethali morbo tentatus, suae peregrinationis finem sibi imminere sentiens, insueto animi gaudio ad patriam contendere visus est. Brevi aegritudine perdurante, sororum ac missionariorum adhuc curam egit, eorumque corda in fide, virtute et amore supernae patriae salutariter corroboravit. Tandem totius anteactae vitae confessione biduo ante peracta, sanctissimo Viatico refectus sacroque oleo inunctus, mente et ore Deum atque hominis novissima repetens, in osculo Domini terrestris itineris cursum placidissime consummavit die IV Maii. Sanctitatis fama quam Andreas virtutibus et Apostolicis laboribus sibi in vita comparaverat, post obitum omnium praeconio ingentique populi ad funus et ad sepulchrum concursu celebrata adeo floruit atque in dies increbuit, ut super ea Inquisitio Ordinaria in ecclesiastica Curia Montispessulani an. MDCCCXCVI-MDCCCXCIX instituta sit. Romam delata et Sacrorum Rituum Congregationi exhibita, obtenta dispensatione, die XII Augusti vertentis anni MCMIV, tum a lapsu integri decennii, tum ab interventu et voto Consultorum, instante R.mo D.no Alberto Battandier Protonotario Apostolico ad instar et huius Causae Postulatore, attentisque postulatoriis litteris plurium R.morum Sacrorum Antistitum, praeeunte R.mo D.no Francisco Maria Anatolio de Cabrières, Episcopo Montispessulano, necnon virorum ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, una cum Antistita generali Congregationis Sororum a Nostra Domina pro auxilio Infirmorum, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Franciscus Desideratus Matthieu, eiusdem Causae Ponens seu Relator, in Ordinariis Sacrae Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis, sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio Introductionis Causae praedicti Servi Dei in casu et ad effectum de quo agitur* ». Porro E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Cardinalis Ponentis, audito etiam voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde Sanctae Fidei Promotore, rescribere censuerunt: « *Affirmative, sive signandam esse Commissionem si Sanctissimo placuerit* ». Die 29 Novembris 1904.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatione, Sanctitas Sua sententiam Sacrae eiusdem Congregationis ratam habens Commissionem Introductionis Causae beatificationis et canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Soulas, sacerdotis et missionarii, institutoris Sororum a Nostra Domina pro auxilio Infirmorum, signare dignata est, die 14 Decembris eodem anno.

L. ✠ S. A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praefectus.*

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secr.*

INFORMATIO

SUPER DUBIO

An sit signanda Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

E.me ac R.me Domine,

1. Inter tot Evangelii praecones, qui ut divinae charitatis ignem et coelestis sapientiae lucem inter homines proferrent, ardua quaeque suscipere non dubitarunt, porro Andreas Soulas recensendus est. Iamvero, ob praeclaras virtutes et gloriosa facinora, perfectissime illo munere perfunctus est, quod Christus Iesus Apostolis detulit: *euntes docete omnes gentes* idemque illud plane explevit, quod etiam Christus praecepit: *diligite vos invicem sicut ego dilexi vos.* Etenim apostolicum exorsus ministerium, in eo multorum hominum animos gerens, usque ad obitum infractus perstitit, ita ut prope miraculum habitum fuerit tantam tamque diuturnam contentionem ipsum unum ferre potuisse. Atque illius divinissimi ministerii participes et socios quam plurimos adiunxit, cum sacris missionibus obeundis Sacerdotum coetum omnino restituisset, quem olim Montispessulani Praesules constituerant, illa aetate, ob temporum acerbitatem, fere dissolutum. Idque eo maxime consilio Dei Servus egit, ut Dioecesano Episcopo in dominica excolenda vinea expeditus operariorum manipulus praesto foret, quibus non aliud nisi obedientiae vexillum reliquit commendavitque, exemplo praesertim suo. Praeterea cum aliorum miseriis altissime tangeretur, sibique nihil optatius accideret, quam vitam proximorum saluti impendere, sororum sodalitatem instituit, quae aegrotis, infantibus lacte alendis, tum denique puellis, quae parentibus orbatae essent, solertissimam darent operam: unde uberrimi fructus in christianam rempublicam dimanarunt. Quibus de rebus praeclare probatum est quantum de civili societate benemeriti catholici sacerdotes sint, quos homines huius recentioris aetatis, novam iactantes charitatis speciem evangelicae sufficiendam, pauperum patrimonium ausu rapacissimo subvertunt, dum interea in Christi sacerdotes calumnias effundere sacrilego ore et calamo adnituntur. Merito igitur Andreae Soulas causa de coelestibus honoribus ineundis apud hunc amplissimum Ordinem agi coepta est, cuius sanctitatis fama, dum ille vixit, inter omnes viguit: mortuo autem, adeo brevi temporis spatio, aucta fuit et augetur in dies, ut iure ex divino afflatu et alto virtutum apparatu repeti possit. Liceat igitur eius imaginem quodammodo exhibere atque ante omnia eius vitae cursum et rationem in pauca conferre.

2. Natus est Dei Servus in oppido, quod vulgo *Viols-le-Fort* appellant, intra fines Montispessulanae Dioeceseos, die XXV Februarii anno r. s. MDCCCVIII. Parentes habuit parum divitiis, multum virtute praestantes. Domesticos inter parietes mature hausit pietatem, quam explicuit morum innocentia enixoque studio, quo fervidam cohibuit indolem. Puerilibus amotis ludis, templa celebrare summopere delectabatur, corpus innocentissimum diris afflictare, cibos cum pauperibus partiri, eosque sibi demptis vestibus operire, aequales congregare ac de Deo tanta suavitate alloqui, quantum cuique vix credibile est. Itaque cum omnes puer in sui admirationem traduceret, eum curio oppidi magna benevolentia complexus est idemque diligentissime cavit ne illa prima pietatis indicia temporis lapsu inarescerent. Qua de causa puerum piis sermonibus excolebat: uberrimique fructus referebantur, quum ille sacerdotii olim ineundi desiderio vehementissimo iam exinde teneretur. Sacro confirmationis chrismate inunctus est et ad sacram Angelorum mensam tanto animi ardore primitus accessit ut, maioris perfectionis stimulis additis, sanctus apud aequales haberetur et esset. Multi etiam fuere, iique provectae aetatis, qui se enixe eius precibus commendabant. Nec frustra: nam quum olim humus, ob diu denegatam pluviam exaresceret, eius rogatu, repente imber saluberrimus impetratus est.

3. Prima litterarum elementa apud curionem oppidi didicit: cum vero parentes in summis rei familiaris difficultatibus versarentur, maximopere dolebant quod assequi non poterant ut puer in seminarium admitteretur, cuius desiderio ille flagrabat. Quapropter saepius Dei Servus Deiparam exorabat, ut quod coeperat consilium quam erat sanctum, tam etiam esset auspicatum, illud obtestans se vel solivagam coenobitarum vitam in recessu montium sequi paratum esse. Tandem, bene favente Deo, voti compos factus est tantamque exinde hausit laetitiam, quantam antea nunquam. Inter sacrorum alumnos cooptatus, nihil potius habuit quam ad perfectam cumulatamque virtutem assequendam totis viribus contendere. Brevi omnium existimationem conciliavit sibi tum sodalium tum praeceptorum, quorum sub oculis futurae sanctitatis argumenta quotidie versabantur. Mulcebat animos insueta de rebus coelestibus disserendi vis et mirabantur omnes naturalem instinctum ad concionandum, quasi futuris animarum proventibus et sacrarum missionum apostolico ministerio proluderet.

4. Curriculum studiorum emensus, quae in minori Seminario constituta erant, maiori Seminario exceptus est. Ibi religiosae vitae rationes ab ineunte aetate susceptas non modo servavit, sed coluit et auxit ita ut omnium discipulorum exemplar praedicaretur. Id temporis probatissima consuetudo vigebat, qua inter prandendum alumni sacris concionibus exercerentur, eoque more nihil optatius Dei Servo contingere poterat. Quae vis ei oranti inesset: quae rationum momenta: qui divinarum rerum sensus: qui lucidus ordo, ex eo coniectes quod, de aeterna sceleratorum poena quondam dicere aggressus, tum alumni, tum praeceptores, intermisso prandio, vehementer ad lacrymas essent commoti. Seminarii praeses longe de eo in posterum prospiciens, *hic* (inquit) *talis se praebet, qualis olim ad sacras missiones adhibitus, multos collegerit manipulos animarum.*

5. Hinc ne mireris quod saepe ei munera gravis ponderis concredita sunt. In primis iussus est elementa christianae fidei pueris in templo urbis principe tradere, quo se ad panem Angelorum primitus sumendum rite pararent. Qua in re communi omnium expectationi respondit: non modo enim mirum in modum tenellos puerorum animos ad pietatem effingebat, sed etiam eorum benevolentia et gratia maximopere afficiebatur. Olim, quum Episcopus ei sacros ordines impertiret, frequens puerorum turba caeremoniae intererat: eorum precibus Dei Servus se enixe commendavit: qui concorde elataque voce, « *nos pro te orabimus* (inquierunt), *quem de sacerdotio bene meritum fore pro certo scimus* ». Seminarii moderatores quum eum gloriae divinae augendae desiderio aestuantem cernerent, optimo quidem consilio constituerunt ut domum, puerperis inopia laborantibus sublevandis conditam, pietatis exercitiis excoleret. Quamvis prae humilitate invitus, cessit atque huic ministerio magna cum laude et omnium probatione incubuit. Menses, quibus alumni a studiis feriari solebant, is in charitatis operibus insumebat, praesertim in aequalibus congregandis, quos de Deo ac rebus coelestibus erudire consueverat. In animis Christo lucrandis cupiditate inexplebili flagrabat, multaque pietatis exercitia, quae id temporis Dei Servus instituit, usque adhuc integra constituerunt.

6. Quum ita se ad sacerdotium ineundum comparasset, in urbe vulgo *Carcassonne* diaconatum suscepit, donec die XIII Iunii an. MDCCCXXXV Nemausi rei primum divinae

operatus est: huic rite peragendo mysterio ab omnium oculis et consuetudine remotus se opportunis exercitationibus accinxerat. Hinc illi vehemens ad virtutem contentio, hinc acrius ad divina studium. Quae in virorum virtute praestantium vitis insignia et ardua cognovit, ea sibi ad imitandum selegit inque sua vivendi ratione referre conatus est. Verum prae primis cum iam a puero ad evangelii lucem inter infideles proferendam se trahi sentiret, sacris missionibus apud exteras gentes obeundis animum appulit. At eius votis Episcopus intercessit, qui aegre ferens tanto viro carere, eum variis muneribus multo cum animarum emolumento in sua dioecesi exercuit. Itaque primum cuiusdam oppidi, cuius nomen *Salvetat*, altis inditi rupibus, Dei Servum parochum elegit: quo in munere, cum Dioecesani Praesulis expectationi satis superque respondisset, curio in templo principe Montis pessulani, deinde vero a sacris in valetudinario eiusdem urbis creatus est. Andreas animae magnae prodigus nulla re aegrotantibus defuit: non laboris mole, non assidua contentione fractus. Difficile dictu est, quot depositae spei homines, quos foedae conscientiae labes modo in furorem agebant, elutis apud eum criminibus, sancta morte pessimam vitam expiarunt.

7. Sapienti profecto consilio iamdiu in Montispessulana Dioecesi quorumdam Sacerdotum ordo sacris missionibus peragendis constitutus erat, qui Praesulis iussu, per urbes late et oppida pro dioeceseos necessitatibus expatiaretur. Gratissimus Dei Servo illuxit dies, quum, omni alio munere abdicato, huic coetui ab Episcopo adscriptus est. Aspera quaeque loca evangelizando excurrit, neque unquam pepercit sibi ut fidei rudimentis minuta plebs imbueretur. Ab uno ad alium discedebat vicum, diu noctuque, sereno coelo vel saeviente imbre, unice de animarum salute sollicitus. Omnes latissimae dioeceseos partes non semel, sed iterum iterumque lustravit et *Boissoron, Fabrègues, Castelnau, Mèze, Agde, Pérols, St-Geniez, Vendres, Mangnio, Vérune, Marseillan, Sainte-Ursule, Pézeneis, Palavas, Magalas, Bédarieux, St-Maurice, Montpeyroux l'Adisse, Cette, Ste-Eulalie, St-Charles, St-Mathieu, Ste-Anne et St-Roch à Montpellier, Servian* aliaque minora oppida aliaeque paroeciae campus uberrimus patuerunt, in quo dilatavit spatia charitatis et multos collegit manipulos animarum.

8. Neque tantum charitatis suae ardorem intra fines Montispessulanae dioeceseos continuit. Etenim, Episcoporum rogatu, qui fructus illarum missionum admirabantur, alia loca quam plurima apostolicis sudoribus irrigavit. Praeter has, quas diximus occupationes, aliam sibi sumpsit et laboris immodici. Nam virginum coenobia saepe saepius sacris exercitiis excolere iussus est, quo in opere, etsi humilitatis causa invitus accederet (dicebat enim se vix factum esse ad plebeculam erudiendam), omnium avidae expectationi respondit. Caeterum eius concionum ardori nemo obsistere poterat; ideoque oppida ab eo exculta se alia demirata sunt: impia in Deum dicta obticuerunt: mysteria divina frequentius obita; supplicationes per compita significatione pietatis eximia deductae: odia posita: iurgiorum semina extincta; religio in novam veluti lucem emersa. Populi, missa operum suorum cura, ad Dei Servum concionantem turmatim confluebant atque ob succrescentem frequentiam e templi septis foras conciones efferebantur.

9. Nec vero haec, quamvis immania, inexplebili charitati eius satis erant. Etenim, cum iamdiu famularum spirituali profectui operam daret, secum ipse reputabat quanta miseria, quantisque periculis aeternae salutis amittendae hoc mulierum genus premeretur idemque remedium excogitare incoeperat, quod admodum ex usu rerum praesentium esset. Dum anno 1844 in oppido *Grabels* prope Montem Pessulanum, mense Septembri, sacris concionibus populum excolebat, interea ad sodalitatem condendam magis magisque se trahi sensit, qua famulae exciperentur atque aegrotis curandis se dederent. Subito mentem suam Episcopo aperuit, qui maturo consilio et precibus adhibitis, rem probavit et auxit. Regulae conscriptae anno 1845 ipsa episcopali auctoritate confirmatae sunt: subito duae tirunculae admissae, quibus antistita Virginia Montagnol de Cazillac, virgo innocentissima, fere divinitus data est: sic, humilibus incoeptis, Congregatio sororum a Nostra Domina pro infirmis adiuvandis initium suscepit, quam paulo post, protegente Deo, mirum in modum crevit. Verum haec Dei Servi instituentis certa voluntas fuit ut in curandis infirmis sorores eos praecipue deligerent, qui graviori miseria laborarent et sic corporibus darent operam ut maiorem darent animabus: secundo vero ut puellarum, quae parentibus essent orbatae, curam haberent earumque ineuntem aetatem ad religionis rite obeunda munia et ad agrorum culturam ductarent: tertio denique eo sorores ex instituto spectarent ut, opportunis comparatis subsidiis, infantes lacte alerentur, quibus matres, ob infirmitatem, aut labores, studium navare non possent.

10. Huiusmodi institutum temporum necessitatibus obeundis mirum in modum respondit: ideoque secundis civium suffragiis acceptum est. — Tanta, brevi, huic Congregationi accessio nominis facta est, ut late excitari asceteria complura multis in locis peteretur. Quo magis vero virtutis christianae ardor in sororibus servaretur, non modo eas opportunis Dei Servus regebat monitis, sed eo etiam contendit ut augustissimo Sacramento perpetuo adorando insisterent idque potiorem Regularum partem esse constituit. Neque tantum inter sorores hoc piissimum erga SSmam Eucharistiam exercitium, sed etiam inter Montispessulanos provexit. Qua de causa, publica corrogata stipe, SSmi Sacramenti honori sacellum erigendum curavit neque, etsi malevoli multa excitarent obstacula, unquam quievit, donec voti compos omnino factus est.

11. Cum tanta charitate flagraret, eo etiam spectavit ne sacrarum missionum opus, quod tam fructuosum in ruribus expertus erat, temporis lapsu minueret. Iam anno 1822 Montispessulanus Episcopus ad rem quemdam Sacerdotum coetum instituerat. Sed ex iis nonnisi unus Dei Servus reliquus erat. Is autem non novam sodalitatem condere cogitabat, sed priorem instaurare atque ad suum certum opus revocare. Ubi primum cum Episcopo consilium communicavit, non modo hic toto animo eius postulatis adquievit, sed auxilium promisit atque ipsum Dei Servum instaurandae Congregationi praefecit. Res ex animi sententia omnino cessit. Sub auspiciis enim SSmi Sacramenti positum, tale institutum ad perpetuitatem revixit, quale Dei Servus conceperat et non modo uberrimos fructus tulit, sed, asiatica lue insaeviente, sacerdotes illi summa charitatis laude excelluerunt.

12. Caeterum in tanto laborum cursu nunquam a se oculos Dei Servus dimovit: si quid otii ab animorum cultura vacaret, statim ad coelestia conferebat: hinc recens et integer ad conserendam atque educendam evangelii messem sese conferebat. Quapropter adeo secunda fama percrebuerat ut sanctus apud omnes haberetur et esset. His itaque virtutibus ornatus cum esset, cum tot labores pro divina gloria et salute animarum tolerasset ac coelum iam maturus respiceret, eo tandem evocatus est mense Maio, anno 1857. — Fama, quae illum vivum comitata fuerat, post obitum nulla ex parte minuta est eamque Deus prodigiis innumeris confirmavit.

De heroica fide.

13. Si quis eximiam habet fidem, id duplici modo ostendit, tum ea instituta animo et mente fovens, quae ex Christi et Ecclesiae catholicae iussu tenere iubemur: tum ea bona edens opera, quae ex fide manant, iuxta illud: *fides sine operibus mortua* (1). Utroque munere mirum in modum Dei Servus perfunctus est.

14. Divina mysteria, quae christianae religionis tamquam caput et fundamentum sunt, Andreae menti penitus insidebant, eademque, ab humano consortio seiunctus, saepe ipse dulcissime contemplabatur. Sic cum coelestia animo coleret, summa concitatione et doctrina Christifidelibus mysteria exponebat ita vero ut audientes maximopere commoverentur. Porro, etsi eloquentia multum praestaret, haud parum emolumenti eius concionibus accedebat ex fidei virtute, qua totus intus occupabatur. Verba insolito quodam ardore flagrabant et tamquam sagittae audientium animos pervadebant: unde haud raro lacrymis temperare non poterant. Omnia vel peccatis diu obdurata pectora solvebat et multi fuere, qui eius auditis concionibus, in religiosum coetum abditi, reliquum vitae tempus rigida carnis maceratione transegerunt. Quae magna fructuum copia omnino « *venait* « *de la profonde conviction des vérités de la foi dont il* « *était pénétré* ».

15. Verum ita natura comparati sumus ut si quid magnum animo volvimus, id saepe ore et verbis erumpat: praeclarum enim est illud: *ex abundantia cordis os loquitur*. Quoniam Dei Servi animum ardor fidei prorsus possidebat, terrena omnia ei insuavia: superna tantum sapiebant et quotidiano sermone ab eo usurpabantur: siquidem « ne parlait jamais dans ses conversations des choses du « monde, mais toujours de ce qui avait rapport à la vertu « et au service de Dieu ». Quam piam consuetudinem ab ineunte aetate suscepit: aequalibus enim congregatis per summam fidem loquebatur et in subsicivis otiis gaudebat se apud oppidi curionem christianae legis praeceptis erudiri. « Son esprit de foi était tel, que ses petits camarades l'appelaient déjà le Saint ». Interdum quoque, cum impetum fidei continere non posset, interiori fervori laxatis habenis, flores, agros, campos ad Deum amandum compellebat « di« sant qu'elles obéissaient à Dieu, tandis que les hommes « étaient des ingrats ». Eo mentis ardore de Deo loquebatur perinde ac si ipsum oculis cerneret. Nec modo de Deo: versabatur enim ante oculos assidua cogitatio animarum, quae, corpore solutae, expiatorio igne cruciantur: eisque Deum volentem propitium invocabat. At omnium maxime aeterna impiorum supplicia eius terrebant animum: ideoque non solum de sceleratorum sede ac regione publice concionabatur, sed haud raro, remotis arbitris, manum igni imponebat ut cruciatus experiretur. « *Si ignem istum* (inquiebat), « *qui sane terrenus est, sustinere nequeo, quomodo feram* « *ignem illum, qui aeternus est?* »

16. Tam fervidos fidei sensus adsidue orandi studium praeter modum augebat. Neque negotia, neque itinera, neque morbi impedimento erant quin oraret. Sentiebat enim hominem, qui a precibus fundendis abhorret, corpori vita functo iure comparari posse, ita ut, deficientibus precibus, perfectioris vitae fastigium se assequi omnino desperet. Quamdiu Dei Servus vixit, tamdiu oravit: cum adhuc tenera esset aetate, tempus, quod aequales in nugis et crepundiis insumebant, ipse in templis inter orandum transigere delectabatur: heic in rerum divinarum commentationem se totum abdebat: coelestia retractabat; heic Dei laudes canentibus sese immiscebat. Profecto tales pietatis sensus, cives fugere non poterant: qui cum iam exinde puerum sanctum putarent, eius precibus se enixe commendabant. Olim iamdudum agri siccitate laborabant et frustra adhuc divinam opem Montispessulani invocaverant, quae imbre sitientem humum reficeret. Quid? communi voto, pueri preces expetuntur: qui, cum diu propter humilitatem recusasset, tandem sodalibus ad se accitis, tanta Deum fide precatus est ut illico pluvia divinitus data sit. Quem orandi habitum, succrescente aetate, nunquam dimisit. Preces enim solidas horas immotus fundebat, oculis in coelum sublatis, « comme « s'il était indifférent à tout ce qui pouvait se passer autour « de lui ». Formulas ipsas precum, sororibus adhibendas, effusas inter lacrymas et genibus flexis composuit: quod quantum ad vivam fidem demonstrandam conferat, nemo est qui non novit.

(1) Iacob. 2, 17, 20.

17. Exprimendis animi sensibus verba non suppetunt quo amore Christum patientem Dei Servus sit prosequutus. Vulnera enim Iesu, qui e daemonis servitute humanum genus redemit, penitus Andreae menti haerebant eaque diuturna cogitatione meditabatur. Nihil vero, quantum in se situm erat, praetermisit ut alii quoque totos se ad divinum redemptionis pretium suspiciendum converterent. Hinc faciles stimuli fidei manabant, quibus ad mysticum Eucharistiae Sacramentum se trahi Dei Servus sentiebat. Porro duabus de causis Eucharistia a Christo Domino fuit instituta: altera ut coeleste animae alimentum esset, quo vitam spiritualem tueri et conservare possemus; altera ut Ecclesia perpetuum haberet sacrificium, quo peccata nostra expiarentur et coelestis Pater, sceleribus hominum graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traduceretur. Hunc duplicem finem Servus Dei semper spectavit.

18. Enimvero a teneris annis domum e litterarum palaestra rediens, nunquam ingressus est quin antea Sacramentum adivisset. Quae fides, aetate confirmata, firmior evasit: etenim « *on aurait dit que son cœur était une* « *fournaise ardente par l'amour de Jésus-Christ dans le* « *Sacrement de l'autel* ». De Sacramento eo ardore loquebatur perinde ac si Iesus coram praesens sibi adesset: solidas noctes in templis adorando traducere consueverat et si interdum alicuius rei necessitate premebatur, illico ad Tabernaculum accedens, iterum iterumque pulsabat et opem referebat acceptam. Verum non longe aberraret si quis dixerit saepe Dei Servum divina Christi Iesu specie fuisse beatum: quadam enim nocte, inter orandum ante aram maximam in templo haec dicere auditus est: « *Cachez-vous,* « *mon Dieu, cachez-vous; mon cœur saura toujours vous* « *découvrir* ». Quid? olim Montispessulanus Episcopus pro suggestu populum alloquens, post concionem a Servo Dei habitam, illud publice de eo affirmare non dubitavit: « *Jamais* « *je n'ai entendu parler si bien sur l'Eucharistie. Au reste,* « *cet homme, que vous avez entendu, a vu un jour la* « *Sainte Hostie se transformer dans ses mains et prendre* « *la forme d'un petit enfant. Rien d'étonnant qu'il ait* « *parlé sur l'Eucharistie avec autant de foi et d'amour* ».

19. Caeterum, cum sacris ordinibus initiatus primitus tabernaculum aperuit, totus tremere visus est: quod idem eveniebat siquando Christifidelibus Angelorum epulas impertiretur. Sacris, nonnisi magnam vim lacrymarum effundens, operabatur. Adspectus eius tunc fere divinus. Interrogatus olim cur sacrum celebrans lacrymis abstinere non posset, « *après la consécration* (inquit), *je sens de tels élans* « *d'amour, que je ne puis contenir mes larmes* ». Quo melius gratias, post sacrum celebratum, ageret Deo, precatoriam formulam composuit, ex qua fides mirum in modum elucet. Qui cum Servo Dei usi sunt, narrant: « On entendait

« le Père Soulas parler à Notre-Seigneur dans le Saint Sa« crement comme s'il l'avait vu en réalité ». Et cum animo ille reputaret secum quam male homines tantam charitatem rependerent, sic conficiebatur lacrimis ut tantum dolorem ferre non posse videretur. Domi morbo detentus, iaculatoriis precibus ardentem fidem in Sacramentum augustissimum exprimebat. Olim aderant Sorores, quae elata voce precatorias formulas recitabant. Tunc ipse in uberes lacrymas erupit adeo ut omnes putarent eum acriter corporis cruciatibus devexari: at « *Ce n'est pas pour cela que je pleure* « (inquit); *mais parce que je déplore l'ingratitude des* « *hommes envers l'amour de Jésus-Christ pour eux* ». Ex fide praeterea nomen repetendum est, quo Montispessulanae dioeceseos Missionarios appellari voluit. Ad fidem opus Perpetuae Adorationis referri debet acceptum. Etenim: « Il « voulait que les Sœurs garde-malades pussent adorer le « Saint Sacrement et que les personnes pieuses de bonne « volonté pussent jouir de la même faveur ». Brevi temporis spatio, confertissima hominum multitudo sodalitio Perpetuae Adorationis nomen dedit: « Bientôt 1500 adorateurs, hommes « ou femmes furent inscrits ». Conciones, quas habere consueverat, cum charitatem suavissimam redolerent, innumeros Christifideles ad templum trahebant ac « Tous les soirs, « l'affluence des fidèles était telle, que plusieurs ne trou« vaient pas de place ». Quod porro eximiae Servi Dei fidei prorsus tribuendum est.

(Prosequendum)

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Plures in eadem Ecclesia constitui possunt Congregationes saecularis III Ordinis S. Francisci, propter diversas Sodalium nationes.

Beatissime Pater,

Minister Provincialis Ordinis Fratrum Minorum, in regulari Provincia Immaculatae Conceptionis apud Rempublicam Brasiliensem commorantium, praevio sacrorum pedum osculo, humillime Sanctitati Tuae exponit, apud unam eamdemque Ecclesiam Conventui Fratrum Minorum adnexam, et maxime, in Dioecesi Curitybensi, exstare quatuor Congregationes, vel plures pauciores, Tertii Ordinis Saecularis Sancti Francisci, propter diversas Sodalium nationes, ita ut unaquaeque habeat suos ab invicem independentes officiales, proprios coetus, sub proprio Directore spirituali. Inde quaerit:

I. — Utrum liceat eiusmodi diversas Congregationes in una eademque Ecclesia, sive in iisdem sive in diversis Ecclesiae Cappellis, habere?

II. — Utrum sic Indulgentias lucrari valeant Confratres, qui ad diversas eiusmodi pertinent Congregationes?

Et Deus, etc.

Sacra Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita declarat: Nihil obstare, quominus Sodalium Tertii Ordinis Saecularis Sancti Francisci Congregationes constituantur, prout exponitur, simulque gaudeant Indulgentiis aliisque spiritualibus gratiis et privilegiis ipsis concessis.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 8 Martii 1905.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI,
Substitutus.

L. ✠ S.

II.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus precem ad obtinendam rectam electionem proprii status.

Beatissimo Padre,

Enrico Radaeli, S. I., Direttore spirituale del Pontificio Collegio Leonino di Anagni, prostrato ai piedi della S. V., umilmente implora a favore di tutti coloro che reciteranno la infrascritta preghiera del P. de Doss, per la buona scelta dello stato, l'indulgenza di trecento giorni una volta al giorno, e la plenaria se, dopo averla recitata per lo spazio d'una novena, in uno dei nove giorni si accosteranno ai SS. Sacramenti della confessione e della comunione; supplica inoltre che le predette indulgenze siano applicabili alle anime purganti.

PREGHIERA PER OTTENERE UNA BUONA SCELTA DELLO STATO.

« O mio Dio, Tu che sei il Dio della sapienza e del consiglio, Tu che leggi nel mio cuore la retta volontà di piacere a Te solo, ed anche regolarmi, riguardo alla mia scelta dello stato, conforme in tutto ai tuoi santissimi desideri; concedimi per l'intercessione della SS.ma Vergine, Madre mia, e de' miei Santi protettori, specialmente di S. Giuseppe e di S. Luigi Gonzaga, la grazia di conoscere quale stato io devo prendere, e di abbracciarlo, conosciuto, affinchè io possa cercare ed accrescere in esso la tua gloria, operare la mia salute e meritarmi quel premio celeste, che Tu hai promesso agli esecutori del tuo divino volere. — Amen ».

Devote recitantibus hanc precem, 300 dierum indulgentiam concedimus semel in die lucrandam.

Die 2 mensis Marialis an. 1905.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Cong.ni Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congr., die 6 Maii 1905.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

Decretum de Indulgentiis lucrandis in Sacellis sive publicis sive semi-publicis Tertiariorum in Communitate viventium et vota simplicia nuncupantium.

Quum per Decretum Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sub die 28 Augusti 1903 (1), concessum sit, ut Tertiariorum Ecclesiae iisdem Indulgentiis gaudeant, quibus Ecclesiae respectivi primi et secundi Or-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. XI, p. 489.

dinis fruuntur, quaesitum est ab hac Sacra Congregatione:

« Num quando agitur de lucrandis praefatis Indulgentiis sub nomine *Ecclesiae* Tertiariorum veniant non solum Oratoria publica, sed etiam semipublica, in quibus, ex Decreto Sacrae Rituum Congregationis, diei 23 Ianuarii 1899(1), non modo qui sunt de Communitate, sed alii etiam Christifideles satisfacere queunt diebus festis praecepto audiendi Sacrum? ».

Et Sacra Congregatio, audito etiam Consultorum voto, respondendum mandavit:

« Negative; et supplicandum Sanctissimo, ut benigne extendere dignetur etiam ad Oratoria semipublica Tertiariorum privilegium lucrandi Indulgentias, de quibus, in casu, sed favore tantum eorumdem Tertiariorum caeterarumque personarum cum ipsis in Communitate degentium (2) ».

De quibus facta relatione Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, in Audientia habita die 22 Martii 1905, ab infrascripto Cardinali Praefecto, eadem Sanctitas Sua resolutionem Sacrae Congregationis benigne confirmavit, simulque petitam extensionem concessit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 22 Martii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VII, p. 22.

(2) Rescriptum tamen istud minime censetur pro Oratoriis semipublicis suffragari, si Ecclesia vel Oratorium publicum Domibus Tertii Ordinis Regularis adnexa reperiatur; et his etiam deficientibus, pro uno Oratorio tantum seu principali favet, in quo et solae Tertii Coetus regularis quorumcumque Ordinum Personae vel Alumni et contubernales, ne religiosa unquam disciplina laedatur, Indulgentias Ecclesiarum respectivi I ac II Ordinis proprias valent obtinere. *(Ex Actis Ord. Min.)*

IV.

URBIS ET ORBIS. — DECRETUM.

Sodalibus Sancti et Immaculati Cordis Mariae, sive publice sive privatim, pium exercitium peragentibus, indulgentiae conceduntur semel in mense.

Plures extant per Catholicum Orbem diffusae piae sodalitates sub titulo sancti et immaculati Cordis Mariae, quae peculiarem finem sibi praestituunt, deprecandi Beatam Virginem pro conversione peccatorum. Immo apud quasdam earum etiam laudabilis praxis inolevit semel in mense coadunandi Christifideles in propriam ecclesiam vel publicum oratorium, ut per unius horae spatium ferventiores effundant preces Deiparae Virgini ad eundem finem instantius assequendum. Cui quidem pietatis exercitio magis fovendo s. m. Pius IX indulgentias, tum plenarias, tum partiales per Apostolicas Literas datas sub die 12 Maii 1876 adnexuit.

Modo vero ad religionis incrementum et ad animarum salutem validius obtinendam SSmo Dno N.ro Pio Papae X, preces humillime porrectae sunt, ut ad praefatum pium exercitium, sive publice in ecclesiis illud locum habeat, sive privatim a quolibet ex Christifidelibus peragatur, easdem indulgentias benigne extendere dignetur.

Porro Sanctitas Sua, cui nihil potius est, quam ut Christifideles, opitulante immaculata Virgine Dei Matre, a Divina Bonitate obtineant, ut homines e via perditionis ad salutis tramitem reducantur, has preces peramanter excepit, et in Audientia habita die 12 Aprilis 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, sequentes indulgentias semel in mense lucrandas, in perpetuum clementer elargita est, nimirum: 1° plenariam Christifidelibus, qui supramemorato exercitio in ecclesiis seu publicis oratoriis peracto iuxta methodum ab Ordinariis locorum approbandam devote adstiterint, vel etiam privatim eidem piis exercitationibus cuiusque arbitrio relictis vacaverint, simulque uno, quo cuique placeat, infra mensem die, rite confessi ac S. Synaxi refecti, in Ecclesia vel publico sacello iuxta mentem eiusdem Sanctitatis Suae oraverint; 2° septem annorum totidemque quadragenarum eisdem Christifidelibus si, corde saltem contriti, supradicta pietatis opera praestiterint. Quas indulgentias eadem Sanctitas Sua animabus igne Purgatorii detentis fore applicabiles declaravit. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis, die 14 Aprilis 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*
IOSEPHUS M. Cancus COSELLI, *Subst.*

E COMMISSIONE PONTIFICIA
PRO STUDIIS S. SCRIPTURAE PROVEHENDIS

Ordo periculi subeundi ad contendendum pro Prolytatus gradu in S. Scriptura hocce anno 1905, iuxta Rationem periclitandae doctrinae Candidatorum iam nuper editam (1).

1° *Periculum* habebitur in Aedibus Vaticanis, a die 5ª ad 10ᵃᵐ mensis Iunii.

2° In experimento quod *scripto* fit, exhibebitur:

Die 5 Iunii, feria IIª, ab ora 8ª a. m. ad horam 2ᵃᵐ p. m.: « *Specimen Exegeseos* ».

Die 6 Iunii, feria IIIª, ab hora 8ª ad 11ᵃᵐ a. m.: « *Specimen Historiae Biblicae* ».

Eodem die ab hora 4ª ad horam 7ᵃᵐ p. m.: « *Specimen Introductionis Glis et Specialis in S. Scripturam* ».

3° Experimentum *verbale* habebitur:

Die 7 Iunii, feria IVª, ab hora 8ª a. m. ad horam 11ᵃᵐ, et versabitur circa: *a) Introductionem Glem,* — *et b) Introductionem Specialem in S. Scripturam;* — *c) Historiam Biblicam;* — *d) Linguam Hebraicam;* — *e) Linguam Graecam.*

De mandato Pat. Suae Rmae
Fr. AUGUSTINUS MOLINI, O. F. M.
Subsecretarius.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 344.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XV. **Die 18 Septembris 1677.**

Leodien. — Iurisdictionis. — R. *Ad 1um. Quoad petita ad Rotam, interim manutenendus Ordinarius. Ad 2um. Ad Rotam et interim ordinis provideatur alia persona in vicarium dummodo non sit Philippus. Ad 3um. Affirmative. Ad 4um. Affirmative.*

Brasilien. — De Matrimonio. — R. *Clarius explicet, et D. Secret. Conc. cum D. Secretario Propag. ad mentem.*

Melphiten. — Clericatus. — R. *Affirmative.*

Asculana. — Participationis. — R. *Affirmative ad utrumque.*

Gedanen. — Matrimonii. — R. *Matrimonium fuisse nullum.*

Malacitana. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

Venafrana. — Iurispatronatus. — R. *Ad iudices suos.*

Venafrana. — Oblationum. — R. *Negative.*

48. **Brasilien. — De Matrimonio.**

Per S. Congregationem de Propaganda Fide petitur ab hac S. Congregatione declarare dubia infrascripta quae licet maiori facti dilucidatione indigerent, quia tamen agitur de provincia tanto a nobis dissita spatio, et clarior informatio non adest, ita prout iacet, EE. VV. perspicaciae subiicio.

Dubia proposita per fr. Martinum Nannensem, Capuccinum Missionarium in insula Ourcapa super flumina S. Francisci in Brasilia.

1um. An necesse sit manifestare statim Gentili decreta Concilii Tridentini super matrimoniis scilicet ut fiant proclamationes, iubereque sub censuris scientibus impedimenta, ea manifestare. Huius praecepti incapaces adhuc mihi videntur, sed interim Missionarius debet providere diligenter, ut cognoscat impedimenta, si quae sunt, hactenus sic usus sum, ne declaratio decreti foret in illis in ruinam, et an bene, dubito.

2um. An licitum sit ad tempus reticere aliqua impedimenta specialiter affinitatis ex copula illicita provenientis, provideat missionarius interim gentiles instruere ut ab omni fornicatione fugiant, praesertim cum consanguineis primi gradus illius, cum qua volunt nubere.

3um. Utrum in his terris, ubi violatio decreti non facit usum propter incolarum paucitatem et alterius ab altero distantiam necessarium sit, facere proclamationes pro captivis, de quibus certissime constat nullum habere impedimentum nec fit aliquis populi Conventus, ut impedimenta si quae sint, detegantur, cum multi contrahentes actu vivant in concubinatu, nec possint separari, quia sunt eiusdem patroni, qui eis quotidie opus habet, et sit evidens in dilatione periculum incontinentiae.

R. *Clarius explicet, et D. Secret. Concilii cum D. Secretario Prop. ad mentem.*

49. **Melphiten. — Clericatus.**

Alias 13 Septembris 1675, in una *Bituntina*, S. Congregatio censuit Clericos possessores beneficiorum tenuium infra summam ducatorum 60 auri de Camera teneri habitum, ac tonsuram clericalem deferre iuxta Constitutionem Cum sacrosanctam Sixti V la 92. At quia Clerici Melphitenses adhuc opponunt quod talis Constitutio revocata fuit ab alia eiusdem pontificis, incipien. Pastoralis, ex anno 1589, licet illa non videatur loqui de beneficiatis, sed de iis qui pensiones, fructus, aut praedia, vel bona ecclesiastica sibi reservata, et concessa percipiunt, etc, supplicat Episcopus declarari :

An possessores dd. beneficiorum tenuium ut supra, teneantur habitum, et tonsuram clericalem deferre, non obstante dicta Constitutione Pastoralis.

R. *Affirmative.*

50. **Asculana. — Participationis.**

Cum Subdiaconus irregularis ex defectu corporis, ac dispensatus ad ordines tantum, dubitaret, an esset admittendus ad participationem in Ecclesia receptitia, quasi hoc saperet naturam beneficii, pro quo non fuerat dispensatus, dictum fuit, audiendum esse Capitulum; datis igitur ad Episcopum litteris, capitulares pene omnes, in hoc conveniunt, quod Orator dum est civis, et inservit ecclesiae, non potest excludi a portione, quam civis in sacris constitutus solet percipere ex consuetudine ecclesiae; an vero obstet irregularitas, iudicio S. Congregationis submittunt. Reassumpto igitur folio diei 13 Martii prox. praeteriti, E.mi PP. non graventur decernere:

1um. An Orator uti subdiaconus et diaconus, sit capax solitae portionis absque alia dispensatione.

2um. An etiam uti Capellanus congruo tempore.

R. *Affirmative ad utrumque.*

51. **Gedanen. — Matrimonii.**

Proposito per libellum a SS.mo remissum dubio infrascripto 8 Maii prox. praet. dilata fuit resolutio, ut proponens magis distincte informaret. Nunc igitur addit, quod in loco matrimonii Concilium fuit publicatum ibidemque adest parochus catholicus. Iterum igitur instat decerni :

An matrimonium inter catholicum et haereticum contractum, non tamen coram parocho catholico, fuerit nullum.

R. *Matrimonium fuisse nullum.*

XVI. **Die 2 Octobris 1677.**

De Communione quotidiana et de domestica. — R. *Dilata et congregetur Congregatio pro hac tantum materia, et mittantur vota DD. Cardinalium de anno 1587.*

52. **De Communione quotidiana et de domestica.**

Quinam sint abusus, quid sentiant theologi per SS.mum D. N. ad scribendum deputati, iam satis abunde prospexerunt EE. VV., e scripturarum fasciculis per manus transmissis; quid autem resolvendum veniat, quid remedii adhi-

bendum urgente S. Sua, ab EE. VV. summa sapientia, zelo ac prudentia expectatur.

R. *Dilata et congregetur Congregatio pro hac tantum materia, et mittantur vota DD. Cardinalium de anno 1587.*

XVII. Die 5 Februarii 1678.

De Communione quotidiana et domestica. — R. . . . . .

53. De Communione quotidiana et domestica.

In Congregatione habita 2 Octobris 1677, censuerunt resolutionem differendam, et Congregandam Congregationem generalem pro hoc dumtaxat negotio. Ideo dignentur reassumere scripturas pro d.ª die transmissas, necnon votum in Causa *Brixien.* et instructionem a me propositam, et quod magis in Domino expedire iudicaverint decernere.

Quoniam vero materia huiusmodi tam gravis est et in exemplum traducenda, non graventur EE. PP. eorum nota subscripta afferre ut inter acta S. Congregationis prout in similibus consuevit possint referri.

Si placet dignentur etiam afferre folium S. Congregationis sub die 29 Ianuarii proximi praeteriti, pro resolvendis dubiis in eo propositis, quatenus tempus suppetat.

XVIII. Die 24 Septembris 1678.

Fiat Decretum mittendum per manus et confirmandum per Breve, et quoad communionem in Feria 6, parasceve curent Episcopi servari rubricas missalis, et usus Ecclesiae Romanae.

Baren. — Matrimonii. — R. *Matrimonium esse validum.*

Novarien. — Iubilationis. — R. *Ad 1um et 2um. Affirmative. Ad 3um. Non teneri. Ad 4um. Affirmative. Ad 5um. Negative. Ad 6um. Affirmative.*

Dubium. — Cognationis Spiritualis. — R. *Negative.*

Ruthenen. — Restitutionis in integrum. — R. *Affirmative.*

54. Novarien. — Iubilationis.

Duo canonici Collegiatae S. Gaudentii, anno 1675, impetrarunt per breve a s. m. Clemente X, indultum iubilationis sub tenore sequenti:

Cum sicut exponi fecisti tu, qui, ut asseris, in sexagesimo quinto aetatis constitutus, quadraginta, et amplius annorum spatio resederis, Nos tibi ut quoad vixeris a p.ta ecclesia abesse, ac interim omnia, et singula dictorum canonicatus et praebendae fructus, redditus, proventus, iura, obventiones, et emolumenta quaecumque, nec non distributiones etiam quotidianas, ordinarias et extraordinarias quomodolibet nuncupatas et in quibusvis rebus consistentes, ac undecumque provenientes ad te ratione dd. canonicatus et praebendae, si in eadem ecclesia personaliter resideres, ac divinis officiis, singulisque divinis et nocturnis horis assidue interesses spectari et pertinen., ac etiam solis praesentibus ac divinis officiis, ac horis p.tis assidue interessent manualiter quotidie praestari, ac per eos lucri fieri solita cum ea integritate percipere cum qua perciperes si personaliter residens libere, et licite possis, et valeas concedimus et indulgemus. Non obstante hac dictae ecclesiae etiam iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, consuetudinibus etc; volumus autem quod propter absentiam tuam huiusmodi canonicatus, et praebenda p.ti debitis non fraudentur obsequiis, sed illorum congruae supportentur onera consueta.

Verum quia statuta iurata dictae ecclesiae obligant canonicos ad cavendum quolibet anno de inserviendo per septem menses, sed non volunt, ut quisque per se, et non per alium septimanas in suo ordine obtingentes adimpleat; et quia d. Iubilati non male habebant, et erant apti servitio, nonnulli ex canonicis per libellum a SS.mo remissum, citata parte supplicant declarari:

1um. An suffragetur iubilatio in contemplationem t.m quadragenarii servitii obtenta.

2um. An sint exempti a facienda hebdomada in eorum turno obtingente.

3um. An possint hebdomadae satisfacere, substituendo alios canonicos residentes:

4um. An frui debeant emolumentis anniversariorum, quae fiunt infra annum, quamvis non assistant.

5um. An participent de iis anniversariis, aliisve emolumentis, quorum testatores solis praesentibus dari voluerunt, et absentium portiones applicaverunt sacristiae vel in alios effectus.

6um. An intelligatur derogatum statuto de danda fideiussione residendi per septem menses.

R. *Ad 1um et 2um. Affirmative. Ad 3um. Non teneri. Ad 4um. Affirmative. Ad 5um. Negative. Ad 6um. Affirmative.*

55. Dubium. — Cognationis Spiritualis.

N. infans ob imminens periculum fuit ab obstetrice domi baptizata, et deinde delata ad ecclesiam parochialem pro supplendis caeremoniis, et ibi nulla data notitia parocho, quod fuit domi baptizata, ipse parochus, seu alius sacerdos de eius licentia illam rite baptizavit, quam Melchior Martinellus, ignorans iam domi fuisse baptizatam, de Sacro fonte levavit. Nunc dictus Melchior, defuncto patre d. infantis, Magdalenam matrem in uxorem ducere intendit. Quaeritur:

An ipse Melchior contraxerit cognationem spiritualem cum dicta Magdalena, ita ut illam in uxorem ducere non possit absque dispensatione.

R. *Negative.*

ANALECTA VARIA

DE MARIA NUNQUAM SATIS

De quantitate gratiae Beatae Mariae Virginis

THEOLOGICA DISQUISITIO.

(Vide pag. 177 sq.).

I.

Caput II.

Rectus Sacrae Scripturae et Ecclesiae definitionum usus.

Si fontes, ex quibus valida argumenta pro alicuius theologicae theseos demonstratione deducere possumus, perpenderimus, primo loco inveniemus verbum Dei conscriptum, scilicet Sacram Scripturam, de qua dicitur (1): " *Quaecumque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt* ". Iamvero, quaeret quis, inveniturne quaestio, de qua agimus, in Textu inspirato contenta?

Re undequaque perpensa, unus tantum vel alter locus videretur favere sententiae quae tenet initialem Deiparae gratiam superasse gratiam consummatam omnium simul sanctorum et angelorum. Et primus quidem locus est ille Psalmi (2): " *Fundamenta eius in montibus sanctis* "; quae verba S. Gregorius interpretatur de Beatissima Virgine, dum ea commentans, ait (3): " *Mons quippe fuit* (Beata Virgo Maria), *quae omnem electae creaturae altitudinem electionis suae dignitate transcendit. Annon mons sublimis Maria, quae ut ad conceptionem aeterni Verbi pertingeret, meritorum verticem supra omnes angelorum choros usque ad solium Deitatis erexit?* " Alter locus est ex Isaia (4): " *Et erit in novissimis diebus praeparatus mons Domus Domini in vertice montium, et elevatur super colles: et fluent ad eum omnes gentes* "; quem locum commentans idem S. Gregorius (5) ait: " *Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariae supra omnes sanctos refulsit* ". Igitur ex istis locis, sub luce eorum quae tradit S. Gregorius, necnon ex diversis nominibus quibus Deipara insigniri videtur, cum, verbi gratia, appellatur *Cypressus in monte Sion, Cedrus Libani, Oliva speciosa in campis* (6), S. Alphonsus et post ipsum Pater Godts sufficienter confici volunt praedictam sententiam.

At quis statim non videat has S. Gregorii interpretationes minime esse litterales, sed mysticas, vel spirituales, aut etiam allegoricas, cum verba illa Psalmi de Sion, civitate David, et verba Isaiae de Christo aut de Ecclesia litteraliter dicantur. Vetat autem theologica methodus, ne ad veritates fidei nostrae conficiendas, argumenta deducamus ex alio quam litterali sensu, supra quem alii sensus fundantur: " *Ex solo* (sensu litterali), ait Angelicus (1), *potest trahi argumentum, non autem ex iis, quae secundum allegoriam dicuntur* ". Ex altera autem parte, si rite perpendantur verba S. Gregorii, facile apparebit illa non ad instans Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis, sed potius ad instans Incarnationis Verbi referri debere, quo primum Virgo Beata Mater Verbi effecta est, et simul Mediatricis officium est auspicata.

Quo loco plura adnotasse non pigebit a R. P. Godts conscripta, in quibus accurata ratiocinandi methodus penitus desideratur: — " *Si thesis nostra nec Scriptura, nec Traditione probari valet,* ait ille (2), *quomodo poterit dici pars revelationis* "? At hoc praecise quaeritur, utrum videlicet in S. Scriptura vel in Traditione thesis illa contineatur: pater Godts autem, antequam aggrediatur disputationem, supponere iam videtur id de quo dubitatur, scilicet initialem Mariae gratiam, qualem ipse confingit, divina revelatione contineri: unde Scripturam Traditionemque adaptare cogitur praeconceptae conclusioni.

Quam autem sit periculosae opus aleae verbis Sacrae Scripturae sensum praeconceptum imponere, evincunt plura incongruentia a P. Godts, dormitante lucerna, conscripta, dum magno molimine tentat probare verbis illis Psalmi: " *Fundamenta eius in montibus sanctis* ", significari quod gratia initialis Beatae Mariae Virginis superaverit gratiam consummatam omnium simul sanctorum et angelorum.

Ubi prius quidem comminiscitur nos verba illa intellexisse quasi dicta de Deo sint, dum contra diximus de Maria utique posse intelligi, sed in momento illius Annuntiationis (3): unde fictitium est et erroris ferax haec, quam subnectit ille, insinuatio: " *Quo pacto potuit P. Lépicier dicere ista* FUNDAMENTA, *istos* INGRESSUS *intelligi posse de Annuntiatione, cum propheta loquatur de Civitate Dei, non vero de Deo ipso* " (4)? Re-

(1) Rom. XV, 4.

(2) LXXXVI, 1.

(3) In expos. in libros Reg. l. I, c. I, n. 5.

(4) C. II. 2.

(5) Loco cit.

(6) Eccl. XXIV, 17, 19.

(1) 1, Quaest. I, art. 10, ad 1um. Cf. quae in hunc loc. scripsimus in Tractatu DE DEO UNO pp. 98, 99; Paris, Lethielleux.

(2) « *Si notre thèse ne peut se prouver ni par l'Écriture, ni par la Tradition, comment fait-elle partie de la Révélation?* » (p. 151).

(3) Tract. de Bma VIRGINE MARIA, p. 166.

(4) « *Comment le R. P. Lépicier peut-il dire que ces* FONDEMENTS, CES ENTRÉES *peuvent s'entendre de l'Annonciation, puisque le Prophète parle de la Cité de Dieu, non pas de Dieu lui-même?* » (p. 255).

quidem vera, ne suspicati quidem sumus verba illa intelligi debere de Deo: quomodo enim hoc potuissemus? Ex altera tamen parte, Maria non est vere civitas Dei secundum vim nominis, nisi in momento Annuntiationis.

Quamquam paulo antea, serione an iocose nescio, scripserat bonus pater: " *Iam notavimus hanc exclamationem* (Fundamenta, etc.) *resultare ex prophetica visione, qua mens Videntis ita fuit praeoccupata, ut oblitus sit dicere de quonam loquatur: Fundamenta* Eius " (1)! At si propheta oblitus est hoc nobis dicere, cur eum nos cogerimus ad id dicendum quod eum dixisse vellemus? Sane haec perlegenti succurrunt verba poëtae:

" *Verum operi longo fas est obrepere sommum* ".

Denique, pro Deipara, contra humillimos ac devotissimos eiusdem servos, bellum commissurus, impavidus eques in haec verba prorumpit: " *Silentio praeterire haud possumus hanc alteram limitationem, hanc novam diminutionem intimae unionis Verbum inter et eius Matrem* " (2). At imprimis negamus, ut infra fusius ostendemus, opinionem, quam tam acriter impugnat P. Godts, minuere aut limitare unionem Mariae cum Verbo Incarnato: hoc tamen etiam admisso, ubinam, quaeso, esset alia limitatio, praecedens minutio? En quibus passim offendimus in patris Godts volumine!

Deficientibus S. Scripturae probationibus, nobis suppetit, ad fidei veritates dignoscendas, auctoritas Ecclesiae catholicae, quae nos in inquisitione veritatis regit ac tuetur, cum a Christo ad hoc sit constituta, ut salutis opus ab eo inceptum prosequatur, homines ordinem veri rectique edocendo.

Porro, inter cetera, quae Ecclesia unquam protulerit circa Deiparae gratiam, eminet Bulla *Ineffabilis*, qua Summus Pontifex Pius IX, quinquaginta ante annos, dogma de Immaculata B. M. V. Conceptione solemniter sancivit, quo quidem documento nil securius, nil aptius suppetit ad dignoscendum statum gratiae B. M. V. in primo illius Conceptionis instanti, cum ibi ex professo de hac re sit sermo.

Iuvat tamen imprimis sedulo discernere definitionem formalem et solemnem Ecclesiae ab eo quod est velut accessorium huius definitionis: unde non omnia, quae in percelebri Bulla continentur, de fide proprie sunt, sed tantummodo illa verba quibus ipsa definitio concipitur. Utique temerarium esset, et levissimae, ne dicam, insulsae, imo profanae mentis iudicium, ea, quae, praeter hanc definitionem, in hac Bulla inveniuntur, reiicere, hac de causa quod de fide non sint (1): at nimis a vero excederet qui tot inibi definitiones deprehenderet, quot sunt propositiones.

Sed dato etiam singulis illius Bullae propositionibus dogmatico valore, num aliquid exstat, sive in verbis ipsius definitionis, sive in iis quae definitionem praecedunt, ex quo appareat debere unumquemque amplecti sententiam pro qua P. Godts tam strenue decertat?

Verba Bullae, quae ad rem magis facere videntur, haec sunt: " (Deus) *ab initio et ante saecula, Unigenito Filio suo Matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosecutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem prae se ferret, qua maior sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest* ".

Ut verum dicam, haud video quomodo deduci ex istis verbis possit thesis, quam R. P. Godts defendit, scilicet gratiam quam B. V. in primo instanti suae Conceptionis acceperit superasse gratiam consummatam omnium sanctorum et angelorum collectim sumptorum. Pronus enim illorum verborum sensus est Deum, cum a tota aeternitate praeelegerit Virginem Mariam ut esset sua Mater, eam prae caeteris creaturis adamasse, gratiaeque muneribus ita replesse, ut in possessione huius doni illa mensuram excederet omnibus sanctis angelisque concessam, et haberet sanctitatem, sola Dei sanctitate superatam. Quod quidem longe differt ab eo quod dicitur, gratiam *initialem* Mariae superasse gratiam consummatam omnium simul sanctorum et angelorum: hoc quippe ex citatis verbis erui haudquaquam potest, nisi Pontificis verba a suo primaevo sensu detorqueantur.

Revera, clarum est, initium, de quo est hic sermo, referri debere ad initium Dei, quod aliud non est nisi aeternitas; velle autem illud referre ad initium Mariae, idem est ac verba Summi Pontificis, ab uno subiecto ad aliud transferre. Et hoc precise facit R. P. Godts dum concludit " *Deum creasse, ab initio, in Maria, gratiam maiorem quam gratiam omnium angelorum et hominum etiam simul sumptorum* " (2). Utique nostram considerationem non effugerant Pii IX verba; at haud

(1) « *Nous avons déjà fait remarquer que cette exclamation* (Fundamenta, etc.) *est le résultat d'une vision prophétique, qui a tellement absorbé l'esprit du Voyant, qu'il oublie de dire de qui il parle: Fundamenta* Eius: Ses *fondements!* » (p. 255).

(2) « *Nous ne pouvons passer sous silence cette autre limitation, ce nouvel amoindrissement de l'union intime entre le Verbe et sa Mère* » (p. 256).

(1) Quapropter cavere theologum sedulo oportet a pernicioso quorumdam modernorum errore, dicentium definitiones Ecclesiae in indivisibili consistere, ideoque tuto reiici posse doctrinam in pontificiis documentis, citra solemnia definitionum verba, contentam.

(2) « *Dès le commencement, Dieu créa en Marie une grâce plus grande que celle de tous les anges et de tous les hommes même pris ensemble* » (p. 143).

licitum nobis duxeramus ea a suo nativo sensu detorquere (1).

Aliud notatu dignum est, ex eo quod Deus amaverit et elegerit Matrem suam, eam praedestinando ad statum gratiae superiorem statu omnium simul sanctorum et angelorum, non rite a patre Godts inferri hanc dilectionem et praedestinationem respicere primum illius Conceptionis instans, quasi tunc Maria revera fuerit a Deo dilecta prae caeteris simul creaturis.

Revera praedestinatio, et consequenter electio, quae praedestinationem supponit (2), potest considerari vel ex parte Dei vel ex parte creaturae. Considerata ex parte Dei, praedestinatio est actus aeternus, immutabilis, qui realiter idem est ac divina substantia; considerata autem ex parte creaturae, est executio passiva ordinis praedestinationis, quae executio perficitur in tempore secundum vicissitudines augmenti in gratia, et interdum lapsus et reparationis, secundum ordinem a Divina Providentia constitutum. Ex eo igitur quod Beatissima Virgo electa fuit *ante omnem creaturam*, potest utique concludi, ex parte Dei et per respectum ad actum aeternum, quo Deus elegit Mariam, eam, in se inspectam, fuisse a Deo dilectam plus quam caeteras simul creaturas; sed non potest concludi hoc evenisse etiam in primo illius conceptionis instanti. Scilicet Maria, utique concepta absque peccato et consequenter gratia et donis Spiritus Sancti repleta, debebat adhuc proficere in gratia, usquedum pertingeret ad illam supereminentem et singularem sanctitatem, ad quam fuerat praedestinata, ut infra fusius ostendemus.

Et haec pro nunc sufficiant, ut retundatur patris Godts levitas, qua ab ordine intentionis ad ordinem executionis sophistice transit, quod sophisma ipsimet Bullae *ineffabilis* attribuere non veretur (3).

Caput III.

S. Alphonsus Ligorius.

Praeter Sacram Scripturam et dogmaticas Ecclesiae definitiones, ex quibus, tamquam ex fontibus authenticis, veritas revelata profertur, et a quorum dictamine theologo discedere haud licet, alia duo loca dantur ad dogmata nostra conficienda, quorum prior est Patrum Doctorumque consensus, alter vero rationis humanae, utique fide collustratae, testimonium. Cum igitur nec in Scriptura Sacra nec in Ecclesiae definitionibus, quidquam contineatur ad initialem Deiparae gratiam, eo sensu quo vellet R. P. Godts, pertinens, pronum est ut ad Patres Doctoresve, necnon ad humanam rationem oculos convertamus. Quod eo vel magis praestandum esse ducimus, quod plura iterum minus accurate dicta, et haec quidem haud levis momenti, in eiusdem patris Godts opere deprehenderimus, quae quidem adnotasse utilitate non vacabit.

Et in primis cavendum sedulo est quominus id quod unus alterve Pater aut Doctor Ecclesiae, etsi magnae notae et in sanctorum catalogo relatus, semel iterumve edixerit, tamquam ecclesiasticae traditionis vox retinendum esse censeatur, a quo discessisse piaculum sit, cui quidem fatali servilismo nil nisi ipsum protestantium liberum examen comparari potest: in quo sane modum excessisse perhibetur adversarius noster, dum alicui propositioni, hoc solum quod a sancto Alphonso prolata fuerit, assentiri omnes iubeat (1).

At vero si caeco assensu id omne quod aliquis sanctus Doctor dixerit suscipere debeamus, cur S. Augustini, de animae humanae origine, cur S. Thomae, de Immaculato Deiparae Conceptu doctrinae speciali examini subiectae denuo sunt, imo a theologis primum, et deinceps ab universa Ecclesia reiectae? Hoc, inquam, alte proferatur, praesertim ad tollendum protestantium incriminationes et ad sedandum quorumdam pusillorum catholicorum timores, Ecclesiam, dum aliquem Dei servum in sanctorum album refert, minime intendere fidelium imitationi id omne proponere quod sanctus ille egerit; dumque aliquem Doctorem declarat, singulis illius propositionibus suam infallibilitatem non adnectere.

Revera, examen scriptorum servorum Dei in ordine ad eorum beatificationem et canonizationem, minime importat, ex parte Ecclesiae, approbationem: aequivalet enim simplici declarationi, nihil in illis scriptis, quod processui conficiendo obstet, contineri: minime autem est testimonium infallibilitatis. Doctoris vero titulus, quo aliquis particularis sanctus insignitur, hoc tantum sibi vult, Ecclesiam, in illius sancti scriptis, specialem scientiam agnoscere, christifidelibus, generaliter loquendo, valde proficuam; quin tamen singularum propositionum fidei se iussorem ponat; unde in manifestam exagerationem proruit, qui in singulis alicuius Doctoris propositionibus, veram, et in praesentibus rerum adiunctis fidelibus necessariam doctrinam agnoscere contenderit. Veritas quippe individuis eminet; Ecclesiae autem nihil tam cordi est quam quod rebus investigandis

(1) Notari hic etiam potest singularis modus quo P. Godts procedit in suis demonstrationibus. En quod scribit (p. 142, nota 1): « *Le Pape* (Pie IX) *proclama l'immense sainteté initiale de Marie, telle qu'elle a existé en réalité. Or, d'après saint Alphonse, cette sainteté initiale a probablement surpassé celle de tous les élus réunis. Donc il est probable que Pie IX a proclamé cette sainteté initiale telle que saint Alphonse l'a comprise et enseignée* ». Qui logicae student, doctrinam in *Sophisticis Elenchis* traditam, hic applicare noverint.

(2) Cf. S. Thom. 1, Quaest. XXIII, art. 4.

(3) Pag. 257, nota. Cf. p. 153, nota 1; p. 215, octavum argumentum Clar. Chatel; p. 257, etc.

(1) « *C'est donc malheureux que de traiter d'improbable un point de Théologie mariale énoncé et prouvé par un Saint. C'est doublement malheureux quand ce Saint est un Docteur de l'Eglise, même le plus moderne des Docteurs, celui dont la doctrine est d'une nécessité actuelle pour les besoins du peuple fidèle* » (p. 246).

totis quis incumbat viribus (1). Ceterum, refellendae veteri Manichaeorum calumniae, tam saepe hodiedum renovatae, Ecclesiam luci inimicam et scientiarum profectui infensam esse, proderit illa Domini Nostri sententia: " *Cognoscetis veritatem, et veritas liberabit vos* „ (2).

Quae ita cum se habeant, nemini certe ius negabitur aliquam ex sancti Alphonsi opinionibus discutiendi, discussamque aut amplectendi aut reiiciendi, prout momenta suaserint. At pater Godts hanc libertatem denegare se velle testatur, dum S. Alphonsi sententiam, eo quod S. Alphonsi est, omnibus imponere contendit. Carpitur in primis a critico viro venerandus Pater Terrien, quod auctoritates Suarez et Spinelli, a S. Alphonso adductas, ad trutinam ille revocare praesumpserit (3); quo praestito, triumphanter concludit Pater Godts Patrem Terrien errare, sanctum Alphonsum, e contra, verum proferre (4). At utinam Pater Terrien nondum e vivis raptus esset! Profecto, fidens edisserit P. Godts, sancti Alphonsi sententiam modo amplecteretur, si tantummodo librum eiusdem Patris Godts legere posset (5)!

Honori nobis ducimus, quod Patri Terrien tenuitatem quoque nostram in sua impugnatione coniunxerit illius adversarius; qui miratus quod Fundatoris sui opinionem, tacito eius nomine, debellaverimus, piaculum inter gravia gravissimum ducit, nos praetermisisse huius sancti Doctoris mentionem: immo, quod ne hunc auctorem quidem legerimus nobis praefracte imponit (6). Quibus iterum iterumque replicatis, triumphanter concludit: " *Si R. P. Lépicier verus est, pater meus sanctus Alphonsus necessario errat; et si sanctus Alphonsus verus est, R. P. Lépicier errat, hoc est evidens* „ (7). Re quidem vera, evidentissimum!

Ex quibus apparet, ex hoc, quod ausi simus sancti Alphonsi opinionem de initiali Deiparae gratia discutere, duo iuxta patrem Godts sponte sequi: primum quidem nos Deiparae privilegiis adversari, alterum sancti Alphonsi doctrinam nos parvi omnino pendere, imo ignorare (8): quas tamen monstruosas conclusiones non ex scriptis nostris, sed ex nimis fertili patris Godts imaginatione, ut olim Minervam e cerebro Iovis, promanasse, sequentibus ostendere nitemur.

Quod ad primum caput attinet, confidimus illam accusationem praesenti scriptione exclusum iri: ut autem ad alterum caput mentis attentionem modo convertamus, fatemur patri Godts nos debitores esse, quod occasionem nobis hic praebuerit singularem studii sensum, quem erga insignem fidei catholicae defensorem indefessumque vineae Domini operarium, sanctum Alphonsum Ligorium, ab unguiculis imo ex corde fovemus, cuius libros saepius prae manibus habuimus, et signanter egregium opus Gloriae Mariae, quod non semel iterumve, nec uno tantum idiomate, nec nobis ipsi solum, legendo volvimus, quod etiam aliis commendare, oblata occasione, haud unquam destitimus: nec enim memoria excidere potest, ex huius libri lectione nos in Illius cultum magnopere incensos fuisse, cuius servitio, a iuventutis annis, consecrati sumus (1).

At, cum, ut omnes norunt, librum illum potius ex aliorum Doctorum, quam ex propriis sententiis S. Alphonsus confecerit, est enim veluti corona floribus ex toto Ecclesiae viridario collectis contexta, hinc ab illo referendo abstinuimus, ne una cum illo eos etiam, quorum sententias refert et approbat adduxisse cogeremur. Equidem alte nobis inest insita opinio, non sine claritatis, brevitatisque, quibus scriptorem studere oportet, detrimento, fieri magnam, ut aiunt, citationum abundantiam; quae, etsi fors eruditionis signum, revera tamen profundiori et clariori, rei, de qua agitur, intelligentiae nocere deprehenditur, cum videlicet de erudiendis iuvenibus in theologiae rudimentis agitur (2).

Hic tamen reverentiae sensus, quem erga insignem Ecclesiae Doctorem, S. Alphonsum, fovemus, non eo usque succrevit, ut caeco ductu omne id tamquam fidei dogma reciperemus, quod in citato libro ille asseruerit: non enim hoc sanctorum veneratio exigit, ut absque examine omnia accipiantur, quae scripserint, nec certe haec fuit sancti Alphonsi in scribendo mens: veritas enim, quae est quaedam Dei emanatio, interdum exigit ut vel ab eorum sententiis, quos purissimus amor nobis coniunxerit, discedamus.

Quod autem ad initialem Deiparae gratiam at-

(1) Relate ad approbationes doctrinae S. Alphonsi ab Ecclesia datas, vide Guglielm. Arendt., S. J., *Analecta Ecclesiastica*, Iunius 1902, p. 271, col. II.

(2) Io. VIII, 32.

(3) Pp. 181, 182.

(4) « *Le Père Terrien se trompe et saint Alphonse a raison* ». (p. 190).

(5) « *On le voit, le Père Terrien, s'il était encore en vie, ne serait pas un adversaire irréductible de la cause alphonsienne. Nous nous flattons même que le présent travail l'aurait gagné à notre opinion* » (p. 243).

(6) Pp. 15, 169.

(7) « *Si* (le R. P. Lépicier) *a raison, mon Père saint Alphonse a nécessairement tort; mais si saint Alphonse a raison, le R. P. Lépicier a tort, c'est évident* » (p. 247).

(8) P. 15. Alibi (p. 243) recensitis verbis quae S. M. Leo XIII dignatus est nobis scribere (26 Aug. 1901): « *Ita tractasti, ut eruditione ac soliditate nulli cesseris, multos facile superaveris* » (p. 243), addit: « *Malgré cet éloge, plusieurs lecteurs ont remarqué avec peine que l'érudition du savant Professeur Romain ne s'est pas étendue jusqu'au plus récent des saints Docteurs de l'Eglise* ». Ubi etiam lectorem docet rem hucusque nobis ignotam, videlicet nos esse *adoptione italum* (Ibid.): vere vigilantem somniasse dixeris!

(1) Ad manus semper nobis est exemplar ab insigni viro Roberto A. Coffin, C. SS. R., edito, London, 1868, quem ad sedem Southwarcensem Leo XIII, 25 Maii 1882 evexit, et cuius amicitia, quantum liceat magna coniungere parvis, aliquantisper usi sumus. Haec quae utpote privatae indolis, silentio premere voluissemus, cogit nos ut recolamus gratuita patris Godts affirmatio.

(2) Ex hoc apparet abs re prorsus esse quod insinuat P. Godts (p. 11 videlicet note 2), nostro de S. Alphonso silentio pravam aliquam intentionem celari: talis intentio tota est in fertili boni patris imaginatione.

tinet, qualis fuerit S. Alphonsi sententia, nos minime latuerat, ut pater Godts lectori imponit: at praecise alto illo reverentiae sensu, quo erga sanctum illum Doctorem ducebamur, distenti fuimus ab illo expresse nominando, ne videlicet tantae sanctitatis virum minoris facere videremur, cum adductae ab eo rationes insufficientes quidem nobis apparerent, ille autem magna sua in Deiparam devotione ad illam sententiam ponendam adductus fuisse nosceretur. In quo quidem ipsius nostri Angelici Praeceptoris exemplum sequi nos rati sumus, sua insigni modestia, ab adversariis expresse nominandis, praesertim quos singulari sanctitate conspicuos noverat, saepe retracti: sic quippe S. Bonaventurae sententiam, tacito, reverentiae causa, nomine, impugnandam suscipit aliquando, quod etiam nonnisi magna urbanitate praestat: in quo quidem utinam plures imitatores nanciscatur (1)!

Nec silendum novam hisce diebus invaluisse philosophandi methodum, ex Kantii subiectivismo derivatam, cuius sequaces eo devenerunt, ut non tam quid rei veritas habeat, quam quod quisque scriptorum tenuerit, investigandum esse conclament. Ex quo sponte sequitur opinionum valorem potius ex auctorum pondere aut numero, quam ex ipsa obiecti veritate, pensitari; novas facile opiniones, veteribus reiectis, suscipi; inde doctrinae unitatem tolli, non sine magno ordinis quoque moralis detrimento (2).

A qua censura, ut obiter dicam, forsan haud semper penitus immunes fuerunt, anteactis temporibus e religiosis familiis scriptores, in quibus nimio ardore paternas traditiones custodiendi obfuscari interdum visus est studium veritatem, in eiusdemmet gratiam, indagandi (3).

Laudabilis certe res est Fundatorum scriptis, si quae sint, adhaerere; at hoc quidem nonnisi ad augendum in alumnorum cordibus Dei amorem, minime vero cum studii veritatis indagandae iactura, fieri debet. Et utinam anteactis temporibus partium studia sincerae inquisitioni locum cessissent: sic quippe multae lites sublatae fuissent, maioresque triumphi veritatem excepissent!

Nec alia, putamus, mente, ipsummet sanctum Alphonsum ea quae scripserit suscipienda reliquisse: unde et in praesenti quoque quaestione rem non ut absolute certam tradidit (1); quapropter nobis videtur talem agendi rationem, qua quis aliquam, huis sancti sententiam, non pro ipsius sententiae valore, sed quia ab illo Doctore proclamata fuerit, aliis imponere contendat, potius dedecori quam laudi illi cedere. At utinam Fundatoris sui moderatum animi sensum pater Godts sequutus fuisset, iis a se dissentientibus veniam ultro concedens, odiosae haereseos notae, qua nihil intolerabilius est, ultro parcens (2)!

Caput IV.

Discrimen inter diversos theologos faciendum.

Quod Maria in sua conceptione plus de gratia acceperit quam omnibus simul sanctis et Angelis in eorum consummatione fuerit unquam concessum, a pluribus, praeter sanctum Alphonsum, sacrorum scriptoribus adseritur, quorum nomina longa serie recenset P. R. Godts: at, num magno causae, quam defendit, profectu, dubitari potest, ut nunc ostendemus.

In quo primum notari volumus pluris, quam par sit, a quibusdam modernis scriptoribus fieri id, quod vocant probabilitatem extrinsecam. Scilicet, ex hoc quod aliqui theologi, puta octo aut decem, rem aliquam asseruerint, hoc solum in eorum existimatione sufficit ut res illa probabilis evadat, quae proinde probabilitas crescere censetur aucto scriptorum numero. Quod quidem criterium, etsi per accidens quidquam prodesse possit, pro iis videlicet qui per se ipsi rem investigare nequeant, per se tamen valde debile manet, immo profectui scientiae viam saepe praecludit, cum fieri possit et persaepe fiat ut prioris scriptoris opinionem alter scriptor de verbo ad verbum transcribat, ne minimo quidem examine instituto.

(1) In libro patris Godts in id genus locutiones quis saepius offendit: « *Le P. Lépicier a tort* » (p. 112 cf. p. 290); « *M. l'abbé Chatel... se trompe* » (p. 151); « *Le P. Terrien se trompe nécessairement* » (pp. 179, 181); « *Pauvres et malheureuses objections* » (pp. 193, 259), etc. Haec audienti menti succurrunt S. Augustini verba: « *Qui vero errare me existimant, etiam atque etiam diligenter quae sunt dicta considerent, ne fortassis ipsi errent* » (L. de dono Persev., c. 24. in fine).

(2) Huc faciunt egregia verba quae non ita pridem scribebat R. P. Lhoumeau: « *Dans ces cours des grands théologiens et philosophes de Rome, tout se tient, tout s'enchaîne. Les principes qu'on pose aujourd'hui conduisent à des conséquences et demain imposeront logiquement telle doctrine en dogmatique, telle solution en morale. On n'y voit pas un professeur exposer indifféremment et comme acceptables des opinions diverses dont plusieurs contredisent la thèse précédemment soutenue. Une pareille méthode fait de l'enseignement un bazar d'opinions au choix et non sans rabais. Qu'on rentre dans cette logique forte qui caractérise si bien la doctrine de Saint Thomas, et, si l'on ne s'exempte pas assurément de toute discussion, du moins aura-t-on balayé quantité de choses oiseuses ou d'intérêt très secondaire pour faire place à la théologie mariale* » (Le Règne de Jésus par Marie, Place à la Sainte Vierge, pp. 579, 580, janvier 1903).

(3) Nimium se prodit, in patris Godts volumine, hoc studium doctrinam S. Alphonsi prae ceteris vindicandi: « *Seul notre zèle pour la défense de notre héritage paternel semble nous autoriser à contredire* (les PP. Terrien et Lépicier) » (p. 137). « *Voilà donc à proprement parler le point discuté de la doctrine alphonsienne: celui dont nous tenons à cœur de défendre la grande probabilité* » (p. 140). « *C'est là, tout juste, la négation de l'opinion que Saint Alphonse croit probable... Non, cela ne suffit pas; cela n'est pas l'opinion de Saint Alphonse* » (pp. 250, 251). Quid sibi volunt ista? Num S. Alphonsum infallibilitatis praerogativa donatum vult pater Godts?

(1) Quod veritatis studio zelum Deiparam extollendi temperari voluerit S. Doctor, inter alia, evincunt haec verba: « *J'aime mieux être de ceux qui croient pleinement et fermement tout ce que* SANS ERREUR *on peut croire des grandeurs de Marie* ». Gloires de Marie, P. I, Chap. V, § I.

(2) Veris Deiparae privilegiis absque haereseos nota adversari quis non potest.

Et cum ab alio et tertio id ipsum fieri contigerit, quis non videat auctorum numerum nonnisi ad fucum imperitis faciendum sic adduci?

Re quidem vera opinionis cuiusque valor ex rationibus quibus innititur, potiusquam ex scriptoribus qui illi opinioni patrocinantur dimetienda ultimo est.

At praeterea in illis auctoribus, quos quis citaverit, distinctio quaedam facienda est, ne eodem censu scriptores merito valde disperes contra fas adducantur. In quo defecisse iterum deprehenditur amicus noster, nomina scriptorum minoris subsellii cum insignioribus scriptoribus promiscue coniungens. Sed et auctorum, quos adducit, non omnes ex professo de re, quam nunc tractamus, agunt; plures id obiter tantum faciunt, quin profecto verbis suis tantum adnecti momentum velint, quantum pro ipsis P. Godts vindicare contendit. Alii quoque de initiali Mariae gratia modo tantum generali loquuntur; alii demum tales sunt, quorum auctoritatem in illo volumine pluris aequo factam fuisse merito dixeris.

Talis, ut unum e multis seligamus, est Christophorus de Vega (1), quem videtur P. Godts antesignanum haberi voluisse, cum et ipse sub illa altisona exclamatione: *de Maria nunquam satis*, res arbitrarias, confusas, et saepe ridiculas de Dei Matre permisceat. Siquidem bellicam indolem illius operis, in quo nonnisi de palestris et de certaminibus sermo incidit, imitatum se esse perhibet pugnax patris Godts ingenium, qui etiam vagas illius assertiones libenter suscipit: qualis est haec Christophori sententia, quam ille refert (2): " *Non sine probabilitate dici posset... praeter gratiam habitualem, caeteris iustis communem, sortitam fuisse Deiparam aliam gratiam specie distinctam* ". Quid, quaeso, potest esse gratia quae non est gratia habitualis et sanctificans? Est scientia infusa, respondet impavide de Vega, theologiae terminos ita facile confundens.

Pariter, quid est illa distinctio gratiarum homogenearum a gratiis heterogeneis, de qua loquuntur Vega et Godts, quam profecto distinctionem sana theologia non suscipit (3)? Et cum plura minus accurate edisserit Vega, alia quoque plurima habet, quae in irrisionem sacrae doctrinae non redundare est impossibile: qualia sunt, ut pauca referamus: " *Lac quo Maria infantula pascebatur, lac simul et sanguis* (erat) " (4). " *A fasciis et zona* (Christi) *Maria splendorem, gratiam et gloriam mutuatur* " (5). " *Virgo Deipara ex lactatione Filii, martyrii palmam praeseferebat* " (1); et alia id genus, quae in mentem revocant illud Horatii: " *Spectatum admissi* ", etc. (2).

Ecquis non videat huiusmodi ineptiis theologiam marianam despectui potius haberi, quam ut eius dignitas augeatur, et fidei nostrae adversariis ansam praeberi dogmata nostra deridendi, quo nihil deterius fidei oeconomiae accidere potest? Quod si interdum talia, etsi raro, in alicuius sancti scriptis reperiantur, non extendenda, sed potius pie exponenda erunt, ut saepius monet Doctor Angelicus; quapropter minus recte dicitur imitari nos debere aut amplecti id omne quod aliquis Sanctus canonizatus protulerit (3). At non unus Christophorus de Vega, de Deipara tractans, talibus gerris indulget: multi enim scriptores idipsum, saeculis praesertim decimo sexto et decimo septimo praestitere (4), quos hic recensuisse longum foret, ad quorum auctoritatem, ad thesim suam conficiendam, R. P. Godts confugit (5).

Ex aliis auctoribus, quos ad thesim suam confirmandam refert R. P. Godts, notari potest Venerabilis Maria ab Agreda, cuius quidem testimonio maius pondus ille attribuit (6), quam rei natura sinat.

Equidem cautum omnino esse oportet theologum, qui in confirmationem alicuius theologicae theseos ad servorum Dei revelationes confugerit. Nam, etsi omnis authenticitas ab hisce revelationibus non sit abiicienda, meminisse tamen theologum iuvat in iis visionibus humanum saepe elementum, inscio etiam vidente, misceri; ex quo fit ut id quod tamquam divinitus revelatum offertur, aliud saepe non sit nisi vanus imaginationis partus. Quapropter approbatio, quam de istiusmodi revelationibus Ecclesia interdum profert, modo potius negativo quam positivo est accipienda: sic quippe Ecclesia hoc tantum declarat, scilicet in illis scriptis doctrinam veritati revelatae contrariam generaliter haud conti-

(1) P. 155.

(2) Ibid.

(3) Haud accuratius est quod habet P. Godts (p. 156), de divina maternitate considerata prius ut gratia status, tum ut gratia sanctificationis, denique comparata cum gratia habituali: huiusmodi quippe comparationes, quibus imaginativa pasci poterit, theologicus rigor non suscipit.

(4) Palaestra XVI. Certamen III, n. 1161.

(5) Ibid. Certamen IV, n. 1165.

(1) Ibid., n. 1166.

(2) A similibus parum abhorrere patrem Godts probant sequentia (p. 133): « *Des auteurs graves, comme le pieux idiot Raymond Jordan, contemplant la grandeur de l'amour qui animait tous les actes de la B. Vierge, ont estimé qu'elle eut plus de mérites en allaitant son divin Enfant, que Saint Laurent en rôtissant sur son gril. D'autres ont porté le même jugement d'un tour donné à son fuseau, quand elle filait près du berceau de Jésus, le regard et le cœur attachés à son Emmanuel* ».

(3) P. 246.

(4) Excellentius longe est operibus horum auctorum opus quod conscripsit P. Terrien: unde haud rite dicitur a patre Godts hic auctor scripsisse « *un ouvrage admirable de précision et de clarté, digne des grands traités du seizième et du dix-septième siècle* » (p. 12): in his quippe tractatibus, renascentiae vitio quodammodo notatis, desunt praecise, ut plurimum, verborum proprietas et accurata dicendi methodus, quae in opere P. Terrien renident.

(5) Quod hic dicitur minime respicit plures moderni temporis rerum theologicarum scriptores, qui cum auctoribus, de quibus hic agimus, a patre Godts promiscue referuntur; qui quidem plurima sibi merita compararunt in instauranda S. Thomae doctrina, et qui proinde cum illis theologis, quos hic notamus, confundendi non sunt.

(6) Pag. 126, 202.

neri, quidquid de origine illorum decerni possit. Unde ea fideles ad propriam aedificationem libere legere possunt; theologum tamen non sine maxima cautela ad talia, pro dogmatibus conficiendis, confugere decet.

Quod sanctus Augustinus ita ad Hieronymum scribens exprimebat (1): " *Ego enim fateor caritati tuae, solis eis Scripturarum libris, qui iam canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissime credam.... Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque praepolleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos auctores canonicos vel probabili ratione quod a vero non abhorreant, persuadere potuerunt.* " Aurea sane verba, nunquam satis laudanda, hisce potissime diebus, cum, sub nomine probabilismi, methodus quaedam ratiocinandi viguerit, de qua antea loquebamur, scientiae profectui adversa, quae soli extrinsecae scriptorum auctoritati innititur.

Ut autem ad rem propius accedamus, recolendum est a viris merito probatis, de scriptis Mariae ab Agreda iudicia severa prolata fuisse, a quibus referendis abstinere hic, brevitatis gratia, debemus. Id unum notare volumus, easdem cautelas esse adhibendas circa revelationes Mariae ab Agreda, quas circa scripta Catharinae Emmerich prudenter suadebat R. P. Terrien, scilicet nonnisi valde exiguam fidem praestari debere illis revelationibus (2). Alibi quoque quid de quibusdam revelationibus Beatae Martinengo retineri debeat, significavimus (3): at nec hanc beatam nec Catharinam Emmerich refert R. P. Godts: nos autem ut earum nomina recenseremus coëgit affinitas cum scriptis Ven. Mariae ab Agreda.

Venio nunc ad clarum Dom. Chatel, cuius auctoritatem magni facere videtur R. P. Godts, cum iterato inculcat illum de gratia initiali Deiparae secum consentire. Hic igitur in aliqua scriptione, quam veluti cursorem libro patris Godts praemisit (4), adversus P. Terrien et nos plura argumenta congesserat ad S. Alphonsi sententiam circa gratiam initialem Beatissimae Virginis, ut ipse aiebat, defendendam. Aderant, quamvis breviori et humiliori sermone, ipsamet argumenta a patre Godts allata; deerat sicut in hoc auctore, robur accuratae methodi.

Haud duxeramus partes nostras esse debilitatem illius rationum scripto ostendere: at cum illi significassemus argumenta ab ipso adducta rem minime conficere, visus ille est nobis sententiam retractare; in quo tamen nos errasse existimat R. P. Godts, qui, ut apparet, aegre ferens tanto auxilio se privari, non semel aut bis, sed ter conclamat Urbi et Orbi, id falsum esse quod protulimus, et clarum Chatel a sancti Alphonsi sententia haudquaquam discessisse (1). Esto: clarus Chatel locutus est, num causa finita est? At certe mirabitur egregius vir, cuius insignem modestiam novimus, tantum ponderis verbis suis adnecti!

Res utique bona, imo optima est, cum quis, veritatis inveniendae apprime studiosus, plurium scriptorum libros evolverit, eorum sententiam exquirens, ut plenior rei, de qua agitur, notitia habeatur. At quanto rectius ille, qui veritatem ipsam assequi contenderit, aliorum auctorum libris utique non sepositis, ad illum fontem convolarit, unde purior theologica sapientia derivatur! Thomam dico Aquinatem, cuius doctrinam ita Leo XIII haud ita pridem commendabat (2): " *Nos igitur, dum edicimus, libenti gratoque animo excipiendum esse quidquid sapienter dictum, quidquid utiliter fuerit a quopiam inventum atque excogitatum; vos omnes, Venerabiles Fratres, quam enixe hortatur, ut ad catholicae Fidei tutelam et decus, ad societatis bonum, ad scientiarum omnium incrementum auream Sancti Thomae sapientiam restituatis, et quam latissime propagetis, Sapientiam sancti Thomae dicimus: si quid enim est a doctoribus Scholasticis vel nimia subtilitate quaesitum, vel parum considerate traditum, si quid cum exploratis posterioris aevi doctrinis minus cohaerens, vel denique quoquo modo non probabile, id nullo pacto in animo est aetati nostrae ad imitandum proponi. Ceterum doctrinam Thomae Acquinatis studeant magistri, a vobis intelligenter lecti, in discipulorum animos insinuare: eiusque prae caeteris soliditatem atque excellentiam in perspicuo ponant. Eamdem Academiae a Vobis institutae aut instituendae illustrent ac tuentur; et ad grassantium errorum refutationem adhibeant. Ne autem supposita pro vera, neu corrupta pro sincera bibatur, providete ut sapientia Thomae ex ipsis eius fontibus hauriatur, aut saltem ex iis rivis, quos ab ipso fonte deductos, adhuc integros et illimes decurrere certa et concors doctorum hominum sententia est; sed ab iis qui exinde fluxisse dicuntur, re autem alienis et non salubribus aquis creverunt, adolescentium animos arcendos curate* ". Equidem S. Thomas vere est Ecclesiae theologus, theologorum princeps, a Deo excitatus ad exponendam et defendendam veritatem revelatam, de quo Ioannes XXII ait quod " *plus illuminavit Ecclesiam, quam omnes alii Doctores* "; et quod in eius " *libris plus proficit homo uno anno, quam in aliorum doctrina toto tempore vitae suae* " (3).

Re quidem vera, quanto magis quis in doctrinae S. Thomae studio profecerit, tanto maiori ad-

(1) Ep. LXXXII, c. 1, Ed. Parisiis, 1679, T. I.

(2) I P., T. II, p. 359 in nota. « *Au reste, s'il faut dire toute ma pensée, je n'accorderais, pour ne rien dire de plus, qu'une assez petite confiance à ces visions trop vantées de la religieuse augustine du couvent d'Agnetenberg* ».

(3) Tractatus de Beatissima Virgine Maria, 2 Ed. Appendix, pag. 38.

(4) « *L'ami du saint Prêtre* », janvier, février, mars 1903.

(1) Pp. 12, 245, 262.

(2) Ep. Encycl. *Æterni Patris*, 4 Aug. 1879.

(3) Bullar. T. I, Mar., p. 682.

miratione feretur erga divinum hoc ingenium (1), in cuius libris thesaurus immensus veritatis continetur. In summa enim Theologica, in qua divinae inspirationis vestigia adesse credideris, Angelicus Doctor, ordinata quadam synthesi, omnes veritates, tum naturales tum supernaturales, ita disposuit, ut nihil desideretur eorum quae ad fidei nostrae dogmata directe aut indirecte pertinent. Hic abest superflua illa verborum copia, quibus moderni, haud sine claritatis dispendio, veritatem contegere solent; abest et sententiarum fluctuatio: ubique sana et tuta doctrina solidissima methodo tradita.

Quod autem ad augustam Dei Matrem attinet, etsi S. Thomas sibi non proposuerit specialem de ea tractatum conficere, plura tamen in toto suo theologico opere de ea scripta reliquit, ad illius gratias et privilegia rite definienda.

Quod si de immaculata illius Conceptione non ita exacte scripsisse perhibetur Angelicus Doctor, tamen id adverti potest, ex principiis ab illo passim positis, erui facile posse illius dogmaticae veritatis demonstrationem. Unde hoc etiam addi necesse est, si quis velit Deiparae privilegia a fluctuationibus et verbositate plurium ex modernis scriptoribus expedire, ad solidam et tutam S. Thomae doctrinam ipsi recurrendum erit, ut videlicet illa ab adversariorum impugnationibus defendere possit, qui eo audaciores contra ipsa insurgunt, quo minus convenientia cum fidei deposito de Maria nos dixisse deprehenderint.

Quapropter, etsi ab aliis quoque auctoribus plura de Deipara egregie conscripta sint, quibus theologus, instar industriosae apis, ad sacrae doctrinae mel conficiendum rite uti potest, tamen princeps in re theologica semper fuit semperque manebit Doctor Angelicus, ad cuius principia reduci oportet quidquid scientificae innixum methodo, sicut de aliis fidei nostrae dogmatibus, ita etiam de Deiparae gratia dici potest, et ex cuius uberrimo fonte rationes solidissimae hauriri possunt ad veritatem de ea re inveniendam.

In quo hoc quoque advertisse iuvabit, sanctum Thomam de Immaculata Conceptione non tam accurate locutum fuisse, ut censemus, propter studium quo tenebatur Incarnati Verbi perfectiones exponendi et defendendi: quibus attentius inspectis, ab agnoscenda carentia originalis peccati in Maria quodammodo detentus fuit, ne videlicet universalitati operis redemptivi Christi Domini quidquam detrahere videretur (2). At, quidquid de hoc dicatur, semper verum manet, principia ad privilegia Deiparae comprobanda, non exclusa ipsa Conceptione Immaculata, in Summa Theologica passim latere, ut antea diximus (1).

(Prosequendum).

A. M. Lépicier.

(1) Pius X. Breve: *In praecipuis laudibus*, 23 Ian. 1904.

(2) Cf. Tract. n. de Bma Virgine Matre Dei, P. II, c. I, a. 1, § II, pp. 135, sqq., 2a Ed. — Prodiit nuperrime opusculum ab *Antonio Senso Lázaro canonico ecclesiae Matritensis ac in Seminario professore* (Matriti 1905), quo nititur auctor demonstrare S. Thomam in Summa Th. (3, XXVII, 2) minime adversari dogmati de Immaculata B. M. V. Conceptione; at incassum, cum loca illa iuxta mentem S. Thomae accepta (quae mens ex contextu totius Summae erui debet), intentum minime probent. Nec recte ab hoc auctore dicitur S. Thomam quaestione XXVII de conceptione activa, non vero de passiva agere: nam 1° sanctum doctorem non latuit, ut supponit auctor, distinctio conceptionis activae a conceptione passiva; 2° nimis evidens est S. Thomam loqui de conceptione passiva, qua solum est anima rationalis, quae est subiectum peccati; 3° non bene dicitur carnem prolis tempore conceptionis activae esse subiectum peccati originalis.

(1) Echo solemnitatum in honorem quinquagesimi anniversarii definitionis dogmatis Immaculatae Conceptionis B. M. V. adhuc perdurante, opportunum ducimus pauca in hanc rem excerpere ex Laurentio Opimo, egregio ex Ord. Serv. Mariae theologo, in publico Parisiensi gymnasio lectore postea ad Sedem Tridentinam evecto. Floruit hic auctor, saeculo decimo quarto, et optimum Commentarium scripsit in libros Sententiarum (Editum anno 1532, loco incerto, cura P. Dominici Docti a Castrofranco, O. S. M.), quod vix adhuc reperire est, in quo haec de Immaculata Deipara praeclare scribit: « *Deus animam gloriosae Virginis Matris suae servavit ab omni macula inficientis mortalis culpae et ita potest probari multis mediis.* Primum *est ex parte obligationis naturalis, et ideo Dei Filius, ex quo potuit, convincitur quod hoc fecerit.* Secundum *est ex parte impletionis legalis, qua praecipitur: Honora patrem et matrem, et ideo eam tali privilegio dotavit.* Tertium *ex parte intentionis artificialis, quia aeternaliter suum fieri tabernaculum praescivit.* Quartum *ex parte operationis essentialis, quia non minus fuit digna creari cum iustitia originali, quam fuerit Adam dignus creari cum ipsa iustitia originali.* Quintum *ex parte perfectionis imperialis. Nam si imperator est summus in perfectione, saltem decuit quod mater esset carens omni imperfectione.* Sextum *est ex parte communicationis carnalis, quia caro Virginis et caro Christi fuerunt eadem caro.* Septimum *est ex parte collationis supernaturalis. Nam qui maius donavit, puta quod esset Mater Dei, donavit et minus, quod est esse sine macula originali.* Octavum *est ex parte electionis sapientialis. Nam Deus hanc amavit, et quaesivit eam sponsam accipere.* Nonum *est ex parte mediatoris venialis. Medians autem debet esse immunis, et Virgo sic fuit* (nota, lector, hanc rationem quae potissima est). Decimum *est ex parte dilectionis aeternalis, quae nunquam interrupta fuit.* Undecimum *est ex parte damnationis poenalis, nam inconveniens fuit, pro quacumque mensura, quod Beata Virgo esset damnabilis aeternaliter.* Duodecimum *ex parte corruptionis corporalis. Nam post mortem Virginis, corpus eius remansit totaliter incorruptum, ut pie creditur, in signum praeservationis.* Tertiumdecimum *est ex parte exaltationis finalis. Nam si Mater sedet ad dexteram Filii, iuxta illud quod scribitur quod positus est thronus matris quae sedet ad dexteram eius; et ideo sicut fuit superexaltata, decens fuit quod fuerit ab omni peccato praeservata* ». Pag. 11, verso.

II.

FUNDAMENTA AEQUIPROBABILISMI
prout probabilismo opponitur.

Adversarii. — Controversiae punctum.

Postquam, tres ante annos, nonnulla a P. de Caigny O. S. B. in bino opusculo, atque a me in hac Ephemeride disputata fuerunt ut sempiterna illa aequiprobabilismi controversia ad aequam perduceretur solutionem, dum ex una parte aliqui theologi conciliationi propositae accedebant, alii ex altera, in sensu suo pertinacius, uti accidere solet, sese infixerunt. Hos inter non defuerunt, qui minus veritatis inquirendae desiderio, quam partium studio se abduci prodiderunt. Quos omittere in praesenti placet (1). Alios

(1) Nolo tamen omittere breves quasdam animadversiones in opus nuper editum cuius titulum mox indicabo. Scriptor (pag. 86 versionis latinae) me redarguit *nimiae pietatis erga Praepositum, Probabilismi patronum*, eo quod ratiocinando ex documentis, quae supersunt, demonstraverim in appendice II meae *Diatribae*, Ioannem P. Oliva, Praepositum Generalem Societatis Iesu, perfectam praestitisse obedientiam mandato, quod ab Innocentio XI Pontifice acce-

e contrario, veritati investigandae magis intentos contigit a recto tramite seduci propter neglectas quasdam distinctiones. Quod condonandum properat. — Porro Ioannes P. Oliva constanti atque eximio virtutum exercitio, praesertim in regenda Societate universa, famam sibi acquisivit hisce virtutibus respondentem eamque hodie usque legitime possidet. Harum autem virtutum praecipua attenditur in religione Societatis Iesu, sicuti notorium est, obedientia, neque in ea Societate bonus et multo minus optimus et sanctus religiosus reputari potest, qui semel etiam graviter inobediens fuerit; si vero in summa regendi dignitate fuerit constitutus, non solummodo inobedientiae peccato, sed perfectioris etiam exercitii obedientiae defectu, si quando ipsum admiserit in re praesertim graviori, impedietur quominus integerrimam illam famam sibi possit retinere. Ioannes P. Oliva itaque famam huiusmodi integerrimam de facto sibi possidet.

Quibus positis, ubi, monumento explicito deficiente, immediata evidentia probari nequit obedientiam ipsum in determinatis illis adiunctis servasse perfectam, iure praesumi debet ipsum ab ea perfectione non defecisse, donec positive atque evidentissime defectus non fuerit demonstratus. Qui alia ratione in eo iudicando procedit, dum historicum agere praetendit, certam moralitatis legem *non detrahendi* parvipendit, quandoquidem certum etiam est qualitatem historici narratoris neminem ab ea lege servanda dispensare. — Iamvero auctor illius novi libri, ne de scriptis loquar, quae meae *Diatribae appendici* exarandae occasionem praebuerunt, nullo historico documento defectum illum comprobare potuit, sed, neglecta illa legitima integerrimae famae possessione, neglexit etiam argumentum quod ex ea efflorescit.

Idem fere valet de iudicio, quod hic scriptor profert (ibid. pag. 79, super Venerabili Paulo Segneri, qui etiam theologus S. Poenitentiariae fuit, nonus in tota horum serie, sub Innocentio XII, a mense Ianuario 1693, cuique a die 10 Decembris 1694 successit Ioseph de Alfaro. Porro scientiae theologicae huius doctissimi et sanctissimi viri detrahitur a dicto scriptore, eo titulo quia defendit probabilismum quem scriptor idem impugnat, neque est interpretatus opinionem *probabiliorem* de qua tunc vertebatur, ea ratione qua scriptor aliique eius partis, eam intelligere volunt, invita Minerva, uti infra ponetur in propatulo.

Alludo itaque hic libello unum ante annum in Germania edito, sub titulo: *Das Decret des Papstes Innocenz' XI. ueber den Probabilismus. Beitrag zur Geschichte des Probabilismus und zur Rechtfertigung der Katholischen Moral gegen Doellinger-Reusch, Harnack, Herrmann und Hoensbroech, von* Franz Ter Haar *aus dem Redemptoristenorden.* Paderborn. F. Schöningh. 1904. — In eo porro simul cum auctoribus in titulo recensitis quorum tres priores sunt noti inimici Ecclesiae Romanae et quartus apostata ab eadem Ecclesia atque a religione Societatis Iesu, ego, huius societatis sodalis quantumvis ultimus, vapulo per decem paginarum spatium, tamquam reus et singularis violator critices ac theologiae (pag. 130-140). Unum deerat: ut scilicet nomen meum simul cum nomine illius apostatae in libelli fronte scriberetur.

Equidem post nonnullos menses libellus idem in latina versione Romae iterum fuit editus, omissis in titulo quatuor illis acatholicorum nominibus, insertaque pag. 114 parenthesi — pace egregii viri dictum sit — atque hoc *egregii* epitheto passim nomini meo adiecto. At *res dictae*, sunt in versione eaedem quae fuerant in originali.

Verum de hac versione latina parum curo, quippe cui Director huius Ephemeridis *uno verbo* eoque efficacissimo respondit in notula subiecta bibliographicae recensioni quam, de ea versione admisit in vol. XII, pag. 476. Statimque incuriae meae rationem etiam explicabo. Interim tamen libellus originalis in forma quam dixi, ad lectores Germanos aucupandos compositus, per versionem latinam ab eorum manibus atque oculis nequaquam retrahitur effectumque suum in incautos (qui numero minores haud solent esse), cum pace mea utique, exercere non desinit. Sed sufficit haec innuisse, quae alioquin a me libentissimo hilarique animo condonantur *magnoque* attribuuntur *zelo* religiosi viri.

Nunc brevissime dicam cur de rebus adversus *Crisim*, *Diatribam* eiusque *appendices* conscriptis in versione latina libelli illius, omnino non curaverim. Ratio est valde simplex et perspicua: animadversiones illae quibus sive in libelli decursu, sive in decem illis ultimis paginis (pag. 114-123), ego in argumentis meis immediate impetor, sunt omnes et singulae PURA PUTAQUE SOPHISMATA, neque indigent multa explicatione a me data, ut talia demonstrentur illis qui respectivos meorum opusculorum locos paulo diligentius perpenderint. In specie decem illarum paginarum strues divellitur tota per testimonium ipsius Thyrsi Gonzalez, anno 1693 et sq. editum in ipsius libro; quod testimonium relatum exstat in mea *Diatriba*, pag. 73, 74. Praeterea adamussim confirmatur mea interpretatio ex ipso Thyrsi inedito memoriali a me in *appendice III* relato, pag. 107 sq. Porro haec animadversio sufficit relate ad notam mihi inustam violatae critices. — Alteri accusationi ansam praebuit inconsiderata quaedam concessio e calamo delapsa scriptoris illius qui in ephemeride *la Civiltà cattolica*, quin totam perpendisset quaestionem, meam *Diatribam* recensere, uti non raro accidit, celerius voluit. Quam concessionem aequiprobabilistae aliique eorum affines statim collegerunt exsultantes de pugnandi instrumento sibi adeo feliciter mutuato. Porro ille meus consodalis non adverterat significationem quoad *doctrinam*, decretorum aliorumque authenticorum responsorum *S. Sedis* ut sic, non tam ex privato sensu vel Pontificis vel variorum officialium S. Congregationum, quam *ex textu et contextu authentice edito, ex sensu aliorum decretorum, ex analogia magisterii ordinarii, ex circumstantiis, ex statu quaestionum in scholis disputatarum* aliisque huiusmodi, esse dignoscendum; ubi vero sensus privatus Pontificis vel inferiorum Curiae officialium discordantiam quamcumque inferret, omnibus simul perpensis, in ipsas S. Sedis decisiones, eam nequaquam S. Sedi ut sic, sed privatis personis esse tribuendam. In *disciplinaribus* vero dispositionibus facilius intromitti posse influxum sensus illius privati: v. g. in deputatione alicuius determinati magistri ad docendum in scholis romanis theologiae et sic in similibus. Qua neglecta distinctione, ille scriptor nimis cito concessit « *S. Sedem* ut sic per hoc decretum probabiliorismo favorem suum demonstrasse, quasi in votis haberet ut hoc tandem systema non vero probabilismus dominaretur ». Hoc autem votum multorum quidem erat in Curia officialium, ipsius forte Innocentii uti privatae personae, neutiquam vero demonstrari potest fuisse Innocentii Pontificem *agentis*, in quocumque decreto super doctrina, qualicumque ratione edito, nequidem in illo S. Officii, 26 Iunii 1680. Quoad disciplinares supradictas dispositiones ab Innocentio ordinatas, sensus eius privatus utique praevaluit, sed debent potius intelligi huiusmodi dispositiones prout *S. Sedi* referuntur, non in sensu discordante a fine, quem *S. Sedes* demonstratur solum habuisse, sed in sensu cum hoc fine concordante. Ea ratione itaque cuicumque theologo perspecta, mea explicatio in *Diatriba* decreto Innocentiano adhibita, accurate intelligi potest. Commendo idcirco tum scriptori illi meo consodali, tum Patri Ter Haar, ut paulo sedulius recolere dignentur has notiones, speciatim in recentissimo articulo Lingonensis Ephemeridis *L'Ami du Clergé*, fascic. ultimo mensis Aprilis huius anni, ubi nonnulla praesenti rei intelligendae valde utilia invenient.

Inde P. Ter Haar, si voluerit, poterit etiam sibi manifestum efficere, quantum detrimentum afferat polemicae atque apologeticae contra acatholicos disceptationi, eam miscere cum quaestionibus inter catholicos disputatis, sive mediis terminis uti adversus acatholicos, de quorum certitudine vel interpretatione inter catholicos disceptatur: arma nostra enim vel adversariis ipsis transferuntur, vel eis vulnerandis minus acuta minusque efficacia evadunt. Qua de re faveat P. Ter Haar animadversiones recolere in Ephemeride nostra Oenipontana 1904, IV, pag. 788 sq., ipsi a P. Franz directas.

Haec sufficiunt ut absque iniuria concludere possim opus historicum illud fuisse conscriptum, ut aiunt, *ad usum delphini*, ad usum scilicet aequiprobabilistarum. Quid autem valeat aequiprobabilismus hodie a factione superstite propugnatus, mox in hisce articulis apparebit. Unde tandem in ipsum huius operis auctorem convertuntur ea quae de me ipse scripsit (pag. 123 latinae versionis): « Haec optimi viri sententia de Summi Pontificis et S. In-

fecto est menti quam diuturna atque intricatissima disquisitio in campo philosophiae, theologiae simul ac criticae retinuit occupatam. Hisce ultimis itaque articulus praesens dirigitur.

Aciem mihi adversam hodie ducit R. P. Ludovicus Wouters C. SS. R. illa nuper edita dissertatione, quam consodalis eius in *bibliographia* recensere permissus est ab huius Ephemeridis Directore (1). Ex ea autem recensione patet, duo fuisse ab opusculi auctore intenta circa sententiam quae dicitur a probabilistis propugnari *de minus probabili:* primum est, interpretari ultimum iudicium, quod de ea sententia retinuisse aestimatur S. Alphonsus, imo huic *interpretationi* faventem exhibere S. Sedem praeteritis quibusdam suis actis et decretis. Alterum est ut data illius Alphonsiani indicii interpretatio intrinsecis atque extrinsecis rationibus hinc inde discussis demonstretur.

Mihi ideo duplex onus incumbit: primum, intrinsecas illas diluere rationes; alterum, eas a S. Alphonsi mente alienas ostendere. De actis S. Sedis sufficienter disserui in praecedenti opusculo atque in nota huius articuli initio subiecta. De auctoritate antiquiorum theologorum provinciam critice et historice disputandi aliis meis consodalibus relinquo. Mihi sufficit in hac re advertisse aliqua eorum antiquorum testimonia decurtata recitari, vel ambigua esse ita ut ex iis solis vera eorum mens nequeat discerni: plurium insuper auctoritatem, ex stadio controversiae inchoatae nedum eliquatae, in quo versabantur, tanti hodie non valere quanti adversarii mei proclamant; nonnullas tandem eorum disputandi vel probandi rationes in hodierno controversiae stadio, uti vel inutiles vel erratas iam diu fuisse desertas.

De cetero paucis et brevibus animadversionibus me expediam. Si enim ad scribendum me tandem induxi, id non fuit quia res coram doctis viris vel etiam coram S. Sede novis confirmari demonstrationibus indigeret; sed unico eo motivo impulsus ut morem gerere non detrectarem, auctori illius recentissimae dissertationis, bono viro, qui, iteratis epistolis, desiderare se a me responsionem manifestavit. Cum itaque discussio tota obiectiva sit, ad quam instituendam ego postquam diuturno silentio me continui, non adstringar, nisi fere coactus, adversarii sibi, nedum mihi imputent, si quando ratiocinationis consectaria, sibi viderint dedecori redundare.

quisitionis actione, praeiudiciis tantum nititur, quibus ductus probabilistarum systema inconcussam existimat veritatem, quum mera sit opinio atque opinio quidem, quae contra se fortissima rationis habet momenta quae hactenus nondum contigit refutari ». — Concedo: ego scripsi ex praeiudicio quo existimo probabilismi systema non vero aequiprobabilismum, inconcussam veritatem; sed hoc existimo ex praeiudicio *vero*, nedum falso vel nutante, et mihi et plurimis aliis iam pridem *probato* vero atque hodie etiam *evidentiori probatione;* quia Patri Wouters acceptam debemus occasionem magis perspicue enucleandi oculis omnium, fundamentum aequiprobabilismi deficiens. Quo facto evanescunt illa « fortissima rationis momenta » et consequenter interpretationes ab aequiprobabilistis datae menti S. Sedis in suis responsis vel disciplinaribus dispositionibus. Uter itaque nostrum praeiudicii insimulari legitime potest?

(1) Vide infra hanc recensionem, p. 232.

Ita determinatis et adversariis quibuscum me congredi oportet et controversiae instituendae obiecto, disceptationis ordinem uno conspectu lectoris oculo subiicere iuvat.

PARS I.

Discussio philosophica.

Materia interpretationis controversae.

Materia de cuius interpretatione disceptatur, in praesenti constricta existit paucis illis lineis, quibus S. Alphonsus in ultimis theologiae moralis editionibus, octava nempe et nona atque in monito septimae adiecto, priorem ac veluti praeviam sui systematis regulam firmaverat: " Dico I, quod si opinio, quae stat pro lege, videatur certe probabilior, ipsam omnino sectari tenemur: nec possumus tunc oppositam quae stat pro libertate amplecti. Ratio, quia ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quae propius ad veritatem accedit, qualis est opinio probabilior. „

Interpretationem huic regulae eiusque annexae rationi adhibitam a probabilistis breviter explicavi in ultima mea *Diatriba*, pg. 14, 15, 16, § I, atque in nota (2), pg. 15, adverti in sensu quo aequiprobabilistae supponunt subiectum, *opinio certe probabilior* pro assensu dato motivis legis existentiae adeo gravibus ut in communi scholarum aestimatione ab *omnibus* habeantur *sine haesitatione* ut *certe* probabiliora, in eo sensu, inquam, adverti probabilistas in obiectivam ipsius regulae veritatem convenire, licet multi eam aliis verbis enuntiaverint atque alia via demon-

straverint quam ea qua hodierni superstites aequiprobabilistae procedunt. Inde factum est ut probabilistae censuerint S. Alphonsum saltem ab anno 1755 usque ad vitae exitum, idem in substantia semper propugnasse unius probabilismi systema atque a rigoristis, Patutio et sociis vindicasse; dum aequiprobabilistae nondum plene se extricarunt ab huiusmodi domestica controversia.

Ea idcirco ipsis relicta longiore disputatione, *per breviorem* nobis licet ad eamdem illam probabilistarum conclusionem properare. Si enim demonstratum fuerit interpretationem quam aequiprobabilistae hodie superstites rationi prioris Alphonsianae regulae adhibere volunt, nullius esse roboris, idque ex iis ipsis quae docuit Alphonsus in ultimis suis scriptis; actum erit de hodiernis aequiprobabilistis.

Argumentum adversum.

Porro, verba S. Alphonsi superius recitata, " Ratio, quia ad licite operandum etc.... qualis est opinio probabilior. „ ita interpretatur P. Wouters cum sociis:

" Debeo sincere tendere ad convenientiam cum legis aeternae ordinatione obiectiva (qualiscumque haec est) „. — Atqui ad eam non tendo si recesserim in praxi a *probabiliori certe cognita* pro legis existentia. — Ergo licite non possum recedere in praxi a probabiliori certe cognita pro legis existentia.

Maior probatur pg. 59 dupliciter: 1° Inhonestum est, neque ullo moralitatis principio cohonestari potest, ut, quum tendere possim, non tendam ad convenientiam cum moralitate obiectiva, seu cum legis aeternae ordinatione obiectiva. — 2° Huiusmodi electio vilipendium involveret ordinationis divinae antecedentis de moralitate obiectiva.

Minor deinde pg. 60 evolvitur ex comparatione cum aegroto, qui, dum posset eo uti, respueret medicamentum certe probabilius ipsi profuturum. Comparatio non claudicat, quia sicut aegrotus certa obligatione tenetur uti medicina illa securiori, ita in maiori, asserta est certa obligatio tendendi ad convenientiam cum legis aeternae obligatione obiectiva (qualiscumque haec est). Unde propositio minor non affertur uti novum principium ex quo simul cum principio maioris deduceretur conclusio; sed propositio minor ostendit tantum subiectum conclusionis includi in generalitate maioris. Comparatio igitur valet.

Totum hoc ratiocinium duplici animadversione confirmatur, pag. 60, 61:

1ª Honesta non est actio quae *studio caret assequendi* convenientiam cum legis aeternae ordinatione antecedenti, qualis est actio hominis qui, dum cognoscit certo probabiliorem legis existentiam ideoque probabilius non permissam esse actionem, sequitur minus probabilem oppositam, eam sibi permissam existimando.

2ª Animadversio quam P. Wouters maxime commendatam vult lectori suo, haec est ad litteram relata e pag. 61: " Actus aliquis *hic et nunc*, ut dicunt, ea indutus est moralitate quam ei obiective spectatae inesse ipsemet operans, inquisita veritate, *qualicumque notitia noverit.* Atqui actus qui ipsius operantis iudicio *probabilius obiective prohibitus est*, ab ipso *aliqua notitia*, quae est *opinativa*, *cognitus* est tamquam *obiective prohibitus* (pag. 11). Ergo actus ille *hic et nunc prohibitus* est. — Quod idem modo negativo ita exprimitur: actus aliquis nequit *hic et nunc* ea indutus esse moralitate, quam ei obiective spectato non inesse ipsemet operans *qualicumque notitia noverit.* Atqui, actus, qui ipsius operantis iudicio *probabilius obiective non est permissus*, ipsi notus est, *notitia*, dico, *opinativa*, tamquam *obiective non permissus.* Ergo actus ille *hic et nunc non est permissus* „. Atque hic citantur quaedam verba D. Sweens in suis Institutionibus Theologiae moralis fundamentalis, quae in idem recidunt, nisi quod D. Sweens insuper recurrit ad particulam probationis quam S. Alphonsus huic suae primae regulae annexuerat in editionibus anterioribus, suppressit vero in ultimis: talem nempe certo et notabiliter probabiliorem opinionem pro lege *certum habere fundamentum quod sit vera.*

Ecce itaque totum interpretationis aequiprobabilisticae aedificium.

Compago eius tota, ut legenti liquet, oritur ex vi probabilioritatis ut sic, mente *certa* iudicatae. Si enim cum haesitatione iudicatum fuerit eam forsitan adesse, il merito aequiparatur quoad promulgationem legis, dubio stricto in quo mens non solummodo certum non profert pro lege iudicium sed prorsus nullum: quippe quae neutri parti adhaeret: suspensa enim manet.

Porro in hoc solo casu suspensi iudicii de legis existentia, aequiprobabilistae se reputant non obligari. Extra hunc casum, sive probabilitas solida subsistat in parte legi contraria, sive non subsistat (1), dummodo probabilioritas ex altera parte certe et sine haesitatione iudicata fuerit legi favere, se censent eo ipso lege obligatos. Sed cur aequiprobabilistae, qui alioquin probabilitatem *obiectivam relativa* utriusque partis contrariae comparatione esse perpendendam altissima voce proclamant idque pleno iure, cur ipsissimi tantam vim tribuunt *subiectivae* certitudini iudicii illius de probabilioritate existentiae legis, ut, non computata obiectiva probabilitate, solide etiam subsistente contra legem, illam subiectivam de probabilioritate certitudinem habeant, tamquam aequivalentem certitudini, quae notitiae competit obligationis moralis ut haec valeat? — Sola ratio huius praevalentis necessitatis affertur obligatio in necessitate quadam psychologica altissime fundata: quia nempe certe obligamur tendere ad convenientiam cum legis

(1) Cf. Wouters, p. 96: *resp. II*, p. 48 in par. prima, p. 12.

aeternae ordinatione obiectiva, quam mens certe agnovit in illa probabilioritate legis certe iudicata: ideoque quamadmodum repugnat ut mens non tendat in verum ad quod transcendentali habitudine fertur, ita sin physica necessitate, saltem morali obligatione tenemur non facere ut honestum, id quod certe probabilius inhonestum iudicamus.

Id autem melius adhuc apparet in ultimo practico conscientiae dictamine a quo actio nostra formalem mutuatur honestatem: Si actio est honesta, debuit uti honesta per hoc dictamen exhiberi. Iamvero quomodo hoc dictamen potest iudicare certe honestam actionem quam mens simul certe iudicat probabilius inhonestam? Deberet mens eamdem actionem iudicare legis aeternae ordinationi certe conformem et simul certe iudicare eamdem ab hac ordinatione probabilius difformem. Atqui, sin mens psychologica sua indole transcendentalique habitudine ad verum impeditur haec duo simul iudicare, voluntas saltem morali obligatione prohibetur imperare ut mens ea iudicet, atque hoc aequiprobabilistis sufficit.

Huc itaque aequiprobabilistici vis argumenti convergit. Ecce totum aedificii fundamentum. Num sua se mole sustineat huiusmodi fundamentum, in sequentibus apparebit.

(Prosequendum)

G. Arendt S. I.

ROMANAE INSTITUTIONES

I.

Casus Conscientiae propositus et solutus Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

II.

De contumacia requisita ad incurrendam censuram.

Die 2 Ianuarii 1905, hora 15 1/4 (3 1/4 pom.).

Titius actus in odium contra Caium presbyterum, ratus, per hunc stetisse, si publicum et lucrosum officium non fuit assecutus, statuit, explendae vindictae causa, eumdem vita privare. Hinc propitiam nactus occasionem, lethale venenum in phialam liquoris, quem Caius in deliciis habebat et saepe gustabat, clam immittit. Quo peracto, ne meritam poenam lueret, illico navim conscendit, ut in exteram regionem se conferat. Itinere vix incoepto, in se reversus et divina praeventus gratia, tanto ob patratum scelus, dolore corripitur, ut si confessarii copiam haberet ad eum statim accederet, quin etiam, si possibile foret, iter statim abrumperet, et domum reverteretur, ad mortem Caii, quocumque tandem modo, impediendam.

Itinere absoluto rescit, quod post duos dies a suo discessu, Caius ex veneno mortem obierit. Mox ad confessarium accedit, eique delictum a se patratum et sui resipiscentiam quoad omnes circumstantias pandit, simul quaerens, an in excommunicationem ob sacerdotis homicidium nihilominus inciderit. Confessarius statim reponit, censuram non ferri nisi in contumaces: tales autem non esse, qui ante effectum secutum malam voluntatem iam retractarunt. Quorsum enim medicina, sanato morbo?

His auditis, absolutione recepta et solatus animo ad communionem accedit.

Quaeritur:

1° *In quo consistat contumacia quae requiritur ad incurrendas censuras?*

2° *An speciatim recessus e contumacia ante tempus, quo censura esset incurrenda, ab hac excuset?*

3° *An confessarius, de quo in casu, recte responderit?*

Resp. ad Ium. Ad incurrendam censuram duobus opus est, *delicto* et *contumacia.* Solet enim censura definiri: poena medicinalis, qua christiano *delinquenti* et *contumaci* usus quorumdam bonorum spiritualium aufertur. De delicto, seu culpa egimus in praecedenti casu; in praesenti sermo est de contumacia, de qua quaeritur, in quo consistat.

Quod ad incurrendam censuram contumacia delinquentis requiratur, patet ex eo, quod censurae institutae sunt ad frangendam contumaciam contra potestatem Ecclesiae comminantis poenam. Contumacia vero dicitur *a contemnendo,* et heic est *contemptus censurae.* Duplex autem distinguitur contemptus Ecclesiae punientis per censuram; *formalis,* qui per proprium et formalem actum contemptus erga potestatem Ecclesiae committitur, et speciale peccatum constituit; *interpretativus* in hoc consistens (ait *Reiffenst. lib. 5, tit. 39, n. 14*) quod quis sciat, aliquid per legem, aut legitimum superiorem ecclesiasticum sub censura esse prohibitum, et tamen illud facere praesumat, et persistat in suo delicto contra eam Ecclesiae potestatem. Talis enim iam censetur contemnere auctoritatem praecipientis.

Huiusmodi autem interpretativus contemptus sufficit ad incurrendam censuram. Oportet idcirco antea comminari censuram, ut talis dispositio animi delinquentis locum habere possit.

Ex his sequentia corollaria licet inferre:

a) Nunquam incurritur censura propter peccatum soli naturali, aut divino iuri repugnans; sed omnino requiritur praeceptum Ecclesiae, quod reus contumaciter spernat. Alio modo: non satis est ad incurrendam censuram contemptus Dei, qui in quolibet peccato habetur, sed necessarius est contemptus saltem virtualis Ecclesiae praecipientis. Censura enim est poena fori ecclesiastici, per quam Ecclesia suis legibus vel sententiis sanctionem apponit.

b) Insuper necessarius est contemptus Ecclesiae comminantis delinquenti et contumaci censuram. Unde licet aliquis sciat opus prohibitum esse, etiam lege ecclesiastica, si tamen ignoret annexam illi censuram, reus quidem erit inobedientiae ob violatam legem ecclesiasticam, sed censuram non incurrit. Est communis doctrina desumpta *ex cap. 2, de Constitut. in 6°:* « Ut animarum periculis obvietur, sententiis, per statuta quorumcumque Ordinariorum prolatis, ligari nolumus ignorantes ». Oportet enim censuram poenam medicinalem esse: at non esset medicina, sed tantum obesset, si etiam ignorata incurreretur. Igitur nemo censuram incurrit, nisi adversus Ecclesiae potestatem, cum tantae poenae comminatione aliquid praecipientis aut prohibentis, contumacem se praebeat. Non potest autem aliquis contumax censeri, si ecclesiasticam poenam, sive censuram ignoret.

c) Censura nunquam infligenda est propter peccatum mere praeteritum; id est quod penitus cessavit, etsi alioquin gravissimum sit ut blasphemia, sodomia etc.; sed peccatum debet esse coniunctum cum aliqua inobedientia et contumacia praesenti. Nam si quis in crimine perseveraret v. g.

in absentia a paroecia, in concubina retinenda, etc., vel si nollet scandalum reparare v. g. pravam doctrinam retractare, aut restitutionem seu satisfactionem renueret exhibere pro re ablata v. g. pro fama detracta, pro honore laeso etc.; iam non agitur de crimine mere praeterito, sed res in futurum pendet, et vera contumacia haberetur. Ratio est, quia censurae tamquam poenae medicinales praecise sunt introductae, ut gravitatis suae horrore a crimine committendo et ab inobedientia absterreant delinquentes. Tales autem non essent, si in solius praeteriti delicti poenam infligerentur resipiscenti et parato debitam satisfactionem praestare.

d) Censura nunquam infligenda est, nisi praecedente monitione et comminatione. Ratio est, quia censura non fertur, nisi in eos, qui contra Ecclesiam contumaces sunt. Tales autem non sunt, nisi qui praecedente monitione, et comminatione censurae obedire recusant. Est porro diligenter hic observandum, canonicam istam monitionem solum requiri ad censuram, quae ab homine infligenda est, pro culpa praeterita vel praesenti, in qua reus contumaciter persistit. Haec autem monitio in eo est, ut iudex ecclesiasticus declaret delinquenti, fore ut hac vel illa censura ligetur, nisi resipiscat. Quae monitio requiritur triplex, vel saltem una, in qua exprimatur, eam valere pro triplici. At vero necessaria non est specialis monitio ad incurrendam censuram a Iure, vel per generalem sententiam pro avertendis futuris culpis latam. Ipsum enim Ius, vel generalis sententia, cum publica sint, perpetuo monent, ubi aliquid sub censura prohibent, ita ut merito inobediens et contumax censeatur, qui obedire recusat.

e) Si contumacia cesset, censura per absolutionem remittitur. Unde si censura aliqua e. g. suspensio vel interdictum infligantur in perpetuum, vel ad tempus determinatum, sunt censurae materialiter, sed non formaliter et in proprio sensu; sunt poenae vindicativae, sed non medicinales.

Resp. ad 2um. Relate ad contumaciam, quae ex modo dictis ad censuram incurrendam requiritur, fit nunc specialis quaestio. Quaeritur scilicet, an ille in censuram incurrat, qui sciens culpabilem aliquam actionem prohiberi ab Ecclesia et sub censura puniri, nihilominus volens actionem illam admisit, deinde vero recessit a contumacia, antequam completus esset ille effectus, quem superior intendit sub censura prohibere. Sit e. g. aliquis, qui postquam praegnanti abortivum dedit, a contumacia tamen recesserit, antequam haec foetum immaturum eiiceret. De hoc quaeritur, utrum effectu tandem sequuto censuram incurrat, quia contumacia non defuit, quando delictum admisit; vel non incurrat, quia deest, quando censura subeunda est. Illum autem intelligimus a contumacia recessisse, qui animum retractaverit, et modo quo potuerit, effectum impediverit, etiamsi sine attritione, quia habitus gratiae non facit, ut effectus ille minus a voluntate pendeat.

Circa hanc quaestionem duae habentur theologorum sententiae.

Prima, quam prae caeteris defendunt *Suarez*, *Lugo* et plures alii, docet ab incurrenda censura nullatenus excusare recessum delinquentis a contumacia ante sequutum effectum. Quae sententia sequentibus potissimum probatur:

a) Contumacia in praesenti quaestione non in eo sita est, quod quis post violatam legem sub censura praecipientem in eadem mala voluntate perseveret, sed in eo omnino, quod sciens et volens quis legem et censuram inobediendo contempserit. Sicut igitur ad rationem peccati non pertinet, quod deinde peccator in mala voluntate perduret, ita nec ad incurrendam censuram plus aliquid requiritur, quam contumax inobedientia in ipsa lege transgredienda.

b) Recessus a contumacia, et animi retractatio non impedit, quominus effectus postea secutus sit voluntarius. Audiatur *De Lugo, De poenit., disp. 16, n. 445:* « Quantumcumque de facto retractetur voluntas praeterita, adhuc si postea subsequitur effectus mortis, non minus incurret irregularitatem aut excommunicationem, qui dederat venenum, iuxta communem fere omnium sententiam, quam si non retractata fuisset voluntas: quia nimirum per illam retractationem non tollitur, quod effectus sequutus sit voluntarius, utpote procedens a voluntate ». Confer etiam n. 446.

Hanc sententiam tuetur etiam *Ballerini in nota (6) ad P. Gury, De censuris, n. 746.*

Secunda, vero sententia oppositum docet, cuius sententiae argumentum hoc est. Censura non fertur nisi in contumaces et inobedientes. Contumax autem non est, qui poenitentiam iam egit, adeo ut effectus sequens, ne dici quidem peccatum possit. Et hinc alia exsurgit ratio: quippe censura non fertur nisi ob peccatum: peccatum autem non dicitur effectus ille, cuius causa per poenitentiam abrupta est. Hanc sententiam sequitur etiam *S. Alphonsus, lib. VII, de censuris, nn. 40, 368.* Et post S. Alphonsum, *Cardin. D'Annibale, Summ. Theol. Mor., part. I, n. 333, edit. III.* Docet enim ibi, delinquentem non incurrere censuram « si recesserit a contumacia, sive ante latam sententiam, si censura erat ferendae sententiae (quod nemo dubitat); ab ea recesserit, sive ante effectum dumtaxat sequutum, si est latae sententiae, quod aut verius est, nam quo medicina, sanato morbo? aut aequius certe ».

Resp. ad 3um. Ille dicitur *violentas manus* in clericum iniicere, et proinde iuxta *articulum 2um Constitut. Apostol. Sedis* incurrere in excommunicationem Romano Pontifici simpliciter reservatam, qui actionem quamlibet exteriorem et graviter iniuriosam, factis non verbis, exercet in clerici personam, sive laedendo eius libertatem, sive eius personam, sive eius corpus, eum percutiendo, vulnerando, ei venenum praebendo, etc. In quo postremo casu actio censetur consummata, et proinde excommunicatio incurritur, quando venenum nocere incipit, etiamsi forte ex veneno clericus non moriatur.

Titium, de quo in casu, posuisse contra Caium presbyterum actionem iniuriosam, eiusque corporis de se graviter laesivam, immittendo venenum lethale in phialam liquoris, quem ille saepe gustabat, per se patet. Constat pariter hoc egisse *suadente diabolo;* immisit enim venenum explendae vindictae causa et ut Caium vita privaret. Quod hoc insuper fecerit cum scientia censurae, potest merito supponi, cum agatur de excommunicatione omnibus nota. Titius igitur propinando venenum Caio, lègem Ecclesiae et ab ea comminatam censuram inobediendo contumaciter contempsit.

At, prout additur in casu, Titius paulo post correptus fuit patrati sceleris magno dolore, ex animo cupiens, si fieri potuisset, Caii mortem impedire. Quaeritur nunc, utrum iste recessus a contumacia eum a censura incurrenda excusaverit.

Certe, si haec poenitentia contigit, postquam Caio venenum haustum nocere incoepit, tunc Titius post effectum sequutum et proinde post contractam excommunicationem, poenitentiam egisset. Verum circumstantiae casus contrarium potius ostendunt, videlicet Titium a contumacia recessisse, antequam venenum haustum fuisset a Caio. Dicitur enim in casu, quod Titius patrato crimine *illico* navem conscenderit, quod *itinere vix incoepto* in se fuerit reversus, et tandem quod Caius ex veneno *post biduum* mortem obierit. Videtur igitur Caius venenum hausisse post Titii resipiscen-

tiam. Et haec est praecise hypothesis, in qua Doctores in oppositas probabiles sententias abeunt, prout exposuimus in respons. ad 2um. Stante autem dubio iuris, censura est incerta, et proinde non incurritur. Unde effatum: censura dubia, censura nulla.

Confessarius igitur recte respondit, Titium a censura immunem declarando, et post datam a peccatis absolutionem eidem communionem permittendo, eo vel magis quod eidem confessario magis arridebat opinio, quae delinquentem excusat a censura, quoties a contumacia recesserit ante sequutum effectum.

PETRUS CHECCHI, *Epitom. ex officio.*

II.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

IV.

De benedictione sepulcri vel coemeterii.

Die 18 Ianuarii 1905, hora 3 1/2 a meridie.

Extra Oppidum B. auctoritas municipalis iussit, ut aedificaretur cappella satis ampla, subter quam crypta pro cadaveribus totius paroeciae recondendis: quae crypta eiusdem est amplitudinis atque ipsa cappella. Parochus localis ad eam benedicendam invitatus, nescit quid sibi sit agendum. Nam si uti cappella sit benedicenda, oritur difficultas ex cadaveribus subter illius altare sepeliendis. Si eam considerat uti sepulcrum, implicatus est an benedicere eam debeat cum brevi formula, pro sepulcro in Rituali praescripta, an potius cum formula coemeterii propria. Si denique ut coemeterium illam consideret, dubitat quo in loco praescriptam in Rituali functionem persolvere debeat, an scilicet super pavimento cappellae, an super pavimento cryptae. Hinc *quaeritur:*

1. *Quaenam fuerit antiqua disciplina, seu graecae seu latinae Ecclesiae, in locis designandis pro fidelium sepultura?*

2. *Quid rubricae, seu Ritualis seu Pontificalis Romani, praescribant circa benedictionem sepulcri vel coemeterii?*

3. *Quid consulendum Parocho super aequa agendi ratione, ut in casu?*

SOLUTIO

In Conventu Academiae habito die 18 Ianuarii 1905 super casu proposito disseruit Rev. D. Raphaël Paolicelli ex Almo Collegio Capran.; atque epitomen egit Rmus D. Chalcedonius Mancini, Academiae Moderator.

Ad Ium. Quod civiles omnes populi defunctorum corpora maximo semper prosecuti sint honore et reverentia, ac ea, religione auspice, sepulturae tradiderint, historia docet. De hoc, nullimode dubitandum, et Sancta Mater Ecclesia semper sollicita fuit, quippe quae memoriam resurrectionis in christianorum animis vivam servari semper optavit: hinc et abhorruit a cadaverum crematione, et studuit reliquiarum asservationi.

In sacra Scriptura mors iustorum passim somno et dormitioni comparatur. Ita v. g. Deuter. XXXI, 16 dicitur: « *Ecce dormies cum Patribus tuis* »; et Isai. XIV, 18: « *Omnes reges gentium universi dormierunt in gloria* ». Hinc est quod coemeterium (locus ad sepeliendos christianos destinatus) a verbo *Κοιμητήριον* dormitorium dicitur. Iamvero defunctorum corpora sepeliri mos fuisse, iam a Veteri Testamento constat ex *lib. Genes.*, XXV-9, ubi legitur: « Sepelierunt eum (Abraham) Isaac et Ismael filii sui in spelunca duplici ». In Novo vero Testamento, a tempore Apostolorum, christianorum cadavera, et praesertim Martyrum, sepulturae tradita fuere, uti eruitur ex *Act. Ap. VIII*, 2, ubi legitur de Protomartyre Stephano: « Curaverunt autem Stephanum viri timorati, et fecerunt planctum magnum super eum ». Porro *curare*, in casu, iuxta interpretes, sepelire significat, omniaque funeris propria cadaveribus praestare. Verum pro defunctis sepeliendis non semper eamdem legem eumdemque morem viguisse scimus; siquidem populi fuere, qui corpora defunctorum intra moenia civitatis, alii vero extra, sepelire consueverunt, alii tandem cremationi ea donabant. Apud Romanos prohibitum omnino fuit mortuos intra civitatem sepelire, uti habetur ex lege duodecim Tabularum: « Hominem mortuum in Urbe ne sepelito neve urito ». Sed neque Ecclesia Catholica stabilibus legibus sepulturam Christianorum moderata est: etenim christifidelium corpora nunc in Ecclesiis, nunc in coemeteriis, nunc in catacumbis sepulta sunt, prout circumstantiae et consuetudines sive temporum, sive locorum ferebant. Antiquitus, Graeca Ecclesia non consuevit in templis sepulturas habere. Ita Theodorus Antiochenus Patriarcha ad Marcum Patriarcham Alexandrinum: « Ex antiqua loci consuetudine, Orthodoxorum defunctorum corpora, in Ecclesiis, quas in hac regione habemus, sepeliuntur. Scire ergo exposco si absque decoris vel iuris praeiudicio fiat »; cui Theodorus: « Discrimen magnum extat inter Ecclesias solemni aperitione, intronizatione, unctioneque sacris oleis et depositione Sanctorum Martyrum reliquiarum consecratas, et alias hoc pacto non dedicatas, quae solummodo Oratoriorum locum obtinent. In illis enim hominum cadaver qualecumque non sepelietur, iuxta 2 cap. I, lib. Basilicarum dicen: Nullus in Ecclesia cadaver sepeliat. Et praeterea secundum civilem antiquam legem scriptam dicentem: Nefas est aliquem in Ecclesia sepelire; si videlicet ibidem Martyris corpus iacet. In aliis vero non ita consecratis sacris aedibus, quae et Oratoria nuncupantur, absque periculo cadavera humabuntur ». Decursu autem temporis mos invaluit sepeliendi in Ecclesiis, forte, iuxta Theodosium imperatorem, quia multi conditionem Martyrum, Episcoporum, necnon Magnatum, qui in Ecclesiis sepeliri coepti sunt, aemulari studebant. Verum usum hunc receptum Pontifices, Episcopi, Canones semper moderare, et etiam cohibere conati sunt. Ita S. Pius V, quoniam aliquibus in Ecclesiis defunctorum corpora supra terram deponebantur, iussit, Aprili 1566, ut cadavera subtus terram sepelirentur. S. Carolus Borromaeus (*Conc. Mediol.*) ait: « Monetur, ut morem multis locis intermissum, mortuos in coemeteriis sepeliendi, restituendum curent »; et Rituale romanum (*tit. de exequiis*) habet: « Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in coemeterio, retineatur: at vero cui locus sepulturae dabitur in Ecclesia, humi tantum detur. Cadavera autem prope altaria non sepeliantur ». Generaliter ergo dicendum Ecclesiam non omnino, nec semper probasse cadaverum sepulturam in templis.

Ad IIum. Rituale romanum, *tit. de exequiis*, haec habet: « Nemo christianus in communione fidelium defunctus, extra Ecclesiam aut coemeterium rite benedictum sepeliri debet: sed si necessitas cogat, ex aliquo eventu, aliquando ad tempus aliter fieri, curetur, ut quatenus fieri poterit, corpus in locum sacrum quamprimum transferatur, et interim semper Crux capiti illius apponi debet, ad significandum illum in Christo quievisse ». Ast sepulcrum sive sit in loco sacro, sive non, semper benedici debet (Cfr. Decr. S. R. C.

n. 3400, *Ruremunden.* d. 27 Maii 1876 ad V, et n. 3524, *Briocen.* d. 4 Sept. 1880 ad I).

Quod coemeteriorum spectat benedictionem, cum sit de reservatis Episcopo, ab eoque simplicibus Sacerdotibus delegari valeat, duplex habetur formula, altera in Pontificali, in Rituali altera; prima utitur Episcopus, secunda vero Sacerdos delegatus ad coemeterium benedicendum.

Quae in Pontificali continetur, haec praecipit: « Die praecedenti, ponuntur in coemeterio benedicendo, quinque ligneae Cruces, videlicet una altior in medio, et quatuor aliae quaelibet ad staturam hominis, quarum una in extremitate coemeterii ante Crucem mediam, alia in alia extremitate coemeterii retro Crucem mediam, tertia in tertia extremitate a dextris, et quarta in quarta extremitate coemeterii a sinistris Crucis mediae; et ante quamlibet ex dictis quinque Crucibus ponitur seu figitur in terra aliquod lignum in eius summitate aptum ad affigendum illi tres candelas, trium unciarum quamlibet, vel circa: scala super quam accedens Pontifex possit attingere summitates ipsarum Crucium; vas magnum aqua plenum benedicenda, et vas cum sale ».

Insequenti mane, Pontifex sacris indutus paramentis accedit ad coemeterium, ubi, sedens in faldistorio, sermonem facit populo. Quo facto, affiguntur et accenduntur quindecim candelae, tres ante quamlibet Crucem. Tunc Pontifex stans dicit Orationem, mox illo genuflectente dicuntur Litaniae. His finitis, Pontifex, stans ante vas aquae, hanc benedicit et sal, et accedens ad Crucem ante mediam positam inchoat antiphonam. Hanc dum prosequuntur schola et clerici, Pontifex circuit coemeterium aspergens illud ubique aqua benedicta. Redit ad pristinum locum et dicit Orationem. « Deinde thurificat ipsam Crucem et figit in summitate ipsius unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis eiusdem Crucis ». Hoc facto, accedit ad alias Cruces similiter faciens et dicens. Ad Crucem mediam cum pervenerit, post Orationem, canit, mediocri voce, Praefationem, hanc terminans voce submissa. Tunc thurificat Crucem et figit in ea candelas, ut in aliis. Postremo autem, praemisso a ministris *Flectamus genua* — *Levate*, dicit ultimam Orationem, et dat solemnem populo benedictionem.

Ad Ecclesiam reversus, si velit, celebrat Missam, sin autem eam celebrare facit; haec vero dicitur de die cum Oratione, quae habetur in Pontificali, sub unica conclusione.

Quae vero in Rituali extat, statuit: « Pridie quam fiat benedictio, ponitur in medio coemeterii benedicendi lignea Crux, alta ad staturam hominis, et ante ipsam Crucem in terra figitur paxillus tridens ligneus, altus ad cubitum unum, aptus ad affigendum illi tres candelas ». Sequenti die, mane, Sacerdos sacris indutus vestibus procedit ad coemeterium ante Crucem, qua coram affiguntur et accenduntur candelae, et dicit Orationem et Litanias; deinde antiphonam, aspergens Crucem aqua benedicta. Dum dicitur psalmus *Miserere*, Sacerdos circuit totum coemeterium aspergens illud ubique aqua benedicta. Post *Gloria Patri* et antiphonam, Sacerdos stans ante Crucem dicit postremam Orationem. « Tunc figit in summitate Crucis unam ex tribus candelis ardentibus, et alias duas similiter ardentes in duobus brachiis eiusdem Crucis. Deinde incensat ipsam Crucem, et aspergens aqua benedicta, redit cum ministris in sacristiam ».

Ad III[um]. Parochus habita Episcopi licentia cappellam benedicat tamquam Oratorium proprie dictum, curans ut subter Altare, et ad distantiam unius metri ab eodem, cadavera non sepeliantur, ad quod tutius obtinendum, limes statuatur (Cfr. Decr. n. 3944 dd. 12 Ian. 1897 ad II). Hoc certe servandum si cadavera deponi debeant supra cryptae pavimento; quod si humari deberent sub pavimento, tunc lex allata non tenet (Cfr. Decr. 18 Iul. 1902 ad VI, in una *De Queretaro)*, quod etiam valet si inter pavimentum et cryptam aliqua extaret camera unum ab altera separans.

P. ELIAS MARIA COCCIA, *Ord. Carm.*
S. R. C. Consultor et Academiae Liturgicae Censor.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Mai 1905.

1 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Fulbert Petit, Arch. de Besançon; — et Mgr Paul-Marc Tei, Ev. de Pesaro.

2 Mardi.

Congr. Générale des S. Rites tenue au Vatican *coram SS.mo* au sujet de l'héroïcité des vertus du Vén. Serv. de Dieu, Frère Gabriel de *l'Addolorata*, Clerc Profès Passioniste.

3 Mercredi.

S. G. Mgr Guillaume Walsh, Arch. de Dublin, est reçu en audience.

4 Jeudi.

S. G. Mgr Jean Soldevilla y Romero, Arch. de Saragosse, est reçu en audience.

5 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Michel Zezza di Zapponeta, Ev. de Pozzuoli; — et M. Utini, prêtre Lazariste.

6 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Cadena y Eleto, Ev. de Vitoria; — Mgr De Braunsckwerg, Prélat Domestique de S. S.; — S. Exc. M. D. Emmanuel Aguirre de Tejada de Valdosera, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège; — et S. Exc. M. Ludovic Gorski.

7 Dimanche.

Deux cents personnes sont admises à assister dans la Salle du Consistoire à la Messe de Sa Sainteté.

8 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr François Albin Symon, Arch. Tit. d'Attalia; — et Mgr Arsène Ludovic Legoux, Protonotaire Apostolique.

9 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Fulbert Petit, Arch. de Besançon; — Mgr Jean Regine, Ev. de Nicastro; — Mgr Silverio Gomez Pimenta, Ev. de Marianna; — et Mgr Roger Catizone, Ev. Tit. d'Augustopoli, Auxiliaire de l'Arch. de Catanzaro.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Joseph Calasanz Vivès y Tuto est nommé Protecteur de la Congrégation du Sauveur et de Notre-Dame de *la Souterraine*, au diocèse de Limoges.

10 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Richard Lacy, Ev. de Middlesborough; — et Mgr Guillaume Gordon, Ev. de Leeds.

11 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François

Giaci, Ev. de Marsi et Pescina; — et Mgr Antoine Luddi, Ev. d'Assise.

— Le St-Père reçoit dans l'après-midi dans la Salle Royale 600 pèlerins de la Sicile.

12 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Eutige Parsi, Ev. de Bagnorea; — Mgr Miécislas Pallulon, Ev. de Samogitie; — Mgr Joseph Morticelli, Ev. de Penne et Atri; — Mgr Joseph Habra, Chorévêque du Patriarche Syrien d'Antioche; — S. Exc. M. le Prince Jean Borghèse; — et le Rme Père Général des Ministres des Infirmes.

13 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Ange dalla Cioppa, Arch. de Lanciano; — et Mgr Damase Pie De Bono, Ev. de Caltagirone; — ainsi que M. le Général Athanase de Charrette.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal François Satolli est nommé Protecteur des Sœurs du Verbe Incarné de St-Antonio (Texas).

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, le St-Père a nommé: Prêtre Assistant de la Chapelle Pontificale, Monseigneur Maurice Galimberti, Chanoine de St-Jean de Latran; — Diacre, Mgr François Gazzoli, Chanoine de Saint-Pierre; — et Sous-Diacre, Mgr François Santovetti, Chanoine de Sainte-Marie Majeure.

14 Dimanche.

Dans la Salle du Trône, lecture est faite *coram SSmo* du Décret sur les vertus héroïques du Vén. Serv. de Dieu Frère Gabriel *dell'Addolorata*, Clerc Profès Passioniste (*Voir aux Anal. Nova*, p. 206).

15 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jean-Guillaume Shanahan, Ev. d'Harrisburg; — et Mgr Joseph Ridolfi, Arch.-Ev. de Todi, Délégué Apostolique au Mexique; — ainsi que le Rme Dom Hildebrand d'Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins.

16 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Henri Doulcet, Ev. de Nicopoli; — et Mgr Jacob Roissant, Ev. Tit. d'Usola.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Alexandre Solari, Secrétaire de la Délégation Apost. de Colombie, est nommé Auditeur de la Nonciature Apost. en Belgique.

18 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Bernard Doebbing, Ev. de Nepi et Sutri; — et Mgr Jules Vaccari, Arch. de Bari; — ainsi que Mgr Alexandre Solari, Auditeur de la Nonciature Apost. de Belgique.

19 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Auguste Joseph Collier, Ev. d'Harlem; — et le Rme P. Cassien M. Gasser, nouvellement réélu Prieur Général de l'Ordre de St-Jean de Dieu, accompagné par les membres du Chapitre de l'Ordre.

— S. Exc. M. Jules Bétancourt présente au St-Père les Lettres qui l'accréditent en qualité d'Envoyé Extr. et de Ministre Plénip. de la République de Colombie près le St-Siège.

20 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Mathieu Dvornik, Arch. de Zara; — Mgr Pascal Buconjic, Ev. de Mostar; — Mgr Antoine Maurovic, Ev. de Segna; — et Mgr Miécislas Pallulon, Ev. de Samogitie.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le Rme P. Félix Fioretti, Sup. Gén. des Barnabites, est nommé Consulteur de la S. C. des Rites.

21 Dimanche.

Le St-Père reçoit à 4 heures et 1[2 dans la Cour de la Pigna, un pèlerinage du diocèse de Frascati.

22 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Dominique Lancia di Brolo, Arch. de Monreale; — Mgr Mariano Soler, Arch. de Montevideo; — Mgr Georges Posilovic, Arch. de Zagabria; — M. Philippe François Nakic, Ev. de Spalato; — et Mgr Vincent Pulisic, Ev. de Sebenico.

23 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr André Jordan, Arch. de Goritz; — Mgr Jean-Baptiste Flapp, Ev. de Parenza et Pola; — Mgr Antoine Ieglic, Ev. de Lubiana; — Mgr Antoine Mahnic, Ev. de Veglia; — Mgr François Uccellini, Ev. de Cattaro — ainsi que S. Exc. M. le comte Nicolas Szécsen de Temerin, ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le St-Siège.

— Congr. Antépréparatoire des S. Rites tenue auprès de S. Em. le Card. Raphaël Pierrotti, Ponent, pour l'examen de l'héroïcité des vertus du Vén. Serviteur de Dieu Barthélemy Menocchio, des Ermites de St-Augustin, Ev. Tit. de Porphyre et Sacriste des Sacrés Palais Apostoliques.

24 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jérôme Thomé da Silva, Arch. de Bahia; — Mgr Sigismond Brandolini Rota, Ev. de Ceneda; — Mgr Jourdan Zaninovic, Ev. de Lesina; — Mgr Joseph Grégoire Marcellic, Ev. de Raguse; — Mgr Pierre Verdaguer, Ev. Tit. de Valona, Vic. Apost. de Brownsville (Nouvelle-Orléans); — et Mgr Adaucto Aurèle de Miranda Henriquez, Ev. de Parahyba.

25 Jeudi.

3000 membres du pèlerinage international des Filles de Marie assistent à la messe de Sa Sainteté à 7 heures, dans la Salle des Béatifications.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Victor Lécot, Arch. de Bordeaux; — Mgr Jean Szabò, Ev. d'Armenopoli ou Szamos Ujvar, du Rite Grec-Roumain (Hongrie); — et le Rme Dom Jean Strozzi, nouvel Abbé Général des Chanoines Réguliers du T. S. Sauveur du Latran, accompagné par les membres du Chapitre Général.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Salle du Consistoire un pèlerinage du Brésil.

26 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Patrice Donahue, Ev. de Wheeling; — le Rme Dom Hildebrand-Marie Polliuti, Abbé Général de la Congrégation Bénédictine Olivétaine; — et S. Exc. M. Jules Bétancourt, Min. Plénip. de Colombie près le St-Siège.

27 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Nicolas Rey y Remondo, Ev. de St-Christophe de Laguna; — Mgr Louis-Joseph Anaya, Ev. de Chilapa; — et Mgr Jean Népomucène Terrero y Escalada, Ev. de La Plata.

28 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Joseph Callegari, Ev. de Padoue; — et S. G. Mgr Ludovic-François Sueur, Arch. d'Avignon.

29 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Antoine Ieglic, Ev. de Lubiana; — Mgr Richard Scannel, Ev. d'Omaha; — Mgr Jacques Radini-Tedeschi, Ev. de Bergame; — et Mgr Thomas Ludovic Heylen, Ev. de Namur.

30 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Patrice-Jean Ryan, Arch. de Philadelphie; — Mgr Frediano Giannini, Arch. Tit. de Serre, Délégué Apost. de la Syrie; — Mgr Jean-Baptiste Scotti, Ev. d'Osimo et Cingoli; — Mgr Paul Padilla y Barcena, Ev. de Tucuman; — Mgr Jean Janssen, Ev. de Belleville; — Mgr Fidèle Olivas y Escudero, Ev. de Guamanga; — Mgr Ferdinand Ossi, Ev. de Quilon; — et Mgr Antoine-Marie Grasselli, Arch. Ev. de Viterbe.

31 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr. Pascal Gagliardi, Arch. de Manfredonia; — Mgr Pierre Zamburlini, Arch. d'Udine; — Mgr Ange Michel Jannachino, Ev. de Telese et Cerreto Sannita; — Mgr Aristide Golfieri, Ev. de Città di Castello; — et Mgr Louis Boschi, Ev. de Ripatransone.

F. C.

BIBLIOGRAPHIA

De Minusprobabilismo *seu de usu opinionis quam quis solide sed minus probabilem esse iudicet*, auctore LUDOVICO WOUTERS C. SS. R., theologiae moralis professore, p. 127, fr. 2,50. Parisiis, P. Lethielleux, Rue Cassette, 22.

Nemini admirationem ingerat quod R. P. Wouters tot qui de systemate morali agunt libris non inutile fore putavit, si novus etiam adderetur. Licet enim plurimi iam scripti essent libri de hac acriter disputata quaestione, desiderabatur tamen libellus in quo res agitata clare et dilucide, breviter simul et scholastice tractaretur, et argumenta ad haec usque tempora hinc illincve allata, sive ex ratione sive ex auctoritate petita, proponerentur; libellus, inquam, in quo lector totam quaestionem cum omnibus argumentis et difficultatibus clare propositis ante oculos haberet, et cum perfecta rei cognitione iudicium suum statuere posset. Cui desiderio satisfacit libellus laudatus. In ipso certe responsionem invenies omnibus quas circa probabilismum et aequiprobabilismum posueris quaestionibus. Si desideras scire quaenam sit mens Ecclesiae circa hanc quaestionem, afferuntur tibi argumenta aequiprobabilistarum ex actis Alexandri VII, Innocentii XI, Innocentii XII, Clementis XII hausta, et ea quae a probabilistis eis opponuntur. Quodsi Sanctos et Doctores Ecclesiae audire vis, et scire praesertim quaenam sit sententia et qualis auctoritas Sancti Alfonsi in hac re, discutitur tibi mens S. Thomae et S. Antonini, et disces ex ipsius S. Doctoris verbis, quomodo S. Alfonsus in eligendo systemate morali fluctuaverit, donec tandem elegerit suum sibi systema. Si rogas, cuinam sententiae alii catholici theologi adhaeserint, utrum probabilismo an aequiprobabilismo faveat theologorum auctoritas, longa tibi evolvitur series nominum virorum illustrium tum ex clero saeculari tum ex clero regulari, et celeberrimarum etiam Universitatum tibi eloquia communicantur. Rationem si interrogas, argumentum philosophicum invenis evolutum, simplex et dilucidum, profundum simul et ad ipsum totius ordinis moralis fundamentum pertingens; nec desunt difficultates et obiectiones motae ab adversariis. Tandem si quaeris, utrum tota haec quaestio non tantum speculativi sed practici etiam sit momenti, clare tibi ostenditur, quam magnus sit electionis systematis moralis in praxim influxus.

Non possum, concludens, non unicuique cui studium sacrae doctrinae curae est, lectionem docti huius libelli impense suadere. J. von ROTTERDAM, C. SS. R.

V. S. D. ROBERTI BELLARMINI, de Immaculata B. V. M. Conceptione *votum*, aliaque eiusdem argumenti fragmenta inedita... collegit, vulgavit, illustravit X. M. LE BACHELET, S. I. — In-8, pag. 83. Parisiis, Beauchesne, 1905.

Ex authenticis apographis accuratissime editur integrum votum quo Ven. Card. Bellarminus, in Congregatione S. Officii die 31 Augusti anni 1617 coram Paulo V habita, demonstravit *expedire imo necessarium tunc esse* sententiam pro Immaculata Deiparae Conceptione *definiri uti piam et sanctam ita ut nulli deinceps liceret contrarium sentire vel dicere sine temeritate et scandalo et suspicione haeresis.* Annectuntur alia ex scriptis eiusdem Cardinalis exscerpta quibus ostenditur ipse constanter eamdem in hac re sententiam retinuisse et probavisse uti certo revelatam. Id autem iuvat tum ad refellendos aliquos auctores acatholicos qui eiusdem Bellarmini verba in perperum sensum trahere conati sunt, tum ad clarius discernenda argumenta quibus ipse veritatem hanc implicite formaliter contentam censeret in explicite revelatis. Toto opusculo validum etiam confertur adminiculum historiae dogmatis, et notitia completur eorum quae a Paulo V acta sunt ut controversiae in Hispania praesertim, eo tempore ferventes, compescerentur. — Opusculum mense Maio anni praeteriti completum, eodemque anno prelis mandatum, extrinsecis circumstantiis impeditum fuit ne citius evulgaretur.

BRAHM EDM. C. SS. R. — De reticentia voluntaria peccatorum in confessione. Editio tertia. — Bruxelles, J. de Mester, 1905. In-8, pag. 88. Fr. 1,25.

— **Dissertatio** de formula (Flandrica): G. v. d. « Deus damnet me ». — Editio altera auctior et accuratior. — Ibidem, 1905. In-8, pag. 82. Fr. 0,80.

De prima editione prioris opusculi, mentionem fecimus in *Analectis*, v. IX, pag. 52. Praesens porro recusio quae in quinquennii decursu tertia est, egregie demonstrat laudem huic opellae a nobis impensam, communi suffragio fuisse comprobatam. In hac editione, collecta etiam referuntur et discutiuntur decreta S. Officii recentiora de munere superioris in seminariis non cumulando cum exercitio audiendi confessiones subditorum. Alludi videtur (pag. 75) speciali cuidam responsô ad Seminarium Gallicum de Urbe directo, quod nullibi, quantum sciamus, publici iuris hucusque factum est.

Alteri dissertationi eiusdem auctoris occasionem dedit controversia nuper exorta in Belgio, utrum nempe locutio quaedam imprecatoria a plebeis in regione Flandrica saepe usurpata, esset necne blasphemia. Partem autem affirmativam quam antiqui rigoristae docuerant, graves et moderati auctores aetatis nostrae etiam propugnaverant. Verum anno 1903, Episcopi Belgae *monitum* ad clerum et populum ediderunt eo optimo consilio ut falsa conscientia de interpretatione huius imprecationis, apud plebem late vigens opportunis adhibitis mediis rectificari posset, indeque peccatorum gravitas et numerus valde diminuerentur. Auctor idcirco, expertus missionarius, quaestionem undequaque agitat, in sensum negativum, quem iam antiquitus censuerat esse verum, aptissime resolvit ac multorum coaevorum DD. sententia corroborat. Prima huius opusculi editio supradicto Episcoporum *monito* anteiverat. Haec itaque dissertatio commendari omnino meretur theologis et confessariis aliarum etiam regionum ubi idem linguae vitium, similium imprecationum abusu, latius etiam grassatur, sicut in specie accidit in media praesertim Italia. G. A.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS SEXTUS – JUNIUS 1905

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X plura statuit maximi momenti circa *actionem catholicam* moderandam et promovendam in Italia.

Lettera Enciclica del Santissimo Signor Nostro Pio per divina Provvidenza Papa X ai Vescovi d'Italia sull'azione cattolica.

AI VESCOVI D'ITALIA.

PIO PP. X.

Venerabili Fratelli, salute ed Apostolica Benedizione.

Il fermo proposito, che fin dai primordî del Nostro Pontificato abbiamo concepito, di voler consecrare tutte le forze che la benignità del Signore si degna concederci alla restaurazione di ogni cosa in Cristo, Ci risveglia nel cuore una grande fiducia nella potente grazia di Dio, senza la quale nulla di grande e di fecondo per la salute delle anime possiamo pensare od imprendere quaggiù. Nello stesso tempo però sentiamo più che mai vivo il bisogno di essere secondati unanimemente e costantemente nella nobile impresa da Voi, Venerabili Fratelli, chiamati a parte dell'officio Nostro pastorale, da ognuno del clero e dai singoli fedeli alle vostre cure commessi. Tutti in vero nella Chiesa di Dio siamo chiamati a formare quell'unico corpo, il cui capo è Cristo; corpo strettamente compaginato, come insegna l'Apostolo Paolo (1), e ben connesso in tutte le sue giunture comunicanti, e questo in virtù dell'operazione proporzionata di ogni singolo membro, onde il corpo stesso prende

(1) Ephes. IV, 16.

l'aumento suo proprio e di mano in mano si perfeziona nel vincolo della carità. E se in quest'opera di *edificazione del corpo di Cristo* (1), è Nostro primo officio d'insegnare, di additare il retto modo da seguire e proporne i mezzi, di ammonire ed esortare paternamente, è altresì dovere di tutti i Nostri figliuoli dilettissimi, sparsi pel mondo, di accogliere le parole Nostre, di attuarle dapprima in sè stessi e di concorrere efficacemente ad attuarle eziandio negli altri, ciascuno secondo la grazia da Dio ricevuta, secondo il suo stato ed officio, secondo lo zelo che ne infiamma il cuore.

Qui vogliamo soltanto ricordare quelle molteplici opere di zelo in bene della Chiesa, della società e degli individui particolari, comunemente designate col nome di *azione cattolica*, che fioriscono per grazia di Dio in ogni luogo e che abbondano altresì nella nostra Italia. Voi ben intendete, Venerabili Fratelli, quanto esse Ci debbano tornar care e quanto intimamente bramiamo di vederle rassodate e promosse. Non solo a più riprese ne abbiamo trattato a voce con parecchi almeno di voi, e coi principali loro rappresentanti in Italia nell'occasione che essi Ci recavano in persona l'omaggio della loro devozione e del loro affetto filiale ma altresì pubblicando Noi su questo argomento o facendo pubblicare con la Nostra autorità vari Atti, che tutti già conoscete. Vero è che alcuni di questi, come richiedevano le circostanze per noi dolorose, erano piuttosto diretti a rimuovere gli ostacoli al più spedito procedere dell'azione cattolica e a condannare certe tendenze indisciplinate, che con grave danno della causa comune si andavano insinuando. Però Ci tardava il cuore di rivolgere a tutti eziandio una parola di paterno conforto e di eccitamento, acciocchè sul terreno, per quanto è da Noi, sgombro dagli impedimenti, si continui ad edificare il bene e ad accrescerlo largamente. Ci è dunque ben grato di farlo ora con le presenti Nostre Lettere a comune consolazione, nella certezza che le parole Nostre saranno da tutti docilmente ascoltate e seguite.

Vastissimo è il campo dell'azione cattolica, la quale per se medesima non esclude assolutamente nulla di quanto, in qualsiasi modo, diretto od indiretto, appartiene alla divina missione della Chiesa. Di leggieri si riconosce la necessità del concorso individuale a tant'opera, non solo per la santificazione delle anime nostre, ma anche per diffondere e sempre meglio dilatare il Regno di Dio negli individui, nelle famiglie e nella società, procurando ciascuno, secondo le proprie forze, il bene del prossimo con la diffusione della verità rivelata, con l'esercizio delle virtù cristiane e con le opere di carità o di misericordia spirituale e corporale. Questo è il camminare degno di Dio, a che ci esorta S. Paolo, così da piacergli in ogni cosa, producendo frutti di ogni opera buona e crescendo nella scienza di Dio: *Ut ambuletis digne Deo per omnia placentes: in omni opere bono fructificantes et crescentes in scientia Dei* (2).

Oltre a questi, però, v'è un gran numero di beni appartenenti all'ordine naturale a cui la missione della Chiesa non è direttamente ordinata, ma che pure sgorgano dalla medesima, quasi naturale sua conseguenza. Tanta è la luce della rivelazione cattolica, che si diffonde vivissima su ogni scienza; tanta la forza delle massime evangeliche, che i precetti della legge naturale si radicano più sicuri ed ingagliardiscono; tanta infine l'efficacia della verità e della

(1) Ephes. IV, 12.
(2) Coloss. I, 10.

morale insegnate da Gesù Cristo, che lo stesso benessere materiale degli individui, della famiglia e della società umana si trova provvidenzialmente sostenuto e promosso. La Chiesa, pure predicando Gesù Cristo crocifisso, scandalo e stoltezza innanzi al mondo (1), è divenuta ispiratrice e fautrice primissima di civiltà; e la diffuse per tutto dove predicarono i suoi apostoli, conservando e perfezionando gli elementi buoni delle antiche civiltà pagane, strappando dalla barbarie ed educando a civile consorzio i nuovi popoli che al suo seno materno si rifugiavano, e dando all'intera società, bensì a poco a poco, ma con tratto sicuro e sempre più progressivo, quell'impronta tanto spiccata, che ancor oggi universalmente conserva. La civiltà del mondo è civiltà cristiana; tanto è più vera, più durevole, più feconda di frutti preziosi, quanto è più nettamente cristiana; tanto declina, con immenso danno del bene sociale, quanto l'idea cristiana si sottrae. Onde per la forza intrinseca delle cose, la Chiesa divenne anche di fatto custode e vindice della civiltà cristiana. E tale fatto in altri secoli della storia fu riconosciuto ed ammesso; formò anzi il fondamento inconcusso delle legislazioni civili. Su quel fatto poggiarono le relazioni tra la Chiesa e gli Stati, il pubblico riconoscimento dell'autorità della Chiesa nelle materie tutte che toccano in qualsivoglia modo la coscienza, la subordinazione di tutte le leggi dello Stato alle divine leggi del Vangelo, la concordia dei due poteri, dello Stato e della Chiesa, nel procurare in tal modo il bene temporale dei popoli, che non ne abbia a soffrire l'eterno.

Non abbiamo bisogno di dirvi, o Venerabili Fratelli, quale prosperità e benessere, quale pace o concordia, quale rispettosa soggezione all'autorità e quale eccellente governo si otterrebbero e si manterrebbero nel mondo, se si potesse attuare per tutto il perfetto ideale della civiltà cristiana. Ma posta la lotta continua della carne contro lo spirito, delle tenebre contro la luce, di Satana contro Dio, tanto non è da sperare, almeno nella sua piena misura. Onde continui strappi si vanno facendo alle pacifiche conquiste della Chiesa, tanto più dolorosi e funesti, quanto più la società umana tende a reggersi con principî avversi al concetto cristiano, anzi ad apostatare interamente da Dio.

Non per questo è da perdere punto coraggio. La Chiesa sa che le porte dell'inferno non prevarranno contro di lei; ma sa ancora che avrà nel mondo pressura, che i suoi apostoli sono inviati come agnelli tra' lupi, che i suoi seguaci saranno sempre coperti d'odio e di disprezzo, come d'odio e di disprezzo fu saturato il divino suo Fondatore. La Chiesa va quindi innanzi imperterrita, e mentre diffonde il Regno di Dio là dove non fu peranco predicato, si studia per ogni maniera di riparare alle perdite nel Regno già conquistato. *Instaurare omnia in Christo* è sempre stata la divisa della Chiesa, ed è particolarmente la Nostra nei trepidi momenti che attraversiamo. Ristorare ogni cosa, non in qualsivoglia modo, ma in Cristo; *quae in coelo, et quae in terra sunt, in ipso*, soggiunge l'Apostolo (2), ristorare in Cristo non solo ciò che appartiene propriamente alla divina missione della Chiesa di condurre le anime a Dio, ma anche ciò che, come abbiamo spiegato, da quella divina missione, spontaneamente deriva la civiltà cristiana

(1) I. Cor. I, 23.
(2) Ephes. I, 10.

nel complesso di tutti e singoli gli elementi che la costituiscono.

E poichè Ci fermiamo a quest'ultima sola parte della restaurazione desiderata, voi ben vedete, o Venerabili Fratelli, di quanto aiuto tornano alla Chiesa quelle schiere elette di cattolici che si propongono appunto di riunire insieme tutte le loro forze vive, a fine di combattere con ogni mezzo giusto e legale la civiltà anticristiana: riparare per ogni modo i disordini gravissimi che da quella derivano; ricondurre Gesù Cristo nella famiglia, nella scuola, nella società; ristabilire il principio dell'autorità umana come rappresentante di quella di Dio; prendere sommamente a cuore gl'interessi del popolo e particolarmente del ceto operaio ed agricolo, non solo istillando nel cuore di tutti il principio religioso, unico vero fonte di consolazione nelle angustie della vita, ma studiandosi di rasciugarne le lagrime, di raddolcirne le pene, di migliorarne la condizione economica con ben condotti provvedimenti; adoperarsi quindi perchè le pubbliche leggi siano informate a giustizia, e si correggano o vadano soppresse quelle che alla giustizia si oppongono: difendere in fine e sostenere con animo veramente cattolico i diritti di Dio in ogni cosa e quelli non meno sacri della Chiesa.

Il complesso di tutte queste opere, sostenute e promosse in gran parte dal laicato cattolico e variamente ideate a seconda dei bisogni proprî di ogni nazione e delle circostanze particolari in cui versa ogni paese, è appunto quello che con termine più particolare e certo nobile assai suol esser chiamato *azione cattolica,* ovvero *azione dei cattolici.* Essa in tutti i tempi venne sempre in aiuto della Chiesa, e la Chiesa tale aiuto ha sempre accolto favorevolmente e benedetto, sebbene a seconda dei tempi si sia variamente esplicato.

Ed è infatti da notare qui subito, che non tutto ciò che potè essere utile, anzi unicamente efficace nei secoli andati, torna oggi possibile restituire allo stesso modo; tanti sono i cangiamenti radicali che col correre dei tempi s'insinuano nella società e nella vita pubblica, e tanti i nuovi bisogni che le circostanze cambiate vanno di continuo suscitando. Ma la Chiesa nel lungo corso della sua storia ha sempre ed in ogni caso dimostrato luminosamente di possedere una meravigliosa virtù di adattamento alle variabili condizioni del consorzio civile, talchè, salvo sempre l'integrità e l'immutabilità della fede e della morale, e salvi egualmente i sacrosanti suoi diritti, facilmente si spiega e si accomoda in tutto ciò che è contingente ed accidentale alle vicende dei tempi ed alle nuove esigenze della società. La pietà, dice S. Paolo, a tutto si acconcia, possedendo le promesse divine, così per i beni della vita presente, come per quelli della futura: *Pietas autem ad omnia utilis est, promissionem habens vitae, quae nunc est et futurae* (1). E però anche l'azione cattolica, se opportunamente cangia nelle sue forme esterne e nei mezzi che adopera, rimane sempre la stessa nei principî che la dirigono e nel fine nobilissimo che si propone. Perchè poi nello stesso tempo torni veramente efficace, converrà diligentemente avvertire le condizioni che essa medesima impone, se ben si considerino la sua natura ed il suo fine.

Anzitutto dev'essere altamente radicato nel cuore che lo

(1) I Tim. IV, 8.

strumento vien meno, se non è acconcio all'opera che si vuole eseguire. L'azione cattolica (come si ritrae ad evidenza dalle cose anzidette) poichè si propone di ristorare ogni cosa in Cristo, costituisce un vero apostolato ad onore e gloria di Cristo stesso. Per bene compierlo ci vuole la grazia divina, e questa non si dà all'apostolato che non sia unito a Cristo. Solo quando avremo formato Gesù Cristo in noi, potremo più facilmente ridonarlo alle famiglie, alla società. E però quanti sono chiamati a dirigere o si dedicano a promuovere il movimento cattolico devono essere cattolici a tutta prova, convinti della loro fede, sodamente istruiti nelle cose della religione, sinceramente ossequenti alla Chiesa ed in particolare a questa suprema Cattedra Apostolica ed al Vicario di Gesù Cristo in terra; di pietà vera, di maschie virtù, di puri costumi e di vita così intemerata, che tornino a tutti di esempio efficace. Se l'animo non è così temperato, non solo sarà difficile promuovere negli altri il bene, ma sarà quasi impossibile procedere con rettitudine d'intenzione, e mancheranno le forze per sostenere con perseveranza le noie che reca seco ogni apostolato, le calunnie degli avversarî, la freddezza e la poca corrispondenza degli uomini anche dabbene, talvolta perfino le gelosie degli amici e degli stessi compagni di azione, scusabili senza dubbio, posta la debolezza dell'umana natura, ma pure grandemente pregiudicevoli e causa di discordie, di attriti, di domestiche guerricciuole. Solo una virtù paziente e ferma nel bene, e nello stesso tempo soave e delicata, è capace di rimuovere o diminuire queste difficoltà, così che l'opera a cui sono dedicate le forze cattoliche non ne vada compromessa. Tale è la volontà di Dio, diceva S. Pietro ai primitivi fedeli, che col ben fare chiudiate la bocca agli uomini stolti: *Sic est voluntas Dei, ut bene facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam* (1).

Importa inoltre ben definire le opere intorno alle quali si devono spendere con ogni energia e costanza le forze cattoliche. Quelle opere devono essere di così evidente importanza, così rispondenti ai bisogni della società odierna, così acconce agli interessi morali e materiali, sopratutto del popolo e delle classi diseredate, che mentre infondono ogni migliore alacrità nei promotori dell'azione cattolica pel grande e sicuro frutto che da sè medesime promettono, siano insieme da tutti e facilmente comprese ed accolte volonterosamente. Appunto perchè i gravi problemi della vita odierna sociale esigono una soluzione pronta e sicura, si desta in tutti il più vivo interesse di sapere e conoscere i varî modi, onde quelle soluzioni si propongono in pratica. Le discussioni in un senso o nell'altro si moltiplicano ogni dì più e si propagano facilmente per mezzo della stampa. È quindi supremamente necessario che l'azione cattolica colga il momento opportuno, si faccia innanzi coraggiosa e proponga anch'essa la soluzione sua e la faccia valere con propaganda ferma, attiva, intelligente, disciplinata, tale che direttamente si opponga alla propaganda avversaria. La bontà e giustizia dei principî cristiani, la retta morale che professano i cattolici, il pieno disinteresse delle cose proprie, non altro apertamente e sinceramente bramando che il vero, il sodo, il supremo bene altrui, in fine l'evidente loro capacità di promuovere meglio degli altri anche i veri interessi economici del popolo, è impossibile non facciano breccia sulla mente

(1) I Petr. II, 15.

e sul cuore di quanti li ascoltano e non ne aumentino le file, fino a renderli un corpo forte e compatto, capace di resistere gagliardamente alla contraria corrente e di tenere in rispetto gli avversarî.

Tale supremo bisogno avvertì pienamente il Nostro Antecessore di s. m. Leone XIII, additando, sopratutto nella memoranda enciclica *Rerum novarum* ed in altri documenti posteriori, l'oggetto intorno al quale precipuamente doveva svolgersi l'azione cattolica, cioè *la pratica soluzione a seconda dei principî cristiani della questione sociale.* Noi pure, seguendo così sapienti norme, col Nostro *Motu proprio* del 18 dicembre 1903 (1) abbiamo dato all'azione popolare cristiana, che in sè comprende tutto il movimento cattolico sociale, un ordinamento fondamentale che fosse quasi la regola pratica del lavoro comune ed il vincolo della concordia e della carità. Qua dunque ed a questo scopo santissimo e necessarissimo devono anzitutto aggrupparsi e solidarsi le opere cattoliche, varie e molteplici nella forma, ma tutte egualmente intese a promuovere con efficacia il medesimo bene sociale.

Ma perchè quest'azione sociale si mantenga e prosperi con la necessaria coesione delle varie opere che la compongono, è soprammodo importante che i cattolici procedano con esemplare concordia tra loro; la quale per altro non si otterrà mai, se non vi ha in tutti unità d'intendimenti. Su tale necessità non può cader dubbio di sorta alcuna; tanto chiari ed aperti sono gl'insegnamenti dati da questa Cattedra Apostolica, tanta la viva luce che vi hanno sparso intorno coi loro scritti i più insigni tra' cattolici d'ogni paese, tanto lodevole l'esempio che più volte, anche da Noi medesimi, si è proposto dei cattolici di altre nazioni, i quali appunto per questa concordia ed unità d'intendimenti, in breve tempo hanno ottenuto frutti fecondi ed assai consolanti.

Ad assicurarne poi il conseguimento, tra le varie opere degne egualmente di lode, si è dimostrata altrove singolarmente efficace un'istituzione di carattere generale, che col nome di *Unione popolare* è destinata a raccogliere i cattolici di tutte le classi sociali, ma specialmente le grandi moltitudini del popolo intorno ad un solo centro comune di dottrina, di propaganda e di organizzazione sociale. Essa infatti, poichè risponde ad un bisogno egualmente sentito quasi in ogni paese, e poichè la sua semplice costituzione risulta dalla natura stessa delle cose, quali egualmente per tutto s'incontrano, non può dirsi che sia propria piuttosto di una nazione che di un'altra, ma di tutte, dove si manifestano gli stessi bisogni e sorgono i medesimi pericoli. La sua grande popolarità la rende facilmente cara ed accettevole e non disturba nè impedisce alcun'altra istituzione, ma piuttosto a tutte le istituzioni dà forza e compattezza, poichè con la sua organizzazione strettamente personale sprona gl'individui ad entrare nelle istituzioni particolari, gli addestra al lavoro pratico e veramente proficuo, ed unisce gli animi di tutti in un unico sentire e volere.

Stabilito così codesto centro sociale, tutte le altre istituzioni d'indole economica, destinate a risolvere praticamente e sotto i vari suoi aspetti il problema sociale, si trovano come spontaneamente raggruppate insieme nel fine generale che le unisce, mentre pure, a seconda dei vari bisogni a cui si applicano, prendono forme diverse e diversi mezzi adoperano, come richiede lo scopo particolare proprio di ciascheduna. E qui Ci torna ben caro di esprimere la Nostra soddisfazione pel molto che in questa parte si è già fatto in Italia, con certa speranza, che posto l'aiuto divino, si faccia ancora assai più nell'avvenire, rassodando il bene ottenuto e dilatandolo con zelo sempre più crescente. Nel che si rese grandemente benemerita l'*Opera dei Congressi e Comitati cattolici*, grazie all'attività intelligente degli uomini esimi che la dirigevano e che a quelle particolari istituzioni furono preposti o le dirigono tuttavia. E però tale centro od unione di opere d'indole economica, come fu da Noi espressamente conservata al cessare dell'anzidetta Opera dei Congressi, così dovrà continuare anche in seguito sotto la solerte direzione di coloro che le sono preposti.

Contuttociò, perchè l'azione cattolica sia efficace sotto ogni rispetto, non basta che essa sia proporzionata ai bisogni sociali odierni; conviene ancora che si faccia valere con tutti quei mezzi pratici, che le mettono oggi in mano il progresso degli studî sociali ed economici, l'esperienza già fatta altrove, le condizioni del civile consorzio, la stessa vita pubblica degli Stati. Altrimenti si corre rischio di andare tentoni lungo tempo in cerca di cose nuove e mal sicure, mentre le buone e certe si hanno in mano ed hanno fatto già ottima prova; ovvero di proporre istituzioni e metodi proprî forse di altri tempi, ma oggi non intesi dal popolo; ovvero infine di arrestarsi a mezza via non servendosi, nella misura pur concessa, di quei diritti cittadini che le odierne costituzioni civili offrono a tutti e quindi anche ai cattolici. E per fermarci a quest'ultimo punto, certo è che l'odierno ordinamento degli Stati offre indistintamente a tutti la facoltà d'influire sulla pubblica cosa, ed i cattolici, salvo gli obblighi imposti dalla legge di Dio e dalle prescrizioni della Chiesa, possono con sicura coscienza giovarsene, per mostrarsi idonei al pari, anzi meglio degli altri, di cooperare al benessere materiale e civile del popolo ed acquistarsi così quell'autorità e quel rispetto, che rendano loro possibile eziandio di difendere e promuovere i beni più alti, che sono quelli dell'anima.

Quei diritti civili sono parecchi e di vario genere, fino a quello di partecipare direttamente alla vita politica del paese rappresentando il popolo nelle aule legislative. Ragioni gravissime Ci dissuadono, Venerabili Fratelli, dallo scostarci da quella norma già decretata dal Nostro Antecessore di s. m. Pio IX e seguita poi dall'altro Nostro Antecessore di s. m. Leone XIII durante il diuturno suo Pontificato, secondo la quale rimane in genere vietata in Italia la partecipazione dei cattolici al potere legislativo. Senonchè altre ragioni parimente gravissime, tratte dal supremo bene della società, che ad ogni costo deve salvarsi, possono richiedere che nei casi particolari si dispensi dalla legge, specialmente quando Voi, Venerabili Fratelli, ne riconosciate la stretta necessità pel bene delle anime e dei supremi interessi delle vostre Chiese, e ne facciate dimanda.

Ora la possibilità di questa benigna concessione Nostra induce il dovere nei cattolici tutti di prepararsi prudentemente e seriamente alla vita politica, quando vi fossero chiamati. Onde importa assai, che quella stessa attività, già lodevolmente spiegata dai cattolici per prepararsi con una buona organizzazione elettorale alla vita amministrativa dei Comuni e dei Consigli provinciali, si estenda altresì a prepararsi convenientemente e ad organizzarsi per

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 483.

la vita politica, come fu opportunamente raccomandato con la *Circolare* del 3 dicembre 1904 dalla Presidenza generale delle Opere economiche in Italia. Nello stesso tempo dovranno inculcarsi e seguirsi in pratica gli alti principî che regolano la coscienza di ogni vero cattolico. Deve egli ricordarsi sopra ogni cosa di essere in ogni circostanza e di apparire veramente cattolico, accedendo agli officî pubblici ed esercitandoli col fermo e costante proposito di promuovere a tutto potere il bene sociale ed economico della patria e particolarmente del popolo, secondo le massime della civiltà spiccatamente cristiana, e di difendere insieme gl'interessi supremi della Chiesa, che sono quelli della religione e della giustizia.

Tali sono, Venerabili Fratelli, i caratteri, l'oggetto e le condizioni dell'azione cattolica, considerata nella parte sua più importante, che è la soluzione della questione sociale, degna quindi che vi si applichino con la massima energia e costanza tutte le forze cattoliche. Il che però non esclude che si favoriscano e si promuovano anche altre opere di vario genere, di diversa organizzazione, ma tutte egualmente destinate a questo o quel bene particolare della società e del popolo ed al rifiorimento della civiltà cristiana sotto varî determinati aspetti. Sorgono esse per lo più grazie allo zelo di particolari persone e si diffondono nelle singole diocesi e talvolta si aggruppano in federazioni più estese. Ora, semprechè sia lodevole il fine che si propongono, siano fermi i principî cristiani che seguono e giusti i mezzi che adoperano, sono anch'esse da lodare e da incoraggiare per ogni modo. E si dovrà pure lasciare loro una certa libertà di organizzazione, non essendo possibile, che dove più persone convengono insieme, si modellino tutte sul medesimo stampo o si accentrino sotto un'unica direzione. L'organizzazione poi deve sorgere spontanea dalle opere stesse, altrimenti si avranno edificî bene architettati, ma privi di fondamento reale e però al tutto effimeri. Conviene pure tener conto dell'indole delle singole popolazioni. Altri usi, altre tendenze si manifestano in luoghi diversi. Quel che importa è che si lavori su buon fondamento, con sodezza di principî, con fervore e costanza, e se questo si ottiene, il modo e la forma che prendono le varie opere sono e rimangono accidentali.

Per rinnovare infine ed accrescere in tutte indistintamente le opere cattoliche l'alacrità necessaria, e per offrire occasione ai promotori ed ai membri delle medesime di vedersi e conoscersi scambievolmente, di stringere sempre meglio i vincoli della carità fraterna tra loro, d'animarsi l'un l'altro con zelo sempre più ardente all'azione efficace, e di provvedere alla migliore solidità e diffusione delle opere stesse, gioverà mirabilmente il celebrare di tempo in tempo, secondo le norme già date da questa Santa Sede, i Congressi generali o parziali dei cattolici italiani, che devono essere la solenne manifestazione della fede cattolica e la festa comune d lla concordia e della pace.

Ci resta a toccare, Venerabili Fratelli, di un altro punto di somma importanza, ed è la relazione che tutte le opere dell'azione cattolica devono avere rispetto all'autorità ecclesiastica. Se bene si considerano le dottrine che siamo andati svolgendo nella prima parte di queste Nostre Lettere, si conchiuderà di leggieri, che tutte quelle opere che direttamente vengono in sussidio del ministero spirituale e pastorale della Chiesa e che però si propongono un fine religioso in bene diretto delle anime, devono in ogni menoma cosa essere subordinate all'autorità della Chiesa e quindi anche all'autorità dei Vescovi, posti dallo Spirito Santo a reggere la Chiesa di Dio nelle diocesi loro assegnate. Ma anche le altre opere, che come abbiamo detto, sono precipuamente istituite a ristorare e promuovere in Cristo la vera civiltà cristiana e che costituiscono nel senso spiegato l'azione cattolica, non si possono per niun modo concepire indipendenti dal consiglio e dall'alta direzione dell'autorità ecclesiastica, specialmente poi in quanto devono tutte informarsi ai principî della dottrina e della morale cristiana; molto meno è possibile concepirle in opposizione più o meno aperta con la medesima autorità. Certo è che tali opere, posta la natura loro, si debbono muovere con la conveniente ragionevole libertà, ricadendo sopra di loro la responsabilità dell'azione, soprattutto poi negli affari temporali ed economici ed in quelli della vita pubblica amministrativa o politica, alieni dal ministero puramente spirituale. Ma poichè i cattolici alzano sempre la bandiera di Cristo, per ciò stesso alzano la bandiera della Chiesa, ed è quindi conveniente che la ricevano dalle mani della Chiesa, che la Chiesa ne vigili l'onore immacolato e che a questa materna vigilanza i cattolici si sottomettano, docili ed amorevoli figliuoli.

Per la quale cosa appare manifesto quanto fossero sconsigliati coloro, pochi in vero, che qui in Italia e sotto i Nostri occhi, vollero accingersi ad una missione che non ebbero da Noi, nè da alcun altro dei Nostri Fratelli nell'Episcopato, e si fecero a promuoverla, non solo senza il debito ossequio all'autorità, ma perfino apertamente contro il volere di lei, cercando di legittimare la loro disobbedienza con frivole distinzioni. Dicevano anch'essi di alzare in nome di Cristo un vessillo, ma tal vessillo non poteva essere di Cristo, perchè non recava tra le sue pieghe la dottrina del Divin Redentore, che anche qui ha la sua applicazione: *Chi ascolta voi, ascolta me; e chi disprezza voi, disprezza me* (1): *Chi non è meco, è contro me; e chi meco non raccoglie, disperde* (2); dottrina dunque di umiltà, di sommessione, di filiale rispetto. Con estremo rammarico del Nostro cuore abbiamo dovuto condannare una simile tendenza ed arrestare autorevolmente il moto pernicioso che già si andava formando. E tanto maggiore era il dolor Nostro, perchè vedevamo incautamente trascinati per così falsa via buon numero di giovani a Noi carissimi, molti dei quali di eletto ingegno, di fervido zelo, capaci di operare efficacemente il bene, ove siano rettamente guidati.

Mentre però additiamo a tutti la retta norma dell'azione cattolica, non possiamo dissimulare, Venerabili Fratelli, il pericolo non lieve al quale, per la condizione de' tempi, si trova oggi esposto il Clero; ed è di dare soverchia importanza agl'interessi materiali del popolo, trascurando quelli ben più gravi del sacro suo ministero.

Il sacerdote, elevato sopra gli altri uomini per compiere la missione che tiene da Dio, deve mantenersi egualmente al di sopra di tutti gli umani interessi, di tutti i conflitti, di tutte le classi della società. Il suo proprio campo è la Chiesa, dove ambasciatore di Dio predica la verità ed inculca col rispetto dei diritti di Dio il rispetto ai diritti di tutte le creature. Così operando, egli non va soggetto ad

(1) Luc. X, 16.
(2) Ib. XI, 23.

alcuna opposizione, non apparisce uomo di parte, fautore degli uni, avversario degli altri, nè per evitare l'urto di certe tendenze o per non irritare in molti argomenti gli animi inaspriti si mette nel pericolo di dissimulare la verità o di tacerla, mancando nell'uno e nell'altro caso ai suoi doveri; senza dire, che dovendo trattare bene spesso di cose materiali, potrebbe trovarsi solidale in obbligazioni dannose alla sua persona e alla dignità del suo ministero. Non dovrà dunque prender parte ad associazioni di questo genere, se non dopo matura considerazione, d'accordo col suo Vescovo, ed in quei casi soltanto, ne' quali l'aiuto suo è immune da ogni pericolo e torna di evidente profitto.

Nè in tal maniera si raffrena punto il suo zelo. Il vero apostolo deve *farsi tutto a tutti, per tutti salvare* (1): come già il divin Redentore, deve sentirsi muovere a pietà le viscere, *mirando le turbe così vessate, giacenti quasi pecore senza pastore* (2). Con la propaganda efficace degli scritti, con l'esortazione viva della parola, col concorso diretto nei casi anzidetti, s'adoperi adunque, a fine di migliorare eziandio, entro i limiti della giustizia e della carità, la condizione economica del popolo, favorendo e promovendo quelle istituzioni che a ciò conducono, quelle soprattutto che si propongono di ben disciplinare le moltitudini contro l'invadente predominio del socialismo e che ad un tempo le salvano e dalla rovina economica e dallo sfacelo morale e religioso. In questo modo l'assistenza del clero alle opere dell'azione cattolica mira ad un fine altamente religioso, nè tornerà mai d'impedimento, sarà anzi di aiuto al suo ministero spirituale, allargandone il campo e moltiplicandone il frutto.

Ecco, o Venerabili Fratelli, quanto ci premeva esporre ed inculcare intorno all'azione cattolica da sostenere e promuovere nella nostra Italia. — Additare il bene non basta; è necessario eseguirlo in pratica. Nel che tornerà certo di grandissimo aiuto l'esortazione vostra altresì ed il paterno vostro immediato eccitamento al ben fare. Siano pure umili i principî, purchè veramente si cominci, la grazia divina li farà crescere in breve tempo e prosperare. E tutti i Nostri diletti figliuoli, che si dedicano all'azione cattolica, ascoltino di nuovo la parola che Ci sgorga tanto spontanea dal cuore. Nelle amarezze onde siamo tuttodì circondati, se vi ha alcuna consolazione in Cristo, se alcun conforto Ci viene dalla carità vostra, se vi ha comunione di spirito e viscere di compassione, diremo Noi pure con l'Apostolo Paolo (3), rendete compiuto il Nostro gaudio con la concordia, con l'identica carità, col sentimento unanime, con l'umiltà e debita soggezione, cercando non il proprio comodo, ma il bene comune, e trasfondendo nei vostri cuori quei medesimi sentimenti, che in sè nutriva Gesù Cristo, Salvatore nostro. Sia egli il principio ad ogni vostra impresa: *Quanto voi dite o fate, sia tutto nel nome del Signore Gesù Cristo* (4); sia egli il termine d'ogni vostra operazione: *Conciossiachè da lui, e per lui, ed a lui sono tutte le cose; a lui gloria pe' secoli* (5). Ed in questo giorno faustissimo, che ricorda gli Apostoli, quando ripieni di Spirito Santo, uscirono dal Cenacolo a predicare al mondo il Regno di Cristo,

(1) I Cor. IX, 22.
(2) Matth. IX, 36.
(3) Philipp. II, 15.
(4) Coloss. III, 17.
(5) Rom. XI, 36.

discenda eziandio su tutti voi la virtù del medesimo Spirito e pieghi ogni durezza, ritempri gli animi freddi, e quanto è sviato rimetta sul retto sentiero: *Flecte quod est rigidum, fove quod est frigidum, rege quod est devium.*

Auspice intanto del divino favore e pegno del Nostro specialissimo affetto, sia l'Apostolica Benedizione, che dall'intimo del cuore impartiamo a Voi, Venerabili Fratelli, al vostro clero e al popolo italiano.

Dato a Roma presso S. Pietro, nella festa della Pentecoste, 11 giugno 1905, del Nostro Pontificato anno secondo.

PIUS PP. X.

II.

MOTU PROPRIO.

Cardinalibus Ord. presbyteralis atque diaconalis, episcopali charactere non insignitis, conceditur ius deferendi crucem pectoralem, more Cardinalium charactere ep.ali ornatorum.

PIUS PP. X.

La Croce Pettorale, distintivo particolare della dignità Vescovile, non è però talmente propria dei Vescovi, che non siasi usata nè si usi legittimamente da nessun altro Prelato; essendo a tutti ben noto, che essa a parecchi dignitari del clero secolare e regolare, venne dalla S. Sede, nelle varie epoche, accordata con opportune cautele e restrizioni, e con ampiezza più o meno notevole. Il che vedesi ammesso e confermato dal Nostro *Motu proprio* del 21 febbraio del corrente anno (1), col quale abbiamo concesso che i Protonotari Apostolici *de numero participantium,* nonchè i Soprannumerari e quelli che *ad instar Participantium* sogliono addomandarsi, *ad Ecclesiam accedentee pontificalia celebraturi, ab eaque recedentes,* possano portare la Croce Pettorale nella forma cui ivi si fa espressa menzione. — Ora, considerando che i Cardinali della Santa Romana Chiesa, secondo le sentenze adoperate dai Sommi Pontefici, Nostri Antecessori « sono i principali membri della persona del Papa; rappresentano gli Apostoli quando di Cristo erano ministri; assistono il Vicario di Dio in qualità di consiglieri e coadiutori nel governo del mondo cattolico; chiamati al Collegio Apostolico, addivengono congiudici di tutta la terra; sono simili a' re, e giustamente hanno nome di veri cardini, sui quali deve volgersi la porta della Chiesa, e salda e stabile mantenersi »; Noi pensiamo essere altamente e del tutto conveniente, ch'essi, nell'uso delle sacre insegne o distintivi, a nessun Prelato, a loro inferiore, sieno o sembrino in alcun modo secondi. — E, di conseguenza, giacchè il diritto di portare pubblicamente e privatamente la Croce Pettorale è riconosciuto in tutti i Vescovi, e, per le sacre funzioni solenni segnatamente, in non pochi altri Prelati, secolari e regolari: affinchè pubblicamente e privatamente si appalesi vie più onorata la sublime dignità Cardinalizia, ancora nei membri del S. Collegio, i quali non abbiano la consacrazione vescovile; Noi, a tutti i Cardinali presenti e futuri dell'Ordine presbiterale e diaconale, non consecrati Vescovi, concediamo, in perpetuo e senza

(1) Cfr. fasc. praec., p. 53.

limitazione veruna, di potere, in pubblico ed in privato, ornarsi della Croce Pettorale; e vogliamo ed ordiniamo che, in ciò, non siavi alcuna distinzione tra Cardinali aventi e non aventi il carattere episcopale; talchè a tutti sia concesso, e tutti debbano portare la detta Croce Pettorale, anche nella presenza del Romano Pontefice; e, da questo giorno, il diritto di decorarsene sia non meno proprio dei Cardinali non insigniti del carattere vescovile, che degli altri, e dei Vescovi del mondo intero. — Dichiariamo irrita e nulla qualunque eccezione o restrizione in contrario, e decretiamo che si debba sempre ritenere stabile e fermo quanto è contenuto in questo Nostro *Motu Proprio.*

Dato in Roma, dal Palazzo Apostolico Vaticano, questo dì 24 maggio 1905, festa della B. V. M. *Auxilium Christianorum,* anno secondo del Nostro Pontificato.

PIUS PP. X.

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

MISSIONARIORUM FILIORUM IMM. CORDIS B. M. V.

Dubia circa electionem Superioris Generalis in Capitulo extraordinario, necnon et Consultoris Provincialis aliorumque superiorum, in domibus prima vice erectis.

Beatissime Pater,

Moderator Generalis Congregationis Missionariorum Filiorum Immaculati Cordis Beatae Mariae Virginis, ad Sanctitatis Vestrae pedes humiliter provolutus, exponit ut sequitur:

I. In Constitutionum cap. III, n. 6 haec habentur: « Superioris Generalis electio fiet in Capitulo Generali suffragiorum pluralitate non quidem relativa sed absoluta: hoc autem Capitulum a duodecimo quoque anno convocabitur ». Deinde in cap. XII, n. 37 de iisdem Capitulis Generalibus statuitur: « Duodecimo quoque anno celebrabuntur a Superiore Generali convocata tempore et loco, quae ipsi opportuniora videantur ». In numero vero 39 eiusdem capitis: « Capitulum Generale praeter tempora dicta habebitur... cum ob Directoris Generalis mortem vel destitutionem novus erit eligendus ». Ex horum locorum collatione hoc dubium exsurgit: Capitulum convocatum ad electionem novi Superioris Generalis ob mortem vel destitutionem antecessoris, qui defunctus vel destitutus fuit antequam tempus duodecim annorum ab electione lapsum fuisset, habendum-ne est ut Capitulum ordinarium, in quo proinde eligi debeant Consiliarii, Minister et Procurator Generales, imo et Secretarius Generalis; vel potius est extraordinarium, ideoque solus in eo Superior Generalis eligendus usque ad proximum Capitulum Generale ordinarium, in quo eligentur Superior Generalis, eius Consiliarii, Secretarius, Minister et Procurator Generales?

II. Caput V *de Consultoribus Generalibus,* n. 19 haec statuit: « Cuiuscumque (Consultoris) defectus per alium a Directore et reliquis Consultoribus electum suppleri debebit; idemque servandum proportionaliter in aliorum Superiorum seu Consultorum defectu ». Ex hoc loco sequens eruitur difficultas: Electio pro supplendo defectu alicuius Consultoris Provincialis competitne Directori Generali cum suis Consiliariis; vel Superiori Provinciali cum altero Consultore Provinciali; nam iuxta nostras Constitutiones Superior Provincialis duos tantum habere debet Consiliarios Provinciales?

III. Inter officia Superiori Generali designata in cap. III, n. 8 nostrarum Constitutionum, hoc etiam habetur: « De omnibus, quae ad admissionem Domuum et Collegiorum, et ad Congregationis bonum spectabit permagnam habere sollicitudinem ». Quaeritur ergo utrum Superioris Generalis officium sit nominare seu eligere prima vice Superiores et Consultores Collegiorum, Domuum et Residentiarum, quae de novo erigantur; vel electio sit muneris Superioris Provincialis cum suo Consilio in cuius Provincia Collegium, Domus aut Residentia constituitur?

Sacra Congregatio E.morum ac Rev.morum S. R. E. Cardinalium negotiis et consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus in casu concernentibus respondendum censuit:

Ad I. *Negative* ad primam partem; *affirmative* ad secundam.

Ad II. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Ad III. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam.

Romae, 5 Maii 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 17 Iunii 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. CADURCEN. — Satisfactionis Missarum. — R. *Ad mentem.*

II. IANUEN., TARENTINA ET ALIARUM. — Sponsalium. — R. *Dilata et ad mentem.*

III. BAMBERGEN. — Circa eleemosynas Missarum. — R. *Communicetur Archiepiscopo resolutio diei 11 Martii 1879.*

B. — In folio.

I. Varsavien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam, praevia sanatione actorum ad cautelam.*

II. Mileten. — Matrimonii. — R. *Affirmative, monitis graviter Curiae officialibus propter violationem legum processualium, facto verbo cum SS.mo pro sanatione actorum.*

III. Papien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub secreto).

IV. S. Severinae. — Concursus. — R. *Affirmative favore sacerdotis De Mercurio.*

V. Derthonen. — Privationis paroeciae. — R. *Affirmative iuxta modum, scilicet quoad privationem paroeciae. In reliquis vero sacerdos Bidone graviter moneatur ut consulat conscientiae suae, peragat spiritualia exercitia et interim suspensus maneat a divinis.*

VI. Clavaren. — Funerum. — R. *Ad Ium. Negative dummodo non agatur de sepulchro gentilitio canonice erecto. Ad IIum et IIIum. Negative.*

VII. Cantonis Ticini. — Nominationis ad canonicatus. — R. *Ad Ium. Negative. Ad IIum. Caeteris paribus praevio examine idoneitatis et facto verbo cum SS.mo, Affirmative. Ad IIIum. Negative.*

A. — Per Summaria precum.

$\frac{4723}{4}$ I.

Cadurcen. — Satisfactionis Missarum.

In sanctuario vulgo *Roc-Amadour* specialis vigebat immemorabilis praxis circa missarum collectionem et celebrationem; quae praxis post Decretum diei 11 Maii 1904, in via iuris servari amplius nequibat. Hinc, instante Episcopo, in via gratiae aliquid fuit concessum *ad mentem.*

Episcopus Cadurcensis, sub die 29 Novembris, antiquam normam exponens, qua in propriae dioecesis Sanctuario vulgo *Roc-Amadour* acquiruntur et applicantur missae, ab H. S. C. quaerebat num illa post nuperum decretum *De observandis et evitandis* sustineri adhuc posset; atque, in casu negativo, Summi Pontificis gratiam humillime expostulabat. Iuvat referre ipsius Episcopi verba: « En effet, ait, de l'Ordonnance de notre prédécesseur datée de 1849 et qui rappelant celles de ses prédécesseurs, remonte jusqu'à 1716, il appert qu'un quasi-contrat a été passé et se reforme tous les jours entre toutes les personnes qui déposent des offrandes. Elles abandonnent le droit à ce qu'une Messe spéciale soit dite pour chaque honoraire, et, en échange, elles acceptent et exigent d'avoir part, pendant un an entier, à toutes les Messes célébrées par les Missionnaires ou Chapelains qui desservent le Sanctuaire.

« Pour les cinq dernières années, la moyenne des inscriptions de Messes demandées est de quatre mille deux cents; la grande majorité des postulants versent deux francs; un certain nombre, une somme moindre; quelques-uns une somme supérieure. La moyenne totale des quatre dernières années pour les versements est de 8423 francs. Le nombre des pèlerins est, en moyenne, de 36 à 38 mille chaque année.

« Quant à la notoriété du mode d'acquittement, *prosequitur idem Episcopus*, l'Ordonnance épiscopale..... est affichée à l'entrée de la grande église et à deux autres endroits où stationnent habituellement les pèlerins. Le prêtre qui reçoit les Messes fait toujours remarquer la combinaison à ceux qui paraissent l'ignorer; mais l'universalité des pèlerins de la région et des régions voisines la connait parfaitement bien, à cause de son antiquité, d'abord, puis parce qu'elle est rappelée, chaque année, par les prêtres de ces pays; les uns, qui craignent la disette de Messes, la blâment; les autres, qui en ont suffisamment, la recommandent. En fait, l'immense majorité connait et accepte cette façon de faire, qui leur donne droit à toutes les Messes dites dans l'année. En de très rares exceptions, les pèlerins, après renseignements obtenus, se retirent sans laisser leur offrande. On peut dire que tous les dépositaires acquiescent au quasi-contrat que formule l'Ordonnance ancienne.

« Les Messes dites par six chapelains pour acquitter les inscriptions sont, en moyenne, 2100 par année. Il y a dix ans, nous avions un chapelain de plus, et elles étaient d'environ 2400: mais alors les dépôts d'honoraires étaient un peu plus considérables. On peut donc estimer, comme d'après la moyenne des dernières années ce système porte à quatre francs environ l'honoraire des Messes célébrées ».

Facta harum precum relatione SS.mo Domino Nostro, de mandato Sanctitatis Suae, sub die 24 Decembris superioris anni, eidem Episcopo rescriptum fuit prout sequitur: « Relatis SS.mo Domino Nostro precibus A. T. circa sanctuarium loci Roc-Amadour, S. S. antequam quidquam decernat optat cognoscere quot missae et quali eleemosyna postulentur in Sanctuario, et in generali qualis sit introitus et exitus annuus eiusdem Sanctuarii, habita ratione saltem ultimi quinquennii. Praeterea scire desiderat utrum adeo publica et diffusa sit notitia de modo satisfaciendi missarum petitionibus, ut nemo vix sit qui falli possit et de fraude deinde conqueri.

« Interim vero ut A. T. omnia rite plenequè perpendere valeat et exponere, S. S. benigne indulget ut per semestre insolita praxis servetur ».

Hisce acceptis litteris, Episcopus in epistola diei 6 Martii p. elapsi, haec retulit:

« 1° Pour les cinq dernières années, la moyenne des inscriptions de messes demandées est de quatre mille deux cents; la grande majorité des postulants versent deux francs; un certain nombre, une somme moindre; quelques-uns une somme supérieure. La moyenne totale des quatre dernières années pour les versements est de 8423 francs.

« 2° Le nombre des pèlerins est, en moyenne, de 36 à 38 mille chaque année.

« 3° Quant à la notoriété du mode d'acquittement:

« *a)* L'ordonnance épiscopale que je vous ai envoyée, et dont vous avez remarqué le gros caractère d'impression, est affichée à l'entrée de la grande église et à deux autres endroits où stationnent habituellement les pèlerins.

« *b)* Le prêtre qui reçoit les messes fait toujours remarquer la combinaison à ceux qui paraissent l'ignorer; mais l'universalité des pèlerins de la région et des régions voisines la connait parfaitement bien, à cause de son antiquité, d'abord, puis parce qu'elle est rappelée, chaque année, par les prêtres de ces pays; les uns, qui craignent la disette de messes, la blâment; les autres, qui en ont suffisamment, la recommandent.

« *c)* En fait, l'immense majorité connait et accepte *cette façon de faire, qui leur donne droit à toutes les messes dites dans l'année.*

« En de très rares exceptions, les pèlerins, après renseignements obtenus, se retirent sans laisser leur offrande. On

peut dire que tous les dépositaires acquiescent au quasi-contrat que formule l'Ordonnance ancienne.

« 4° Les messes dites par les six chapelains pour acquitter les inscriptions sont, en moyenne, de 2100 par année. Il y a dix ans, nous avions un chapelain de plus, et elles étaient d'environ 2400; mais, alors, les dépôts d'honoraires étaient un peu plus considérables.

« On peut donc estimer, comme je l'ai déjà dit à Son Eminence, que les Messes sont acquittées au taux de quatre francs. C'est l'administration du sanctuaire qui encaisse toutes les sommes; elles lui servent à entretenir les missionnaires qui nous sont absolument nécessaires pour évangéliser, à peu près gratuitement, nos campagnes. La disparition des religieux nous rend leur concours plus nécessaire encore.

« C'est pourquoi je prie très humblement le Saint-Père de daigner tolérer cet antique usage: *de célébrer toutes les messes de l'année,* pour *l'ensemble des intentions* de ceux qui versent des honoraires ».

Modo iuvat in praesenti controversia nonnulla hinc inde subiicere. Et ante omnia consuetudo in Sanctuario, vulgo *Roc-Amadour* vigens nec sustineri nec tolerari posse videtur.

Quum enim S. H. C., experientia duce, ut piae fidelium voluntates non fraudentur, cautelas vel maiores adhibendas esse perspexisset, die 11 Maii 1904, apprime opportunum decretum *De observandis et evitandis* (1), edidit in quo praeter alia praecipit: pro missis manualibus « stipem a fidelibus assignatam..... nunquam separari posse a missarum celebratione ». Atqui revera separatio huiusmodi in Sanctuario de *Roc-Amadour* peragitur. Missionarii enim seu Capellani missam non litant iuxta cuiusvis oblatoris intentionem, sed « en général, et à l'intention de tous les ayant-droits » quemadmodum habet et ipsum decretum ab Episcopo Cadurcensi citatum. Ideoque unicuique missae non amplius proprium et taxatum a fidelibus stipendium correspondet.

Pacificum praeterea in iure est *tot celebrandas esse missas, quot data sunt stipendia.* Etenim decretum H. S. C., dum erat a secretis Prosper Fagnanus editum, et die 21 Iunii 1625, ab Urbano approbatum, ad 2 edicit: « Ubi pro pluribus missis etiam eiusdem qualitatis celebrandis, stipendia, quantumcumque incongrua et exigua, sive ab una sive a pluribus personis collata fuerint aut conferentur in futurum... S. Congregatio... mandat ac praecipit ut absolute tot missae celebrentur, quot, ad rationem attributae eleemosynae, praescriptae fuerint, ita ut alioquin ii, ad quos pertinet suae obligationi non satisfaciant, quinimo graviter peccent et ad restitutionem teneantur ». Quae praescriptio repetitur iterumque urgetur in Bulla *Nuper* Innocentii XII diei 23 Decembris 1697. Iamvero in themate, uti iam innuimus, missae pro pluribus stipendiis celebrantur, quae in unum congeruntur; vel saltem quaelibet missa litatur ratione duplicis eleemosynae, quum eleemosyna taxata sit 2 libellarum, et e contra sacerdotes 4 accipiant libellas.

Quapropter damnatae sunt ab Alexandro VII duae sequentes propositiones: « Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere » et « Non est contra iustitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, et sacrificium unum offerre ». Ratio praecipua est, quia ut docet Card. Bona, *(De Missa Cap. 1, § 4)*: « de fructu medio (*qui in missa in favorem oblatorum cedit*) communis sententia est non esse infinitum extensive, sed eo magis in singulis minui, quo magis extenditur ».

Mos in praefato Sanctuario extans reprobatur, etiam ex facto remotionis, ab H. S. C. praeceptae, capsularum, quae in quibusdam ecclesiis exponebantur cum inscriptione: *Eleemosyna pro Missis*, aut alia simili. Hoc enim factum fuit, ut tradit Pasqualigo *(De sacrificio novae legis, tom. 2, quaest. 958, n. 1 et 2)* tum « ob inconvenientia, quae inde sequebantur, praecipue quia non celebrabantur missae iuxta intentionem exhibentis eleemosynam... sive *quoad numerum* sive quoad tempus celebrandi; tum denique quia *celebrabantur nonnullae missae in confuso pro omnibus; non autem tot, quot corresponderent stipendiis congruis* ». « Quinimo, prosequitur idem auctor, quum deinde dubitatum fuisset, an praesens decretum comprehenderet, quae *(nempe capsulae)* in die commemorationis omnium defunctorum apponi solebant in ecclesiis pro colligendis stipendiis in ordine ad celebrandas missas, quae vulgo dicuntur *Casse de' morti*, et dubium propositum fuisset; S. C. respondit, quod sub dicto decreto comprehenderentur... Militat enim etiam quoad has capsulas ratio finalis prohibitionis aliarum capsularum » Iamvero eadem finalis prohibitionis ratio, nempe *quod missae saltem celebrantur in confuso pro omnibus*, militat, uti per se patet, in casu praesenti; hinc etiam ad eum prohibitio extendenda videtur.

Insuper haec intentionum confusio ita absona apparet menti H. S. C., ut quum ipsa nuperrime interrogata fuerit: « An liceat Ordinario omnibus his missis *(a pluribus videlicet offerentibus acceptis)* communem intentionem (ad intentionem dantium) praescribere, etsi a primariis offerentibus speciales intentiones praescriptae fuissent »; die 27 Februarii mox elapsi in *Leopolien.*, ad 5um (1) respondit: « Sufficere ut sacerdotes celebrent iuxta mentem Ordinarii; qui tamen intentionem pro singulis offerentibus efformare *debet* iuxta regulas a probatis theologiae moralis auctoribus traditas. *Melius* tamen esse si patefiant sacerdotibus intentiones praescriptae ».

Obiicienti autem consensum oblatorum ita respondet Pasqualigo (*loc. cit. n. 4*): « Et ita etiam exigit ratio iustitiae; nam quamvis fieri possit quod aliquis ex iis, qui praebent huiusmodi eleemosynas, contentus esset quacumque satisfactione, quae eleemosynae corresponderet; haec tamen intentio non poterat praesumi in omnibus, et ideo ut plurimum defraudari poterant suo fine, et non obtinere id, cuius intuitu exhibebant eleemosynas... » Hoc verificatur in themate. Sane quum ex una parte omnes oblationes in cumulum immittantur, et ex altera vero parte prohibeantur in genere sacerdotes iuxta particularem intentionem celebrare, veluti constat ex citato Decreto: « Les missionnaires pourront aussi, *mais le plus rarement possible* dire la messe à l'intention particulière des personnes... »; fideles non omnino libere sed quasi coacte adiguntur iuxta sanctuarii praxim committere missarum celebrationem. Eo vel magis quod, licet non omnes qui forsan ob respectum humanum, teste Episcopo, « *acquiescent* au quasi-contrat que formule l'Ordonnance », tamen nonnulli « après renseignements obtenus, se retirent sans laisser leur offrande ».

Caeterum, etiam dato et non concesso, quod in casu habeatur verus ac liber offerentium consensus, tamen hic non censetur sufficiens ad hoc ut aliquo modo confirmari valeat praefata praxis. Nam in nuperrima causa *Bredanen.*, die 25 Februarii (2) currentis anni apud H. S. C. agitata, quamvis Episcopus Bredanensis in secundo dubio exposuisset *adesse consensum fidelium* ad hoc ut parochi pro sua sustentatione retineant partem stipendii relate ad missas, quae Romam mittuntur, tamen prodiit responsum negativum.

Nec plus valere potest consuetudo licet immemorialis ab Episcopo Cadurcensi in medium adducta; quum haec potius quam interpretatio legis dicenda videatur legis corruptela.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 202.

(1) Cfr. fasc. praec., pag. 124.

(2) Cfr. fasc. praec., p. 70.

Etenim iam tempore Urbani VIII, S. H. C. auctoritate eiusdem Pontificis sibi specialiter attributa « revocavit privi- « legia et indulta omnia... quamcumque ob causam concessa, « quibus indulgetur ut certarum missarum celebratione...: « plurium missarum oneribus *in futurum* suscipiendis sa- « tisfiat ».

Proinde huiusmodi prohibitio non tantum praeterita, sed futura quoque tempora respicit. Et ipsae formulae derogatoriae, quae in subsequentibus hac de re decretis Pontificiis non exluso postremo *De Observandis* repetuntur, ad idem intendere videntur.

Praeterea iam pluries citatum Decretum *De Observandis* haec habet: « Item sine nova et speciali S. Sedis venia (quae « non dabitur nisi ante constiterit de vera necessitate et « cum debitis et opportunis cautelis) ex eleemosynis missa- « rum, quas fideles celebrioribus sanctuariis tradere solent, « non licere quidquam detrahere ut ipsorum decori et orna- « mento consulatur ». Uti patet, urgente vera necessitate, Pontifex pronus est concedere ut aliquid detrahatur pro cultu sanctuariorum, sed pro sustentatione et necessitate ministrorum, ne verbum quidem. Unde prolata ab Episcopo necessitas etsi revera adsit, non videtur esse titulus sufficiens in praefata praxi perseverandi. Eo vel magis quod, ut habet Benedictus XIV, *(De sacrif. Missae, lib. 3, cap. 21, n. 11)*: « Necesse non est ut eleemosyna tanta sit, quae integram « sustentationem sacerdoti, ea die, qua celebrat, suppeditet. « Etenim sicut optime perpendit Suarez) *tom. 3, in 3 part.* « *disp. 83, art. 6, sect. 2, conclus. 4)* actio sacrificandi non « requirit integrum diem, neque maiorem eius partem, unde « non est, cur sacerdos propter hoc solum ministerium integre « alatur ab eo, pro quo sacrificium offert. Accedit neminem « saecularem ad sacros ordines promoveri, qui sufficiens be- « neficium aut patrimonium non habeat, nec ullum ad re- « ligionem admitti, qui ex Monasterii redditibus aut con- « suetis eleemosynis ali nequeat, ex quo fit, ut nullus co- « gatur victum sibi comparare ex solo missarum stipendio... ».

Quinimo ulterius procedit Clericatus, citans Gobat, *tract. 3, n. 568*, « non est probabilis dicta gravis necessitas, nisi in « Religiosis malae vitae et ad vitia propensis; et etiam in « casu inculpabilis supervenientis paupertatis, missa non « est instituta instar mechanicae artis ad sustentandam vi- « tam corporalem sacerdotum ».

Quibus omnibus accedit, quod Cappellani Sanctuarii de *Roc-Amadour*, utpote custodes ipsius Sanctuarii, alias fidelium oblationes forte recipiunt, quibus propriae sustentationi provideri possunt. Et in ipso sacri ministerii exercitio extra Sanctuarium, dum nempe sacras missiones in dioecesi peragunt, aliquid pro suis laboribus saltem victum recipere videntur, sicuti innuitur ab ipso Episcopo, qui refert eiusmodi Cappellanos evangelizzare pagos « à peu près gratuitement ». Unde dicti Capellani speciali taxa 2 libellarum pro qualibet missa contenti esse possunt, dum dioecesana taxa multo minor existit.

Demum praetereundae non sunt querelae aliorum dioecesis presbyterorum, qui cum, fatente Episcopo, deficiant missarum eleemosynis, praxim in Sanctuario de *Roc-Amadour* acriter mordent; quibus proinde provideri potest per inolitae praxis abolitionem.

Ex altera vero parte videtur enunciata praxis si non in linea iuris, in linea saltem gratiae admitti posse.

Imprimis enim certum est ex omnium offerentium consensu posse unius missae applicatione pluribus eleemosynis satisfieri. Hoc declaravit S. C. de Propaganda Fide, die 13 Aprilis 1807, in Decreto pro Chaldaeis, ubi ad rem nostram haec habet: « Singuli sacerdotes sacrificium missae licite « valeant celebrare iuxta mentem eorum, qui voluntarias « oblationes exhibent. Quod si secundae et ulteriores obla- « tiones pro eiusdem sacrificii applicatione superadduntur, « sacerdos, qui eas receperit, semper teneatur monere fideles « posteriore loco offerentes de aliis oblationibus ad eiusdem « finem acceptis, et nisi iidem offerentes unica missae cele- « bratione re voti compotes fore declarent, sciat se unico « sacrificio plurium voluntati minime satisfacturum... » Et ipsa S. Congr. Concilii, die 27 Ianuarii 1877, perpensis dubiis ab Episcopo Roffensi propositis circa consuetudinem in illa dioecesi extantem, unicam nempe missam canendi in die commemorationis omnium fidelium defunctorum pro tota pecunia, quae a fidelibus eadem die offertur, quaeque liquando plurium centenarum missarum eleemosynas exaequat, rescribendum censuit: « Nihil innovetur; tantum apponatur ta- « bella in ecclesia, qua fideles doceantur quod illis ipsis elee- « mosynis una canitur missa in die commemorationis omnium « fidelium defunctorum ». Quae responsio maius acquirit pondus, si prae oculis habeatur etiam observatio eiusdem Episcopi Roffensis, quae in supplicatione ita legitur: « Inter « eos, qui pecuniam hoc modo *(nempe pro unius missae* « *celebratione in die omnium fidelium defunctorum)* con- « tribuunt, plurimi sunt de quibus dubitari merito possit « utrum eam hoc modo collaturi forent si rite edocerentur « animabus purgatorii, quas sic iuvare intendunt, melius « provisum iri si tot missae pro iis, licet extra diem com- « memorationis omnium fidelium defunctorum, celebrarentur, « quot iuxta taxam dioecesanam continentur stipendia in « summa totali sic contributa ». Cfr. Collectanea S. C. de Propaganda Fide sub nn. 875 et 893.

In themate autem habetur explicitus oblatorum consensus; uti plene testatur Episcopus.

Ex quibus omnibus patet, non solum peculiares dispositiones in episcopali decreto contentae maxima pollere publicitate, sed iisdem fideles plene adhaerere; ideoque exsurgit veluti quasi-contractus, vi cuius oblatores sese adstringunt ad eleemosynas tradendas pro quotidiana missarum celebratione, et Cappellani ad eas quotidie celebrandas iuxta generalem offerentium intentionem.

Unde Pasqualigo *(loc. cit., quaest. 949, n. 1)* tradit: « Certum est quod si offerentes contenti sint, quod eadem missa applicetur pro pluribus ita ut omnes simul admittantur ad participandum fructum, prout est ipsis communicabilis, satisfaciet sacerdos obligationi contractae ex illis stipendiis, quia offerentes non exigunt tot missas quot sunt stipendia, sed unicam tantum, et tamquam concurrentes ad eamdem missam intendunt solum de ipsius fructu simul participare: quod locum habet etiamsi illa stipendia excederent iustum stipendium taxatum, imo sufficerent pro iusto stipendio plurium missarum. Neque enim sacerdos ad plus obligatur, quam exigant exhibentes stipendium, et satisfacit obligationi, quando solvit quod intuitu stipendii conventum est ». Et ratio est quia volenti et consentienti nulla fit iniuria.

Decreta autem, quae contra obiiciuntur, vi quorum *tot missae celebrandae essent, quot acceptae sunt eleemosynae* intelligenda sunt in genere, quando nempe non constat de fidelium consensu de celebranda unica missa pro pluribus stipendiis, velut ex ipso decisionum contextu liquet. Insuper capsulae in quibusdam ecclesiis extantes ideo prohibitae fuerunt a S. Sede, quia hoc modo non cognoscebantur fidelium intentiones. In themate e contra quisque fidelis propriam intentionem pandit praefecto Sacrarii, qui eam in libro applicationum inscribit eamque efformat in missis pro celebratione tradendis. Quapropter H. S. C. in citata *Leopolien.*, quamvis melius dicat esse si patefiant sacerdotibus intentiones a fidelibus praescriptae, permittit tamen ut Or-

dinarius intentionem pro singulis offerentibus efformet. Et eadem S. C. in altera *Bredanen.*, respondit quidem *Negative* ad Episcopum exponentem detrahi a Missarum stipendiis fere dimidiam partem, sed addit *Ad mentem.* Mens autem, fuit quod gratia concedebatur, sub quibusdam cautelis et limitationibus. Caeterum consensus fidelium illo in casu non apparet tam evidens et liber uti in casu praesenti.

Hisce accedit consuetudo immemorabilis, quae praxim in sanctuario inolitam confirmat. Etenim decretum episcopale diei 1 Septembris 1849, ita incipit: « Vu l'ordonnance de Mgr de La Luxerne, Evêque de Cahors, en date du 17 Novembre 1716, portant qu'en vertu de l'usage établi dans l'église de Rocamadour, on continuerait à dire, en général, à l'intention de tous les ayants droit, les Messes offertes à la chapelle de Notre-Dame ». Uti patet, haec consuetudo iam ab anno 1716 existebat in praefata ecclesia, ac proinde immemorabilis dicenda est. Atqui omnibus notum est talem consuetudinem habere ex iure vim tituli seu privilegii, quemadmodum arguitur ex cap. *Super quibusdam 26* de Verbor, signif., ubi Glossa verb. *Non extat memoria* eodem modo concludit et passim unanimiter DD. admittunt.

Clausulae autem derogatoriae, quae in contra citatis decretis habentur, respiciunt consuetudines et privilegia concessa iis, qui certarum missarum oneribus satisfaciebant *absque oblatorum consensu;* proinde ad rem nostram invocari nequeunt.

Nec satis. Nam, ut refert ipse Episcopus. « Il existe en beaucoup d'endroits des associations d'après lesquelles, pour une somme relativement faible, on acquiert un droit sur toutes les messes qui se disent au nom de l'Association. Il se passe, ici, quelque chose de semblable ». Imo casus videtur identicus, ac proinde non apparet ratio cur hoc permittatur iisdem associationibus, et negatur sanctuario Rocamadour. Hae Associationes vigent etiam Romae, inter quas recensenda est illa in ecclesia S. Caroli *al Corso* olim existens, modo translata ad eccles. S. Iosephi Cong. Piorum Operariorum, quae unoquoque mense missam pro animabus Purgatorii celebrat post acceptam a fidelibus ad hoc eleemosynam.

Quo vero ad obiecta ex recenti decreto *De observandis*, reponi in primis potest, ibidem non prohiberi absolute separationem eleemosynae a missae celebratione, sed tantummodo ne in alias res commutetur aut etiam imminuatur, veluti idem decretum subdit. Deinde quamvis citatum decretum edicat, quod S. Sedes non dedignatur concedere, extante vera necessitate, ut aliquid detrahatur pro decore et ornamento sanctuarii, non ideo excludit quod ipsa, eadem extante imo maiori necessitate, nunquam concessura sit detractionem eleemosynarum pro sustentatione ministrorum in iisdem sanctuariis habitantium. Maius enim decus ac ornamentum provenit sanctuario ex sacris administris, quam ex materiali apparatu. Quinimo H. S. C. in decreto *Societatis SS. Salvatoris* ad IV die 27 Februarii (1) currentis anni, quin stricta appareret necessitas, concessit gratiam retinendi duo pro singulis centenis stipendiorum in utilitatem Collegii Mariani Romani eiusdem Societatis. Sed in casu proposito adest maxima necessitas, quam describere iuvat iisdem verbis Episcopi Cadurcensis: « L'excédent d'honoraires n'est pas employé à des embellissements luxueux, car il nous le faut pour entretenir les chapelains du sanctuaire. *Leurs services sont absolument nécessaires au Pèlerinage* pendant une grande partie de l'année; le reste du temps ils donnent des missions dans les paroisses pauvres du diocèse. Nous ne pouvions nous passer d'eux jusqu'ici; la disparition des Religieux Capucins que nous possédions à Cahors nous les rend plus précieux que jamais »; et iterum: « *Les missionnaires nous sont absolument nécessaires* pour évangéliser... nos campagnes ».

(1) *Item*, p. 124.

Concludendum igitur est quod, si praxis in casu sustineri nequeat in via iuris, saltem tolerari possit pro gratia.

Quare, etc.

Emi Patres rescripserunt: *Ad mentem.*

$\frac{1983}{5}$ III.

Bambergen. — Circa eleemosynas Missarum.

Postulanti Archiep.o an sacerdotes, in casu, missam cum cantu celebrantes, possint tradere taxam dioecesanam pro missis lectis normatam, reliquam partem pro se retinendo, S. H. C. respondit: Communicetur Archiep.o resolutio diei 11 Martii 1879.

Die 14 Maii an. 1900, S. H. C., expetente Ordinario Bambergensi, facultates ad quinquennium prorogavit: 1° ut omnes dictae Archidioeceseos sacerdotes ob horum penuriam binando celebrantes, pro secunda Missa stipendium accipere, et illud in favorem seminarii puerorum Archiepiscopo tradere possent; — 2° ut idem liceret parochis et curatis pro celebratione diebus festivis a Pio VI suppressis, quo etiam in casu dicta stipendia Archiepiscopo in favorem seminarii dioecesani essent tradenda.

Interim occasione qua eiusdem indulti prorogatio iterum expostulata est, die 7 Aprilis currentis anni huiusmodi dubii solutio expetita insimul fuit scilicet « utrum sacerdotes privilegio dicto utentes, etiam in casu si missam cum cantu celebrent, teneantur integrum stipendium inde perceptum tradere; an ipsis liceat taxam dioecesanam tantum pro missis lectis normatam tradere, reliquam autem stipendii partem (ut remunerationem maioris laboris pro missis cantandis erogatam) pro se retinere ».

Ut aliquid de more innuam, quaedam in iure praemittenda esse censeo, quae ad dubii solutionem inservire possunt.

Etenim certum est, praesertim prout constat ex Const. Urbani VIII *Cum saepe* diei 2 Iunii 1625, eleemosynam seu stipendium pro Missa celebranda oblatum, licet pinguissimum, illi ex integro tribuendum esse, qui celebrationis laborem tulit, quicumque sit qui eam celebret. Huius profecto rationem tradit Pignatellus *Consult. Canonic. tom. IV, consult. 227, num. 7 et seqq.*, animadvertens quod, cum ille qui stipendium recipit eo ipso ad offerendum sacrificium adstringitur, si idem onus in alium sacerdotem transferat, integrum ei stipendium dare tenetur: nam retinens sibi partem non habet iustum titulum retinendi, et ideo laedit eum in quem transfert onus missas celebrandi, necnon eum a quo idem stipendium accepit, cum iste illud destinarit pro sustentatione celebrantis, et non pro lucro alterius: « Nec refert (addit idem Pignatellus) quod exhibeat stipendium taxatum. Nam dans pingue stipendium, totum dat intuitu oneris quod imponit, et intendit dare intuitu tantum ministerii... »

His praelibatis, sacerdotes necnon parochi et curati dicto privilegio utentes in casu, etiamsi missam cum cantu celebrent, videntur teneri integrum stipendium inde perceptum Ordinario tradere. Siquidem explorati facti est Apostolicum indultum ipsis concessum, haud absolute et inconditionate datum fuisse, sed ea lege ut oblatum ipsis stipendium Archiepiscopo in favorem seminarii dioecesani sit tradendum. Proinde sicut eleemosyna, prout supra adnotatum est, ex

integro celebranti est tradenda cum hanc offerens totam det intuitu oneris quod ei imponit, a pari aequum est ut stipendium, pro quo percipiendo indultum secundam Missam celebrandi concessum est, in favorem seminarii dioecesani integrum cedat, quin proinde ipsi partem pro se retinere valeant. Eo vel magis, quod si iisdem sacerdotibus, tradito stipendio Episcopo a statutis dioecesanis taxato, reliquam ipsius partem fas esset retinere, Pontificis indultum haud unice seminarii dioecesani favorem respexisset.

Nec iis suffragari posse videtur ratio maioris laboris, quem in missis cum cantu celebrandis perferre solent. Siquidem, praeterquamquod concessum indultum hanc distinctionem non respicit, ut ipsi tuto eiusdem stipendii excessum percipere possint, oporteret ut certo constaret hunc revera vel intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum in Missis subeundum offerri. Idque H. S. C. praxi consonum esse scimus. Revera, cum plures Episcopi in Galliis Apostolicum obtinuissent indultum, cuius vigore parochi iis diebus, quibus aliunde Missa pro populo dicenda foret, stipendium perciperent, ea tamen lege ut illud pro piis operibus Dioecesanis a S. Sede determinatis impenderetur; parochi non pauci misso ad Episcopos stipendio a statutis dioecesanis taxato, reliquam eius partem ex pinguioribus eleemosynis evenientem servari sibi licitum esse sustinebant. Unde cum Lugdunensis Card. Archiepiscopus, die 11 Martii 1879 supplicem H. S. O. libellum obtulisset, expetens quid esset sentiendum de hac parochorum agendi ratione, Eadem S. C., die 31 Ianuarii 1880, proposito dubio: « *An Parochi misso ad Episcopum stipendio a statutis Dioecesanis taxato valeant sibi Missarum eleemosynae excessum retinere in casu* », respondit: « *Negative, nisi morali certitudine constet excessum communis eleemosynae oblatum fuisse intuitu personae, vel ob maiorem laborem aut incommodum* ».

Ex his itaque infertur offerentium intentionem quoad dictum excessum haud facile esse praesumendam, sed oportet ut vel expressa sit, vel ex indiciis non aequivocis erui possit, quae eamdem moralem certitudinem pariant.

Quare, cum in eodem indulto distinctio haud adhibeatur inter Missas lectas et cum cantu celebrandas, pro quibus pinguius ipsis stipendium datur, nec moralis adsit certitudo excessum communis eleemosynae offerri intuitu personae vel ob maiorem laborem aut incommodum, percepta in utroque casu stipendia, quaecumque ea sint, in favorem eiusdem seminarii ex toto tradenda esse viderentur.

Neque praetereundum quod si dictis sacerdotibus reliquam stipendii partem, quam ex Missis cum cantu percipiunt pro libitu sibi liceret retinere, abusibus etiam aperiretur via, cum non semper constet num pinguius stipendium intuitu personae vel maioris laboris sive incommodi oblatum fuerit, vel potius dicti seminarii dioecesani favore. Quin imo effraenatae lucri cupidini panderetur via, eo quod ipsi pro huiusmodi excessu percipiendo Missas cum cantu celebrandas crebro quaeritare possent; itemque haec excessus retentio nimium in damnum ipsius seminarii vergere posset, ideoque ipsius concessi indulti finis frustraretur.

Ex adverso quaedam favore ipsorum sacerdotum animadverti possunt.

Etenim quamvis sacerdos committens alii sacerdoti Missam celebrandam prohibeatur ne partem recepti stipendii retineat, quidam tamen dari possunt aliquando tituli ipsi celebrationi extrinseci, quibus extantibus, tradita sacerdoti celebranti eleemosyna iuxta regionem taxata, eiusdem excessus retineri quidem possunt.

Plures autem iuxta communem doctrinam huiusmodi tituli esse possunt atque verificari, videlicet cum eleemosyna assueta pinguior concedi solet, vel intuitu personae, scilicet propter ipsius dignitatem, officium, paupertatem etc.; vel intuitu laboris extraordinarii, prouti si agatur de Missa cum cantu vel nimis cito, aut nimis sero celebranda, vel denique si aliquod iter sit faciendum, etc. Hi profecto tituli cum per accidens solum spirituali ministerio annectantur, sunt per se praetio aestimabiles, prout habent Reiffenst. *Theolog. Moral. Tract. 5, dist. 3 concl. 4, num. 27*, et Amostaz *de Causis Piis, lib. 2, Cap. 4, num. 2;* idemque ex supra relata S. H. S. resolutione deducitur, atque ex *Colonien. d. 25 Iulii 1874.*

Unde sicut si unum ex hactenus adductis, fortius autem si omnia verificentur, sacerdos Missam celebrandi onus in alium transferens, potest assueti stipendii excessum sibi retinere, ita pariter in casu sacerdotes necnon parochi et curati cum cantu Missam celebrantes, huius laboris extraordinarii intuitu, viderentur ipsarum Missarum eleemosynae excessum dioecesana taxa favore ipsius seminarii impemdenda. Eo vel magis si haud facile praesto sint sacerdotes quibus hoc munus demandetur, aut idem onus in se suscipere nolint, vel beneficiales redditus quibus gaudent exigui sint. In casu autem penuria sacerdotum revera adesse videtur, cum hanc ob rationem ab Archiepiscopo Bambergensi binandi indultum petitum fuisse sciamus.

Quare hac super re idem Ordinarius, huius penuriae, laboris extraordinarii etc. ipsius celebrantis rationem habere poterit; adeo ut relicta stipendii parte Missam cum cantu celebranti, facilius dioecesana taxa favore seminarii cedat.

Neque ipsa moralis certitudo in casu abesse videtur dictum stipendii excessum intuitu personae offerri, cum Bambergensis Ordinarius declaret eiusdem stipendii partem revera — ut remunerationem maioris laboris pro missis cantandis erogari.

Verum quid in themate potius tenendum sit erit EE. VV. definire.

Quare etc.

Responsum fuit: *Communicetur Archiepiscopo resolutio diei 11 Martii 1879.*

B. — In folio.

4541/3 I.

Varsavien.-Lublinen. — Nullitatis matrimonii.

Decernitur matrimonium fuisse irritum in casu, nam oratrix vim et metum ex parte patris iniuste et graviter passa fuerat.

Varsaviae, die 4 Februarii an. 1893, rite nuptiae inter Sophiam et Ioannem, adstante Episcopo, celebratae sunt.

Hae tamen utpote reluctante muliere initae haud fauste successerunt. Eiusdem enim pater refert quod, ut mutuo cuiusdam demortui amici sui desiderio Aemiliani satisfaceret, cui pridie mortis curam filii Ioannis promiserat, huic propriam filiam Sophiam in matrimonium dare statuit: « difficile enim (ait pater) mihi erat deserere propositum tam a me desideratum ».

Ut autem filiae animum ad nubendum eidem Ioanni flecteret, hunc laudibus extollendo, suasionibus prius erga ipsam usus est. Dein cum cerneret nullo modo eam Ioannis amori assentire velle, eoque magis quia ab uxore resciverat Sophiam iam antea alium iuvenem deperire, minis, ac aliquando, uti ferunt, verberationibus, necnon proposito pluries pandito sibi mortem consciscere, nisi illi nuberet, ipsam ad hoc ineundum matrimonium coëgisse videtur. Haec sane

idem fassus est: « alta voce dixi uxori et filiae, me non posse ulterius haec omnia sustinere, interruptionem cum Ioanne me vita luiturum esse, vel ipsi mihi manus impositurum esse...

« Circa mensem Decembrem inopinate ab uxore didici, filiam amorem nutrire a longo iam tempore ad quemdam iuvenem, qui observantiae dignus nullo modo videbatur. Tunc demum perspexi periculum quod imminebat non solum meae filiae, sed et familiae nostrae, et statui, nullius ratione habita, matrimonium cum Ioanne, etiam adhibita vi, ad effectum perducere.

« Cessavi passive me habere, atque districte et fortiter a filia postulavi, ut consentiret matrimonio cum Ioanne.

« ...Hodie cum dolore profiteor, me solum fuisse auctorem vinculi contracti contra leges divinas et humanas ».

His itaque mota Sophia, cum et ipsius mater ad idem matrimonium impediendum impar esset, praecipue propter timorem, ut haec fatetur, ne maritus vita periclitaretur, licet invita, ad altare Ioanni nuptura perrexit, ibique, adstantis patris metu, ut eadem refert, suum expressit consensum.

Nuptiis celebratis, neosponsi vespertinis illius diei horis viri domum petierunt, ibique spatio duorum annorum, iuxta sponsam eiusque patrem, vel tribus fere annis, iuxta virum, simul cohabitarunt. Fatetur hic Sophiam tantum in principio cohabitationis, quamvis invitam, matrimoniale explevisse debitum, unumque ex eis infantem natum fuisse.

Verum cum comperisset uxoris aversionem quotidie erga eum augeri, mariti iura urgere desinit, atque Nicaeam profectus est. Interea Sophia cum aegrotare coepisset, medici consilio in aliud pagum hiemandi causa ducta est, eiusque pater, attenta implacabili illius aversione erga sponsum, ut paternam repeteret domum annuit. Ex eo tempore haud amplius coniugalis inter ipsos vita instaurata fuisse videtur.

Haec quidem ipsa fassa est: « Pater ipse cogebat me, ut nuberem Ioanni; faciebat hoc blande suadens et sollicitans; sed videns odium meum, impensius coepit instare, hanc esse» aiens, suam voluntatem; exhereditare minabatur; vehementer irritatus trusit me semel.

« ...Aliquot dies ante nuptias vita privari volui, adii in porticum indusio macerato induta, qua de causa me perfrixi, et per aliquot dies in lecto delitui.

« ...Omnino moraliter fui certa, quod nisi nupserim Ioanni suicidium a patre patratum iri. Hoc movit me, ut voverim Ioanni.

« ...Coitus maritales habueram aliquoties vi coacta. Uxorem legalem me esse putavi.

« ...Marito fui molestissima, et fere post annos duos propter odium deserui eum ».

Exinde, die 22 Maii 1897, supplici ipsa oblato libello, Varsaviensem adiit Curiam, expetens ut matrimonium a se cum Ioanne contractum, nullum ex defectu consensus declararetur.

Eadem Curia, tribunali constituto, utrumque coniugem, necnon septem ab actrice inductos testes fide dignos sub iuramento excussit. Vir autem cum hos ex parte sua, ut videtur, non haberet, nullum produxit.

Tali modo, processu expleto, Varsaviensis Curia, die 18 Martii 1899, existimans coactionem a patre filiae illatam requisitis a iure canonico notis ad nullitatem matrimonii decernendam carere, idem validum declaravit.

Cum actrix ab hac sententia ad Iudicem delegatum Apostolicum Lublinensem appellasset, hic habita ratione quod testes ab eadem actrice producti facta coactionis pauciora referrent, quam ut ex iis vis et gradus eiusdem coactionis aestimari posset; necnon iudicans non satis constare utrum

coactionis media a patre in filiam adhibita, fuerint continua» die 31 Maii eiusdem anni, Varsaviensem sententiam confirmavit.

Animadvertendum tamen in priori processu actricis parentes haud fuisse auditos, tum scilicet quia, prout Varsaviensis Iudicii notarius declarat, Sacramenti matrimonii defensor haud postulaverat, nec actrix ut examinarentur petierat, eo quod putaret illatam sibi vim sat superque a testibus in eadem Curia excussis demonstratam esse; tum etiam quia, ut idem adnotat: « Pater oratricis graviter corde « laborat: timebatur igitur, ne excussio iudicialis grave de« trimentum debili valetudini eius afferret; sola vero mater, « inscio viro, vix in iudicium citari poterat ».

Postulante itaque actricis procuratore ut eiusmodi defectus supplerentur, iidem duo testes, pater scilicet et mater, sub iuramento percontati sunt. Quibus perpensis, atque accuratius prioribus examinatis actis, eadem Lublinensis Curia aversionem actricis eiusdemque erga Ioannem odium sufficienter uti probata iudicavit, pariterque vim et metum ei a patre illatum gravem et iniustum esse censuit. Unde die 8 Novembris 1900, Varsaviensem sententiam infirmando, suamque etiam revocando, dictum matrimonium, utpote cum impedimento canonico vis et metus initum ex parte actricis, nullum irritumque declaravit *(Summ. pag. 69)*.

Item Varsavien. Archiepiscopus, prout die 22 Februarii 1901 ab H. S. O. rogatus fuerat, denuo perpensis actis, et praecipue parentum actricis depositionibus, d. 3 Maii eiusdem anni, significavit, se pro certo habere Sophiam, utpote unice gravi metui atque morali et aliquatenus physicae patris violentiae obnoxiam, haud sponte Ioanni nupsisse; ideoque matrimonium nullitate laborare et ipse declaravit. Testes omnes et praesertim actricis parentes omni exceptione maiores esse edixit, eiusque preces S. H. C. commendavit.

Re itaque mature perpensa, ad

DUBIUM

An sententia Curiae Lublinensis diei 8 Novembris 1900 sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Sententiam esse confirmandam, praevia sanatione actorum ad cautelam.*

$\frac{1627}{4}$ II.

Mileten. — Matrimonii.

Quum Officiales Curiae enormiter violassent, in casu, leges processuales, illos graviter moneri, iure merito iussit S. Congr.; sed quum aliunde satis constet de matrimonii nullitate, illa proclamata fuit, facto verbo cum SSmo pro sanatione actorum.

Die 27 Aprilis 1887, coram Ecclesia matrimonium initum est inter Catharinam 15 aetatis annos agentem et Antonium annorum 35.

Hoc tamen utpote adversante Catharina, contractum infelicissime cessit. Siquidem ipsa, parentibus orbata, in domum avunculi sui recepta fuerat. Hic autem cum rescivisset ipsam, prouti ferunt, erga alium iuvenem amore duci, indole prouti erat ferox, vinoque, ut aiunt, deditus, minis verberibusque repetitis eam ad invisum matrimonium cum Antonio ineundum, paucorum dierum interiecto spatio, adegisse videtur.

Insuper parochus quamvis ipsius mulieris repugnantiam ad easdem nuptias contrahendas haud agnovisse fateatur,

se tamen obstitisse asserit, ne prius ecclesiasticum ipsi matrimonium perficerent quam civile, uti vocant, explerent. Verum cum eiusdem Catharinae avunculus aliique duo eius consanguinei Episcopo significassent, se paratos esse tum Catharinam tum eius amasium interficere si fugam, prout ipsa pertentaverat, arripuissent, quodammodo ille perterritus, ut hae nuptiae perficerentur curavit.

Animadvertendum quod quamvis ipsa a parocho antea vocata ac percontata, num sponte idem matrimonium iniret, affirmative responderit, id tamen ex avunculi timore, qui prope eam expectabat se peregisse asserit.

Haec quidem Catharina enarrat: « Lo zio incominciò a « trattarla malissimo, imponendole colla violenza di dover « sposare Antonio, verso del quale ella non ebbe mai nè « simpatia nè amore. In casa era un continuo, per lei e « per la zia, ricevere bastonate allo scopo che essa dicesse « di sì; anzi una volta a lei puntò la rivoltella, minacciandola di ucciderla, ed alla zia lo stesso tirò un colpo di « coltello.... quel *sì* era sulle labbra e non già usciva dal « cuore, perchè ella in tutto e per tutto non lo voleva sposare.... anche dopo quella celebrazione di matrimonio, non « ci fu mai un momento solo che essa sentisse affetto per « Antonio ». Videtur etiam ipsa aversionem erga Antonium habuisse, tum propter illius aetatis disparitatem, tum etiam quia uno pede idem claudus erat.

Nuptiis absque ullo apparatu celebratis, Antonius cito, ut videtur, a Catharinae avunculo dimissus est, eique iste edixit communem inter ipsos cohabitationem solummodo post civile matrimonium locum habituram. Qua de re Antonius vehementer indignatus eidem sponsae valedixit; dein relicto oppido Americam petiit, ubi adhuc moratur.

Interim demortuo Catharinae avunculo, huius vidua annuente, die 8 Augusti 1890, civili illa iuncta est vinculo cum quodam alio Antonio, ex eoque prolem suscepit.

Postea ipsa, die 16 Ianuarii 1904, supplicem obtulit Miletensi Episcopo libellum, expetens ut idem matrimonium, utpote gravi sub metu a se contractum, nullum declararetur.

Hinc dictus Episcopus illius precibus exceptis ac tribunali constituto, testes ab oratrice inductos sub iuramento excutere curavit. Ex actis tamen non apparet eorum examini vinculi Defensorem adfuisse: mulieris insuper depositionem sub iuramento haud receptam fuisse constat; pariterque testes ex parte viri desunt.

Interea cum dictus Episcopus, die 27 Aprilis 1904, H. S. C. significasset eumdem processum haud potuisse omnibus numeris absolvi, praecipue quia vir adhuc in America degit, die 18 Maii, eidem rescriptum est, ut facta inquisitione de dioecesi in qua modo commoratur Antonius, Ordinario eiusdem loci rogatorias transmitteret litteras, ipsum delegando ad citandum apud suam Curiam dictum Antonium, ut deponeret de rerum veritate circa assertum metum, exhibitis una simul testibus de eadem re probe instructis. Quod si Antonius non reperiretur vel deponere detrectaret, idem Episcopus ex officio personas audire curaret quas praesumere posset hac de re instructas; itemque interrogare non omitteret antiquum amasium oratricis, et alium cum quo illa hodiernum contubernium fovet.

Miletensis Episcopus, die 11 Novembris, eiusdem anni H. S. C. certiorem reddidit nullo modo Antonii testimonium recipi posse, cum ipse, prout Archipresbyter oppidi retulit, in America adhuc degat, eiusque domicilium ignoretur, ideoque primi amasii testimonium necnon solummodo alios duos testes induci potuisse significavit. Haud tamen etiam in hoc examine peragendo iuris dispositiones servatae sunt. Siquidem quamvis ipsi sub iuramento ab Archipresbytero Iosepho, iuxta Episcopi delegationem, auditi fuerint, defuit tamen vinculi Defensor atque actuarius, necnon ipsorum testium subscriptio.

Exinde dicta die iisdem transmissis ad H. S. C. actis, oratricis preces SS.mo commendavit.

His itaque perlectis, perpensisque, quae tum in Consultoris voto tum in animadversionibus Defensoris vinculi ex officio continentur, erit EE. PP. sequens dirimere

DUBIUM.

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Responsum fuit: *Affirmative, monitis graviter Curiae officialibus propter violationem legum processualium, facto verbo cum SS.mo pro sanatione actorum.*

5201/3 III.

Clavaren. — Funerum.

Si quis domicilium habens in una paroecia, puta Clavarii., sua vel familiae voluntate deferatur pro sepultura in publicum coemeterium alterius paroeciae, puta Lavaniensis, ratione sepulchri familiaris vel electivi, dummodo non agatur de sepulchro gentilitio canonice erecto, ius peragendi funus et emolumenta percipiendi non pertinet ad parochum loci in quo extat publicum coemeterium, sed ad parochum loci in quo defunctus domicilium habebat.

Anno 1901, die 19 Decembris, Hieronyma Devoto, vidua cuiusdam Aloysii Monteverde. ab hac vita migravit eiusque solemne funus in ecclesia S. Ioannis Baptistae Clavarensis, in quibus finibus, dum viveret ipsa domicilium habebat, peractum est. Eius vero cadaver, ita filio suo disponente, in finitimam paroeciam S. Stephani Lavaniensis translatum est, ibique pariter, exequiis persolutis, in sepulchro publici coemeterii extructo ab eius marito et in quo iste tumulatus fuerat, reconditum est.

His omnibus peractis, parochus S. Stephani, cui nomen est Sebastianus Pinceti, emolumenta funeris a parocho S. Ioannis Baptistae Daniel Mangiante requisivit, salva tamen quarta funerum ad tramitem iuris; sed frustra, quia ista emolumenta tradere recusavit. Res allata est ad tribunal Ordinarii Clavarensis, qui sententiam dixit favorabilem parocho actori Sebastiano Pinceti; unde parochus S. Ioannis Baptistae Daniel Mangiante, conventus, ad Metropolitanum Ianuensem appellavit, qui quidem primam sententiam, demptis paucissimis, confirmavit.

Post novum hunc infelicem exitum, parochus Daniel Mangiante gradum fecit ad S.H. Congregationem, recursus admitti non potuit, ob iam enatam rem iudicatam ex duabus conformibus sententiis.

Verum parochus recurrens iterum instetit contendens praefatas sententias esse erratas, utpote fundatas in falso supposito, quod sepulchra familiaria essent retinenda uti gentilitia in sensu canonico, et deinde allegavit extare in his locis contrariam consuetudinem. Interim aliud funus simillimum accidit, in quo pariter parochus S. Ioannis Baptistae emolumenta tradere noluit parocho S. Stephani, qui idcirco expetiit ab H. S. Congregatione ut quaestio generice pertractaretur,

Eadem instantia circa quaestionem de sepulchris familiaribus in publicis coemeteriis renovata est ab Episcopo Cla-

varensi, ut quaedam norma haberetur in posterum ad devitandas lites inter parochos occasione funerum. Quare controversiam duxi proponendam sub dubiis sequentibus:

1° *Si quis, domicilium Clavari habens, sua vel familiae voluntate deferatur pro sepultura in coemeterium Lavaniense ratione sepulchri familiaris vel electivi, an Parochus S. Stephani Lavaniensis ius habeat peragendi integrum funus et emolumenta inde percipiendi, reservata parocho domicilii potestate levandi et efferendi cadaver et quartam funeris?*

Et quatenus affirmative:

2° *Si ex defuncti vel familiae voluntate, funus seu missa exequialis celebretur in paroecia domicilii, an Parochus S. Stephani Lavaniensis ratione tumulationis cadaveris in coemeterio Lavaniensi ius habeat sibi vindicandi emolumenta huius funeris seu missae exequialis, quarta solummodo excepta?*

3° *In casu de quo duplex funus seu missa exequialis celebretur, altera in loco domicilii defuncti, altera in loco tumulationis, an Parochus loci tumulationis ius habeat vindicandi sibi emolumenta funeris seu missae exequialis celebratae in loco domicilii una solummdo quarta excepta?*

His quoad facti speciem delibatis, modo referam breviatim partium deductiones. Advocatus parochi Sancti Stephani argumenta iuris prius revocat et rationes partis adversae postea diluit.

Ad ius quod attinet, affert locum Decretalium, *cap. I, tit. 28, l. III De Sepult.* « Nos, constituta maiorum considerantes, statuimus, unumquemque in maiorum suorum sepulturis iacere, ut patriarcharum exitus docet. Nulli tamen negamus, propriam eligere sepulturam et etiam alienam; Dominus noster et Magister alienam elegit ut propriam. Sed, quia dignus est operarius mercede sua, tertiam partem sui iudicii illi Ecclesiae dari censemus, in qua coelesti pabulo refici consuevit ».

Hunc locum iuris illustrat advocatus afferens:

a) Integrum caput secundum, *q. II, causae 13* Decreti Gratiani, quo in capite et in sequenti sermo est de uxore, quae in sepulchro mariti sepeliri debet, « nam quos coniunxit unum coniugium, coniungat unum sepulchrum, quia una caro sunt. Et quod Deus coniunxit, homo non separet ».

b) Testimonium DD. Ferraris, Pirhing, Reiffenstuel, qui, uno ore, affirmant uxorem viduam, non in sepulchro maiorum, sed in mariti sepulchro sepeliri debere, si nulla sepultura electa decesserit.

Ex quibus et aliis testibus eruitur (ait patronus) 1° quod Hieronyma vidua in sepulchro mariti sepeliri debebat, etiamsi mentem suam quoad hoc non aperuisset, vel filius nihil de hoc disposuisset; 2° quod Parocho tumulanti emolumenta funeris prorsus competunt, salva quarta funerum Parocho domicilii.

Post haec, patronus accedit ad diluendas exceptiones, quae ex adverso opponi possunt et quas ita summare posse ait:

1ª Iuxta veteres canones, iure sepulturae gaudebant Ecclesiae tantum parochiales in quibus vel in coemeterio ipsis adnexo fideles sepeliebantur, ut unusquisque, etiam post decessum, illi Ecclesiae, in qua vivens sacra receperat, adhaereret. Quare, ius sepulturae ita est Parocho proprium, ut ipse quoad suos parochianos habeat intentionem fundatam in iure;

2ª Cuique fas est extra ambitum paroeciae eligere sepulcrum, relicto quoque familiari, dummodo tres conditiones verificentur: *a)* ut electio fiat in loco religioso vel minus religioso; *b)* ut sit libera; *c)* ut coram auctoritate ecclesiastica de hac libera voluntate constet;

3ª Mulier Hieronyma Devoto haud elegit sibi sepulchrum extra paroeciam; quod si contra esset, Parochus S. Stephani deberet sufficienter probare electionem huiusmodi fuisse peractam. Quod hactenus non probavit;

4ª Sepulchrum, in quo Hieronyma Devoto condita fuit, *a)* non est electivum, neque ex parte Hieronymae, quia ab ipsa electum non fuit, neque ex parte mariti, quia non constat fuisse ab ipso rite electum, nempe cum interventu ecclesiasticae auctoritatis; *b)* neque est haereditarium, vel familiare, quia non fuit canonice constitutum a maioribus vel a praedecessoribus coniunctis, cum nullum extet documentum, quo, pariter, possit probari interventus auctoritatis ecclesiasticae.

5ª Coemeteria, dum prius erant parochialia, nunc vero publica effecta sunt seu communia iis omnibus, qui intra ambitum Communis seu Municipii decedunt, sic disponente lege civili, quae penitus ab auctoritate Ecclesiae illa subtraxit. Proinde, coemeterium Lavaniae, et quoad partem veterem et quoad novam noviter adiectam constitutum fuit pro tumulatione eorum omnium, qui alicui paroeciae subiecti, intra fines Communis seu Municipii morarentur. Hinc coemeterium Lavaniae est coemeterium publicum.

6ª Cum itaque mulier Hieronyma Devoto sepeliri deberet in Ecclesia parochiali sui domicilii, legitime eius funera Parochus celebravit emolumentaque debita percepit et retinet.

Unde (sic concludit): « Il voler attribuire alla Chiesa di S. Stefano di Lavagna la qualità di *chiesa tumulante*, per rispetto alla Geronima Devoto, sarebbe semplicemente un diritto assurdo. L'equivoco, su cui si basò la sentenza appellata di Chiavari, fu di avere confuso sepolcro di famiglia in senso canonico con sepolcro di famiglia in senso civile, per cui detta sentenza è assolutamente insostenibile ».

Ab adversario forte producendis singillatim enumeratis argumentis patronus sic occurrere posse censet.

Prima exceptio ait, praeterquamquod non facit ad rem, est maxima ex parte falsa, quia per tot saecula antequam paroeciae instituerentur, unicuique fas erat sibi eligere sepulchrum. Caeterum, est facultas iuris naturae: sicut enim domicilium statuere quis vivens valet, ita et locum requiei post mortem. Verum quidem est, tractu temporis, Parochos quoad suos subditos habuisse intentionem fundatam *in iure*, at distinguendum est: ratione *domicilii* in genere conceditur: ratione *tumulationis* eorum vel qui sibi sepulchrum elegerunt, vel viduae quoad sepulchrum mariti, vel qui sepultura maiorum fruuntur, negatur: in his enim casibus apertissimum ius stat pro Parocho tumulante.

Ea, quae secundo loco exponuntur uti otiosa habet advocatus; quia cum ex supra relatis testimoniis DD. constet mulierem sepeliri debere in sepulchro mariti, etiam relicto illo maiorum, et cum maritus conditus sit in coemeterio parochiali, seu in loco benedicto et religioso, nihil optari aliud potest ut dicatur sepulchrum ad tramitem iuris.

Tertio argumento respondet, quod Parochus S. Stephani nihil tenetur probare circa electionem sepulchri: 1° quia iam dictum est ex iure constare mulierem sequi mariti sepulchrum; 2° quia constat viduam Hieronymam, quoad tumulationem, sese liberae filii sui voluntati remisisse. Porro, cum filius sepulturam matris elegerit, eius voluntas fuit recta et iuxta iuris statuta, notum est enim principium *qui per alium facit perinde est ac si per seipsum faciat.*

Ad quartam rationem quod attinet, adversarius (ait patronus parochi Pinceti) non distinguit inter sepulchra com-

munia vel privata, quae erigebantur in ecclesiis, et sepulchra quae nunc extant in publicis coemeteriis. Si de primis agatur, in aperto est dispositio canonica, vi cuius nemo poterat, absque licentia in scriptis obtenta ab Episcopo, construere sepulchra in ecclesiis et inibi sepeliri, et quae ad abusum tunc temporis removendum introducta fuit. Aiunt enim DD. id factum fuisse, ne Ecclesiae coemeteria divitum viderentur, communi coemeterio in solam pauperum sepulturam relicto. Sed aliter sentiendum est de novis sepulchris, quae in publicis coemeteriis hodie eriguntur; cum enim illi abusus ablati sint, quia nemo in Ecclesia sepeliri queat, cessat quoque ratio necessitatis licentiae quaerendae « *ubi enim eadem non est ratio nec eadem potest esse iuris dispositio* ». Caeterum facultas eligendi sepulchrum est iuris naturae, licentia vero Superioris est *restrictiva* et *odiosa*, « odia sunt restringenda, favores ampliandi »: unde demptis usu et abusu sepeliendi in Ecclesiis, remanet facultas eligendi sepulchrum absque licentia, quod revera in moribus hodiernis est.

Quinta exceptio (ait patronus) non congruit veritati: quia lex civilis, sive 1886 sive 1888, nullo modo auctoritati Ecclesiae subtraxit coemeteria in iis quae partem religiosam et canonicam respiciunt, sed ea Municipiis subiecit quoad regimen externum et materiale; revera, in tota Liguria Municipia plenam relinquunt libertatem parochis adimplendi ea quae, sive a Rituali Romano, sive a legibus synodalibus, sive a consuetudine, constituta sunt: quare coemeteria uti parochialia et sacra perseverant. Praeterea, ratio illa est temeraria quia Ecclesia nunquam adprobat usurpationes suorum iurium a civili potestate patratas.

Postremum argumentum advocatus diluit, opponendo tritum illud axioma « nemo bonus iudex in causa propria ». Praeterea observat quod, post leges civiles, ius parochialitatis et sepulturae familiaris et haereditariae integrum in publicis coemeteriis perseverat. Ad cuius probationem affert responsiones S. H. C. Ita in *Ariminen.*, diei 14 Maii 1824, sequentia leguntur: « Coemeteria causa publicae valetudinis subrogata fuisse singularum ecclesiarum sepulturis. Ecclesia proinde, quae ius habebat tumulandi in suis propriis sepulchris, *nunc ius istud exercet in publico coemeterio; ideoque non sublatum ius sepeliendi fuit, sed variatus locus; quod profecto non impedit emolumentorum perceptionem et ius peragendi exequias* ». Ita in *Syracusana*, 24 Feb. 1879, ab H. S. C. responsum est: « Centies ab H. S. C. definitum esse, erectione coemeteriorum locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum esse, non vero ius sepeliendi, quod ideo integrum mansisse censuit ».

Ea quae iuxta patronum apertissimo iure asseruntur, ipse confirmat, adducendo decisionem controversiae in eadem dioecesi inter Parochum S. Margharitae Liguris et alium S. Michaëlis de Pagana, ortae, occasione funeris filiifamilias cuiusdam Antonii Costa, qui domicilium in oppido S. Michaëlis de Pagana elegerat, dum in publico coemeterio S. Margharitae, a Municipio constituto, Capellam sepulchralem, quam sorte acquisierat, retinebat.

De hac controversia requisita, H. S. C. sententiam Ordinarii reformavit et ius parochi tumulantis S. Margharitae admisit. Ex qua agendi ratione S. H. C., manifestum est sepulchrum uti vere familiare in sensu iuris recognitum fuisse, quamvis erectum in coemeterio municipali absque expressa licentia auctoritatis ecclesiasticae.

Demum advocatus refert de alio funere ac de controversia nuperrime orta in qua idem Parochus Sancti Ioannis Baptistae renuit emolumenta funeris tradere Parocho S. Stephani: ex quo manifestior fit necessitas, ut S. H. C. super quaestionem iuris in genere suum proferat iudicium ad ulteriores lites vitandas.

Patronus denique orationem suam concludit, respondens exceptioni, qua pars adversa contendit coemeterium Lavanien. commune esse cum aliis paroeciis ab eodem Municipio dependentibus. Sed hoc (ait advocatus) a veritate alienum est, prouti testantur Episcopus et Syndicus loci excepta nova Paroecia, vulgo dicta *N. S. del Ponte* a Paroecia S. Stephani Lav. dismembrata, die 10 Ian. 1903.

Praeterea, dato sed non admisso, quod aliae paroeciae ius haberent in coemeterio Lavan. sepeliendi, nihilominus, cum haec Paroecia S. Stephani Archipresbyteralis et Collegiata et principalis loci sit, idcirco ius exclusivum eidem competeret tumulandi cadavera, quae ab alienis paroeciis ibidem deferuntur ad tramitem decisionis H. S. C. in una *Romana Bredanen.*, die 27 Augusti 1904.

Ex adverso, patronus Parochi Clavarensis proposita ab H. S. C. dubia, sic conatur in sui favorem resolvere.

Quoad *primum dubium*, respondendum esse censet non alium Parochum ius habere funera celebrandi, quam eum qui fuerit proprius defuncti, si corpora in Laviniensi coemeterio, quovis titulo, sepeliantur. Quod ut probet, ad trutinam revocat praecipuum argumentum Parochi S. Stephani Lavaniensis, qui asserit sibi ius esse celebrandi funera, quia, cum sepulchra, in coemeterio exstructa, sepulchris piissimo more in Ecclesiis exstructis omnino aequiparanda sint, Rector Ecclesiae ubi sepulchrum quis habet, vel *gentilitium*, vel *electivum*, ad tramitem iuris funus peragere debet.

Argumentum hoc, ait patronus, utique valeret si constaret coemeterium Lavaniense adnumerandum esse iis coemeteriis, quae parochialia nuncupantur, iis nempe, quae, Episcoporum auctoritate, apud Ecclesias paroeciales alicubi iam inde antiquitus exstructa sunt. At constat in facto ipsum non parochialibus adnumerandum esse; sed *publicis*, iis, scilicet, quae *civilis iussu potestatis*, nec exquisita venia, nec interposita auctoritate Episcoporum, sunt hodie fere ubique instituta.

De his contendit: 1° in iure sepulchra ibi exstructa sepulchris in Ecclesiis exstructis non esse aequiparanda; 2° nihil proinde de potestate Parochi detrahi in parochianos ubique sepeliendos, nisi forte hac posita expresse lege sepulchra sint exstructa, ut, *ex fidelium* voluntate, habenda sint perinde quasi exstructa in Ecclesiis. Primum probat in facto, alterum in iure.

Constat in facto, ait advocatus, Lavaniense coemeterium non parochialibus, sed publicis esse adnumerandum.

Iamvero, inspecta eius origine sub ditione Gallica, anno 1810, de qua origine chirographum exstat, nullae partes datae sunt Ecclesiae, nec in coemeterio instituendo, nec in coemeterio ampliando, nec in aedibus aedificandis, quae oppidanis venderentur. Quin imo coemeterium Ecclesiae iurisdictioni omnino subtractum fuit: « *Il Comune, nè quando costruiva il cimitero, nè quando lo ampliava... vi fece alcun posto per gli acattolici, non avendo mai tenuto conto delle diverse credenze* ». Quibus datis, pergit advocatus, absurdum sustineret, qui diceret, Lavaniense coemeterium inter *parochialia*, Ecclesiae auctoritate instituta, esse apte referendum; eo modo, quo compertam veritatem negaret, qui id *publicis* civili institutis auctoritate, adnumerare negaret.

Itaque in facto constat Lavaniense coemeterium esse publicis adnumerandum; in iure autem, sepulchra ibi exstructa non ea esse, quae Lavaniensi Parocho facultatem tribuant funera celebrandi, patronus satagit demonstrare, recolens historiam seu disciplinam istius iuris funerandi, ex qua apparet, antiquiori aevo, tantum Ecclesiis parochialibus ius fuisse, ut fideles sibi subiectos sepelirent (Ferraris, *Bibl. can.*

voc. sepult. n. 135; Fagnanus *ad lib. III decr. de sep. c. Fraternitatem.* Quod quidem, uti patet ex Reiff. *ad l. III Decret. t. 28 de sep. § I, n. 12)*, ideo fuerat praeceptum, ne sacerdos, qui alicui, quum viveret, sacramenta administraverat, sua mercede, eo mortuo, privaretur: iniquum visum est enim unum ferre laborem, et alterum, qui laborem non tulerat, emolumentum consectari. Volventibus saeculis, aliquid detractum fuit de istiusmodi disciplinae rigore, et concessum fidelibus ut aliena in paroecia sepulchrum vel suae genti (gentilitium) vel sibi (electivum) deligerent; mox vero non modo in aliena paroecia, sed etiam in aliis Ecclesiis ex privilegio. At longe abfuit ut istiusmodi Ecclesiarium conditio eadem fieret ac paroeciarum.

Illae enim ius sunt assecutae: 1° si fideles ibi sepulchrum sibi vel suis deligerent; 2° hac lege ut lucri pars quarta funeraria paroeciae cederet; 3° dummodo ius exerceri possit; dummodo nempe corpora illuc commode ferri queant.

Contra, paroeciales Ecclesiae, nisi aperte constet de privilegio, ius habent parochianorum corpora sepeliendi, non loci habita ratione ubi vel hi decedunt vel eorum corpora sepeliuntur, *sed ratione spiritualis officii a Parocho exerciti, dum parochianus vitam agebat* (ex fol. in caus. *Cremonen. emol. fun.* diei 12 Martii 1881; Reiff. *loc. cit.*). « Hinc fit, ait Pignatelli (*Cons. can. n. 48, § 22, t. 3*) ut in propria paroecia nullum parochus ius habeat in alienum parochianum. E contra vero omne ius habet in suum parochianum ubique, in universo mundo ».

Deinde, patronus parochi Clav. quaestionem movet, an forte aliquid in hac communi disciplina, institutis civili auctoritate coemeteriis, recentiori aevo novatum sit.

Praemisso quod coemeteria civili auctoritate instituta non sunt in territorio ullius paroeciae et quod coemeteria sunt pluribus paroeciis plerumque communia, immo, attenta civili lege, omnibus, quot sunt in Italia, consequens esse dicit nullum coemeterium a nullo parocho uti sibi proprium haberi posse, at parochorum quemque id soli habere posse proprium in quoque coemeterio, ut ibi suorum corpora parochianorum sepelienda sint. Ex quo liquet, secundum patronum, institutis civili auctoritate coemeteriis, disciplinam, quae in Ecclesiae foro invaluerat, sartam tectam mansisse. Nam et hodie parochus, ex generali regula, nisi constet de privilegio, potestatem ut antea sibi vindicat in parochianorum corpora, quavis orbis in plaga decedentium, quovis in loco sepelienda; ius habet in suum parochianum ubique in universo mundo. Privilegium vero nulli comparatur paroc o ex sepulchris in coemeteriis extructis; quia coemeteria, quum nullius sint in paroeciae territorio, nullo parocho peculiari iure subiecta sunt. Exinde patet, ait advocatus, quod ex sepulchris in coemeteriis nostra aetate exstructis, de parochorum iure in suorum corpora parochianorum nihil prorsus detractum est.

Quam conclusionem confirmat triplici argumento: *praescripto canonum; auctoritate scriptorum; observantia.*

Ad primum quod attinet; canones, ut sepulchrum exstruatur, tria volunt concurrere: 1° quod in loco exstruatur sacro; 2° quod Episcopi accedat licentia; 3° quod iusta afferatur causa ad hanc impetrandam (Barbosa, *De pot. et off. Par. p. III, c. 26 de sep.*). Iamvero, coemeteria pleraque ne sunt quidem lustrali ritu ab Episcopo sacrata: quae forte sunt sacrata initio, iam iterum iterumque sunt polluta, quum ibi non modo sepeliri soleant quos prohibet Ecclesia ne cum fidelibus sepeliantur, sed et illi, qui a christiana religione desciverant. Huc res progressa est, ut iussum fuerit singula sepulchra in coemeteriis toties lustrari, quoties ibi corpora sunt condenda (ex *Congr. S. O.* 12 Februarii 1862). Nemo est, qui, quum sepulcrum exstruere velit, hodie cogitet de Episcopi licentia imploranda; et tantum abest ut iusta causa requiratur pro sepulchris exstruendis, ut illis quoque haec concedatur facultas, qui se Ecclesiae profitentur infensos.

Ex his omnibus, patronus hoc modo argumentatur: Est in comperto, nihil legitime consistere nisi ita consistat ut in iure cautum est; at in sepulchris, quae exstant in coemeteriis, non ea omnia concurrunt, quae ut sepulchra exstruantur, vel pro se (electiva) vel pro sua gente (gentilitia) in iure requiruntur. Ergo illa non sunt his aequiparanda, quaeque de his parochorum in damno sunt constituta non ad illa aptanda sunt.

Quoad secundum argumentum auctoritatem nempe scriptorum, patronus affert sententias Alberti (*De sep. eccl. § 22*) et Berardi, qui notat quod « *sepulturae gentilitiae seu maiorum in sensu iuris canonici non iam sunt areae, quae in modernis publicis coemeteriis acquiruntur* » *(De par. § 770)*.

Quoad tertium argumentum nempe observantiam, advocatus exemplum invocat omnium civitatum Italiae et civitatis Romae praecipue, ubi nullus parochus unquam ius sibi arrogavit ad funus, si quis ex. gr. Mediolan. degens, romano in coemeterio sepeliendus sit. Quae quidem Romae servata disciplina magis est in pretio habenda, quia coemeterium Veranum a Pontifice institutum est. Cum observantia sit optima legum interpres, illi standum esse, concludit patronus. His argumentis sententia sua comprobata, gradum facit deinde ad repellenda argumenta partis adversae.

Prima specie, ipse ait, videtur nobis contrarium esse responsum ab H. S. C. datum in causa Bredanensi 27 Aug. 1904. Episcopo enim sciscitanti: « *Cuinam Ecclesiae competat ius funerandi et sepeliendi extraneos alibi defunctos, qui in coemeterio (alicuius civitatis pluribus paroeciis communi) sepulturam elegerunt, non designata ab ipso defuncto Ecclesia in qua solemnia funeris persolvantur* », responsum fuit: « *Spectare ad parochum Cathedralis seu ad Ecclesiam principalem loci, salvis consuetudinibus et constitutionibus particularibus* ».

At quaenam fuerit mens H. S. C., ante omnia, inquirendum esse vult advocatus. Si fuerit mens novam legem inducendi, decisioni veluti oraculo, acquiescendum est. Si vero mens fuit pronunciare ad iuris normam, tantum valet responsio quanta est vis rationum quibus nititur. Iamvero, iuris norma prolata in medium, quod vult ut *peregrinorum corpora a Capitulo Cathedrali sepeliantur, qui civitati demortui sint*, non faciebat ad rem. Non enim erat quaestio *de peregrinis*, sed de *fidelibus alibi degentibus*, qui non modo certam habent sedem, sed certam ibi parochiam sortiuntur. De illis recte iudicatum Capitulo Cathedrali ius esse funera celebrandi, nulli enim fit iniuria, quum peregrini proprium parochum non habeant.

De his, si non aliter iudicaretur, iudicium fieret absurdum et iniquum: nam parochus proprius, qui, quum sacramenta administraverit, ius habet ad mercedem, quovis lucro e funere obventuro per iniuriam privaretur; idque cederet Cathedrali Capitulo, quod in bonum defuncti, non modo nullum laborem pertulit, sed nec illum novisse credendum est.

Quod si responsum datum in causa Bredanensi nunc iterum confirmandum esset, remaneret tamen, pergit advocatus, clausula illius responsi « *salvis nempe consuetudinibus particularibus* » quae illud inefficax in casu nostro redderet; tum quia ex generali consuetudine, mos alius servatur in tota Italia, tum quia alius mos, ex particulari consuetudine invaluit, sive in dioecesi Clavarensi, sive in dioecesi Ianuensi, a qua Clavarensis est nuperrime divisa. Huius

assertionis testes adducit pro dioecesi Ianuensi, Vicarium Generalem Episcopi et Praesidem Parochorum.

Gradum facit deinde advocatus ad aliud argumentum, a parte adversa depromptum ex quadam causa Clavarensi, abhinc annos quinque apud H. S. C. pertractata (1), occasione funeris cuiusdam Francisci Costa, qui, ex oppido S. Michaëlis de Pagano, cum sepulchrum suae gentis in coemeterio oppidi S. Margaritae haberet, ibi sepultus fuit, post funus peractum a parocho S. Margaritae.

H. S. C. responsum dedit favorabile parocho S. Margaritae, et infirmavit sententiam Curiae Clavarensis, quae fuerat favorabilis parocho S. Michaëlis; at advocatus satagit demonstrare responsum istud non congruere ad rem nostram et, si quid probat, sententiae suae suffragari.

Tandem, patronus respondet obiectioni deductae ex *synodo dioecesana* Clav., qua cautum est. *in art. 195*, ut in ea paroecia peragatur funus, in qua sepulchrum legitime delectum sit. Haec lex dioecesana, ipse ait, non est interpretanda ut est in votis parochi Lavaniensis, quia adest immemorabilis consuetudo contraria; et a iure dissonat, ut animadverterit De Luca, *(De Par. disc. 28, § 12)*, normam firmatam consuetudine, in funeribus immutari. Quo posito, quam in partem synodalis lex sit accipienda, manifesto apparet. Sepulchrum est legitime delectum in paroecia, quum quis deligat in ecclesia paroeciali vel si forte in coemeterio deligat, parochialem Ecclesiam designat expresse cuius loco in coemeterio delectum est. Si primum, delecto in Ecclesia sepulchro, ius parochus non amittit licet corpus hodierno more haud possit sepeliri in Ecclesia: nam pro sepulchris in Ecclesia delectis, instituto coemeterio, locus tantummodo in quo corpus est sepeliendum, immutatus censetur. Sin alterum, *specie* in coemeterio, *revera* in Ecclesia sepulchrum est delectum.

Haec omnia patronus Parochi S. Ioa. Bapt. Clavarensis adnotat circa primum dubium. Deinde transit ad secundum dubium.

Hoc secundum dubium vix attingit fisus, primae quaestioni negativum responsum esse proditurum. Quod, si contrarium evenerit, saltem petit ut parocho proprio defuncti tribuatur ius funeris, sua in Ecclesia, *ex consuetudine*, peragendi, licet corpus in alio coemeterio sepeliendum sit. Qua in re, utitur sententia Vecchiotti, qui in *Inst. vol. 2, cap. 3, § 6*, docet, « huic iuri communi de funere in Ecclesia tumulante peragendo, reservata quarta parocho proprio derogari posse, pacto convento inter partes, expressa voluntate defuncti et consuetudine... Quoties contra iuris ordinem exsequiae et funus ob dictas causas persolvantur in Ecclesia paroeciali, et sola fit tumulatio in Ecclesia ad quam cadaver deferendum transmittitur, toties debitor portionis canonicae est ipse defuncti parochus ». Quam sententiam Vecchiotti firmat auctoritate S. H. C. in *Sutrina* diei 9 Dec. 1884: « Si funus prius peragatur in Ecclesia parochiali et dein cadaver transfertur in aliam Ecclesiam ut ibi tumuletur, quarta debetur huic Ecclesiae ».

Quoad tertium dubium, patronus dicit illud pendere a secundo, ita tamen, ut lucri pars neutri Ecclesiae a neutra debeatur: quia funus in utraque Ecclesia peragi potest.

His pro meo officio hinc inde compendiatim relatis, sapientiae et prudentiae EE. VV. proponuntur resolvenda sequentia

DUBIA.

I. *Si quis domicilium Clavari habens, sua vel familiae voluntate deferatur pro sepultura in coemeterium Lavaniense, ratione sepulchri familiaris vel electivi, an parochus S. Stephani Lavaniensis ius habeat peragendi integrum funus et emolumenta inde percipiendi, reservata parocho domicilii potestate levandi et efferendi cadaver et quarta funeris ?*

Et quatenus *affirmative :*

II. *Si ex defuncti vel familiae voluntate, funus seu missa exsequialis celebretur in paroecia domicilii, an parochus S. Stephani Lavaniensis, ratione tumulationis cadaveris in coemeterio Lavaniensi, ius habeat sibi vindicandi emolumenta funeris huius, seu missae exsequialis, quarta solummodo excepta ?*

III. *In casu quo duplex funus seu missa exsequialis, celebretur, altera in loco domicilii defuncti, altera in loco tumulationis, ius habeat vindicandi sibi emolumenta funeris seu missae exsequialis celebratae in loco domicilii, una solummodo quarta excepta ?*

Responsum fuit: *Ad Ium. Negative dummodo non agatur de sepulchro gentilitio canonice erecto. A IIum. et IIIum. Negative.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VIII, p. 111.

5558/4 IV.

Cantonis Ticini. — Nominationis ad Canonicatus.

Traditur interpretatio circa sensum Brevis diei 21 Aug. 1809 quoad praelationem Rectorum et Vice-Rectorum ecclesiarum parochialium, aliis presbyteris et clericis, in provisione canonicatuum et praebendarum in casu.

In districtu plebanali, loci vulgo *Balerna* sub Administratione Apostolica Cantonis Ticini, invenitur erecta Collegiata Ecclesia S. Victoris, constans Archipresbyteratu septemque Canonicis, habentibus ab antiquo facultatem, iustis exigentibus causis, coadiutores sibi cum futura successione a Sede Apostolica expetendi. Adsunt insuper in eodem districtu decem et octo parochiae cum sex vice-parochis.

Summ. Pontifex Pius VII per Breve diei 21 Augusti, anno 1809, *Ex parte dilecti...* ultimis tribus canonicis onus imposuit prout sequitur: nempe duobus obligationem coadiuvandi Archipresbyterum pro tempore existentem in cura animarum, postremo vero canonico scholam faciendi pueris praedicti loci.

Cum autem contingeret saepe Parochias et Vice-parochias propriis pastoribus ob reddituum tenuitatem diu viduatas manere, idem Pius VII eodem Brevi, ut animarum cura exactius exerceretur, Parochiarumque Rectores et Vicerectores ad curam huiusmodi libentius exercendam magis excitarentur, statuit ut, *in posterum dictorum canonicatuum et praebendarum praedictae Collegiatae Ecclesiae pro tempore occurrentibus vacationibus, Rectores et Vice-Rectores earumdem Parochialium Ecclesiarum, aliis presbyteris et Clericis in provisione dictorum Canonicatuum et praebendarum praeferri deberent.*

In recentioribus vero concursibus diei 8 Iunii, anno 1892, et diei 21 Novembris 1900, Administrator Apostolicus Ticinensis ratus est nomine Rectorum et Vice-rectorum in Brevi Pii VII intelligi debere Presbyteros, qui praevio examine synodali, immissi fuissent in possessionem Parochiarum sive Vice-parochiarum. Haec enim in tabulis concursum ad canonicatus indicentibus leguntur...

Hoc aegre tulerunt Sacerdos Ioseph Spinelli et nonnulli alii consocii oeconomi spirituales, qui precario modo sine praevio examine et canonica institutione destinari solent,

data occasione, ad regendas Paroecias et Vice-paroecias; quare primum recursum habuerunt ad Curiam dioecesanam.

Verum Curia dioecesana eorum querelas repulit: hinc recursum iterarunt ad H. S. C. et insimul etiam conquesti sunt quod in concursu anni 1892 ad vacantem canonicatum electus fuit sacerdos extraneus in Plebania nempe sacerdos professor Aloysius Fonti cum praeiudicio oeconomorum spiritualium, qui in collatione canonicatuum super extraneis praelationem habent. Quare tria hodie in controversiam veniunt. 1° Quinam nomine Rectorum et Vice-rectorum in Paroeciis et Vice-paroeciis intelligendi sint. 2° Utrum et quo modo considerari debeat antiquitas in exercitio curae animarum in collatione canonicatuum. 3° Demum an in praefata collatione oeconomi spirituales praeferendi sint presbyteris et clericis extraneis.

Oeconomi spirituales praemisso: quod « Nei tempi passati « hanno versato alla stessa (Ecclesia Collegiata Balernae), « delle somme considerevoli » ad probandum nullam adesse quoad concursum ad Canonicatus differentiam inter se et Parochos et Vice-parochos, invocant antiquam consuetudinem, quam probare satagunt sequentibus argumentis...

Iam vero consuetudinem esse optimam legum interpretem, est circumforaneum axioma *ex cap. Dilectus. De consuetud.* et praesertim id obtinere quando agitur de interpretandis indultis aut constitutionibus Pontificiis, docet Card. De Luca *de benef. discuss., I, n. 15 et 39, et discus., 27, n. 17 et alibi.* Si itaque in collatione canonicatus unice inspicitur antiquitas in exercitio curae animarum, profecto nullum apparet discrimen inter oeconomos spirituales et Parochos vel Vice-parochos, cum utrique pastorali ministerio incumbant.

Deinde rem confirmant nonnullis adductis exemplis et testimoniis ut sequitur. Allatis exemplis sequentia adiungunt testimonia, Prosyndici loci Morbio Superiore, Pro-Syndici loci Bobbio, etc. Huic consonat testimonium Syndici loci Castel S. Pietro.

Ex hucusque dictis videtur posse inferri quod, nulla facta distinctione, nomine Rectorum et Vice-rectorum in paroeciis vel vice-paroeciis contineantur etiam oeconomi spirituales, et quod praelatio in obtinendis canonicatibus tantum commensuretur longaevitati in curae animarum actuali exercitio.

At id etiam clarius erumpit si spectetur causa motiva Brevis Apostolici. Nam hoc privilegium, vel iuspatronatus passivum ut ita dicam, ad consequendos canonicatus in Collegiata fuit invectum ad alacriores efficiendos praesertim illos, qui curam gererent in pauperibus paroeciis, et deinde ad eos praemio donandos concessione optionis ad canonicatum vacantem, uti patet ex verbis ipsius Brevis paulo inferius referendis. Iam vero oeconomi spirituales cum parochis et Vice-parochis in munere quoad pondus diei et aestus, prorsus aequiparantur. Quod etiam apparet ex eo, quod iuxta citatum Breve duae tantum categoriae personarum ad beneficia sunt vocatae: 1° nempe Rectores et Vice-rectores Curatiales et 2° presbyteri et clerici. Atqui non videtur quod oeconomi spirituales recenseri debeant inter simplices presbyteros aut clericos. Quoad vero praevii examinis impositionem expendi potest, quod haec non invenitur taxata in Brevi Apostolico. Hinc est reiicienda.

Ex superius autem disputatis, veluti consectarium deducitur, quod oeconomi spirituales praeferendi sint simplicibus presbyteris et clericis praesertim Plebaniae extraneis, tum quia hi non pertinent ad clerum plebanalem, quem praecipue Pontifex gratificare intendit, tum quia etiamsi ageretur de pertinentibus ad eumdem Clerum, tamen hi necessario destituerentur requisito exercitio curae animarum.

Ex altera vero parte, Administrator Apostolicus Ticinensis in primis censet referenda ex Brevi Pii VII, verba, quae ad praesentem quaestionem facere possunt quaeque ita se habent: « Et ad hoc ut animarum cura parochianorum alia- « rum Parochialium Ecclesiarum loci seu Plebis huiusmodi « quas saepe propriis respective pastoribus, ob illarum reddi- « tuum tenuitatem, diu destitutas et viduatas esse contingit, « exactius exerceatur, illarumque Rectores et Vice-Rectores « ad curam huiusmodi libentius exercendam magis exciten- « tur, (statuit) quod in posterum dictorum canonicatuum et « praebendarum praedictae Collegiatae Ecclesiae, pro tem- « pore occurrentibus vacationibus, Rectores et Vice-rectores « earumdem Parochialium Ecclesiarum, aliis presbyteris et « clericis in provisione dictorum canonicatuum et praeben- « darum praeferri debeant »....

Hisce Brevis A. verbis subiectis, pergit Administrator Apostolicus ad diluendum oeconomorum spiritualium argumentationes.

Per vocabulum *Rectores* et *Vice-rectores*, ait Adm. Aplicus, intelligi debent *parochi* et *vice-parochi* qui praevium examen subierunt, ut statuitur a iure communi, et prouti constat ex provisionibus in casu, salvis nonnullis exceptionibus a S. Sede concessis.

Rem Administrator Apostolicus confirmat citatis 23 bullis ab an. 1816 usque ad 1880 collationum canonicatus in Collegiata, ex quibus bullis apparet canonicatu investitos semper fuisse Parochos et Vice-parochos qui, praevio examine, canonicam institutionem praevio iam obtinuerant: quibus etiam adiungit 4 bullas provisionum canonicatuum coadiutorialium, quas canonici praefatae Collegiatae ex privilegio uti in principio adnotatum fuit, sibi ab Apostolica Sede impetrare valent. Deinde consuetudinem ex adverso invocatam refutat.

Disserens autem de praelatione danda in collatione canonicatuum illis, qui in exercitio curae animarum longaevitate aliis praestant ita arguit:

1° Ius concessum canonicis pro tempore sibi eligendi coadiutores *cum iure successionis* iam tollit vim praetensae consuetudini.

2° Antianitas, caeteris paribus, motivum parit impulsivum ad nominationem, sed non parit *formam iuris.*

Heic Administrator Apostolicus etiam nonnulla addit circa impositam praevii examinis obligationem, circa quod punctum ita se defendit.....

Demum quoad praelationem dandam oeconomis super aliis presbyteris et clericis, observari potest quod haec esset contra Brevis ipsius dispositionem. Nam ipsa conceditur tantum Rectoribus et Vice-rectoribus. Sed Oeconomi spirituales ex superius relatis, his accenseri non possunt. Ergo nec praelatio eis competere potest.

Hae sunt partium deductiones. In iure autem haec recoli possunt.

Neminem profecto latet parochum dictum a paroecia variis etiam nominibus designari. Ita alii dicuntur Plebani ut in *cap. Scriptura est 40 de elect.* qui videlicet curam exercent animarum in Plebania, habent sub se plures Ecclesias vel Capellas *cap. statutum 1, Ne clerici vel Monachi in 6°.* Alii vero appellantur Rectores, qui plebem et populum sibi commissum cum cura regunt iuxta caput *Ut quisque presb. 3 De vit. et hon. cler.* Et ita porro alii aliis vocantur nominibus.

Verum ubi vera habetur distinctio inter veros parochos et oeconomos spirituales, est in *cap. 18. Conc. Trid. sess. 24 de Reformat.* Pro primis in genere mandatur, ut hi non renuncientur nisi praevio peracto examine, pro secundis statuitur ut hi deputentur ad arbitrium Episcopi facta congrua

assignatione redditiuum vacantis paroeciae: sed hoc non impedit quominus Episcopi etiam pro eiusdem oeconomis decernere possint praevium examen.

Verum in themate agitur de diverso examine quod Administrator Apostolicus requirit tum in oeconomis spiritualibus, tum in aliis presbyteris ante collationem canonicatus. Utrum hoc onus examinis idem Administrator in litteris edictalibus concursus imponere possit, cum de eo in pluries memorato Brevi mentio nullibi habeatur, diiudicabunt EE. VV., si id resolvere expediens videbitur.

Item quamvis in Brevi expresse non fiat sermo de oeconomis spiritualibus, et consequenter neque de eorum praeferentia super alios presbyteros et clericos, tamen iuxta scopum et spiritum Brevis, ipsa non videtur posse denegari. Laudabile enim exercitium curae spiritualis animarum constituit unum ex praecipuis titulis ad consequendum, tamquam praemium exantlati laboris, canonicatum in dicta Collegiata.

Sed haec obiter adnotata sint, dum interim sequentia pro solutione propono

DUBIA

I. *An oeconomi spirituales accenseantur inter eos, qui utpote Rectores et Vice-rectores paroeciarum ius habent praelativum ad canonicatus in casu.*

Et quatenus negative:

II. *An iidem oeconomi praeferendi saltem sint caeteris presbyteris et clericis, qui ad eosdem canonicatus concurrunt.*

III. *An antiquitas in exercitio curae animarum habenda sit qua potissima ratio in praelatione ad consequendum canonicatum in casu.*

Emi Patres rescripserunt: *Ad Ium. Negative. Ad IIum. Caeteris paribus, praevio examine idoneitatis, et facto verbo cum SS.mo. Affirmative. Ad IIIum. Negative.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

AGENNEN.

Plura solvuntur dubia.

Hodiernus Calendarii Agennensis Redactor, de consensu Rev.mi sui Ordinarii, Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia, pro opportuna solutione, proposuit:

I. An in Ecclesia, ubi S. Felix (14 Ian.) est Patronus vel Titularis, festum S. Hilarii reponi debeat, tamquam in sedem propriam, in diem 19 Ianuarii, quae est dies infra Octavam, cum de S. Canuto nihil sit agendum? Et quatenus *affirmative*, an Calendarium particulare huic responsioni contrarium sit corrigendum?

II. An dies 28 Ianuarii adeo sit propria festo SS.mi Nominis Iesu transferendo, iuxta decretum 6 Sept. 1895, ut hoc festum poni nequeat in diem 19 Ianuarii, quae est dies infra Octavam v. gr. S. Hilarii Patroni et Titularis quando nempe Dominica II post Epiphaniam incidit in diem 14 Ianuarii, ut anno proximo eveniet? Et quatenus *affirmative*, an Calendarium particulare sit corrigendum ut supra?

III. Utrum festum Purificationis cum Dominica Septuagesimae occurrens, transferri debeat in diem 4 Februarii, quando scilicet feria II seu die 3 Februarii occurrit festum Patroni vel Titularis seu duplex primae classis, vel ulterius transferendum sit in primam diem non impeditam iuxta Rubricas?

IV. Quando festum SS.mi Cordis Iesu die 29 Iunii occurrit, in diem 30 transfertur tamquam in sedem propriam. Quid vero in Ecclesia propria S. Pauli, cuius festum est primae classis et primarium? Utrum festum SS.mi Cordis transferri debeat iuxta Rubricas in proximam diem non impeditam, an potius in Dominicam, ne longius protrahatur, translato inde festo Pretiosissimi Sanguinis in feriam III sequentem?

V. An, ubi adest obligatio chori, si non cantetur Missa officio conformis, in Missa solemnitatis in Dominicam translatae fieri debeant commemorationes, et quaenam sunt illae commemorationes?

VI. An festo Patroni vel Tituli Ecclesiae occurrente cum Dominica in Albis vel Trinitatis, possit cantari Missa Patroni vel Tituli praesertim ubi non adest obligatio chori, quum hae duae Dominicae non annumerentur in Rubrica Missalis de Translatione festorum?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque sedulo perpensis respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Ad IV. Transferatur in Dominicam sequentem, translato festo Pretiosissimi Sanguinis D. N. I. C. in feriam III sequentem.

Ad V. Servetur Decretum n. 3754 *Declarationis Indulti pro solemnitate festorum transferenda* 2 Dec. 1891 ad II.

Ad VI. *Negative*, et serventur Rubricae reformatae Missalis Romani tit. VI *De translatione festorum.* et decreta n. 3754 uti supra ad III, et n. 3924 *Strigonien.*, 3 Iulii 1896 ad V. (1).

Atque ita rescripsit. Die 19 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

II.

ORIOLEN.

Reprobantur consuetudines inductae relate ad usum stolae in choro et pluvialium in Vesperis.

Rev.mus D.nus Ioannes Maura y Gelabert, Episcopus Oriolensis, vehementer exoptans ut Rubricae et Decreta, quae ad divinum cultum spectant, rite serventur, Sacrae Rituum Congregationi ea, quae sequuntur, humiliter exposuit:

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. IV, p. 346.

In Cathedrali ecclesia Oriolensi inde ab anno 1626 adest consuetudo, vi cuius Canonicus Hebdomadarius utitur stola in omnibus Horis canonicis persolvendis. Item diebus in quibus iuxta Caeremoniale Episcoporum assumenda sunt pluvialia, accipiuntur hoc modo: Hebdomadarius habens stolam supra mozzetam, manet in habitu chorali usque ad hymnum infra cuius cantum accipit pluviale; duo beneficiati in festis minus solemnibus, simul cum duobus Canonicis in solemnioribus, illud accipiunt in principio Vesperarum, sed tam omnes isti quam Hebdomadarius pluviale assumunt in ipso choro quin in sacristiam conveniant; tempore vero incensationis idem Hebdomadarius associatur ad altare a duobus aliis Beneficiatis simplici habitu chorali indutis. Tandem in fine Vesperarum omnes, qui pluvialia assumpserunt, illa deponunt quin e choro egrediantur. Nunc vero cum circa legitimitatem harum consuetudinum graves dubitationes exortae sint nuperrime et inter ipsos Capitulares non conveniat quid agendum sit, idem Ordinarius ad omnem ambiguitatem et inquietudinem e medio tollendam insequentium dubiorum solutionem a S. C. expetivit; nempe:

I. An huiusmodi usus stolae, saltem attenta perantiqua consuetudine, uti legitimus sit habendus ideoque servandus?

II. An vi eiusdem consuetudinis, Hebdomadarius possit manere in habitu chorali usque ad hymnum et tunc assumere pluviale?

III. An pluvialia in Vesperis solemnibus possint assumi et deponi in ipso choro quin necesse sit in sacristiam convenire?

IV. An, qui assistunt Hebdomadario tempore thurificationis, debeant esse iidem qui ab initio parati fuerunt, vel possint esse duo alii Beneficiati simplici habitu chorali induti?

V. An sustineri possit consuetudo, ut duo Canonici, absente Episcopo, induantur pluvialibus ad fungendum munere assistentium in diebus solemnioribus prout in hac Cathedrali consuetum fuit pro Vesperis?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae, reque diligenter expensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative* iuxta decretum n. 1275 *Dalmatiarum* 4 Augusti 1663 ad 3.

Ad II et III *Negative*, et servetur Caeremoniale Episcoporum, lib. II, cap. III, n. 1, 2, 3 et 4.

Ad IV. *Affirmative* ad primam partem; *negative* ad secundam, et servandum Caeremoniale Episcoporum, loco citato n. 10.

Ad V. *Negative* iuxta decretum n. 1391 *Papien.* 20 Iulii 1669 ad 3.

Atque ita rescripsit. Die 30 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

VIVARIEN.

Circa celebrationem festi B. I. B. Vianney, pro Gallia.

Rev.mus D.nus Episcopus Vivariensis a Sacrorum Rituum Congregatione humiliter postulavit:

I. An festum Beati Ioannis Baptistae Vianney possit celebrari etiam hoc anno iuxta Indultum seu decretum *Dioecesium Galliae* 12 Aprilis 1905? (1).

II. An festum Beati I. B. Vianney, sub ritu duplici minori, celebrandum sit die quarta Augusti, quae est dies obitus Beati, et proinde festum S. Dominici, sub ritu duplici maiori, transferendum sit iuxta Rubricas, quia haec dies non est dies obitus S. Dominici?

Et Sacra eadem Congregatio ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative*, si commode fieri potest.

Ad II. *Negative*, iuxta Decretum Generale n. 3811 *Super duobus festis seu Officiis eadem die occurrentibus* d. d. 21 Novembris 1893 ad II, et festum B. Ioannis Baptistae Vianney in casu esse transferendum in diem primam sequentem liberam iuxta Rubricas.

Atque ita rescripsit. Die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

PLACENTINA IN HISPANIA.

De anticipanda sive privata sive chorali recitatione matutini.

Hodiernus Rev.mus Episcopus Placentinus in Hispania Sacrorum Rituum Congregationi reverenter exposuit:

Ex controversia, abhinc paucis annis exorta circa horam, qua Matutinum pro insequenti die incipi possit, asserentes quidam talem horam esse secundam pomeridianam, negantes alii, eamque protrahentes ad dimidietatem vesperae, prout in Directoriis dioecesanis praescribitur, quamdam anxietatem non parvipendendam oriri inter obstrictos ad Divinum Officium. Quapropter idem Rev.mus Episcopus sequentia dubia solvenda subiecit:

I. Utrum, in privata recitatione Matutinum pro insequenti die, incipi possit hora secunda pomeridiana, aut standum sit tabellae Directorii dioecesani omni tempore?

II. Utrum etiam in publica seu chorali recitatione officium incipi possit hora secunda pomeridiana?

III. Utrum hora recitandi Matutinum annumerari queat indiscriminatim ex meridiano circulo locali, aut ex meridiano circulo officiali dicto *Greenwik*, qui quidem anticipat horam circuli localis per tertiam horae partem plus minusve?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa respondendum censuit:

Ad I. Consulantur probati auctores.

Ad II. *Negative*, nisi habeatur Indultum.

Ad III. Ad libitum.

Atque ita rescripsit. Die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. fasc. praec., pag. 204.

V.

TUNQUINEN. — DECRETUM

Beatificationis seu Declarationis Martyrii VV. Servorum Dei Ord. Praedicatorum Hieronymi Hermosilla, Episcopi Miletopolitani Vic. Ap. Tunquini Orientalis, Valentini Berrio-Ochoa, Episcopi Centuriensis Vic. Ap. Tunquini Centralis, Petri Almato, sacerdotis missionarii et Ven. Servi Dei Iosephi Khang indigenae.

SUPER DUBIO

« *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis* « *seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus, in casu* « *et ad effectum de quo agitur* ».

In teterrima illa contra catholicam Fidem insectatione, quae medio saeculo XIX per Tunquinum desaeviit, complures ex omni hominum conditione *pro testamento Dei sua corpora tradiderunt et laverunt stolas suas in sanguine Agni.* Strenuos inter huiusmodi pugiles virtute ac dignitate sua emicuerunt ex inclyta Dominiciana Familia, iis palmis iamdudum assueta, evangelii praecones tres, iidemque praenobilis Hispanorum gentis Filii dignissimi, Hieronymus Hermosilla, Episcopus Miletopolitanus, Valentinus Berrio-Ochoa, Episcopus Centuriensis, et Petrus Almato, sacerdos eiusdem Ordinis; quibus adiunctus est Hermosillae Famulus, Iosephus Khang, Tunquinensis.

Hieronymus Hermosilla, natus pridie Cal. Octobr. an. MDCCC in civitate S. Dominici Calciatensis, primum studiorum causa ad Philippinas insulas transmigravit; deinde, sacerdotio auctus, in Tunquinum missus est, ubi aspera multa sustinuit, ut nequissimi illius regis furorem et satellitum insidias vitaret. Vicarius Apostolicus Tunquini orientalis, ac deinceps Miletopolitanus Episcopus, post apostolicos labores plurimos, quum ad naviculas quasdam piscatorum fidelium confugisset, per proditionem comprehensus est una cum alumnò famuloque suo Iosepho Khang, et in provinciae orientalis principem urbem traductus. Cuius ad limina distentam Christi cruci adfixi imaginem conspicatus, ultra progredi, nisi illa, ne profanaretur, sublata, recusavit. Tum cavea inclusus, ac non ita multo post capite caesus est Calendis Novembr. anno MDCCCLXI, aetatis suae sexagesimo primo.

Eodem die, haud absimili martyrio iisdemque fere adiunctis vitam nitide actam nobilitarunt Valentinus Berrio-Ochoa et Petrus Almato. Horum prior natus XVI Cal. Mart. an. MDCCCXXVII in oppido Elorrio Cantabriae provinciae, et ipse Philippinis ab insulis in Tunquinum centralem transmeavit, ubi, eius cognita sanctitate, Centuriensis Episcopus universaeque missionis moderator est enuntiatus. Recrudescente vero in eius Vicariatu persecutione, ita ut ibi iam nullus refugii locus superesset ad orientalem Tunquini partem appulsus, in horrido antro delituit, ubi pro viribus ministerio suo functus est. Inde, pagum petiturus Van-Dinh, quum se ad eas naviculas recepisset, ubi quatriduo ante memorati sodales eius fuerant comprehensi, ethnici cuiusdam proditione in satellitum incidit manus una cum Petro Almato. Uterque, canga et catenis onusti, ad urbem provinciae caput deducuntur, cui non succedunt, nisi adorata prius ac deinde remota Cruce ad calcandum proiecta. Prope caveam Hermosillae, Valentinus inclusus, eodem, quo ille, die trahitur ad supplicii locum, ubi, stipiti alligatus, capitalem pro Christo poenam fortiter subiit. Eidem neci datus est Petrus Almato, sacerdos, ortus in pago Saserra Cal. Novembr. an. MDCCCXXX, vitae intemeratae et apostolici ministerii laude plane dignus, qui suas cum sociis palmas intexeret anno aetatis suae XXXI.

Quartus in gloriosum certamen venit Iosephus Khang e pago Tra-Vi provinciae Nam-Dinh, christianis parentibus editus, anno MDCCCXXXII. Hic, Hermosillae alumnus et famulus, quum in fidelium piscatorum cymbis cum suo praesule delitesceret, a militibus, quorum e manibus vinctum illum eripere nitebatur, tres ictus ensis accepit, cum eoque ad provinciae principem urbem traductus est. Ac primum quaesitus de apostolicis viris, reticuit; iteratis deinde verberibus compulsus, interrogantibus prudenter satisfecit. Mox ad Crucem proterendam, proposita libertate, invitatus, maluit viginti supra centum perferre vulnera, quam a Fide desciscere. Quare et ipse ad supplicium raptus est et optatam coronam, una cum tribus Dominicianis athletis est consequutus, annum agens vicesimum nonum.

Splendidum hunc fortissimorum virorum exitum quum vulgata etiam prodigia illustrassent, agitata causa est de ipsorum martyrio et institutae de more inquisitiones, quum ordinaria tum apostolica auctoritate. Quibus accurate perpensis validisque recognitis fel. rec. Pontifex Leo XIII causae introductionis Commissionem sua manu signavit Kal. Maii anno MDCCCII (1). Denuo causa instaurata est, ac de SS.mi Domini Nostri Pii Papae X venia, peculiari E.morum Patrum ordini commissa cum voto quoque Consultorum Officialium, qui de ipsa iudicarent. Quo in conventu, habito pridie Nonas Iunias labentis anni, proposito a R.mo Cardinali Dominico Ferrata dubio: *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur;* R.mi Cardinales et Officiales Consultores suffragio suo constare censuerunt. Nihilominus SS.mus Pater a supremo edendo iudicio abstinuit, ad coeleste lumen in tam gravi negotio impetrandum.

Hodierno autem die, dum nativitatem Ioannis Baptistae recolimus, qui virtutis iura fuso etiam sanguine invicte affirmavit, idem SS.mus Dominus Eucharistico Sacrificio religiosissime litato nobiliorem aulam Vaticanam ingressus est, ac pontificio solio assidens, ad Se accivit R.mum Cardinalem Aloysium Tripepi S. R. Congregationi Pro-Praefectum, loco etiam et vice R.mi Card. Seraphini Cretoni causae Relatoris, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore meque infrascripto Secretario, iisque adstantibus edixit: *Constare de martyrio eiusque causa, VV. Servorum Dei* Hieronymi Hermosilla, *Episcopi Miletopolitani*, Valentini Berrio-Ochoa, *Episcopi Centuriensis*, Petri Almato, *Sacerdotis Missionarii et* Iosephi Khang *indigenae, itemque de signis seu miraculis horum quatuor Servorum Dei martyrium illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc vero Decretum publici iuris fieri et in Acta Sacror. Rituum Congregationis referri iussit octavo Kal. Iulias anno MDCCCCV.

ALOYSIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *S. R. C. Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, p. 207.

VI.

PARISIEN. SEU BELLOVACEN. — DECRETUM

Beatificationis seu declarationis martyrii Venerabilium Servarum Dei Teresiae a S. Augustino et sociarum eius Monialium e Coenobio Compendiensi, Ordinis Carmelitidum excalceatarum.

SUPER DUBIO

« *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis* « *seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu* « *et ad effectum de quo agitur* ».

Impietatis nota, odium, quo flagrans omnis filius perditionis *adversatur et extollitur supra omne quod dicitur Deus,* quum saepe ante, tum acerrime suas vires exseruit gallica illa tempestate funestissima, quae *a terrore* nomen accepit. In ea lucta tartarei furoris cum christiani gregis mansuetudine, non viri modo conditionis omnis, sed etiam abditae in claustris piae foeminae, in ius raptae cruentaeque neci datae sunt, humanitatis, libertatis, iustitiae nomine. Mirabili tunc exemplo exstiterunt sexdecim Carmelitides virgines, quae, ob suam in fide et observantia religiosa constantiam capitis damnatae, novum Ecclesiae splendorem addiderunt, suisque notam iudicibus inussere nulla temporum oblivione delendam; quarum nomina haec sunt:

Teresia a S. Augustino, Maria Francisca a S. Aloysio, Maria a Iesu Crucifixo, Maria a Resurrectione, Euphrasia ab Immaculata Conceptione, Gabriella Henrica a Iesu, Teresia a SS.mo Corde Mariae, Maria Gabriella a S. Ignatio, Iulia Aloysia a Iesu, Maria Henrica a Providentia, Maria a S. Spiritu, Maria a S. Martha, Stephana Ioanna a S. Francisco Xaverio, Constantia Meunier et germanae sorores Catharina et Teresia Soiron.

Vel ab initio Gallicarum perturbationum hae Carmeli conspicuae filiae, hortante Venerabili Dei Serva Teresia a S. Augustino, quae Compendiensi monasterio praeerat, sese Deo hostias viventes pro Ecclesiae salute Galliaeque devoverant. Vi claustro eiectae nova sibi domicilia ita composuerunt, ut et instituti sui leges, quantum liceret, retinere possent, et complurium fidelium periculis, prudenti quidem, sed impavido studio prospicere. Interim in dies crescente vi seditionis, mense Iunio, an. MDCCXCIV, comprehensae detruduntur in carcerem, omne ibi vexationum genus perpessurae. Dumque assuetis vacantes exercitationibus ac muneribus sese mutuo cohortantur ad martyrium fortiter obeundum, IV Id. Iul. improviso iubentur Lutetiam Parisiorum inde discedere. Itaque militibus circumseptae, vinctis ad terga manibus, inter pessimorum hominum clamores et convicia, ad principem illam urbem rheda trahuntur, a qua Soror a Resurrectione, senio confecta constrictisque manibus quum descendere ipsa nequiret, in terram est deiecta miserrime. Tandem ubi pervenerunt, in horridum coniectae carcerem, famem, sitim, aëris crassitudinem, foetorem, et, quod maximum erat, corruptissimorum hominum societatem quatriduo pertulerunt ante quam iniquo iudici sisterentur. A quo, nec testibus auditis nec defensoribus, praecipiti iudicio, quod suo instituto fideles essent colerentque sacratissimum Iesu Cor, damnatae sunt capitis. Edita sententia, mirum quantum Carmelitides virgines exsultarunt et quo sensu efferatam plebem sui spectaculo commoverunt. Incedebat agmen per mediam populi multitudinem, nulla voce rumpente silentium nisi victimarum cantu Deo grates agentium hilari vultu, quasi exirent ad nuptias. Iamque in conspectu est supplicii locus; quo viso, coelestibus choreis mox adiungendae virgines, hymnum decantant: *Veni, Creator Spiritus.* Iteratis deinde baptismatis promissis votisque religionis a singulis, antistita Teresia matrem imitata Machabeorum, petiit impetravitque se necari ultimam, ut praesentia sua et voce animum caeteris adderet. Tunc una post alteram, petita prius ab ipsa Teresia moriendi licentia, ovanti gradu ferale pegma conscendunt, psalmumque canentes: *Laudate Dominum omnes gentes,* obtruncanda capita tortori tradunt. Ultima venit, eo ipso die XVI Cal. Sextil., an. MDCCXCIV, Teresia, quae morituris benedixerat, complevitque holocausto suo rubentium florum coronam, cuius odor ad solium Dei suavissime ascendisse dicendus est. Etenim, vix elapsis ab eo supplicio diebus decem, sensim furor ille resedit, qui per biennium Galliam civium cruore resperserat.

Causa tantae dignitatis, cui provehendae, non solum vota plurimorum, sed praeclara quoque signa et prodigia Venerabilium Virginum necem consequuta, contulerunt, iuridicis inquisitionibus feliciter absolutis, ad SS. Rituum Congregationem delata est. A qua mature perpensis, ratisque habitis actis omnibus in ordinario ad Vaticanum conventu habito Calendis Decembr., anno MDCCCCII, de causae introductione feliciter actum est, quam decimo septimo Calen. Ianuarii eiusdem anni sua manu signavit Leo XIII fel. rec. (1). Deinde de Sanctissimi Domini Nostri Pii Papa X venia, eadem causa designato PP. Cardinalium coetui cum voto etiam Praesulum Officialium S. R. Congregationis denuo agitanda commissa est. Eo in coetu, ibidem coacto pridie Nonas Iunias volventis anni proposito dubio a R.mo Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenestino causae Relatore: *An constet de martyrio eiusque causa, itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur;* R.mi Cardinales et Praesules officiales unanimi suffragio constare censuerunt. Sanctitas vero sua, audita per R.mum Cardinalem Aloysium Tripepi S. R. Congregationi Pro-Praefectum relatione, a supremo edendo iudicio abstinuit ut spatium temporis suppeteret ad supernum lumen exquirendum.

Hodierno autem die, memoriae dicato sancti Praecursoris, qui multa perpessus viam Domino parandam nunciavit, idem Sanctissimus Dominus, rei divinae in suo sacello pientissime operatus, nobiliorem Vaticanae Aedis aulam adiit et pontificio Solio insidens, R.mos Cardinales accivit Aloysium Tripepi SS. Rituum Congregationi Pro-Praefectum, et Vincentium Vannutelli causae Relatorem, una cum R. P. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, meque infrascripto a secretis, iisque adstantibus solemniter pronunciavit: *Constare de martyrio eiusque causa, Venerabilium Servarum Dei* Teresiae a S. Augustino et sociarum eius, *itemque de signis seu miraculis martyrium ipsum illustrantibus in casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem Decretum evulgari et in Sacror. Rituum Acta referri mandavit octavo Cal. Quintiles anno MDCCCCV.

ALOYSIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XI, p. 78.

VII.

MONTISPESSULANI — DECRETUM.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Soulas Sacerdotis et Missionarii, Institutoris Congregationis Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum.

INFORMATIO ADVOCATI

(Sequitur vide pag. 209).

20. Post Deum, divinam Parentem impensissime coluit, a qua illud singularissimum beneficium se retulisse gaudebat, quod quasi Eius divino afflatu, sodalitatem condiderit. Quapropter eam in Virginis praesidium et clientelam tradidit, cui quantum viribus eniti poterat, omne detulit obsequii genus. Ubique pium exercitium, quo mensis Maius Deiparae honori celebratur, quantum in se situm erat, propagavit. Piaculares sacrae corollae globulos diu noctuque gestavit atque ad omnem horam rite precando decurrit: quam piam consuetudinem Sororibus quoque suadere nunquam cessavit. Hinc naturali consequebatur itinere obsequium, quo Sanctos coelites omnes veneratus est. In clientela S. Iosephi, Deiparae castissimi Viri, maxime fuit, nec non S. Aloysii Gonzagae et S. Francisci Regis. Quoniam vero ignis in se contineri non potest, sed ubique manat et diffluit, ideo Dei Servus omni ope contendit ut fides inter homines prolataretur. Unde illa opera praeclarissima effecta sunt, quae quanta fuerit fides eius plane demonstrant. Iamvero adhuc erat tenerrima aetate, cum ac sacerdotium se vocari sensit eo praesertim consilio ut gloriam divini nominis et animarum salutem proveheret. « Le Serviteur de Dieu manifes« tait le désir d'entrer au Séminaire. M. le Curé le repre« nant un jour au sujet d'une saillie de caractère, lui dit « de prendre bien garde de ne pas être un mauvais prêtre. « Touché jusqu'aux larmes par cette parole, il garda le « silence, et ses parents, le voyant pleurer, lui demandèrent « pourquoi il se désolait ainsi. Et pressé par leurs sollicita« tions, il finit par avouer que M. le Curé lui avait dit qu'il « serait un mauvais prêtre. Et levant la voix entrecoupée « de sanglots, il s'écria: *plutôt que d'être un mauvais « prêtre, je préférerais mourir sur un rocher au milieu « d'un désert* ». Adeo zelo animarum exarsit ut sacerdos factus, dissitas regiones sacris missionibus excolere constituisset sibi: eius votis intercessit Episcopus, qui bene prospiciens quae quantaque emolumenta ex Servi Dei opera colligerentur, iussit eum intra fines Montispessulanae Dioeceseos manere ibique eamdem ardoris vim explicare, quam aliis in locis demonstrasset. Quae vero iussa sic implevit, ut *Apostolus* appellaretur et esset. Quin etiam quo maiores in dies caperentur fructus pietatis in ipsa Dioecesi (uti iam supra diximus) Sacerdotum Congregationem sacris missionibus obeundis, quae iam obsoleverat, redintegravit: nec quievit unquam donec vires corporis omnino apostolicis laboribus attritae sunt.

21. Quid tandem de obsequio, quo domum Dei prosequebatur? « C'est ce zèle qui l'a porté à faire construire une « grande chapelle richement décorée pour l'adoration per« pétuelle du Très Saint Sacrement ». Nulli sumptui pepercit ut sacellum Augustissimi Sacramenti honori a se elatum omni ornatu etiam decoraret. Ubi primum vero illud perfectum esse vidit, summa gestiens laetitia, oscula parietibus suaviter defigebat. « Quand les échafaudages enlevés per« mirent d'admirer le bel effet de la construction nouvelle, « on le surprit pendant la nuit chanter le *Nunc dimittis* et « baiser avec bonheur les murs de la chapelle ». Et cum tanta veneratione erga Ecclesiam in coelis triumphantem esset affectus, ne mireris si pari amore Ecclesiam militantem in terris prosequebatur. « Le Serviteur de Dieu professait « un grand respect et un grand amour pour l'Eglise et son « auguste Chef ». Atque etiam: « Professait un grand res« pect pour l'Eglise, sa hiérarchie et son enseignement, pour « le Pape, pour l'Evêque ». Quod luculentissime ostendit cum nihil unquam egit inconsulto Episcopo omnesque actiones, eius prorsus nutu moderatus est.

Quae cum ita sint, satis constat Dei Servum perfectissime fidei munere fuisse perfunctum.

De heroica spe.

22. Multis modis cernitur spes, quae cum fide coniunctissima est. *Germana* enim est *fidei speique cognatio ut quod illa futurum credit, haec sibi incipiat sperare futurum* (1).

23. Cum Servus Dei talibus fidei sensibus esset munitus, quales huc usque prosecuti sumus, illud tenendum est praeclare spem quoque coluisse. Porro a divina misericordia ac sanguine Christi, unde aeterna salus hominibus parta est, immortalis vitae gaudia mereri et consequi sese palam profitebatur. « Avait une grande confiance en la miséricorde « divine. C'est d'elle et non de ses mérites qu'il attendait « son salut ». Pariter « avait une grande confiance aux mé« rites de Notre-Seigneur Jésus-Christ ». Verum ut haec spes nulla temeritate niteretur, eamdem divino timore temperavit et nunquam inerti animo mansit: summopere enim adlaboravit ut pro sua parte ipse Christi meritis responderet ideoque nullum subsidium neglexit, quo ad aeternam salutem accederet.

24. Quia vero quo acrior sensus spei nostrae est, eo facilius aliorum commovet animos, inertes accendit, in omnem partem convertit, sic Servus Dei, quum eximia spe exardesceret, facile potuit aliorum fiduciam excitare ut omnem salutis rationem in unius Dei bonitate ac clementia reponerent. Hoc modo cum animum ad Christum Iesum unice convertisset, ei facultates, honores, terrena omnia sordescebant. Idque praeclaris indiciis ostendit. Eo quod de patria et religione optime meritus erat, in *Legionem honoris* ab iis, qui, rei publicae praeerant, cooptatus est. Gratulabatur ipsi olim Rev.mus Bousquet, qui vicaria potestate Montispessulanam dioecesim regebat: at Servus Dei: « *Le président « aurait mieux fait de me donner deux francs pour mes « pauvres* ». Se contulerat Lutetias Parisiorum ut operibus suis instituendis aliquod subsidium impetraret: sed summo moerore affectus est « en voyant le luxe et les dangers « presque inévitables dont y était l'occasion. Il était très « affligé en pensant à tous les vices qui avaient cours dans « cette Babylone moderne ». Ideoque nihil ei antiquius erat, quam exinde discedere ac sodali suo: « *Je n'aime pas Paris* « (inquiebat), *où je vois que tout n'est que péché. Il me « tarde de quitter cette grande Babylone. Hâtons-nous « de sortir de cette grande Babylone: je ne puis plus « me supporter ici* ». Quae consilia etiam iis litteris aperuit, quas Praesidi Generali Sororum dedit in hanc sententiam conceptas: « *J'ai hâte de revenir: je n'aime pas Paris, « et je souffre en pensant à toutes les abominations qui « s'y commettent* », Profecto illius menti penitus insidebat praeclara vox Pauli aientis: *omnia detrimentum feci et arbitror ut stercora ut Christum lucrifaciam.* Omnes cogitationes et desideria ad coelum converterat, quod ut assequeretur, acerbissima quaeque cruciatuum genera adhibuit. Flagris acutissimis corpus edomuit ita vero ut nemo hanc vitae rationem sustinere potuisset. Per summam industriam ex quavis re occasionem patiendi libenter nanciscebatur: « Son longement, son vêtement, sa nourriture, son travail « étaient une mortification continuelle. Un prêtre voulut

(1) S. Bernard. de Dom. Pass. C. 3.

« essayer de vivre quelque temps avec lui; mais il lui fut « bientôt impossible de continuer son genre de vie ».

25. Spem suam prorsus in Deo collocaverat, quia in eo summum bonum, quo homines spectare deberent, positum esse putabat: qua de causa hanc sententiam tamquam Congregationis tesseram sororibus constitui voluit: « *Dieu seul à tout jamais* » eamque iussit non modo mente custodiri, sed etiam cuiusque sororis cubiculi parietibus imprimi, ne unquam ex animo excideret. Itaque in omnibus factis propositus ei erat divinus honor: gloria Dei suarum actionum norma quaedam et regula erat. Easque vitae rationes ab ineunte aetate suscepit. Fertur enim cum adhuc tenerrima esset aetate: « Qu'il affronta un jour un orage avec une « grande joie, parce que, lorsqu'il serait missionnaire chez « les sauvages, il aurait appris à ne pas redouter l'intem« périe des saisons ». Et quoniam parentes exprobrabant eum: « *Il faut bien* (inquit ille) *que je m'habitue à souffrir « ainsi pour aller un jour évangéliser les sauvages* ». Saepe asperum coelum, frigus, pluviam sprevit, itinerum longitudinem, omnia obstaculorum genera superavit ut gloriam Dei augeret atque aegrotis et pauperibus praesto esset. Porro nonnisi coelestis praemii spe certa ducebatur ac mundana omnia celso erectoque animo aspernari visus est.

26. Cum sciret *desideria pauperum exaudire Dominum* (1), qui intimis et tacitis egentium studiis, ne expectata quidem eorum voce, occurrit, Servus Dei premente necessitate, ad precationis portum securo animo confugiebat et suae ipsius spei veluti arce munitus, se frangi aut deiici unquam de statu suo non tulit. Ad Deum, tamquam ad Patrem dulcissimum, accedebat. Saepe, postquam diu fervidas effudisset preces, in templo, ad aram maximam se conferebat et Tabernaculum pulsabat perinde ac si Domini pietatem promptius excitare vellet. Hinc omnia, quae petebat, impetrari: hinc insignia opera ad exitum nullo perturbatus eventu perducere: quo difficilior res aggredienda, eo paratior animus, contentio maior. Licet omnia mala et obstacula ingruerent, speratam palmam non patiebatur sibi e manibus eripi. Illud in proverbii consuetudinem venerat: » *Notre père n'a qu'à demander: il obtient tout par ses « prières* ». Sacellum perpetuae Sacramenti adorationi aedificandum erat: at omnia subsidia deerant. Orat: paucos post diebus magnam pecuniae vim impetrat, qua opus incoepit et persolvit. Alias summa laborabat inopia: verum vestes necesse erant ut alumnae, quas sorores collegerant, operirentur. Quid? « Il alla frapper à la porte du Tabernacle et dit « à Notre-Seigneur: *Vous m'avez donné les enfants: don« nez-moi ce qu'il faut pour les garantir du froid* ». Subito vir fuit, qui necessariam pecuniam ei obtulit. — Cum in eo esset ut concionaretur, ob immensos labores nullum concionis argumentum adhuc paraverat. « Il se recueillit « un instant devant le Tabernacle et parla sur le renie« ment de St Pierre. Le P. Vigourel l'entendit et jamais il « n'avait assisté à une prédication plus éloquente. « *Vous « vous êtes surpassé* » dit-il au père. — « *Ce n'est pas moi* « (répondit-il), *n'ayant pas eu le temps de me préparer. « J'ai demandé à Dieu de m'inspirer ce que je devais « dire* ». Et quoniam acceptorum beneficiorum bonam memoriam fovere, id summa iustitia est, ex quo maiora beneficia impetrentur a Deo, Servus Dei: « Lorsqu'il avait « obtenu (ce dont il avait besoin), il lui témoignait sa re« connaissance ». Sic facile potuit artem mulcendi afflictos animos discere; quippe eos, qui patiebantur, mirifice erigebat ad spem. Si quis calamitate obrutus, iacebat, « *allez trouver « le P. Soulas* (ei suadebant amici) *et vous trouverez la « paix de l'âme* ». Spes eius igitur omni ex parte perfecta erat.

(1) Psal. 9.

De heroica charitate erga Deum.

27. Charitas omnium virtutum princeps, qua qui flagrant, ii propius Deo accedere dicuntur: *Deus* enim *charitas est*. Quantum vero Deum Andreas dilexerit, integra eius vita ostendit; etenim a teneris annis cum Deo coniunctissimus fuit atque in omnibus rebus sibi propositus erat divinus honor. — Iam adhuc sacrorum alumnus in Seminario degebat, cum id temporis, quo a studiis aequales feriabantur, ipse in pueris christiane instituendis libentissime insumebat. Quo magis illi tenelli puerorum animi pietate imbuerentur atque a vitiis essent alieni, eosdem veluti in Congregationem constituit et in clientelam S. Aloysii Gonzagae tradidit. Exinde multa animarum colligebantur emolumenta: at ne, ipso absente, fructus inarescerent, saepe monita datis litteris opportune mittebat eosque in susceptis vitae rationibus firmabat: « De retour au séminaire, il leur rappelait dans « des lettres fréquentes leurs devoirs de bons Congréga« nistes ».

28. Cum toto pectore incumberet ut aequales Deum diligerent, ipse oculos in Deum semper defixos habuit. Si fidem enim testibus adhibemus: « Une grande charité lui inspirait « de s'appliquer à la prière, de se confesser fréquemment...... « d'avoir une grande délicatesse de conscience et de se rap« peler continuellement la présence de Dieu ». Peccatum, quo animae ab amore Dei desciscunt et sempiterno hosti addicuntur, ipse peius angue vitavit. Saepe aiebat se mori malle quam peccare. Cum sciret vires hominis infirmas esse et in peccatum se facile labi posse, tantum doloris sustinebat quantum vix ferret. Poenarum timore tangebatur, quae sceleratorum animas manent: at magis terrebatur, cum secum reputaret per capitales noxas Dei amicitiam amitti, quae una in pretio hominibus habenda est. — Olim aegrotanti sodali aderat. Dum is videbatur dormire, Dei Servus interea carbones ardentes manu suscepit eosque tenebat ut dolori ferendo occalesceret. Verum sodalis, qui experrectus erat, petiit ab eo curnam ita se torqueret: « *C'est* (inquit) *que je « veux voir s'il est possible de supporter le feu de l'enfer: « et je me persuade ainsi qu'il vaudrait mieux mourir « mille fois au milieu des plus grandes douleurs que de « commettre un seul péché mortel* ». Quo facilius peccatum fugeret, omnes adhibuit industrias atque in primis instituta a Christo Domino sacramenta Eucharistiae et poenitentiae, puer cum esset, quam saepissime celebrabat. Meditatione rerum coelestium et mira quadam dulcedine Deo coniungebatur. Tum denique haec assidua eius voluntas ac sententia fuit ut consilia, cogitationes omniaque sua recta essent ac Deum semper spectarent, ex quo iuste perfecteque se ageret: hinc immensi apostolici labores repetendi sunt, quibus ad divinam gloriam augendam, quamdiu vixit, perfunctus est.

29. Verum peccatum non modo in se, sed in aliis quoque odit et summopere cavit ne ab ullo Deus offenderetur. Utinam suppeterent vires ut omnes ad Deum amandum excitaret vel extremas orbis terrarum regiones pro unius animae salute pervadere non dubitasset! Cuius ardentissimae charitatis innumera praebuit exempla. — Pro peccatis alienis ipse acerbissimam poenitentiam agebat: « Il priait et faisait « pénitence comme s'il eût été coupable lui-même: il de« mandait des prières à ceux qui l'entouraient, et si le cou« pable se convertissait, il remerciait Dieu et lui en rap« portait toute la gloire ». Gloria divina semper apud eum principem obtinebat locum semperque ante eius oculos versabatur. Nomen Domini ubique honorari volebat. Ubi primum sacerdotio auctus est, oppidum vulgo *Galergues* transivit. Cum accepit cives ibi fere omnes protestanticis erroribus esse infectos, publicas conciones habere coepit in maiori oppidi foro: inceptum opus solummodo intermisit

cum sodales, qui secum erant, omnem laborem omnino ibi deperditum esse ei suaserunt. Iamdiu exoptabat se ad sacras missiones conferre apud exteras gentes. Iam iam in eo erat ut, propositi tenax, quod mente conceperat ad exitum deduceret: domi mansit, cum ab Episcopo iussus est. Alias sacerdos corruptissimus indigno probrosoque facinore civitatem offenderat. Roboris in Servo Dei tantum non fuit ut acerbitatem tam gravem aequo animo ferre posset. Ad facinus expiandum, fervidas preces fudit multosque amicos exoravit, ut, suscepta poena, ipsi secum delictum expiatoriis precibus luerent. Voce dolore interclusa: « *Pleurez,* inquit, *avec* « *moi: priez et jeûnez au moins deux fois par semaine* « *pour obtenir la conversion d'un pécheur scandaleux* ». Neque irritae preces; etenim sacerdos ille, multis poenitentiae editis signis, piissime mortuus est. Alter sacerdos erat isque pessimi et nocentis exempli, a fidelium communione disiunctus. Olim ille miser ad Servum Dei confugerat. Ipse ut tam vulgatae nequitiae hominem ad rectam vitae rationem deduceret, ei lectulum suum dedit eumque summa charitate fovit. Nec satis! per quindecim dies Dei Servus aspero vitae genere, pro eo expiationem peccatorum exsolvit. Tandem sacerdos ad Deum prorsus conversus, in religiosum coetum abditus est ibique, morte sancte obita, anteactam vitam expiavit. Quidam, religiosi ordinis sodalis, quadragesimales conciones in Montis Pessulani templo principe habebat. Vir summae doctrinae erat, integrisque moribus: quapropter confertissima civium multitudo ad eum confluebat, unde uberrimi erant fructus pietatis. Verum, post earum rerumpublicarum conversiones, quae anno millesimo octingentesimo quadragesimo octavo factae sunt, recentioris aetatis opinionibus, quae paulo contumaciores essent, parumper accesserat, etsi eum moderatores exprobarent. Quid Servus Dei? mente repetens secum quam bene de religione et republica olim ille meritus esset atque exinde gravi affectus sollicitudine, postquam diu dubitasset: « Il écrivit au « Religieux en lui rappelant ses succès oratoires, l'édifica- « tion qu'il avait donnée par sa piété et le conjurait au « nom de Dieu et du bien des âmes de ne pas résister plus « longtemps à ses Supérieurs ». Qua epistola nihil potius fuit, quod animum sacerdotis commoveret. Etenim: « Le Re- « ligieux répara le scandale de sa révolte par la plus humble « soumission ».

30. Nonnisi ex amore, quo erga Deum flagrabat, ea opera sunt repetenda, quae ad exitum imperturbatus perduxit; item innumerae pietatis significationes, preces ac praesertim ardor charitatis, quo sacris operabatur. « L'amour de Dieu « portait le P. Soulas à s'entretenir souvent avec Lui dans « le saint commerce de la prière: il s'approchait souvent « du Sacrement de Pénitence, disait tous les jours la sainte « Messe avec ferveur et grande édification ». Saepe (uti iam diximus, quando eximiam Servi Dei fidem prosequebamur), inter sacrum celebrandum, lacrimis conficiebatur, quas tergere per summam industriam studebat, ante quam ad populum se converteret. Quod decimus primus testis confirmavit his verbis: « J'ai vu souvent le Serviteur de Dieu dire la « Sainte Messe profondément pénétré. Je l'ai toujours vu « versant des larmes, qu'il essuyait en se tournant vers le « peuple. Il restait longtemps au Saint Autel après la con- « sécration ». Post sacrum peractum veluti effusa gestiebat laetitia et vultu insolita luce splendere videbatur: « *Il était* « *tout rayonnant* ». Neque interea ab ara disiungi poterat, perinde ac si coelestes dulcedines ibi gustaret et regustaret avidius. Olim nocte, qua memoria Christi nascentis recolebatur, divinam victimam immolans, diu immotus haesit, quasi in extasim raptus, ante quam sacras epulas Cristifidelibus impertiretur. Deinde per tres dies tanta animi concitatione agitabatur ut fere totum id temporis ieiunus transegerit. Rogatus cur ita se haberet: « *Est-ce que vous n'avez* « *rien vu?* » inquiebat. Cum vero interrogantes responderent, se nihil ea nocte deprehendisse: « *Je suis un misé-* « *rable* (aiebat), *un grand pécheur; au moment de la* « *Communion, la Sainte Hostie a pris les proportions* « *d'un petit enfant. Je suppliai l'Enfant Jésus de se* « *cacher pour me permettre de le recevoir et je n'ai pu* « *communier que lorsqu'il a exaucé ma prière* ».

31. Cum totus charitate intus arderet, neque interiorem ignem posset continere, parum loquebatur, at si quando verba ederet, haec unice Deum spectabant. Conciones eius tanta charitate flagrabant ut audientes omnem in partem traheret. Videbatur: « Déverser sur l'auditoire le trop-plein « de son amour pour Dieu ». Profecto: « Il travaillait uni- « quement pour Dieu seul, c'était le but de son zèle et de « sa prédication. Son amour pour Dieu le rendait éloquent. « Il ne cherchait que Lui et ne voulait que Lui ». Neque raro de amore, quo Deus homines dilexit; et de grati animi sensibus, quibus eum homines diligere tenentur, publice concionabatur. Tum, veluti divino ductus instinctu, totus in lacrimas dissolvebatur et « *je suis un âne* (inquiebat); *j'en* « *conviens, mais j'aime Dieu et je veux vous le faire* « *aimer* ».

32. Qui amat amicum, pro viribus contendit ut omnes diligant eum et quando ille calamitate opprimitur neque ipsi opem ferre potest, eius casibus illacrimatur et queritur cum eo. Dei Servus adsidue meditabatur illud: *videte qualem charitatem dedit nobis Deus ut filii Dei nominemur et simus* (1), ideoque dominicae passionis memoriam non modo animo saepissime repetebat, sed publicis habitis concionibus, omnes ad Christum patientem amandum suavissime compellabat, Apostoli insistens vestigiis, qui nihil aliud se scire testatus est *nisi Iesum Christum et hunc crucifixum* (2). Ita in Christi vulneribus se abdebat ut talium cruciatuum memoria: « lui faisait souvent verser des larmes et il faisait « passer son émotion dans l'âme de ses auditeurs ». Praeterea haec adsidua Dei Servi voluntas erat ut Sorores quoque sese Christi vulneribus reciperent atque inde lumina et vires derivarent. Quo autem facilius earum oculi ad Iesum patientem converterentur: « Il a voulu que ses religieuses « fissent le chemin de la Croix dans un oratoire particulier « tous les premiers vendredis du mois et le Vendredi Saint « depuis 1 heure jusqu'à 4 heures ». Tunc denique ut caritatem, qua intus erga Christum ardebat, foris effunderet: « Il a composé une prière sur les souffrances de Notre- « Seigneur, qui respire la plus grande piété. Je l'ai vu, pen- « dant qu'il la composait, se tenir toute la journée à genoux « devant le Tabernacle dans un profond recueillement ».

33. De mirabili charitate, qua Dei Servus erga Sacramentum ferebatur, iam multa eaque insignia in superiori parte persecuti sumus: quod si nonnulla heic adiungere licet, certum est perpetuae adorationis opus duplici quidem ratione ab eo fuisse institutum: nempe ut iniuriae a peccatis Deo illatae sarcirentur, et inter homines charitas erga Eum magis magisque excitaretur. Sic voluit « attirer les béné- « dictions de Dieu pour la conversion des pécheurs et la « persévérance des justes ». Anno 1852, dies Nomini Iesu Augustissimo sacra, prior illuxit, quo opus perpetuae adorationis perfectum est. Statim confertissima populi multitudo confluxit, quam non modo Servus Dei certis quibusdam adorationis praestandae rationibus regebat, sed etiam opportunis concionibus ad omnem pietatem excoluit. « *Nous* « *serions bien ingrats* (inquiebat) *envers Notre-Seigneur,*

(1) Ioan. C. 1.
(2) I. Cor. 22.

« si nous ne l'aimions pas davantage, ayant le bonheur « de l'adorer nuit et jour ». Diurnis cum precibus nocturnas vigilias coniungere solebat. Quo propius Sacramento adesset, in cubiculo, quod continens sacello erat, morabatur et augustum foramen aperiri iusserat, quo cum templo communicare posset. Olim nocturnis horis inter orandum deprehensus est: interrogatus cur non dormiret: « *Comment « dormir* (inquit) *en ayant un Dieu si près?* » Morbo tentatus, quoniam prohihebatur noctu coram Sacramento orare, iaculatoriis precibus erigebatur ad Deum. Quid? charitatis igne Servi Dei vita consumpta est, quam ipse divinae gloriae honori omnino impendit.

(Sequitur).

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

ORDINIS MINORUM CAPUCCINORUM.

Superior impertiens subditis Absolutionem generalem, ipsemet eius beneficio gaudet.

Fr. Iucundus a Montonio, Ord. Min. Capuccinorum Procurator Gen.lis, Sacrae Congregationi Indulgentiarum sequentia dubia solvenda proposuit:

1. Quaenam sit formula adhibenda ad impertiendam Absolutionem generalem Regularibus modo privato, id est, immediate post sacramentalem Confessionem?

2. Utrum Superior regularis, aut eius delegatus, cum Absolutionem generalem propriae Communitati impertit, et ipsemet eamdem recipiat, an alius Sacerdos ei impertire debeat?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, respondendum censuit:

Ad 1um. Ad S. Rituum Congregationem.

Ad 2um. Affirmative ad 1am partem; Negative ad 2am.

Datum Romae e Secret. eiusdem S. Congr. die 1 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

II.

Indulg. conceduntur recitantibus quamdam precem pro diffusione pii usus Communionis quotidianae.

Ex Audientia Sanctissimi, die 30 Maii 1905.

SS.mus D.nus Noster, cum ipsi maxime cordi sit ut usus quotidianae Communionis tam salubris ac Deo acceptus, in christiano populo, Christo Domino adiuvante, ubique propagetur, omnibus Christifidelibus, qui praefatam orationem devote recitaverint, tercentum dierum indulgentiam quotidie lucrandam; eis vero, qui per mensem integrum id egerint, atque die, proprio arbitrio eligendo, sacramento poenitentiae expiati sacraque Communione refecti, publicum oratorium visitaverint ac iuxta intentionem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam benigne concessit. Quas indulgentias Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturas declaravit. Praesentibus in perpetuum valituris, contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum fidem etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C. die 3 Iunii 1905.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

PREGHIERA PER LA PROPAGAZIONE DEL PIO USO DELLA COMUNIONE QUOTIDIANA.

O dolcissimo Gesù che veniste al mondo per dare a tutte le anime la vita della grazia vostra, e che, per conservarla ed alimentarla in esse, voleste essere e la quotidiana medicina della loro quotidiana infermità ed il loro quotidiano sostentamento; umilmente Vi preghiamo, per il Vostro Cuore così ardente dell'amor nostro, a diffondere sopra di tutte il Vostro divino spirito, affinchè quelle che sventuratamente sono in peccato mortale, convertendosi a Voi, riacquistino la vita della grazia perduta, e quelle che, per Vostro dono, vivono già di questa vita divina, ogni giorno, quando possono, si accostino devotamente alla Vostra sacra mensa, onde per mezzo della quotidiana Comunione, ricevendo ogni giorno il contravveleno dei loro peccati veniali quotidiani, ed ogni giorno alimentando in sè la vita della grazia Vostra, e purificando così sempre più l'anima propria, giungano finalmente al conseguimento della vita con Voi beata. Amen.

III.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus iaculatoriam pro resarciendis blasphemiis in B. Virginem prolatis.

Beatissimo Padre,

Il sac. Fortunato Giordano di Napoli, Prelato Domestico di V. S., prostrato ai piedi della medesima S. V., umilmente espone che, bramando egli promuovere una riparazione contro le bestemmie che tuttodì empiamente si proferiscono, specie verso la SS. Vergine, nel giubileo della definizione del dogma della Immacolata Concezione, ha divulgato, per mezzo della Sacra Lega Eucaristica di Milano, un foglietto da potersi affiggere nelle case, colla immagine di Maria SS. Immacolata e con alcune pie giaculatorie, fra le quali è la seguente:

O Maria, benedite questa casa, dove si benedice sempre il vostro Nome. Viva sempre Maria, l'Immacolata, la sempre Vergine, la benedetta fra le donne, la Madre del Signor Nostro Gesù Cristo, la Regina del Paradiso.

Ora, affinchè questa pia pratica, già diffusa in molti luoghi possa essere propagata da per tutto, supplica la S. V. perchè si degni di concedere qualche indulgenza a tutti coloro che reciteranno la prefata giaculatoria, ed impartire l'Apostolica benedizione a quanti vorranno intraprendere in ogni tempo la detta pia pratica riguardante il foglietto. — Che ecc.

Ex audientia SSmi, die 26 Februarii 1905.

SS.mus, auditis expositis, praefatam precem corde saltem contrito recitantibus (quoties id egerint) indulgentiam tercentum dierum, animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit, absque ulla Brevis expeditione. Iis insuper Christifidelibus, qui pium opus praedictum devote peregerint, Apostolicam benedictionem peramanter impertivit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. — In quorum etc.

L. ✠ S.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 21 Martii 1905.

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus quamdam precem in honorem B. Mariae Virg.

PREGHIERA A MARIA SANTISSIMA.

O Maria, Tu, che incoronata di stelle, hai per isgabello ai Tuoi piedi la luna e per seggio le ali degli Angeli, inchina il Tuo sguardo a questa valle di affanni, e ascolta la voce di chi solo in Te pone il suo rifugio e la sua speranza.

Tu ora godi le dolcezze infinite del Paradiso: ma pure in mezzo al gaudio e allo splendore porti sempre nel più intimo dell'animo la ricordanza di quanto ai sofferto nella Tua vita. Tu pure hai provato gli stenti di questo esilio, e perciò sai come amari scorrono i giorni a chi vive nel dolore.

Sempre nel Tuo pensiero sta un monte sparso di armati e di squallore: odi sempre una voce pur troppo a Te nota, che Ti dice: *o donna, eccoti in mia vece il tuo figlio.* E quelle immagini Ti commuovono di profonda tenerezza e Tu senti, o beata, che su quel monte e con quelle parole fosti destinata a madre dei credenti.

E senza di Te che sarebbe la vita ai miseri figliuoli di Adamo? Ognuno di essi ha un dolore che lo travaglia, un affanno che l'opprime, una ferita che lo tormenta. E tutti ricorrono a Te, come al porto di salute ed alla fonte di ogni ristoro. Quando le onde si abbaruffano in tempesta, volgesi a Te il navigante, e da Te implora calma. A Te ricorre l'orfana che, come un fiore nel deserto, vedesi esposta al turbine della vita. A Te supplicano i poveri che veggono mancarsi il vitto quotidiano; ed alcuno non vi ha che resti privo di soccorso e di consolazione. Ma se tutti rinvengono in Te aiuto e ristoro, che diremo noi, cui suoli mostrarti viva come stai nel Cielo?

O Maria, Madre di tutti, illumina le menti, ammollisci i cuori, perchè quell'amore purissimo, che si riversa dagli occhi Tuoi, si spanda d'ogni intorno e produca i frutti stupendi che il Tuo Figliuolo preparò spargendo il suo Sangue, mentre Tu sostenevi i più atroci spasimi sotto la sua croce.

Ai fedeli, che reciteranno devotamente questa preghiera, accordiamo per una volta al giorno l'indulgenza di 300 giorni.

Dal Vaticano, li 24 marzo 1905.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 2 Iunii 1905.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SECRETARIA STATUS

Plura statuuntur circa editionem typicam Vaticanam librorum liturgicorum Gregorianorum.

Reverendissimo Padre,

Dal lavoro preparatorio della Commissione Pontificia per l'Edizione Vaticana dei Libri Liturgici Gregoriani vengono posti in rilievo i molteplici vantaggi che offre una semplificazione nell'opera di compilazione, onde rendere più proficui i resultati ottenuti finora dalla iniziata riforma del Canto Gregoriano.

Il Santo Padre adunque, dopo avere nuovamente rivolto il meritato encomio ai Monachi Benedettini, specialmente a quelli della Congregazione di Francia e del Monastero di Solesmes per l'opera illuminata e proficua prestata dai medesimi nella riforma delle sacre melodie della Chiesa, si è benignamente compiaciuto di decidere che la pubblicanda edizione Vaticana sia basata sull'edizione benedettina pubblicata a Solesmes nel 1895, riconoscendo per tal modo il giusto valore di quella bene intrapresa riforma. Alla S. V. poi, come presidente della Commissione Pontificia, il Santo Padre affida il delicato incarico di rivedere e correggere l'edizione in parola, ed in questo lavoro Ella si farà coadiuvare dai diversi membri della Commissione, valendosi all'uopo dei preziosi studî paleografici eseguiti sotto la sapiente direzione del R.mo Abate di Solesmes. Ed affinchè l'importante lavoro proceda maggiormente alacre e concorde, la Santità Sua si riserva di fare appello ai vari componenti la Commissione perchè questi più direttamente applichino l'opera del loro studio a quei libri liturgici, la cui riforma melodica è ancora meno inoltrata.

A garantire poi l'attuazione di tali disposizioni, il Santo

Padre si è ulteriormente degnato di stabilire quanto qui appresso Le notifico a nome della prelodata Santità Sua:

1) La Santa Sede prenderà sotto la sua autorevole e suprema protezione l'Edizione speciale dei libri liturgici che raccomanda come tipica, lasciando per altro il campo libero agli studî dei competenti nella disciplina Gregoriana.

2) Per evitare qualsiasi monopolio, sia di diritto che di fatto, l'Edizione Vaticana tipica potrà essere liberamente riprodotta dagli editori, purchè osservino le condizioni fissate nel *Motu Proprio* del 25 aprile 1904 (1).

3) I Membri ed i Consultori della Commissione si presteranno di buon grado per agevolare il còmpito del Presidente, col concorso dei loro lumi e della loro scienza, e saranno a disposizione della Santa Sede per eseguire gli altri lavori affini e per esaminare le pubblicazioni da approvarsi dalla S. Congregazione dei Riti.

4) Onde salvaguardare alla Santa Sede, al presente ed in avvenire, i suoi indiscutibili diritti sul canto sacro, parte integrante del patrimonio della Chiesa Cattolica, l'alta direzione dell'opera, sia per la composizione dei libri liturgici, sia per l'approvazione da darsi alle varie pubblicazioni liturgiche, specialmente ai proprî ed agli Uffici nuovi, viene affidata all'Emo Cardinale Prefetto della S. Congregazione dei Riti, che si concerterà col Presidente della Commissione per le opportune disposizioni e misure: e queste saranno poi attuate d'accordo col sottoscritto Cardinale Segretario di Stato.

5) I diritti di proprietà della Santa Sede, cioè, la stampa per la Santa Sede medesima e per gli editori da essa già autorizzati a riprodurre l'Edizione Vaticana, sono garantiti dal carattere della pubblicazione, dalla fisionomia propria della Edizione stessa e dalla formale rinuncia generosamente emessa in favore della Santa Sede dal Padre Abate di Solesmes e dalla P. V. di tutti i risultati già pubblicati dai loro precedenti lavori.

6) Queste disposizioni, e specialmente la base della Edizione Vaticana, cioè l'Edizione fatta a Solesmes nel 1895, serviranno a tutelare la lettera e lo spirito degli anteriori documenti Pontifici, compreso il Breve indirizzato al Padre Abate di Solesmes li 22 maggio 1904 (2), e ad addivenire alla migliore soluzione scientifica e pratica.

Nel portare a conoscenza della Paternità Vostra queste disposizioni del Santo Padre, ben sicuro che Ella, nel suo solerte zelo, rivolgerà tutte le sue diligenti cure alla completa attuazione delle medesime disposizioni, mi giovo dell'incontro per confermarmi colla più distinta stima

Della P. V. Rev.ma,

Roma, 24 giugno 1905.

Aff.mo nel Signore
R. Card. MERRY DEL VAL.

Rev.mo Padre D. Giuseppe Pothier, Abate O. S. B., Presidente della Commissione Pontificia per l'Edizione Vaticana dei Libri Liturgici Gregoriani. Roma.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 147.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 435.

E VICARIATU URBIS

I.

Litterae circulares Emi Cardinalis Vicarii ad parochos Urbis circa modum tradendi doctrinam christianam.

Molto Reverendo Signore,

Rimettiamo alla S. V. Molto Reverenda una copia della lettera enciclica che la Santità di N. S. si è degnata dirigere a tutti i Vescovi del mondo cattolico, intorno all'insegnamento della dottrina cristiana (1). La grande importanza che ha il venerato documento pontificio, specialmente per i parroci, e il desiderio che al più presto il popolo di Roma abbia ad esperimentare i benefici effetti, c'induce a richiamare l'attenzione della S. V. particolarmente sopra alcune disposizioni contenute nell'Enciclica, aggiungendo quanto ci sembra opportuno per facilitarne l'esecuzione.

Prima cosa da notarsi è che, da ora innanzi, l'insegnamento catechistico nelle singole parrocchie dovrà tenersi in tutti i giorni festivi dell'anno. In Roma era antica abitudine quella di far vacanza in un determinato tempo dell'anno, oltre alcune maggiori solennità. Il S. Padre vuole che questa abitudine cessi, e il catechismo non si sospenda mai. Nè deve opporsi che in alcune epoche dell'anno pochi si cureranno d'intervenire; giacchè alla trascuratezza dei fedeli conviene porre un argine con lo zelo dei parroci, i quali a questo riguardo non tralascino di ammonire con carità, ma instantemente, il popolo, memori dell'insegnamento dell'Apostolo: *insta opportune, importune: argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.*

Nè solamente alla gioventù, ma si deve far conoscere a tutti l'importanza del catechismo e il dovere d'istruirsi in esso, intervenendo alla spiegazione che, secondo le nuove disposizioni del S. Padre, dovrà farsi parimenti, ogni festa dell'anno, per gli adulti. Per questa spiegazione, come per l'altra dei fanciulli, scelgano i parroci l'ora più adatta alle abitudini della popolazione loro affidata, e, qualora ragioni speciali non consigliassero diversamente, procurino che al catechismo impartito ai fanciulli, tenga subito dietro la spiegazione per gli adulti, e poi la recita di qualche preghiera e la benedizione con il SS.mo Sacramento.

Raccomandiamo poi vivamente di costituire al più presto, in ogni parrocchia, la confraternita della dottrina cristiana, secondo il volere del Santo Padre. In Roma esiste già da secoli l'arciconfraternita di S. Maria del Pianto, alla quale dovranno aggregarsi le confraternite parrocchiali, per godere dei privilegi spirituali a quella concessi dai Romani Pontefici, e anche per ottenere quell'unità di direzione e di metodo che tanto concorre alla riuscita dell'apostolico ministero.

Infine ci è grato raccomandare lo studio accurato del Catechismo Romano, compilato per decreto del Sacrosanto Concilio di Trento e che vuole il Santo Padre serva sempre di guida ai parroci nell'insegnare ai fedeli la dottrina di Gesù Cristo.

A tale proposito crediamo opportuno ordinare che, come periodicamente i parroci sono tenuti ad intervenire alla soluzione del caso morale, così per turno debbano fare una istruzione catechistica sopra un punto del catechismo dio-

(1) Cfr. Fasc. praec., p. 145.

cesano, servendosi del catechismo Tridentino. A ciò possono bene giovare le conferenze parrocchiali che si tengono il giovedì nelle singole parrocchie, purchè mantengano il carattere che avevano nella loro istituzione. Scelta pertanto l'ora più opportuna per tutti, prima di ogni altra cosa si legga da un parroco, a turno, l'istruzione catechistica, come sopra si è detto, occupando poi il tempo che rimane nel trattare insieme tutto ciò che può riferirsi ai singoli ministeri e alle varie opere parrocchiali.

Le istruzioni catechistiche dovranno poi essere depositate nella Segreteria del Vicariato, e potranno anche essere date alle stampe, per diffonderne il vantaggio a tutto il clero.

Siamo certi che tali disposizioni saranno dalla S. V. R.ma esattamente adempite, e in tale fiducia la benediciamo di cuore nel Signore.

Dalla Nostra Residenza il 18 maggio 1905.

PIETRO Card. Vicario.
FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

II.

Superiorissae Communitatum Religiosarum Urbis prohibentur ne viros saeculares hospitio excipiant.

Molto Reverenda Madre,

Da qualche anno si sono moltiplicate in Roma le opere di comunità religiose femminili, con grande vantaggio delle anime, e sviluppo molteplice della cristiana carità.

Di questo fatto consolantissimo dobbiamo rendere grazie al Signore, che non manca di soccorrere la sua Chiesa con mezzi proporzionati alle necessità nuove dei tempi; ma è nostro dovere di vigilare attentamente su quanto dall'attività di queste congregazioni si viene attuando, allo scopo di accrescerne gli effetti benefici, e tener lontani quegli abusi che uno zelo, a volte poco illuminato e poco prudente, potrebbe introdurre.

Un punto tra gli altri ha richiamato la nostra attenzione e quella altresì del Santo Padre, ed è l'abitudine invalsa in parecchie comunità di ospitare, per un tempo più o meno lungo, nelle loro case persone estranee. Questo fatto innegabile non si può sempre giustificare con lo spirito della carità cristiana, la quale si esercita con sacrifizio e disinteresse, e non deve ridurre mai una casa religiosa ad una specie di albergo.

Per ovviare a questo pericolo, il Santo Padre è venuto nella determinazione di dare gli ordini seguenti, che ci affrettiamo di comunicare a Vostra maternità:

1° È assolutamente vietato di ospitare in case religiose di suore uomini secolari;

2° Sarebbe desiderabile che nemmeno agli ecclesiastici fosse offerta ospitalità nelle case suddette; potendo essi usufruire di collegi o comunità religiose maschili che abbondano in Roma;

3° Si permette unicamente di ricevere signore e signorine che, trovandosi sole, amano una vita ritirata, che difficilmente potrebbero condurre altrove.

Nella certezza che tali ordini del S. Padre saranno subito e con la maggiore esattezza adempiti, la benediciamo di cuore nel Signore.

Dalla Nostra Residenza il 18 maggio 1905.

PIETRO Card. Vicario.
FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XIX. **Die 27 Novembris 1677.**

DUBIUM. — Beneficii. — R. *Negative.*

BOSANEN. — Consecrationis. — R. *Concedi posse assistente uno episcopo et una dignitate.*

NULLIUS ALTAMURAE. — Processionum. — R. *Dilata et audiantur Clerici.*

TRICARIEN. — Iurisdictionis. — R. *Ad 1. et 2. affirmative et dentur decreta; ad 3. manutenendum Seminarium.*

DUBIUM. — Impedimenti. — R. *Pro transmissione integri processus.*

PACTEN. — Distributionum. — R. *Negative.*

DUBIUM. — Cappellaniae. — R. *Dilata.*

MEDIOLANEN. — Matrimonii. — R. *Approbatur dubium.*

56. **Dubium. — Beneficii.**

Principissa Portugalliae praesentavit professum et conventualem militiae S. Benedicti de Avis ad prioratum curatum saecularem. Dubitat Archiepiscopus Ulixbonensis, num debeat illum instituere, et D. Nuntius, ad quem causa facile devolvetur per appellationem, habere desiderat S. Congregationis sententiam. Pro praesentato fuit, quod in Lusitania sunt plura exempla collationum huiusmodi, et isti regulares facile obtinent a praelato licentiam commorandi extra conventum nec non testandi. E contra vero, isti sunt vere regulares cum tribus votis essentialibus, nolunt deinde corrigi ab Ordinario etiam super criminibus circa animarum curam; incongruum est, quod regularis praesit presbyteris saecularibus. Prioratus praetendit collationem beneficiorum saecularium, et facile omnia confert regularibus. Unde tam Archiepiscopus, quam D. Nuntius instant decerni.

An d. religiosus sit ad d. prioratum instituendus.

R. *Negative.*

57. **Bosanen. — Consecrationis.**

Electus Episcopus Bosanen. in Sardinia, per libellum a SS.mo remissum pro voto, supplicat pro indulto se consecrare faciendi ab uno tantum Episcopo, assistentibus duabus dignitatibus; quoniam praesentium temporum turbulentiae extra insulam trajicere non sinunt, et in d. insula non pos-

unt insimul convenire tres Episcopi ad consecrationem necessarii. Siquidem Archiepiscopus Turritanus et Episcopus Usellensis ob gravem aetatem et indispositiones, sunt inhabiles ad functiones. Ampuriensis accinctus est ad iter in Hispanias. Cumque consecratio fieri debeat a Metropolitano Calaritano, Archiepiscopi Arborensis assistentia, tum ob distantiam, tum ob praecedentiae controversiam, quia hic non vult illi assistere, sperari non possit, solusque remanet Algarensis. Quaeritur itaque:

An in casu, de quo agitur, sit indulgendum ut Orator consecretur ab uno tantum Episcopo, assistentibus duabus dignitatibus.

R. *Concedi posse, assistente uno Episcopo et una dignitate.*

58. Nullius Altamurae. — Processionum.

Pro parte Archipresbyteri Altamurae, citato procuratore clericorum supplicatur decerni:

1° An Clerici non participantes obtinentes tamen beneficia aut officia ecclesiastica simplicia quamvis tenuia, aut nullius redditus, etiamsi de iurepatronatus laicorum, cogi possint ad publicas processiones.

2° An pariter cogi possint obtinentes legata pia, quae conferuntur in titulum.

R. *Dilata et audiantur Clerici.*

59. Tricarien. — Iurisdictionis.

In Ecclesia PP. Ordinis Praedicatorum montis Murri, extant duae confraternitates laicorum, una sub invocatione SS.mi Rosarii et altera montis mortuorum. Utraque reperitur visitata per Episcopos ab anno 1588, etiam in illarum cappellis, utriusque administratores usque ad 1671, rationem Episcopis reddiderunt; utraque contribuit Seminario ab huius erectione usque ad 1671, sed illis modo haec praestare renuentibus, citatis confratribus et PP., Episcopus instat decerni:

1° An dictae confraternitates subiaceant visitationi Episcopi.

2° An teneantur Episcopo rationem administrationis reddere.

3° An teneantur Seminario contribuere.

R. *Ad 1. et 2. affirmative et dentur decreta; ad 3. manutenendum Seminarium.*

60. Pacten. — Distributionum.

Ad Episcopatum Pactensem spectat Ecclesia quatuor milliaribus distans a civitate. Ad Ecclesiam hanc antequam cathedralis saecularizaretur, solebant Episcopi mittere tres ex regularibus cathedralis, qui dictam Ecclesiam gubernabant et in ea horas canonicas, aliaque divina officia peragebant. Postmodum vero sequuta saecularizatione anno 1648, deputati fuere in illa tres presbyteri saeculares. Illis vero nuper defunctis, cum alii presbyteri apti non inveniantur, tum viri idonei sunt necessarii tum propter Ecclesiae bona, tum propter magnum fidelium ad eam concursum, capitulum, sede vacante, decrevit ad eam turnatim de anno in annum transmittendum canonicum et cappellanum ex capitulo pro quibus, dicta absentia durante, supplicat, ut habeantur pro praesentibus in servitio cathedralis. Quaeritur:

An ita sit indulgendum.

R. *Negative.*

XX. Die 11 Decembris 1677.

MEDIOLANEN. — Matrimonii. — R. *Matrimonia militum contrahenda coram cappellanis exercituum, quocumque loco existentium, fore nulla nisi doceant de sufficienti facultate, vel privilegio; quo vero ad matrimonia iam contracta, particulariter videantur et communicetur E.mo Archiepiscopo, qui aliis participet.*

LUCANA, seu ROMANA. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

INDIARUM. — Cappellaniae. — R. *Ad primum negative; ad secundum affirmative.*

AMALPHITANA. — Erectionis Dignitatum. — R. *Explicet casus particulares Archiepiscopus.*

SQUILLACEN. — Cappellaniarum. — R. *Ad primum negative, in reliquis dilata.*

CASTELLANETEN. — Celebrationis. — R. *Servandas esse dispositiones Alexand. VII et Clement. IX.*

BAREN. — Matrimonii. — R. *Negative.*

61. Mediolanen. — Matrimonii.

Cum in proxime habita Congregatione, sub die 27 Novembris, approbatus fuerit tenor dubii infrascripti, videtur nunc decernendum:

An sit validum matrimonium contractum a milite in statione degente coram cappellano sui tertii.

R. *Matrimonia militum contrahenda coram cappellanis exercituum, quocumque loco existentium fore nulla, nisi doceant de sufficienti facultate, vel privilegio; quo vero ad matrimonia iam contracta, particulariter videantur et communicetur E.mo Archiepiscopo qui aliis participet.*

62. Indiarum. — Cappellaniae.

Quondam Balthassar Tomino in testamento mandavit uxori, ut fundaret Cappellaniam perpetuam de iure patronatus in altari Ecclesiae Maioris Guadalaxare cum clausulis et conditionibus eidem uxori melius bene visis. In huius voluntatis executionem mulier fundavit cappellaniam, assignata dote in annuis petiis 500, cum onore missae quotidianae, et reservata sibi, et suis bonorum administratione, addiditque ut cappellanus esset amovibilis ad nutum patronorum pro tempore, et cum conditione, sunt verba fundationis ab hispano idiomate in latinum translata, non posse impetrari a S. Sede neque a Curia Romana, nec aliquo alio modo, ac si impetraret, vel in aliqua re se intromitteret aliquis iudex ecclesiasticus, Patroni pro tempore illius vendant dd. possessiones et pretium illarum distribuatur in missis ac in aliis suffragiis et operibus piis, absque solutione quartae parochis. Quaeritur:

1° An in tali cappellania Ordinarius habeat ius instituendi cappellanum.

2° An sufficiat electio patronorum in scriptis, absque alia approbatione aut Institutione Ordinarii.

R, *Ad primum negative. Ad secundum affirmative.*

63. Amalphitana. — Erectionis Dignitatum.

Pro parte Archiepiscopi Amalphitani per libellum remissum a Sac. Congregatione Rituum instatur decerni:

An Archiepiscopo liceat erigere seu creare dignitates nempe archipresbyteratum aut primiceriatum, seu similes in Ecclesiis ruralibus.

R. *Explicet casus particulares Archiepiscopus.*

64. **Squillacen. — Cappellaniarum.**

Dum emanavit constitutio s. m. Innocentii X incipiens Instaurandae, — inter caeteros remansit suppressus parvus conventus Augustinianorum, loci S. Flori. Et cum illius redditus ascenderent ad annua Scut. 126 et haberet onus 13 missarum qualibet hebdomada, ac aliarum decem cum una cantata quolibet mense, Episcopus et capitulum anno 1653 proposuerunt Summo Pontifici posse applicari conventum cum suis bonis duobus Cappellanis, qui ibi residerent missarum oneribus in eadem Ecclesia satisfacerent parochum in confessionibus adiuvarent, et Ecclesiae devotionem conservarent, quam applicationem S. Sedes approbavit et exequi mandavit.

Itaque Episcopus deputavit duos cappellanos et nunc deputati reperiuntur Emilius et Aloisius de Calvis. Sed isti per Ordinarium deputati, ut inquit Episcopus, anno proxime elapso exponentes dictas Cappellanias adhuc a primaeva erectione vacare, de illis, cum expressione oneris missarum, residentiae et audiendi confessiones, a SS.mo D. N. provideri obtinuerunt, ex indeque conqueruntur, quod licet *Ecclesia conventus sit extra moenia loci, ac distet per 4am partem milliarii a matrice Ecclesia*, nec illi subordinata Episcopus iniunxerit, ac respective prohibuerit infrascripta, nempe ut in festis solemnibus matrici inserviant, non celebrent ante parochum, in eorum Ecclesia missas non cantent, aliaque solemnia faciant absque parocho, non sermocinentur, nec festa, aut vigilias annuncient, ut confessiones audiant in matrice aut ubi Parocho libuerit.

At suarum ordinationum rationem reddens Episcopus inquit obligasse ad munus diaconi et subdiaconi, prout alii eiusdem loci presbyteri tenentur ob illorum exiguum numerum, cum oratoribus comprehensis sex non excedant. Secundum inquit iniunctum, ne populus devietur a matrice, ubi publicantur excommunicationes, festa, vigiliae, ac fiunt denunciationes matrimoniales. Tertium in angusto loco consuetudinem obtinuisse ut haec non fiant absque interventu parochi. Quartum quia hoc est munus parochi. Quintum ut applicationis decretum de coadiuvando parocho habeat effectum. Videndum igitur erit:

1° An Episcopus potuerit dd.os Cappellanos adigere ad inserviendum pro diacono et subdiacono in matrice.

2° An prohibere dd. cappellanis ne diebus festis missam celebrent in eorum Ecclesia ante missam a parocho non celebratam.

3° Ne missas ibidem cantent absque parocho.

4° Ne sermocinentur, festa aut vigilia populo annuncient.

5° An potuerit eisdem iniungere, ut confessiones audiant in Ecclesia, in qua parocho libuerit.

R. *Ad primum negative; in reliquis: Dilata.*

XXI. **Die 15 Ianuarii 1678.**

Melevitana. — Transactionis. — R. *Firmetur status haereditatis presbyteri et transmittatur una cum schedula.*

Mediolanen. — Matrimonii. — R. *Dilata et E.mo Praefecto ad mentem.*

Lucen. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

Sarzanen. — Participationis. — R. *Episcopus procedat ser. serv. prout de iure.*

Papien. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

Novarien. — Bonorum. — R. *Ad Ordinarium, qui conficiat processum et transmittat.*

Dubium. — Distributionum. — R. *Negative.*

65. **Sarzanen. — Participationis.**

Nuper Paulus Franciscus Poggi provisus fuit a SS.mo de Archidiaconatu prima dignitate in Cathedrali. Sed quia Archidiaconi Antecessores non consueverant inservire, Sanctitas Sua decrevit, ut Archidiaconi pro tempore in posterum teneerentur inservire ad instar canonicorum et cum tali Decreto Apostolicae Litterae pro Ord. fuerunt expeditae, sed Orator si debeat inservire, intendit etiam participare de communi Massa Canonicorum. E contra vero Canonici per Episcopum auditi, inquiunt, se daturos id, quod pro eodem servitio Archidiaconi Antecessores ab immemorabili perceperunt, scilicet viginti siculas tritici singulis annis ad ratam praestandi servitii ultra id, quod constitutum est pro Archidiacono ex redditibus parochorum Castri Vetiani in scutis annuis sexaginta monetae Ianuen. quae quidem Archidiaconus per se ipsum solet exigere, neque aliud a mensa Capitulari et Communi mensa Canonicorum praetendere posse aiunt. Nec obstare inaequalitatem stipendii, si orator adaptetur quod d. apud S. Matthaeum, cap. 20: Amice non facio tibi iniuriam, etc. nonne ex denario convenisti mecum? Tolle quod tuum est, et vade. Conventionem autem arguunt ex da immemorabili observantia, sed potius instant causam tamquam in prima instantia remitti ad Ordinarium. Nihilominus Archidiaconus adhuc praesens in Curia antequam ad residentiam proficiscatur desiderans sui iuris fieri certior per libellum a SS.mo remissum supplicat declarari:

An Archidiaconus admittendus sit ratione servitii ad participandum de massa communi aequaliter cum caeteris Canonicis.

R. *Episcopus procedat ser. serv. prout de iure.*

66. **Dubium. — Distributionum.**

Supplicatur per Sacram Congregationem declarari: An Canonico deputato ab Ordinario ad audiendas confessiones monialium, et qui cum eleemosyna celebrat in earumdem Ecclesia, debeantur distributiones pro illis horis, quibus in praemissis est occupatus.

R. *Negative.*

XXII. **Die 29 Ianuarii 1678.**

Neapolitana. — Iurisdict. — R. *Posse visitare, et pro eius arbitrio etiam dissolvere die 5 Februarii 1678.*

Lauden. — Matrimonii. — R. . . . .

Romana. — Distributionum. — R. *Dilata et ad mentem.*

Romana. — Indulti. — R. *Affirmative.*

Civitatis Castelli. — Asservationis Scripturarum. — R. *Audiatur Communitas.*

Civitatis Castelli. — Decretorum. — R. *Audiantur interesse habentes.*

Toletana. — Ordinationis. — R. *Dilata et ad mentem.*

67. **Neapolitana. — Iurisdict.**

Extant Neapoli viginti quinque Conservatoria mulierum, viginti ex his administrantur a gubernatoribus laicis cum ministro per proregem deputato. Ista neutiquam a rege dotata, sed ex privatorum eleemosynis incoepta, ac legatis perfecta. Gubernatores deinde se supposuerunt regiae protectioni. Ex his E.mus D. Cardinalis Caracciolus Archiepiscopus

nuper absque contradictione quoad Conservatorium Refugii visitavit Ecclesiam, et deinde praetensam monialium clausuram et quoad illud Charitatis, cuius est protector praesidens consilii, praevia intimatione visitationis, visitavit Ecclesiam, sacristiam, ac deinde Conservatorium, in quo solemniter etiam fuit exceptus. Sed ex hoc aliorum Conservatoriorum gubernatores commoti curarunt, ut prorex mitteret regni secretarium ad Archiepiscopum, talis commotionis caeteroquin ignarum. Is audita proregis et collateralis displicentia pro visitatione incoepta, respondit posse ipsum monasteria Monialium, quamvis a regibus fundata visitare, multo magis conservatoria huiusmodi. Et replicante secretario id verum esse, sed iure delegato, Archiepiscopus respondisse Conservatoria non visitaturum, si apostolicae exemptionis privilegia ostendissent, prout non visitat tot regularium virorum Ecclesias. Id placuit secretario, petiitque tempus et concessum fuit unius mensis ad ostendendum; sed eo elapso, amplius non comparuit, sed praedicti Conservatorii Charitatis sacristam et abbatissam officio privavit mandavitque aliis Conservatoriis, ne Archiepiscopo visitare volenti portae aperirentur. Antecessores quidem aliquorum ex dd. Conservatoriis Ecclesias visitarunt, sed maior pars non fuit visitata, quia visitatores deputati ubi oppositionem habebant, omittebant. E.mus autem Caracciolus per se visitaturus, per libellum a Sanctissimo remissum pro declaratione supplicat decerni:

An Archiepiscopus possit visitare dd. Conservatoria tam quoad Ecclesias quam quoad praetensas clausuras.

R. *Posse visitare et pro eius arbitrio etiam dissolvere, die 5 Februarii 1678.*

68. Romana. — Distributionum.

Clemens X s. m. concedens iubilationem Francisco Columnae, Sacrosanctae Lateranensis Basilicae Canonico indulsit his verbis:

Tibi, ut de caetero a praedicta Ecclesia licite abesse, ac interim omnia et singula dd. Canonicatus, et praebendae fructus, redditus, proventus, iura, obventiones et emolumenta quaecumque ac distributiones etiam quotidianas ordinarias et extraordinarias quomodolibet nuncupatas, et in quibusvis rebus consistentes ratione eorumdem Canonicatus, et praebendae ac si in eadem Ecclesia personaliter resideres, ac divinis officiis singulisque divinis, et nocturnis horis assidue interesses spectan. et pertinen., ac tam ratione festorum, et dierum communium etiam extra d. Ecclesiam celebrari solitorum nec non anniversariorum etiam Salviati, Strozzi, Columnae, vel alias quomodolibet nuncupatorum, etiam processionum et censuum, et laudemiorum, et Congregationum Capitularium, et quarumvis aliarum functionum etiam speciali nota dignarum, et de necessitate exprimen., quam alias quomodolibet et undecumque provenien., ac tam in pecunia numerata quam quibusvis aliis rebus consistentes, ac etiam solis praesentibus, ac officiis et horis huiusmodi quotidie interessen., ac inservien., ac etiam qui hyberno tempore in eadem Ecclesia personaliter inserviunt, ac alias quomodolibet, et ex quavis causa etiam manualiter dari, et praestari, nec non percipi et lucrifieri solita, percipere, exigere, et levare ac in tuos usus, et utilitatem convertere cum ea integritate, cum qua illos et illa percipere, exigere et levare posses si ut praefertur, personaliter resideres, horisque, et Officiis aliisque p.tis personaliter interesses, libere, et licite possis et valeas, apostolica authoritate tenore praesentium concedimus et indulgemus.

Nihilominus Capitulum renuit illi dare emolumenta, quae communia nuncupantur, ac dantur in die Conversionis S. Pauli, in primis et secundis Vesperis festivitatis B.mae Virginis de mense Septembris, Transfigurationis et Vesperis dominicae infra Octavam Corporis Christi. Item emolumenta processionum in Octava par. Corporis Christi. Praeterea ceras anniversariorum, ac demum denegat admittere ad participandum de fallentiis aliorum.

Se fundat Capitulum, ut refert E.mus Chisius, in stylo, non dandi indultariis praedicta emolumenta prout nonnulli ex Canonicis et Beneficiatis testantur. E contra vero Canonicus praetendit ob amplitudinem verborum quibus breve conceptum est. Quare recurrit Canonicus ad S. Congregationem, ut dignetur decernere:

1° An oratori, quamvis non interveniat, debeantur communia p.ta.

2° An emolumenta dd. processionum.

3° An cerae anniversariorum ultra ea, quae sunt nominatim expressa.

4° An portio punctaturarum seu fallentiarum non interessentium.

R. *Dilata et ad mentem.*

ANALECTA VARIA

I.

DE MARIA NUNQUAM SATIS

De quantitate gratiae Beatae Mariae Virginis

THEOLOGICA DISQUISITIO.

(Vide pag. 216 sq.).

CAPUT V.

Quaenam circa gratiam Deiparae sint observanda.

Hucusque de iis egimus, quae ad theologiam marianam rite conficiendam observari debent: nunc pronum est ut ad gratiam Deiparae investigandam propius accedamus; quae quidem haudquaquam levis res est, sed quae certe multa indiget circumspectione. Ut autem hoc rite fiat, prius animadvertendum est duos excessus vitari oportere, qui in citato R. P. Godts opere inveniuntur, et secundo ostendendum, quomodo Deiparae gratia a Christi gratia distingui debeat.

Quod ad excessus praecavendos attinet, hoc in primis notabimus, non ita recte a S. Alphonso dici animam, habitu alicuius virtutis instructam, semper actum elicere intensitate aequalem habitui quem possidet, quotiescumque fideliter correspondet gratiae actuali, quam postea recipit a Deo; unde sequeretur illam animam singulis vicibus novum meritum acquirere aequale summae meritorum antea acquisitorum (1).

In quo quidem plura reprehensione digna sunt, quae tamen omnia recensuisse longius foret: hoc unum advertam, longe diversam esse de gratiae augmento S. Thomae doctrinam, quam hic ex eius Summa Theologica recitare non pigebit (2): *Augmentum spirituale charitatis quodammodo simile est corporali augmento. Augmentum autem corporale in animalibus et plantis non est motus continuus, ita scilicet, quod si aliquid tantum augetur in tanto tempore, necesse sit quod proportionaliter in qualibet parte illius temporis augeatur, sicut contingit in motu locali; sed per aliquod tempus natura operatur disponens ad augmentum et nihil augens actu, et postmodum producit in effectum id ad quod disposuerat, augendo ipsum animal vel plantam in actu. Ita etiam non quolibet actu charitatis charitas actu augetur; sed quilibet actus charitatis disponit ad charitatis augmentum, inquantum ex uno actu charitatis homo redditur promptior iterum ad agendum secundum charitatem; et habilitate crescente, homo prorumpit in actum ferventiorem dilectionis, quo conetur ad charitatis profectum: et tunc charitas augetur in actu* (1).

Sane doctrina haec longe diversa est ab eo, quod absque dubitationis umbra tradit pater Godts, cuius utique figmentis extrui possunt phantasticae illae supputationes, quae in eius libro occurrunt, quibus profecto sacrae theologiae non existimatio, sed potius contemptus conciliatur (2).

Aliud quoque non minus a veritate alienum ab eodem patre Godts profertur, dum negat in Deipara vel minimam actuum humanorum interruptionem, ponens in ipsa perfectam meritorum continuationem (3), cui iterum adversatur Angelici doctrina, qui quaerens utrum charitas in hac vita possit esse perfecta, respondet impossibile esse homini in praesenti vita Deum sine aliqua interruptione diligere. " *Quod totum cor hominis actualiter semper feratur in Deum..., haec est perfectio charitatis patriae, quae non est possibilis in hac vita, in qua impossibile est, propter humanae vitae*

(1) Verba S. Alphonsi, quae P. Godts recitat et suscipit, sunt sequentia: « *Plusieurs graves Théologiens disent que l'âme qui possède une habitude de vertu, produit toujours un acte égal en intensité à l'habitude qu'elle possède, toutes les fois qu'elle correspond fidèlement à la grâce actuelle qu'elle reçoit ensuite de Dieu, d'où il suit qu'elle acquiert chaque fois un nouveau mérite égal à la somme des mérites déjà acquis, laquelle se trouve ainsi doublée* ». P. 128.

(2) 2ª. 2ªᵉ, Quaest. XXIV, art. 6.

(1) Hanc doctrinam fuse exposuimus in TRACT. DE B.MA VIRGINE MARIA MATRE DEI, P. II, c. 1, a. 5, pp. 176, seqq. Forsan falsae huic S. Alphonsi de augmento gratiae in anima existimationi debetur illa patris Godts et Dom. Chatel impugnatio in frequentem communionem, a qua, iuxta illos ii arcendi viderentur, in quibus Sacra Synaxis haud ita sensibiles effectus producit. Re quidem vera minimum gratiae augmentum sufficit, ut dicatur Eucharistiae Sacramentum suo fructu non carere. Cf. EM. CARD. CAS. GENNARI, *Sulla Comunione frequente*, 2ª Ediz., J. LINTELO, S. J. *Lettres à un prêtre... sur la Communion fréquente*, 1905.

(2) En quod habet P. Godts (pp. 129, 130, in nota): « *Avant Billuart, son confrère en religion, Justin de Miéchov, avait donné à ce sujet la table suivante: « Soit le premier acte: cent. Les suivants seront deux cents, quatre cents... six mille quatre cents, douze mille huit cents, etc. En procédant de la sorte, vous arriverez pour le trentième seulement à un total de 26.442.745.600. Et que serait-ce si nous voulions calculer jusqu'au centième, jusqu'au millième* », etc. *(Conf. 137 sur les Litan.).* « *Et encore, remarque le R. P. Hugon, pour ce calcul nous sommes partis d'une base peu élevée, afin de ne pas trop déconcerter l'intelligence; mais l'intensité du premier acte est déjà prodigieuse, plus que mille, plus qu'un milliard,* PUISQU'ELLE DÉPASSE *les mérites des Anges et des hommes ensemble* ». *(L. c. p. 123). Mais ce calcul est encore bien faible auprès de celui auquel se sont livrés les Pères Christophe de Vega et Claude Richard, de la Compagnie de Jésus. Le premier écrit: « Si la Sainte Vierge n'avait fait que 200 actes de charité, elle aurait déjà acquis un mérite supérieur à celui de 1.596.938.044 mondes égaux au nôtre, remplis de grains de sénevé, dont chacun contiendrait 10.000 atomes et chaque atome un Ange, avec une grâce égale à la grâce consommée du plus excellent des esprits célestes; puisque les mérites de Marie auraient été 1.000.000.000.596.000.000.938.044 fois supérieurs* ». — Dissuadendi vehementer sunt rerum sacrarum studiosi ab huiusmodi inanes nugas prosequendo, quibus certe auditis,

« *romani tollent equites peditesque cachinnum* ».

(Horat.).

(3) P. 131.

infirmitatem, semper actu cogitare de Deo et moveri dilectione ad ipsum „ (1).

Hoc tamen Domino Nostro possibile fuit, at ex speciali privilegio, derivato in ipso ex visione beatifica, unde sequebatur in anima eius scientia per se infusa, cuius virtute mens eius semper actu poterat uniri Deo meritumque iugiter augere. Sed hoc Deiparae possibile non fuit; quia, cum non esset comprehensor, non gaudebat permanenter visione beatifica, nec consequenter ipsi erat scientia per se infusa (2), ita quod iugiter posset illius meritum crescere. Hinc non recte dicitur, Mariam a Deo actu diligendo, in somno nunquam destitisse (3) aut amorem quem de Deo habebat, fuisse actum unicum et continuum (4). Est enim de ipsamet somni natura ut suspendat operationes liberi arbitrii propter ligamentum sensus; aliunde proprium est creaturae operari non per actum unicum et continuum, at per actuum repetitionem.

Quod si quid tale ab aliquo Sancto fors unquam prolatum fuerit, non ideo ultro extendendum est, sed potius pie, si fieri potest, exponendum, iuxta normam superius traditam.

Nec silendum S. Franciscum Salesium, cui pater Godts sententiam tribuit Deiparam in somno usu rationis non fuisse privatam (5), posse et debere intelligi modo minus generali. Cum enim ille praemisisset, se nec dixisse, nec dicere voluisse animam Deiparae privatam fuisse in somno usu rationis (6), hoc mox exponit, dicens Mariam nonnisi ex amore se unquam somno dedisse, ad hunc videlicet finem, ut Deo melius postea corpore servire posset, quod certe erat in ipsa excellentissimus charitatis actus (7). Quid igitur sibi vult Mariam somno dilexisse Deum? Non quidem eam actum amoris tunc elicuisse, sed eam propter solum Dei amorem, somnum sacro corpori concessisse. Licet etiam dici possit, Mariam in somno actu dilexisse Deum, at per exceptionem, concessa videlicet tunc ei scientia infusa, quae utique exceptio eo frequentior esse potuit, quo propius ad vitae terminum accederet. Et hoc quidem sensu intelligi potest S. Franciscus Salesius; quod confirmatur ex eo, quod ponit Mariam, ex hoc capite, Salomoni et S. Ioanni Baptistae haud cessisse; iamvero privilegium duobus istis viris in somno concessum non quidem fuit per statum permanentem, sed per illuminationem transeuntem. Ad hoc enim ut sine ulla interruptione homo diligere posset Deum in terra, necesse foret ut privilegii Christi particeps existeret in vita mortali, quod tamen nulli prorsus hominum concessum fuisse noscitur.

Dicamus igitur cum S. Francisco Salesio, cor Virginis Matris sancto amore, quem a Filio receperat, perpetuo inflammatum fuisse (1), hoc sensu quod in vigilia quidem charitas omnes eius actiones inspiraret et consequenter iuge meriti augmentum procuraret; in somno autem, etsi actu ordinario non mereretur, tamen habitu mens eius adeo faciliter ad Deum elevabatur, ut cum expergisceretur, summa facilitate et suavitate in amplexum dilecti sui prosiliret actu puri amoris, actus praecedentes longe superante.

Forsan poterit aequivocatio, quae hac in re penes plures auctores habetur, solvi, distinguendo facilitatem recipiendi impressionem revelationum divinarum, a iudicio quod de hisce revelationibus fert ratio. Et quidem, generaliter loquendo, divinae revelationes in somno locum habent, eo quod cum actio sensuum exteriorum tunc suspendatur, anima etiam liberior est in suis operationibus intellectualibus: simul tamen deest iudicium, et cum iudicio meritum, quod a libero arbitrio essentialiter dependet. Huc, faciunt quae alibi scripsimus (2): “ *Licet dum quiescimus, subtiles superiorum impressiones melius percipimus, tamen perfecte iudicare nequimus, nisi facta resolutione an consonent sensibilibus, ut observat Caietanus* „. Admitti ergo potest, B. Virginem in somno recepisse divinas communicationes, quae communicationes prophetis et sanctis concessas longe superarunt, quibus quidem Deipara plurima merita comparare poterat, non quidem in somno, sed statim ac evigilaret, actibus amoris tunc elicitis, quo sensu ei applicari possunt verba Cantici Canticorum (3): “ *Ego dormio et cor meum vigilat* „.

Alterum sedulo advertendum, cum quis de gratia Deiparae disserere cupit, est discrimen inter hanc et Christi Domini gratiam, quod discrimen in hoc primo consistit quod Christi gratia, utpote qui ex parte animae erat comprehensor, erat gratia patriae, gratia autem Mariae quae comprehensor non erat, erat gratia viae. Praeterea, Christus Iesus erat plenus gratia ex parte ipsius gratiae, Maria autem tantummodo ex parte subiecti (4): de quibus nunc differentiis pauca dixisse iuvabit.

Ex priori quidem discrimine resultat fixam

(1) 2. 2ae, Quaest. XXIV, art. 8.

(2) R. P. Godts ignorare videtur in quonam differat formaliter scientia infusa *per se* a scientia infusa *per accidens* (p. 117), qui etiam confundit scientiam infusam Christi, cum scientia infusa Adae (p. 113). Circa quod videri potest quod scripsimus in nostro Commentario in S. Thomam (3, Quaest. IX, art. 3). Hoc volumen lithographatum Romae, A. D. 1900, actu sub prelo est, Parisiis, apud Lethielleux.

(3) P. 131.

(4) P. 132.

(5) P. 131.

(6) « *Ni je ne dis ni je ne veux dire que cette âme tant privilégiée de la Mère de Dieu ait esté privée de l'usage de rayson en son sommeil* ». Traité de l'Amour de Dieu, l. III, c. 8, Ed. Annecy, 1894.

(7) « *Cette Reyne celeste ne s'endormoit jamais que d'amour, puisqu'elle ne donnoit aucun repos a son pretieux cors que pour le revigorer, affin qu'il servist mieux son Dieu par apres; acte, certes, tres excellent de charité* ». Ibid.

(1) « *Le cœur de la Vierge Mère demeura perpetuellement enflammé du saint amour qu'elle receut de son Filz* ». Ibid.

(2) Tract. DE DEO UNO, Quaest. XII, art. 11, n. 4. Parisiis, Lethielleux.

(3) Cap. V, 2.

(4) Cf. 3, Quaest. VII, art. 9 et 10.

et determinatam comparationem inter gratiam Christi et gratiam Mariae fieri haud posse, quod ita perspicue exponit Card. Caietanus (1). " *Charitas,* ait ille, *habet duplicem perfectionis latitudinem: alteram ex parte obiecti, scilicet secundum maiorem approximationem ad obiectum, alteram ex parte subiecti, secundum maiorem attentionem seu expeditionem subiecti. Prima perfectionis latitudo consistit in augmento charitatis supra exposito; secunda vero consistit in augmento charitatis ex hoc quod anima expedita a visione aenigmatica, et posita in faciali visione Dei, in ipsum totaliter actualiter fertur, quod impossibile est convenire viatori. Unde quantumcumque aliquis proficiendo in hac vita, appropinquet ad Deum magis ac magis in charitate crescendo, nunquam pervenire potest ad hoc, ut totaliter actualiter amet Deum, sicut videns illum facie ad faciem. Et propterea nunquam charitas viae potest adaequari charitati patriae, quia alterius rationis est perfectio illa, sicut linea, quantumcumque crescat, nunquam aequatur superficiei* „.

Quae principia applicans gratiae Deiparae, addit Caietanus (2): " *Nunquam tamen fuit in via charitas* (Mariae) *aequalis simpliciter charitati minimi in patria, quia charitas patriae est quanta duabus diversarum rationum quantitatibus, ad quarum alteram charitas viae non potest pertingere. Unde simile est de augmento lineae respectu superficiei. Sicut enim linea non potest, quantumcumque crescat, ad quantitatem superficiei pervenire, potest tamen secundum unam dimensionem excedere certam datam superficiem, ita charitas viae nunquam potest adaequare charitatem patriae, potest tamen secundum unam rationem excedere alicuius charitatem in patria existentis* „.

S. Thomas quoque, commentans verba illa S. Matthaei (3): " *Qui autem minor est in regno coelorum, maior est illo* (Ioan. Baptista) „, scribit: " *Per regnum coelorum ordo beatorum* (potest intelligi): *et qui inter illos est minor, maior est quolibet viatore. Et ideo praesentem statum appellat Dominus pueritiam: unde 1 ad Cor. XIII, 11: Cum autem factus sum vir, evacuavi quae erant parvuli: unde nominat viatores, parvulos. Et hoc verum est intelligendo de maioritate actuali: actu enim maior est qui comprehensor est. Secus de maioritate virtuali; sicut una parva herba maior dicitur virtute, licet alia maior sit quantitate* „. Haec autem fundamentalis differentia alteri differentiae originem dat, quam S. Thomas ita exprimit (4): " *Charitatis imperfectae, quae est viae, est mereri; charitatis autem perfectae non est mereri, sed potius praemio frui* „.

Hoc igitur primo intercedit inter gratiam Christi et gratiam Mariae, quod quia ille fuit comprehensor a primo instanti suae conceptionis, ideo gratiam habuit, qualis est gratia Sanctorum in coelo, nulli augmento obnoxiam; gratia autem Mariae, toto eius mortalis vitae cursu, fuit gratia viae, capax proinde augmenti usque in infinitum (1). Quapropter haud bene comparatur gratia Mariae in hac vita, gratiae consummatae vel glorificatae Sanctorum, licet gratiae horum finali possit utique comparari, scilicet gratiae quam habuerunt cum e vita migraverunt: quo quidem sensu quaestio praesens intelligi debet (2).

Quod autem spectat ad differentiam inter gratiam Christi et gratiam Mariae, considerata gratia per respectum ad seipsam et per respectum ad subiectum illam recipiens, en quod scribit Angelicus Doctor (3): " *Beata Virgo dicta est plena gratia non ex parte ipsius gratiae, quia non habuit gratiam in summa excellentia qua potest haberi, nec ad omnes effectus gratiae, sed dicitur fuisse plena gratia per comparationem ad ipsam; quia scilicet habebat gratiam sufficientem ad statum illum ad quem erat electa a Deo, ut esset scilicet Mater Unigeniti eius* „.

Iuvat hic referre Cardinalis Caietani commentarium in hunc locum: " *Nota sobrietatem doctrinae praesentis circa plenitudinem gratiae in Beata Virgine, scilicet ut sit plena gratia tam intensive quam extensive, non plenitudine gratiae secundum se, quia illa est propria Unigenito a Patre, sed plenitudine tam intensive quam extensive requisita ad Matrem Dei. Et hic nota contra loquaces, et gratiam Beatae Virginis extendentes ad omnes effectus gratiae, quasi Matris Dei laus indigeat nostris pro voluntate, non ratione, laudibus, sub quadam pietatis specie. Siste igitur, vir vere devote ac docte, in laudibus ratione fultis, ut scilicet sit gratia plena, non ex parte gratiae, sed subiecti, nec in summo intensive aut extensive ex parte gratiae. Lauda in ea gratiam, sed in summo ex parte subiecti supra omnem puram creaturam: haec enim plenitudo Matrem Dei decet, quae super omnes est puras creaturas exaltata* „.

Quae ita cum sint, quantumvis gratia Deiparae in hac vita mortali velit exaltari, semper

(1) In 2. 2ae, Quaest. XXIV, art. 7.
(2) Loco cit.
(3) Cap. XI, 11.
(4) 1, Quaest. LXII, art. 9 ad 1m.

(1) Cf. 2. 2ae, Quaest. XXIV, art. 7.
(2) Huc referri possunt verba Card. Caietani, qui, commentans id quod dicit S. Thomas (3, Quaest. XXXIV. art. 4), de Christi initiali gratia, scilicet eum, utpote comprehensorem, habuisse non solum tantam gratiam quantam comprehensores habent, sed etiam omnibus comprehensoribus maiorem, scribit: « *Expresse siquidem hoc in loco ex hoc quod viatoris gratia deficit a gratia comprehensoris, infertur quod minorem habet mensuram. Et, ne dubites quod de quantitate loquitur, subditur tanta et quanta, et ut accipias haec de ipsa essentia gratiae et non de modo actus, subdit, et quia gratia illa non fuit sine actu, ubi monstrat se de ipsa essentia habitualis gratiae loquutum, ex hoc ipso quod postea ad illius actum descendit, et, si sic est, consequens est, ut minimus comprehensor habuerit actualiter maiorem gratiam, quam Joannes Baptista et sanctus Petrus et quicunque alius viator, dum in hac fuerunt vita. Et propterea gratia hic est sicut semen, ita quod, quanto maior est hic gratia, tanto in patria erit maior gloria proportionaliter. Numquam tamen gratia tanta est in via quanta est gratia consummata, quae est gloria, sicut nec semen est quanta est arbor sua, quantumcumque minima, seu animal suum quantumcumque parvum* ».
(3) 3, Quaest. VII, art. 10.

remanebit distantia infinita inter hanc gratiam et gratiam Christi; qua etiam distantia manente, nunquam id de Deipara praedicari poterit, quod de Christo praedicatur, illam scilicet quantumvis in intercedendo efficacissimam, esse causam instrumentalem in conferendo gratiam hominibus (1).

Ex hisce apparet, quam cautus sit oportet, qui de Deiparae gratia disserendum suscipiat, ne minus accurata et a theologica veritate aliena pro lubitu proferat. In quo quidem plus proficit qui pacifice et longanimiter veritatis inquisitioni vacat, quam qui in imaginarios hostes intempestive irrumpit: ille quidem profundiora theologiae secreta persequens, demum in veritatis cognitionem pertingere poterit: hic autem sonoris vocibus et sesquipedalibus verbis umbras captabit inanes. Silendum tamen non est, nos intemperato patris Godts incursui hoc debere, quod quaestionem de Deiparae gratia tum in initio, tum in progressu, tum denique in fine illius vitae mortalis, penitius rimari statuerimus, quod sequenti capitulo fiet.

(Prosequendum)

A. M. LÉPICIER.

(1) TRACTATUS DE B.MA VIRGINE MARIA, 2ª ed., p. 529.

FUNDAMENTA AEQUIPROBABILISMI prout probabilismo opponitur.

PARS I.

DISCUSSIO PHILOSOPHICA

(Sequitur. Vide p. 223 sq.)

Responsio.

Unica responsio, quae supra-enuntiato ratiocinio quadrare videatur et plene sufficere ut totum aedificium, fundamento subtracto, in ruinam corruat irreparabilem, consistit in negatione suppositi vel potius omnium et singulorum suppositorum primae maioris: " Debeo sincere tendere ad convenientiam actionis meae cum legis aeternae ordinatione obiectiva *qualiscumque haec est* „. Per ultimum enim hoc incisum ista propositio in suo complexu ita extenditur ut in omni casu non possit universaliter affirmari nisi plura falsa assumantur uti vera: quae singula mox apparebunt singillatim enucleata. Inde merito negatur *consequentia* reliqui ratiocinii. *Consequens* enim a me admittitur, aliter tamen probatum: ipsum sane est prima illa S. Alphonsi regula quae prouti signum experimentale extollit deficientis probabilitatis obiectivae contra legis existentiam, uti in mea *Crisi* atque in mea *Diatriba* explicavi, propugnari potest tamquam vera.

Crisis propositionis maioris.

Primo itaque oportet ut singula verba singulosque conceptus propositionis illius ad perspicuam trutinam revocemus ne sub quieta apparentis veri superficie in aqua turbida piscari nos contingat.

Analysis obligationis moralis.

I. *Debeo.* Hic significatur debitum alicuius obligationis moralis, sicuti perpenso toto ratiocinio liquet. Porro debitum moralis obligationis, iuxta Angelici sententiam inter nos atque adversarios communiter receptam, formaliter oritur ex IMPERIO Dei, supremi Domini, quo creatura rationalis et libera iubetur servare ordinem (1). Praecisione enim facta ab huiusmodi imperio, homo intelligit quidem se ordinem rerum mediorumque ad finem ultimum, liberi accepti a Deo arbitrii sui potestate perturbare aut servare valere, nondum tamen intelligit idipsum *illicitum* esse sibi vel *licitum* (2).

(1) Talis certe est Angelici Doctoris mens, si ratio totius doctrinae eius habeatur. Sane, « Divina voluntas sola, ait in 1. p. q. 63, a. 1 in corp., est regula sui actus quia non ad superiorem finem ordinatur; omnis autem voluntas cuiuslibet creaturae rectitudinem in suo actu non habet, nisi secundum quod regulatur a voluntate ad quam pertinet ultimus finis; sicut quaelibet voluntas inferioris debet regulari secundum voluntatem superioris, ut voluntas militis secundum voluntatem ducis exercitus ». — Et Suarez, de legibus l. II, c. 6, n. 5, relatis duabus aliis extremis contrariis antiquorum sententiis, sic prosequitur: « Mihi vero neutra sententia satisfacit et ideo mediam viam tenendam censeo quam existimo esse sententiam S. Thomae et communem theologorum. Dico ergo primo lex naturalis non tantum est indicativa mali et boni, sed etiam continet propriam prohibitionem mali et praeceptionem boni. Ita sumo ex D. Thoma 1. 2, q. 71, a. 6, ad 4m, dicente per comparationem ad legem, humanam non omnia peccata esse mala quia prohibita; per comparationem autem ad legem naturalem, quae continetur principaliter in lege aeterna et secundario in iudicatorio rationis naturalis omne peccatum esse pravum quia prohibitum... Idem sentit Bonaventura, in 2, d. 35, d. 4, circa litteram; aperte Gerson., Victor, etc. ». — Infra, ibidem n. 9 explicato discrimine simplicis voluntatis complacentiae et voluntatis obligantis ita ut oppositum displiceat tamquam malum privative, hanc dicit, non illam esse voluntatem Dei supremi gubernatoris, in lege scilicet naturali atque aeterna. — Cf. et S. Th. 1. 2, q. 19, a. 4; q. 21, a. 1. — Hanc insuper doctrinam supposuit Alexander VIII in damnanda tamquam erronea propositione 2, de peccato philosophico, per decretum 24 Aug. 1690. Controversiae idcirco antiquorum de hac re sunt finitae, quae caeteroquin aequa omnium compositione poterant conciliari. Cf. etiam Frins, de act. humanis, vol. II, n. 85 sq. — Billot, *de peccatis*, edit. altera, pg. 19-30; *De Deo Uno*, Th. 1, § II, n. 2. Tandem S. Th. de verit. q. 17, a. 3, in corp. et ad 2m; a. 5, in corp. Haec eadem est etiam S. Alphonsi doctrina, quippe qui in ultima dissertatione inserta in ultimis theologiae moralis editionibus, in § II corollarii sequentia refert et probat S. Thomae verba, ex 2. 2, q. 104, d. 4, ad 3m: « Etsi non semper teneatur homo velle quod Deus vult, semper tamen tenetur velle quod Deus vult eum velle et homini praecipue innotescit PER PRAECEPTA DIVINA ». Atque alia afferri facile possent ex eodem S. D. Alphonso, cui certe suffragatur P. W. — Cf. etiam S. Th. de verit., q. 23, a. 7 in corp. par. secunda, collata cum quaest. 17 locis paulo antea citatis.

(2) S. Th. 2. 2, q. 20, a. 3: « Si posset esse (in peccato) conversio ad bonum commutabile sine aversione a Deo, quamvis esset INORDINATA, non esset peccatum mortale ». Hanc autem aversionem Angelicus intelligit non tantum aversionem a Deo, fine ultimo sed adaequate, a Deo *iubente* ordinem servari ad finem ultimum; ait enim in 1. 2, q. 71, a. 6, ad 4m: « Si autem (pec-

Ligamen enim voluntati *liberae* non imponitur nisi creatoris summi Dei ac Domini *imperio*. Id nempe dico de statu *viae* in quo creatura rationalis, *modo* quo finem suum ultimum nondum plene possessum cognoscit non ita urgetur ut non valeat et finem ipsum et media ad eum libera voluntate recusare, in bono commutabili sibi inadaequate consentaneo contra tendentiam ordinatam in finem persistendo. Cf. S. Th. de veritate q. 17, a. 3; q. 24, a. 7.

Imperium porro est non solum voluntas superioris de aliqua re, sed voluntas *subdito manifestata* de ea re. Imperium enim eo tendit suapte natura ut inducat in subditum volitionem atque effectionem illius rei quam vult superior, eamque inducat vi ipsius superioritatis non per physicam voluntatis coactionem. Hoc autem obtineri nequit nisi et superioris volitio et huius volitionis obiectum menti creaturae innotescant, unde creatura se determinet ad volendum idem atque exsequendum (1).

Statim inde sequitur PRIMO hoc imperium obligationem homini libero imponens CERTA COGNITIONE ipsi constare debere, quemadmodum ipsi prius certe constat de libertate accepta simul cum naturae dono (2). Unum tamen discrimen agnoscere oportet inter certitudinem quam homo habet de proprietate suae libertatis et certitudinem quam ipse habeat necesse est de divini illius imperii existentia: discrimen desumitur ex obiecti diversitate et in se spectati et relate ad indolem cognitionis humanae: libertas nempe uti proprietas *physica* voluntatis humanae relate ad obiecta viae, certa homini est certitudine *physica* quam parit facile et immediatum ratiocinium de conscientiae psychologicae testimonio; praeterea certitudine etiam *metaphysica* homini constare potest se esse in via ad finem ultimum libero mediorum exercitio consequendum; dum ex altera parte existentia illius divini imperii, utpote quod respicit ordinem *contingentem* actionum humanarum, satis est ut ea *morali* certitudine constet qua homo in agibilibus se *prudenter* regere solet quaeque in eo saltem consistit ut, deficiente obiecti evidentia, magna eius probabilitas *absque prudenti formidine de opposito*, certe asseri valeat. Porro Deus sibi suaeque aequitati debet, ut, dum hominem certissimum sinit esse donatae libertatis ad finem consequendum, restrictum eumdem in eius exercitio non velit esse nisi ubi certitudine proportionata constet homini ipsi de imperio restringente. Secus enim Deus tyrannice nedum paterne gubernaret creaturam rationalem, et suavem meriti ac demeriti viam in iugum transformaret importabilis gravitatis; in ea enim via timor suffocaret amorem dum e contra tam Providentiae divinae indoles quam naturae humanae ordinata propensio exigunt ut amor timorem informet totumque hominem in sua tendentia ad finem moderetur. Ea autem multo magis, quamvis non exclusive, valent de praesenti ordine adoptionis cui elevatum et reparatum est genus nostrum (1).

Igitur creatura rationalis ut imperio divino obligetur, certitudine saltem morali hoc imperium sibi manifestatum habere debet.

Ulterius SECUNDO inquirendum est quid in hoc imperio debeat creaturae manifestari, ut vere dici possit *imperium* nec qualecumque solummodo *beneplacitum*, esse ei manifestatum. Porro imperium divinum ex quo, si certum creaturae fuerit, formaliter resultat obligatio moralis, non est tantum volitio divina sed volitio divina de aliquo obiecto; et obiectum istud divinae voluntati

catum) referatur ad ius naturale... tunc omne peccatum est malum quia prohibitum: ex hoc enim ipso quod est inordinatum, *iuri naturali* repugnat ». Porro *ius naturale* pro S. Thoma non est tantum ordo rerum essentialis invicem atque ad finem ultimum, sed hic ordo a Deo *praeceptus* atque uti talis ratione naturali promulgatus: nam in 1. 2, q. 90, a. 1, ad 3m; aperte docet legem vigorem mutuare a voluntate principis quam *imperantem* intelligit iuxta 1. 2, q. 17, a. 1, ad quem remittit. Vide insuper 1. 2, q. 91, a. 1, *Respondeo dicendum*. — Cf. etiam Frins de act. hum. II, 92-96 ubi hic auctor n. 94 paulo aliter mentem Angelici explicat, sed in idem fere recidit.

(1) Cf. S. Th. 1. 2, q. 17, a. 2, in corp. — De verit. q. 17, a. 3, in corp. *Actio autem qua voluntas movetur est imperium*. Etc.

(2) De hac libertatis possessione sermo recurret infra, in *nonnullarum obiectionum solutione*.

(1) Huic similem rationem optime evolvunt Cathrein, Palmieri, Schiffini, Génicot, Sabetti et alii, quorum plurium verba recitata habes a Wouters in praesenti pag. 93, 94. At vero vide mirabilem responsionem quam hic ultimus eis subiicit: « Haec egregiorum adversariorum difficultas errore innititur qui " ignoratio elenchi " nuncupatur. Nihil aliud exigimus nisi quod ab ipsis probabilistis exigitur, nimirum, ut quisque antequam agat *pro viribus*, id est *proportionata cum diligentia* veritatem inquirat (pag. 6). Quodsi quis, debita adhibita diligentia, persuasum sibi habeat, opinionem faventem legi *probabiliorem* esse, hanc sequatur oportet; sin minus, nulla exoritur obligatio ». — Verum quis ignorantiam elenchi admittat, num nostri auctores, an P. Wouters in sua responsione, perspicax lector iudicabit: ignoratio elenchi tunc locum habet, cum inferuntur tamquam contradictoria quae non sunt. Porro quaestio non erat utrum cuique diligentia suis viribus proportionata, adhibenda sit ad sibi conscientiam efformandam: hoc omnes asserimus atque inde proficiscitur argumentum nostrum. Sed quaestio est num Deus nos in labyrintho fere inextricabili incluserit ut ibi conscientiae efformatae exitum ambagibus infinitis implicati disquiramus. Quo statuto quaestionis puncto, P. Wouters simpliciter asserit tunc esse efformatam conscientiam *quando sibi persuasum* habuerit legem esse probabiliorem... dum a nobis probatum fuerat exitum huius persuasionis plerisque fore impervium in hypothesi aequiprobabilistica. Ipse igitur vel statum quaestionis mutavit ut contradictionem quam non admiserant, adversariis imputaret; vel nihil respondit; vel tandem utrumque successive peccatum admisit.

Argumentum quod in praesenti evolvi, reducit *principium possessionis* libero arbitrio et Deo ordinanti applicatum, ad ipsam aequitatem et sapientiam divinam, probat ideo legitimam esse in hoc conflictu applicationem huius principii. Vana idcirco est responsio P. W. ad difficultatem XIII pag. 97, in qua iterum appellat ad argumentum quod ipsius Achilles est, Achilles tamen in calcaneo vulneratus et lethaliter quidem vulneratus. Idem valet de responsione ad difficultatem XV pag. 98, quia non demonstratur esse certa obligatio tendendi ad convenientiam cum moralitate obiectiva probabilius tantum *imperata*, non vero obiectiva certitudine imperata; imo demonstratur certissime hanc obligationem nequaquam resultare.

Idem de responsionibus ad difficultatem XVI, pag. 99; retorsiones argumenti quas P. W. adhibet, ne merentur quidem ut in eis avertendis insistamus.

obiicitur per divinum intellectum plenissime exhaurientem divinae essentiae intelligibilitatem omnesque eius respectus ad extra: obiectum itaque volitionis divinae erit menti divinae certissimum. Volitio divina idcirco circa actiones creaturae earumque respectus varios ad finem ultimum, habet in Deo obiectum omnimode *determinatum* et *certissimum* (1). Atvero ut creaturae etiam ea certitudine idem constet quae, uti dixi, necessaria est ad obligationem gignendam, satis non est ut creatura sciat obiectum volitionis divinae esse *certissimum Deo*: ipsa insuper scire debet quale determinate sit hoc divinae volitionis obiectum. Donec enim hoc ea certitudine non fuerit consecuta, qua ipsa capax est (qualis haec sit paulo infra dicam), in ancipiti erit deque ipsa redibit totum argumentum quod superius evolutum est ex certitudine libertatis; neque ipsa sciet Deum ETIAM VELLE eam obligare: non enim sciet volitionem divinam esse sibi ut imperium manifestatam (et sine imperio nulla obligatio): sane deficiet inde *ex parte obiecti*, tanta eius manifestatio quanta requiritur ut, respectu habito ad certitudinem qua nobis constat de extensione libertatis dono acceptae, voluntas illa divina iure possit et debeat imperium nobis reputari libertatem ligans eamque in ipsius obiectis restringens.

Imo alterum etiam valebit argumentum desumptum exinde quod imperium illud divinum *simul regulat obligando*, obligat ut regulet, non regulat tantum neque regulat ut obliget, sed simul regulat et obligat: nempe exhibet exemplar sub obligatione imitandum.

Atqui exemplar quod obligatorie est imitandum, iam solum quatenus exemplar est, debet neque esse obiective incertum, neque ut incertum solummodo, creaturae innotescere.

Hoc quamvis non sufficiat ut concludatur statim obligatio, sed debeat haberi respectus insuper ad liberi arbitrii donum: sufficit tamen ad concludendam necessitatem *obiectivae certitudinis rei* quae cadit sub imperio divino, atque ut talis creaturae manifestatur.

Imperium divinum itaque ut obligationem pariat debet esse OBIECTIVE CERTUM et IN SE et IN RE imperata, atque ut tale manifestari creaturae.

(1) In ratione enim *cognitionis*, *determinatum* dicitur id quod non tantum est in se verum, sed etiam *se manifestat* obiective verum, nedum *probabile* tantum: aliquid autem se manifestat obiective verum nedum probabile tantum, menti quidem divinae per ipsam divinae essentiae veritatem mente divina infinite comprehensam, menti vero humanae si saltem id ipsi innotescat ut probabile quin iudicetur superesse ex parte opposità probabilitas, quae rem possit exhibere *forte* veram in opposito sensu: porro huiusmodi obiectiva rei manifestatio vocari potest obiectiva moralis certitudo, quia causa est subiectivae moralis certitudinis in ea mente cui innotescit. Ergo in ratione *cognitionis*, aliquod obiectum tunc solum *determinatum* dicitur, quando certe iudicatur esse *obiective certum*, certitudine illa qua mens cui innotescit, suapte natura capax est relate ad tale obiectum. *Determinatum* igitur hic logice *convertitur* cum *certo*.

Idem ulterius illustrare iuvat quia hic latet argumenti adversi aequivocatio.

Nimirum obligatio moralis pertinet ad praedicamentum *relationis*, ideoque in tantum realiter existit in quantum existunt duo subiecta, fundamentum utrinque reale, sufficiens suapte natura ut exinde relatio resultet inter duo subiecta. *Subiecta* in praesenti materia sunt duae personae quarum altera sit alteri superior, vel titulo causae primae et ultimae, uti Deus natura sua superior est omni creaturae; vel alio titulo primitus a Deo accepto. Originaliter itaque, in praesenti, duo subiecta sunt Deus et creatura rationalis libera. — *Fundamentum proximum* utrinque existens: ex parte Dei quidem, imperium eius aeternum et immutabile terminatum in obiecto; ex parte autem creaturae, imperii obiectique eius determinati notitia et quidem uti vidimus, moraliter certa. Exinde *relatio* resultat ex parte Dei (rationis tantum relatio quia fundamentum, volitio imperans nullam mutationem Deo infert), *ius reale* (quia volitio divina est realissima); ex parte creaturae liberae, *obligatio moralis*. — Porro quodcumque ex iis defecerit, relatio non resultat nullaque est obligatio.

Iamvero in casu nunc controverso, in casu nempe ordinationis divinae cuius probabilioritas tantum certe iudicatur existere, quantumvis volitio divina necessario terminetur ad obiectum divinae scientiae certissimum quia evidentissimum, tamen RELATE AD NOS NEQUIT ESSE IMPERIUM: cur? Quia Deus ipse *sibi* debet ut *imperium* suum creaturae rationali faciat cognoscibile uti certum obiective, saltem moraliter certum, ne incohaerenter et tyrannice laedat ius creaturae rationali resultans ex libero arbitrio quod idem Deus creaturae huic dedit in statu viae relate ad finem atque ad media quae conducunt in eum. Atqui in hypothesi de qua disputamus, ex ipsa naturae humanae infirmitate a Deo volita, uti mox explicabitur, creatura rationalis, inquisitione rite peracta, obiectum volitionis divinae nequit aliter cognoscere quam uti probabilius, non vero uti obiective certum certitudine saltem morali, sicuti supponit ipse adversarius, quantumvis hanc ipsam probabilioritatem certe iudicat adesse. Ergo volitio divina de hoc obiecto nequit relate ad nos esse imperium. Ergo deficit in ratione fundamenti ex quo obligatio moralis nobis resultare queat.

Firmiter consistit, enucleatis rerum naturis, prima conclusio: obligatio moralis creaturae liberae non resultat nisi ordinatio divina de aliquo obiecto ipsi notificetur ut *imperium* de obiecto certa mente iudicato tamquam *obiective certo* saltem moraliter. Sive ergo deficiat certitudo illa mentis in iudicando, sive deficiat haec obiecti iudicati certitudo, obligatio non resultat: in primo casu ex defectu fundamenti ex parte creaturae tantum, in altero casu ex parte Dei, cuius volitio non se manifestat relate ad nos uti *im-*

perium, et *consequenter* etiam ex parte fundamenti in creatura (1).

Nunc speciatim inquiramus QUOMODO INNOTESCAT IMPERIUM DIVINUM EX PARTE IPSIUS CREATURAE: quanta nempe ex parte creaturae possit esse haec requisita certitudo.

Responsio est obvia. Sepositis iis quae a Deo revelatione positiva libere praecipiuntur vel prohibentur, ideoque ordinata vel inordinata sunt solummodo quia praecepta vel prohibita, sistam in iis solis quae a Deo necessitate propriae perfectionis praecipiuntur vel prohibentur creaturae rationali, si eam libere voluerit e nihilo, ad suam augendam gloriam condere ac destinare. Ea nempe e converso *ideo* praecipiuntur vel prohibentur *quia* respective ordinata vel inordinata sunt. Ratione idcirco huius necessariae connexionis et consecutionis, cognitio ordinis essentialis qua res inter se atque ad nos referuntur et nos ad Deum, criterium erit infallibile cognoscendi imperii divini nos obligantis. Eo sensu igitur dicimus legem divinam ratione naturali (quae simul supremum numen extra se et supra se facile agnoscit) promulgari (1).

Atvero ordinem hunc moralitatis ea perspicuitate ac certitudine, qua a Deo comprehenditur, mens creata, uti per se liquet, nequit undequaque penetrare. Exceptis enim primis principiis, quae in se ipsis synderesi evidenter intelliguntur, exceptisque iis conclusionibus, quae faciliori ratiocinio ex illis principiis deducuntur, multa ulteriora vel incerta vel impervia sunt humanae menti, idque ex suapte natura. Sane ipsa non omnia simul obiecti cognoscibilia, uti mens angelica, *in concreto*, speciebus suis intelligit, sed speciebus a phantasmate abstractis, iisque inadaequatis obiectum quodcumque intelligens, multiplici indiget ratiocinio ut remotiores conclusiones ad prima evidentia principia reducat. Inde in multis huiusmodi deductionibus evidentia consequentiae non affulget; non ipsa veritas plena sua luce cogit assensum, sed maior minorve apparentia tantum eiusdem, in hac connexione terminorum conclusionis cum terminis primorum principiorum confuso quodam clarore in media caligine emergit. Haec connexio nimirum, uti paulo ante dicebam, menti inadaequate apparet, inadaequatis, praecisivis et abstractis speciebus rerum invicem comparatis. Unde dum ex una parte mens iudicat sibi videri adesse connexionem, ex altera eam abesse iudicabit si habitudinem aliam rei ad prima principia perspectam etiam retinuerit. Necessitas ideo saepe urget iudicandi de ea connexione simul cum gravi formidine eius oppositi. Haec igitur est obiectiva illa probabilitas quam perpensis et comparatis omni ex parte rerum perceptionibus, mens in rebus multis quae ordini morali attinent, affirmare ex sua ipsius natura inducitur: eamque ipsam probabilitatem hinc inde adesse sibique affulgere reapse potest de multis affirmare.

In huiusmodi igitur remotioribus multis conclusionibus, obiectivus moralitatis ordo et consequenter imperium divinum obligationem inducens innotescere humanae menti in statu viae non potest nisi probabilibus coniecturis, ut aiebant veteres. Ideo in tantum imperii huius existentia *certa ipsa* poterit menti humanae reputari, in quantum nec plus nec minus non solum obiectiva probabilitas ei favens certe iudicabitur adesse, sed insuper ita certe iudicabitur adesse

(1) Exinde fit manifestum ea quae a P. W. pag. 63 discutiuntur ut obiectio 4ª ibi proposita solvatur, eam nullatenus diluere imo contra ipsum P. W. posse retorqueri: utique in casu dubii stricti positivi, *non magis* cognoscitur obiectiva divinae voluntatis ordinatio, quam *non cognoscitur*: cum pro utraque contradictionis parte militent rationes *aeque probabiles*; e contra in casu *certe probabilioris opinionis* pro parte affirmativa, aliqua eius cognitio habetur, opinativa nempe: sed *transeat totum*; nam sive haberi possit haec opinatio sive non possit haberi pro parte affirmativa, sufficit ut non possit haberi ipsa ordinatio obiectiva uti *obiective certa* saltem moraliter: hoc sufficit ut obligatio non resultet, quia *ordinatio* divina non se manifestat ut *imperium* quoad nos. Ideo responsio Patris W. supponit *falsum* ex quo supposito consequentiam mutuatur. Argumentum eius adversarii supponit *verum* ex quo et *consequentiam* mutuatur et *conclusionis veritatem*. Falsum suppositum P. W. est: *omnem ordinationem* divinam obiectivam esse *imperium*.

Praestituto itaque supposito vero, quod nempe *non omnis* ordinatio divina est nobis imperium, sed ea sola quae se manifestat ut obiective certa, assumo quod scribit pag. 64 P. W.: « Illud quod aeque probabiliter praescriptum est atque non est praescriptum, peragere licet, habita hac norma: actus ille *certo non est prohibitus*... » — Atqui, prosequor, illud quod *certe probabilius tantum* iudicatur esse ordinatio divina obiectiva, *eadem ratione* per se verificat eam normam *non prohibitionis*, qua eamdem verificat *aeque probabiliter* praescriptum atque non praescriptum. Ergo id quod certe probabilius tantum iudicatur esse prohibitum, peragere licet. Ratio enim cur nec prohibeatur primum nec alterum, est una eadem in utraque verificata; nondum scilicet pervenit ad rationem *imperii quoad nos* ex quo solo resultat obligatio.

Obiectio 4ª autem erat *ad hominem* quia concludebat ex principio false supposito ab aequiprobabilista hodierno, sequi id quod ipse tamen negat: ideoque ipsum vel in hac negatione, vel in illo supposito, errare, nec sibi cohaerere. Porro consequentia huius illationis in obiectione facta erat patens: sicut probabilioritas legis quia *certe* iudicata est, *tibi* sufficit ad obligationem, ita probabilitas aequalis etiam *certe* iudicata, pro lege, *tibi* debet sufficere ad obligationem (quae fuit thesis Patutii a S. Alphonso profligata): *certitudo* enim est aequalis utrinque. Nec refert in primo casu me posse *opinari* pro *ipsa lege*, in secundo non: quia in utroque possum certo asserere *probabilem* esse legem, quod sufficit ut *aliqualem* eius cognitionem habeam et quidem *certe* habeam. Hae autem conditiones iuxta te faciunt promulgationem sufficientem nec requiris insuper *opinationem* illam nisi incohaerenter. — Cf. W., pag. 90. *Instabis* cum subiecta *responsione*.

Ex his quae in hac paragrapho explicata sunt, manifestum fit responsionem quam P. W. pag. 98 adhibet eidem fere ratiocinio P. Cathrein proposito pag. 97 a P. W. in difficultate XIV, niti falsis suppositis quibus nituntur argumenta ad quae P. W. ibidem appellat.

(1) S. Th. 1. 2, q. 19, a. 4, ad 3m: « Licet lex aeterna sit nobis ignota secundum quod est in mente divina, innotescit tamen nobis aliqualiter vel per rationem naturalem, quae ab ea derivatur ut propria eius imago, vel per aliqualem revelationem superadditam ». — Cf. Suarez, de legibus, l. 2, c. 4, n. 10; c. 6, n. 5. — In 1. 2, q. 91, a. 1, ad 2m, ulterius explicatur quomodo ut lex aeterna possit dici promulgata relate ad nos, non sufficit sola ordinatio ex parte Dei.

ut nulla solida obiectiva probabilitas in contrarium ingerat amplius prudentem formidinem non existentiae huius imperii. Nam donec haec in contrarium obiectiva probabilitas formidinem errandi ingesserit, *probabilitas* quidem imperii divini asseri certe poterit, non autem *ipsum imperium* asseri certe poterit, ne morali quidem late dicta certitudine, quippe quae et ipsa prudentem errandi formidinem excludit, ideoque et obiectivum eius fundamentum.

Porro idem omnino *per se* dici debet non tantum de assertione certa ipsius probabilitatis sed etiam *per se* de assertione certa *excessus* probabilitatis in parte quae existentiae favet divini imperii. Imo potiori iure, ubi agitur de diiudicando probabilitatis excessu, quam ubi de sola relativa probabilitate: nam, si iam sola probabilitas solida adeo difficile discernitur a non solida, quanto magis excessus in ea et gradus?

Unde, nisi rationes utrinque desumantur ex eodem medio termino ideoque augmentum unius aequalem depressionem alterius arguat, aestimatio excessus est adeo varia inter sapientes ut consensus eorum in eo asserendo sit fere unica norma veritatis eius cognoscendae.

Ergo tandem aliquando *ratio decisiva* qua discerni poterit in praesenti casu, utrum imperium illud divinum obligationem pariens *certe iudicari* possit adesse, desumenda est ex eo quod *certe iudicari* non possit ullam *obiectivam* probabilitatem in parte contraria superesse, quae sui formidinem prudentem valeat ingerere. Ergo donec certe iudicetur haec obiectiva et solida probabilitas in parte contraria superesse, certa assertio probabilitatis solidae vel etiam excessus eiusdem pro imperii divini existentia per se sufficere nequit ut imperium ipsum *certe* notificatum prudenter dici possit, cumque eo notificata obligatio moralis. Ad summum *voluntas* divina de hac re aliqualiter notificata existet non tamen *imperium divinum.*

II. *Tendere ad convenientiam.* Haec verba, iuxta auctoris textum et mentem pag. 59 sq., significant *electionem voluntatis* quae conformis sit ultimo iudicio practico quo certum obligationis moralis debitum ideoque honestas *obligatoria* notificatur in actione quadam particulari vel ponenda vel omittenda. Aliis verbis: hic, ipsum obligationis vinculum supponitur *quatenus voluntatis electionem afficit ac dirigit.* — Si exstiterit hoc imperii vinculum, utique voluntatem vere ligat; sed *tota quaestio est utrum in casu nostrae controversiae subiecto existat.* Pergamus itaque ad sequentia verba.

(*Prosequendum*)

G. Arendt S. I.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

III.

De metu a censura excusante.

Die 16 Ianuarii 1905, hora 15 ½ (3 ½ pom.).

Titus episcopus, antequam apud S. Rituum Congregationem causa Beatificationis cuiusdam viri cum fama sanctitatis defuncti introduceretur, per generale decretum mandavit, ut omnes cuiusvis conditionis et gradus, qui apud se illius manuscripta haberent, ea, intra bimestris spatium, Curiae Cancellario traderent, sub poena excommunicationis a transgressoribus ipso facto incurrendae: quam poenam minitatus est etiam iis, qui personas, apud quas eadem manuscripta extitisse vel extare adhuc cognoscerent, non denuntiarent.

Caius sacerdos plures eiusdem viri epistolas apud se diligenter custodit, et quas saepe relegit; sed ipsius animo vehementer repugnat ea tradere, siquidem in iis plura ad suae conscientiae directionem scripta sunt, quarum revelatio in gravem sui infamiam cederet. Dubius proinde de eo, quod sibi modo agendum sit, ab amico presbytero consilium petit, a quo accipit, ipsum posse epistolas illas Curiae Cancellario tradere deleto nomine, vel etiam eas igne comburere, cum tandem aliquando leges humanae et praesertim poenales non obligent cum gravi incommodo. Caius sumit tempus ad deliberandum, et deinde, omnibus perpensis, statuit tutiorem partem amplecti, et illas comburit. Interim amicus Caii totam rem melius recolens anxietatibus conscientiae premitur, et a theologo quaerit:

1. *Utrum timor infamiae vel alterius gravis incommodi a censura incurrenda excuset?*

2. *Utrum licitum et rectum fuerit consilium a se Caio datum?*

3. *Utrum in casu ipse vel Caius in censuram incurrerit et ad quid teneatur?*

Resp. Ad 1um. Censura est poena quaedam canonica, ad praecavenda peccata ordinata; unde dici solet poena medicinalis. Censura igitur annexa consequenter est legis transgressioni. Inde sequitur, quod illa causa, quae excusat a transgressione legis, excusat etiam a censura incurrenda. Porro metus gravis mali aliquando a lege observanda excusat, aliquando vero nec metus gravioris mali, nec metus gravissimi mali, quale profecto est infamia, a lege observanda excusat. Hinc metus gravis mali excusat etiam, in primo casu, a censura, quam lex imponit incurrenda; non excusat vero in altero casu ab eadem incurrenda censura a lege imposita.

Verum, ut latam quis incurrat censuram, requiritur peccatum et contumacia, quae est contemptus saltem virtualis censurae. Hinc, etiam si agatur de praecepto aliquo legis naturalis, a quo observando metus gravis non excusat, adhuc tamen praedictus metus ab adiecta censura excusat. Ex metu enim delinquens potius ex infirmitate naturae, quam ex certa voluntatis malitia et Ecclesiae censuram minitantis contemptu peccat. « Et ideo, ait S. Alph., l. 7, n. 46, qui ob gravem metum patraret homicidium, vetitum sub censura, peccaret quidem, sed non incurreret censuram, quia non peccaret contra ius Ecclesiae, contra cuius potestatem specialis iniusta contumacia requiritur ».

Incurreretur vero censura, gravi etiam metu, graviori et gravissimo metu non obstante, si legis observatio necessaria esset pro conservando bono publico, aut si metus directe incuteretur in contemptum Religionis, vel Potestatis Ecclesiasticae. Inst. Moral. n. 1095. Ratio est, quia in praedictis casibus nec obligatio legis naturalis, nec obligatio legis ecclesiasticae cessat. « In dictis casibus, ait S. Alph., l. c., metus non excusat a culpa etiam contra praeceptum ecclesiasticum ».

Resp. Ad 2um. Rectum quidem fuit consilium datum Caio ab amico presbytero, delendi proprium nomen in praedictis epistolis. Etenim, deleto nomine Caii, iam nulla pro Caio infamia est amplius pertimescenda. Eo autem deleto nomine, integra et intacta adhuc manet tota doctrina speculativa et practica spiritualis directionis, ut possit deinde examini subiici in ordine ad introductionem causae Beatificationis illius sancti viri. Ad hunc enim scopum opera Servorum Dei typis impressa et manuscripta omnia accurate colliguntur, ut examinentur et cognoscatur, utrum aliquid in ipsis sit quod obstet causae introductioni eorumdem Servorum Dei. Si enim in scriptis Servi Dei nihil repertum sit contra fidem et mores, editur Decretum, *quod in Causa procedi possit ad ulteriora*, scilicet ad discutiendum dubium, utrum signanda sit necne Commissio introductionis Causae.

Hinc patet non rectum fuisse consilium etiam datum Caio igne comburendi praedictas epistolas. Enimvero infamiae periculo sat superque cautum erat deletione nominis Caii, ad quem illae epistolae erant directae. Quare grave incommodum omnino aberat in casu, hoc adhibito medio. Neque consequenter Caius recte egit easdem epistolas comburendo. Tutissimum sane erat nomen proprium in illis epistolis delere, ad omne praecavendum infamiae periculum.

Resp. Ad 3um. Presbyter amicus Caii excommunicationem non incurrit ex eo quod non denuntiaverit existentiam epistolarum Caii. Nam amicus ille presbyter eam cognovit existentiam consilii petiti causa, adeoque strictissimo secreto commisso tenebatur. Et cum adhuc eodem secreto teneatur, combustis iam a Caio litteris, ad nihil amplius teneri potest. Caius vero obiective loquendo excommunicationem incurrit. Nam ipse revera habebat apud se manuscripta illius viri, de cuius beatificatione agebatur, et ea non tradidit Curiae Cancellario, quamvis sine gravi suo incommodo ea tradere potuisset.

Verum, cum Caius bona omnino egerit fide, ratione huius ignorantiae excommunicationem non incurrit. Nemo enim sine peccato, excommunicationem incurrere potest. Neque vero ad aliquid nunc tenetur, cum epistolae fuerint combustae et non existant, et suum factum revelare non tenetur, quia esset inutilis revelatio, et pro sua bona fama certe periculosa.

JANUARIUS BUCCERONI S. J.
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Juin 1905.

1 Jeudi.

A l'occasion du Congrès Eucharistique, le St-Père célèbre la Messe Pontificale dans la Basilique Vaticane, au milieu d'un immense concours de pèlerins.

2 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Victor-Lucien Lécot, Arch. de Bordeaux; — LL. GG. Mgr Martin-Hubert Rutten, Ev. de Liège; — Mgr Constant Castrale, Ev. Tit. de Gaza, Vicaire Général de Turin; — et Mgr Joseph Torras y Bages, Ev. de Vich; — ainsi que M. le Comte Jean Acquaderni, Président du Comité International des Pèlerinages.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Salle Royale un groupe de pèlerins français.

3 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François Nagl, Ev. de Trieste; — Mgr François Baldassarri, Ev. d'Imola; — et Mgr Marcolino Benavente del Carmelo, Ev. de St-Jean de Cuyo; — ainsi que le Rme Dom René Herbeault, nouveau Prieur Général des Chartreux.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit un groupe de pèlerins de l'Argentine et de la Belgique.

4 Dimanche.

Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Basilique Vaticane les membres du Congrès Eucharistique et les pèlerins venus à Rome à cette occasion. En réponse à une Adresse de S. G. Mgr Heylen, Ev. de Namur, Président du Comité permanent pour l'Œuvre des Congrès Eucharistiques, Il a prononcé l'allocution suivante:

Dopo avere innalzato un inno di lode e di ringraziamento a Gesù Redentore nell'Eucaristia, sento il bisogno di ringraziare il Presidente del Comitato permanente dei Congressi Eucaristici, quanti sono E.mi Cardinali che presero parte a questo Congresso, tutti i venerandi Prelati che con la loro presenza lo resero più solenne; i distinti oratori, quanti sono i congressisti, implorando su tutti le benedizioni del Cielo.

Sento il bisogno di ringraziare i cari figliuoli d'Italia, che approfittando di questa solenne occasione, da tutte le diocesi convennero a Roma per prestare omaggio alla Cattedra di Pietro e per unirsi con i figli di tutto il mondo e in nome di Gesù in Sacramento: Dio li compensi e li benedica.

Dobbiamo unirci tutti, o diletti figli, ai piedi dell'altare perchè là si compie la nostra redenzione, là lo spirito, tratto dall'innocenza alla colpa, ritorna all'obbedienza, all'unione più perfetta con Dio e cessando quella sleale, ingrata separazione, ritorna al governo della sua provvidenza, là si sentono le parole di redenzione del nostro amoroso Redentore, povero per forza di amore, ricco di tutte le virtù per rendersi affabile a tutti; che dopo di aver condotto una vita santa, immacolata, dopo di aver predicato le sue dottrine, immolava la sua vita sull'albero della Croce per portare a tutti la Redenzione e la salute, lasciando i mezzi necessari per poter riacquistare la perduta innocenza.

Dove potremo meglio raggiungere il fine della Redenzione se non nel divino Sacramento dell'Eucaristia?

Noi vediamo purtroppo che tanti, di cristiano, non hanno che il battesimo ricevuto da bambini e pel resto camminano sulla via della perdizione.

Solo nella penitenza, nella confessione delle nostre miserie al sacerdote, troveremo la remissione della colpa.

Dobbiamo vigilare contro tutti i nemici che ci stanno attorno, e dobbiamo essere sempre timorosi di non ricadere in quel fango, che pur troppo ci ha imbrattati.

Nel divino Sacramento dell'Eucaristia, troviamo tutto ciò che è necessario per riacquistare la perduta innocenza.

Perchè Dio è bontà e carità per essenza, chi si accosta all'altare eucaristico, sente il suo cuore riempirsi di amore, si sente al disopra di ogni cosa terrena.

Sì, miei dilettissimi, il Divino Sacramento dell'Eucaristia ci rassicura l'Eterna vita e ci rende certi di combattere vittoriosamente contro tutti i nemici.

Quanto non è dunque encomiabile, quanto non è da raccomandarsi a tutti di accostarsi di frequente al Sacramento Eucaristico per onorare Gesù in Sacramento, per adoperarsi in tutti i modi onde questo tesoro di divina bontà che Gesù ha voluto lasciarsi, non abbia ad esser perduto?

Ripeto pertanto, o miei diletti, le parole che ho rivolto stamane al Comitato: Prego e scongiuro voi tutti, perchè raccomandiate ai fedeli di accostarsi al divino Sacramento.

E specialmente a voi mi rivolgo, diletti figliuoli sacerdoti, perchè Gesù, il più grande dei tesori del Paradiso, il più grande dei benefici che abbia avuto l'umanità desolata, non abbia ad essere così vilmente, ingratamente abbandonato.

Noi dobbiamo procurare, per quanto è possibile nella nostra povertà e nella nostra miseria, di dimostrare a Gesù Cristo la nostra gratitudine, la nostra riconoscenza; e allora si aprirà il cielo sopra di noi, e discenderanno le grazie elette, discenderanno le divine misericordie, la pace, la carità, il bene universale.

E canteremo sulla terra le lodi di quella Provvidenza divina nel cui nome con effusione di cuore, a tutti i presenti, alle loro famiglie, ai loro cari, alle loro opere, a seconda delle loro intenzioni, impartisco l'Apostolica Benedizione.

5 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Ange della Cioppa, Arch. de Lanciano; — Mgr Benoît Bonazzi, Arch. de Bénévent; — Mgr Damase Pie de Bono, Ev. de Caltagirone; — Mgr Benoît Murua y Lopez, Ev. de Lugo; — Mgr Philippe-François Nakic, Ev. de Spalato; — Mgr Philippe Garrigan, Ev. de Sioux-City; — Mgr Amerigo Cialente, Ev. Tit. de Daulia, Auxiliaire d'Aquila; — Mgr David Camilli, Ev. de Fiesole; — et Mgr Paschal Berardi, Ev. de Ruvo et Bitonto; — ainsi que le Rme P. Denys Schüller, Ministre Gén. des Frères Mineurs.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit un groupe de pèlerins espagnols.

6 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Joseph Callegari, Ev. de Padoue; — et LL. GG. Mgr Alfred Peri-Morosini, Ev. Tit. d'Arca, Administrateur Apost. de Lugano; — Mgr Ignace Valdespino y Diaz, Ev. de Sonora; — Mgr Pierre Zamburlini, Arch. d'Udine; — Mgr Raphaël Rossi, Arch. d'Acerenza et Matera; — Mgr Louis Bonelli, Ev. de Gravina et Montepeloso; — et Mgr Antoine Di Tommaso, Ev. d'Oria.

— Congr. particulière des S. Rites, tenue au Vatican, concernant le martyre, la cause du martyre et les miracles:

1° Des Vén. Serv. de Dieu Mgr Jérôme Hermosilla, Ev. Tit. de Milétopoli, Vic. Ap. du Tonkin Oriental; — Mgr Valentin Berrio-Ochoa, Ev. Tit. de Centuria, Vic. Ap. du Tonkin Central; — Pierre Almato, prêtre Missionnaire, tous trois de l'Ordre des Frères Prêcheurs; — et Joseph Khang, indigène;

2° De la Vén. Thérèse de St-Augustin et de ses quinze compagnes, Carmélites Déchaussées du Monastère de Compiègne.

— Le Congrès Eucharistique est clôturé par une procession solennelle du Très Saint Sacrement. La Sainte Hostie est portée par le St-Père, de la Chapelle Sixtine au maître-autel de la Basilique Vaticane, avec l'accompagnement du Clergé régulier et séculier et de la Cour Pontificale, au milieu d'une foule nombreuse et recueillie.

7 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Benoît Tommasi, Arch. de Sienne; — Mgr Michel de Iorio, Ev. de Castellamare di Stabia; — Mgr Antoine Lamberti. Ev. de Conversano; — Mgr Joseph Padula, Ev. de Bovino; — Mgr Joseph Butignani, Ev. de Montepulciano; — Mgr Paul-Marc Tei, Ev. de Pesaro; — Mgr Raphaël Sandrelli, Ev. de Borgo S. Sepolcro; — et Mgr Ercolano Marini, Ev. Tit. d'Archélaïde, Vic. gén. de Spolète.

9 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Fidèle Olivas Escudero, Ev, de Guamanga; — Mgr Bernardin Caldajoli, Ev. de Grosseto; — Mgr Léopold Ruiz, Ev. de Léon (Mexique): — Mgr Jean Boneo, Ev. de Santa Fé; — et Mgr Philippe Bacciu, Ev. de Bisarchio.

10 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre Pacet, Arch.-Ev. de Malte; — et Mgr Eugène Garvey, Ev. d'Altona.

12 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Bertrand Horth, Arch. de Vittoria dans l'île de Vancouver; — Mgr Alphonse Mistrangelo, Arch. de Florence; — Mgr Luc Canepa, Ev. de Galtelli-Nuoro — et Mgr Joseph Paderi Ev. d'Ogliastra.

13 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Théodore Dalhoff, Arch. de Bombay; — Mgr Jérôme Thomé da Silva, Arch. de Bahia; — Mgr Emmanuel-Alphonse Van den Bosch, Arch. Tit. de Pario; — Mgr Jean Cunningham, Ev. de Concordia; — et Mgr Dominique Bianconi, Ev. de Ferentino.

14 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Paul Fioravanti, Ev. de Veroli; — Mgr Antoine-Sixte Albano, Ev. de St-Louis de Maragnano; — Mgr Louis-Joseph Homobono Anaya, Ev. de Chilapa; — Mgr Pierre Balestra, Arch. de Cagliari; — Mgr Jean Graziani, Ev. élu de Caristo, Vic. Gén. de Todi; — ainsi que le T. R. Dom Michel Rua, Recteur général des Salésiens de Dom Bosco; — le Rme P. Emmanuel Bailly, Sup. Gén. des Augustins de l'Assomption; — Mgr François Marchetti-Selvaggiani; — et S. Exc. Mme la princesse Charlotte Antici-Mattei.

15 Jeudi.

Sa Béatitude Mgr Elie Pierre Huayek, Patriarche d'Antioche pour le Rite Maronite, accompagné d'une nombreuse suite, est reçu en audience solennelle par Sa Sainteté.

16 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Jean Kean, Arch. de Dubuque ; — Mgr Adaucte Aurèle de Miranda Enriquez, Ev. de Parahyba ; — Mgr Alphonse Andreoli, Ev. de Montefeltre ; — et Mgr Justin Adami, Arch. Tit. de Césarée ; — ainsi que le Rme Dom Amédée de Bié, Abbé Général des Cisterciens de la Commune Observance.

17 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Laurent Chieppa, Ev. de Cariati ; — M. le Comte Douglas de Thurn et Valsassina, Conseiller de l'Ambassade d'Autriche-Hongrie près le St-Siège ; — et Mgr Alexandre Solari, Auditeur de la Nonciature Apost. de Belgique.

18 Dimanche.

Le St-Père reçoit dans la Salle Royale un groupe de pèlerins français de retour de Terre Sainte.

19 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Patrice-Jean Ryan, Arch. de Philadelphie ; — Mgr Graziani, Vic. Gén. de Todi, consacré hier Ev. Tit. de Caristo ; — Mgr Léopold Ruitz, Ev. de Léon (Mexique) ; — et Mgr Jean Boneo, Ev. de Santa Fé, dans l'Argentine.

20 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Pierre Brioschi, Arch. de Carthagène (Colombie) ; — Mgr François-Xavier Junguito, Ev. de Panama ; — et Mgr François-Simon y Rodenas, Ev. de Santa Marta (Colombie) ; — ainsi que le Rme P. Louis Ubaïd-Baabdaty, Abbé Général des Moines Antoniens Maronites ; — et le Rme P. Herman Michelangeli, Sup. Gén. des Clercs Rég. de la Mère de Dieu, accompagné par les membres du Chapitre Général récemment tenu à Rome.

— Congr. Ordinaire Rotale des S. Rites, tenue au Vatican pour examiner :

1° la validité des Procès Apostoliques et Ordinaires intruits pour la cause de Béatif du Vén. Jean-Népomucène Neumann, Ev. de Philadelphie, de la Congr. du T. S. Rédempteur ;

2° *Item* pour le Vén. François de Naples, Prêtre Profès, de l'Ordre des Mineurs ;

3° la validité et la relevance du Procès Apostolique instruit dans la Curie de Valence, touchant la réputation de sainteté, les vertus et les miracles *in genere* de la Vénérable Marie-Michel du T. S. Sacrement, Fondatrice des Servantes du T. S. Sacrement et de la Charité ;

4° la question du *non-culte* pour le Vén. Justin De Jacobis, Ev. de Nilopoli, Vic. Ap. de l'Abyssinie, de la Congrégation de la Mission ;

4° la question du *non-culte* pour le Vén. André Soulas, Prêtre séculier, Fondateur des Sœurs de Notre-Dame Auxiliatrice.

23 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences : S. Em. le Grand-Maître de l'Ordre Souverain de Malte ; — le Rme P. Bernardin Balsari, Sup. Gén. de l'Institut de la Charité ; — et S. G. Mgr Pierre Maffi, Arch. de Pise.

24 Samedi.

Dans la Salle du Consistoire lecture est faite, en présence du Souverain Pontife, des deux Décrets sur le martyre et les miracles des Dominicains du Tonkin, ainsi que des Carmélites de Compiègne. (Voir aux *Anal. Nova* p. 254-255).

25 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences : S. G. Mgr Edouard O'Dea, Ev. de Nesqually ; — et M. Victor Heessen, Agent pour les Affaires Ecclésiastiques de la Russie près le Saint-Siège.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit, dans la Salle Royale, les enfants de l'Oratoire du Sacré Cœur de Jésus, érigé par les Pères Barnabites.

26 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences : le Rme P. Louis El-Khazen, Abbé Général des Maronites de la Congrégation d'Alep ; — le Rme P. Rinaldo-Marie di San Giusto, Prieur Gén. des Carmes Déchaussés ; — ainsi que LL. GG. Mgr Jacques Davis, Ev. Tit. de Miletopoli, Coadjuteur de l'Ev. de Davenport ; — Mgr Jean-Népomucène Terrero y Escalada, Ev. de La Plata ; — et Mgr Augustin Marre, Ev. Tit. de Constance, Abbé Gén. des Cisterciens Réformés.

27 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr Ignace Montès de Oca y Obregon, Ev. de St Louis de Potosi ; — Mgr Ignace Monterisi, Ev. de Potenza ; — Mgr Théophile Meerschaert, Ev. Tit. de Sidima, Vic. Apost. du Territoire Indien ; — et Mgr Corneille Van de Ven, Ev. de Natchitoches ; — ainsi que le Collège des Avocats Consistoriaux.

— Congrégation préparatoire des Sacrés Rites tenue au Vatican pour examiner l'héroïcité des vertus de la Vén. Anne-Marie Taïggi.

28 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences : LL. GG. Mgr François-Xavier Junguito, Ev. de Panama ; — Mgr Antoine-Sixte Albano, Ev. de St Louis de Maragnano ; — et Mgr Martin Tristschler y Cordova, Ev. de Yucatan.

F. C.

Imprimatur : Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur : Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS SEPTIMUS — JULIUS 1905

SUMMARIUM

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X Genti Maronitae de pietatis observantiaeque testimoniis gratulatur.

PIUS PP. X.

Venerabilis Frater (1), *salutem et Apostolicam benedictionem.*

Maronitarum cum Apostolica Sede coniunctionem necessitudinis, ab avis et maioribus singularem, egregie proximis diebus testata sunt officia, quae tu, Venerabilis Frater, et nonnulli tecum Episcopi nobilesque, de Clero et populo viri complures, totius gentis vestrae nomine, praesentes Nobis praestitistis. Equidem pergrata perque iucunda haec Nobis accidisse ostendimus: iterum vero profitemur libenter, Nos pietatis observantiaeque vestrae testimoniis suaviter affectos esse, gratiamque vobis agimus de Petriana stipe caeterisque muneribus, quibus istam ipsam pietatem pro facultate probastis. Praesertim laudare satis non possumus eam, quam perspeximus in vobis, tuendae promovendaeque catholicae fidei constantiam: quam quidem Orientalibus, qui ab Ecclesia Romana dissident, salutari et exemplo et incitamento esse intelligimus. — Haec, quamquam significavimus coram, tamen his etiam litteris significata volumus; eam nempe ob causam, ut paternus Noster in omnes dilectos filios Maronitas animus constaret luculentius. Neque enim commissuri unquam sumus, ut minus a Nobis diligi quam a Decessoribus Nostris videamini. — Vos interea vestraque

(1) Ill.mo ac R.mo Domino Eliae Petro Huayek, Patriarchae Maronitarum, Antiochiae. *N. R.*

omnia enixe divinae benignitati commendamus, atque auspicem caelestium bonorum, testemque praecipuae benevolentiae Nostrae, tibi Venerabilis Frater, et reliquis Venerabilibus Episcopis universaeque genti Maronitarum Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXIX Iunii, festo Apostolorum Principum, anno MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

II.

Allocutio SSmi ad juvenes catholicos studentes Poloniae, die 24 April. 1905.

Maximae sint tibi grates, Venerabilis Frater (1), qui diserta allocutione dilectos filios coram Nobis ostendens iucunditatem ac solatium animo Nostro attulisti. Si enim semper et praecipue cordi Nobis est iuventus, verbis satis significare non possumus, quantum gaudii Nobis afferat conspectus uvenum Gentis Polonae, cuius et praeclara spirat memoria gestarum rerum et magnam erga hanc Sanctam Sedem coniunctam cum fiducia pietatem agnovimus.

Hi enim fratres sunt illorum, qui sicut perbelle meministi, ineunte saeculo XIII, ferventi religionis ardore incensi innumeri in Syriam et Palaestinam dimicantes convenerunt, ut loca sanctissimis Redemptionis nostrae mysteriis consecrata recuperarent et christiani nominis hostes ad catholicam veritatem converterent. Hi filii sunt illorum patrum, qui tremefacta Europa ad impetus hostium praepotentium, pectorum suorum praesidia inter primos insignibus proeliis opposuerunt: iidem religionis et civilis cultus vindices acerrimi, fidissimique custodes. Hi sunt iuvenes, qui macte virtute saeculi fallacias et malorum exempla caventes, ad omnem christianam laudem animose contendunt, nec postrema cura ea est aliis prodesse exemplo, scilicet ut multi numerentur, qui cum illis rerum omnium, quae honestae sint communione iungantur.

Dum porro vos, dilecti Filii, non degeneres virtutis patrum gaudenter perspicimus, praeclaras voluntates vestras omni, ut par est, commendatione prosequimur, atque animos etiam vobis ultro addimus, ut studiis vestris eam gloriam sectemini, quae in probanda Deo et Ecclesiae fide vestra continetur. Quod si in hac via fideliter institeritis, minime dubitamus lucem exempli vestri plurimum valituram, ut plures ea excitati, ac tristi eorum conditione permoti, qui saeculi erroribus anguntur, sese vobis socios adsciscant et ad certandum bonum certamen alacritatem vestram studeant aemulari.

Haec autem omnia pro ingenii vestri docilitate feliciter consecuturos confidimus, praesertim cum noverimus vestrum moderatores et magistros, quorum multos praesentes laetanter conspicimus, collatis in unum viribus et consiliis, cuncta quae in illis sunt adhibere, ut vestrum omnium animi in catholicae professionis officiis roborata virtute et subsidiis auctis confirmentur et praestent.

Vobis propterea, electi iuvenes, eximii magistri, et tibi in primis, Venerabilis Frater, qui omnes singulari charitate permoti ad Nos adiistis, gratum animum Nostrum nominatim profitemur, pariterque petimus, ut civibus vestris quos ut amantissimos filios habemus maxime caros, paternam benevolentiam Nostram reduces testari velitis: quibus vobisque cunctis vestrisque familiis et universae Polonae Genti caelestium auspicem munerum Apostolicam benedictionem ex intimo cordis affectu in Domino impertimus.

PIUS PP. X.

(1) Ill.mo ac R.mo Archie.po Leopoliensi.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

B. — In folio.

246/4 II.

Plocen-Varsavien. — Matrimonii.

VOTUM CANONISTAE.

Die 20 Maii 1905.

Conceditur dispensatio super matrimonio rato et non consummato, in casu, quamvis Ordinarius erronee putaverit causas non adesse sufficientes ad obtinendam dispensationem.

E.mi ac R.mi Patres,

Die 20 Februarii 1884, in Ecclesia parochiali in pago N., dioecesis Plocensis, matrimonium celebratum fuit H. cum M. Cum ante nuptias iam divulgata esset opinio de incestuoso convictu M. cum viro sororis eius, parentes statuerunt quantocius eam alicui spondere. At id non tam facile erat. Frater B. voluit ducere uxorem M., sed cum videret consuetudinem eius cum B., a proposito destitit. Alius, M., cum a domesticis parentum M. audivisset eam carnaliter cum B. copulari, noluit iam ambire manum eius. R., ut dicit ipse, neque in mentem venerat M. aliquibus esse irretitam vinculis, attamen videtur et ille aliqua audivisse de eius minus recta vivendi ratione, nam tempore epularum nuptialium ad eam dixerat: « Parvi pendeo omnes rumores. Quae vincenda erant, carissima M., iam vincta sunt; nunc nos iam ad nos invicem pertinemus ». Verba haec contumeliosa videbantur uxori, iram eius excitaverunt, statimque egressa est et dum aliquantulum assideret in scala, colloquebatur cum B., qui ut ipse fassus est, semper caute invigilabat, ne Henricus ad uxorem adiret, nam si hoc ausus esset, non haesitaret ipsum eo instanti occidere. Nil igitur mirum, quod M., cum vir eius, post hospitum discessum, accessisset ad eam et voluit, ut dicit, tenero affectu illi suum monstrare amorem, statim absque haesitatione asseruit, se cum eo non posse habitare nec velle. Et cum ille, magnopere contristatus, egressus esset domo et, una forsan hora elapsa, rediisset et ingressus esset in cubiculum ad dormiendum destinatum, uxor eius iam vestibus exuta, recepit se statim in lectum, ubi iam iacebat soror eius, et maritum ad se admittere noluit. Ille dereliquit cubiculum et postea iam non vidit uxorem suam, quae profecta est Plotiam, postea

Varsaviam. Una tantum vice eam vidit in iudicio Episcopali Plocensi. Frater uxoris videtur ut causam aversionis eius a viro afferre illud factum, quod R. tempore epularum nuptialium offenderit uxorem, quia hac de causa conquesta est illi et sorori suae dicebatque: « Vir cum noluerit tunc eius veniam petere, veniat nunc Varsaviam petatque veniam et ipsa ad eum redibit ». Cum vero R., una forsan elapsa hebdomada post nuptias, advenisset Varsaviam, non ut veniam peteret sed ut ope brachii saecularis uxorem ad mutuam secum cohabitationem cogeret, valde commota M. absolute iam statuit ad virum non reverti. At vera causa et ratio huius dissidii non alia certe erat nisi incestuosum eius commercium cum marito sororis suae.

Anno 1886 (vel ut vir habet, ipso 1884) mulier supplicem libellum obtulit Iudicio Ordinariatus Plocensis, ut matrimonium dirimeretur. Recepit tunc testificationem causae introductae, et hac contenta, causae insistere cessavit. Die 14 Maii 1901, vir ad Sanctissimum Patrem supplicem libellum misit ut R.mus Archiepiscopus Varsaviensis, Ordinarius suus, deputaretur ad peragendum processum iudicialem in causa matrimonii eius rati nec consummati, quem supplicem libellum commendando R.mus Archiepiscopus transmisit Romam, die 27 Iunii eiusdem anni. S. Concilii Congregatio, die 17 Augusti 1901, illum supplicem libellum transmisit R.mo Episcopo Plocensi pro informatione et voto, audita muliere, qui acta iudicialis indagationis mulieris adiectisque animadversionibus ex officio defensoris matrimonii, transmisit ad H. S. C. simulque suam opinionem aperuit « nullas esse sufficientes causas divortii ». Animadversiones defensoris matrimonii hae erant: « Ex depositione iurata coniugis perpessae metus, M. H. sole clarior patet, ipsam nullum subiisse metum relate ad hoc matrimonium contrahendum. Cum vero S. Sedis super matrimonio rato sed non consummato absque causa nec licite, nec valide possit dispensare (Sanchez docet: « Dispensationem iuris naturalis divini sine iusta causa concessam invalidam esse » *De Divortiis*, Santi, lib. IV, pag. 329), causa vero apposita metus scilicet, nullo modo probari possit in nostro casu, non licere censeo recurrere ad S. Sedem ex hac sola tantum causa pro dispensatione super matrimonio rato sed non consummato ». Ad haec eidem R.mo Episcopo Plocensi responsum est, die 27 Augusti 1902, ut, « acta processus compleat examinando alteram partem et testes septimae manus ex utraque parte, relinquendo S. C. iudicium tam de facto inconsummationis matrimonii, quam de existentia causarum ad dispensandum sufficientium ». Cum vero uterque coniux in Archidioecesi Varsaviensi versaretur, Episcopus Plocensis subdelegavit iudicium Archiepiscopale petiitque, ut acta processus Romam immediate transmitterentur. Quod R.mus Archiepiscopus fecit, die 25 Novembris 1902, commendando preces oratoris.

Quod matrimonium hoc ratum manserit inconsummatum, omnes testes ex parte viri et ex parte mulieris persuasum habent. Virum ut probum, honestum et veracem habent etiam testes ex parte contraria, qui eum noverant. Mulier, quae parum de separatione, ut ipsa fatetur, curat, « mea intererat solum, dicit, ut me redderem tutam adversus maritum, qui me persequebatur nec permittebat mihi quiete, quo vellem habitare », et « auctoritate acquisiti testimonii usque nunc habito quiete » de nihilo alio sollicita est. Sufficiebat illi, ut posset vivere quiete cum viro sororis suae, et hoc contenta hucusque est! Ipsa tamen asseverare non dubitat, matrimonium suum nunquam consummatum fuisse. Cum igitur de inconsummatione matrimonii in casu nulli unquam dubium veniat in examine huius causae, restat ut inquiratur an adsint causae sufficientes ad dispensationem super matrimonio rato et non consummato concedendam. Negat R.mus Episcopus Plocensis cum Defensore matrimonii.

Dicit Defensor matrimonii Plocensis, causam appositam, metum scilicet, nullo modo probari posse in casu. At, quamvis de metu loquatur quidem orator in supplici libello suo, veram causam cur quaerat solutionem sui matrimonii dat in processu canonico: « Dispensationem peto a Sanctissimo, dicit, quia propono contrahere matrimonium et familiam tandem constituere. Et hoc est unicum et principale, puto grave et incontestatum motivum »: et quod eum puduit fatere, erat: eum vivere in concubinatu cum quadam muliere, quacum prolem illegitimam procreavit; hac de re monitum fuisse a suo parocho, quique illi consuluit, ut ad S. Sedem supplices offerret preces de obtinenda dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

In casu non aderat vis et metus talis, qui matrimonium invalidaret; at certe sponsa coacta fuit ut nuptias celebraret. Corruptissima mulier ista sperare videbatur fore, ut etiam coniugio iuncta posset continuare vitam incestuosam cum viro sororis suae. Verba quae protulit sponsus tempore epularum spem omnem illi ademerunt, et eam ad derelinquendum maritum determinaverunt. Verus igitur et liber consensus eius in bonum matrimonii, quae est fides, defuit, et quamvis dissensus hic non invalidaverit matrimonium, certe tamen redderet intollerabilem societatem coniugalem, proindeque suppetit nedum iustam ac rationabilem, sed gravissimam quidem et urgentem causam dispensationis gratiam elargiendi.

Praeter eam, inter causas ad dispensandum, principem locum obtinet animorum aversio et odium, ita ut, quoties haec verificantur, soleat Summi Pontificis Apostolica benignitas in ipsa matrimonii dispensatione substantiale remedium invenire. Hanc autem animorum aversionem verificari de facto inter coniuges, de quibus agimus, res est adeo clara et manifesta, ut de ipsa dubitare non liceat. Mulier quidem, ut non amittat quem tenet amasium, et etiam quia, ut Tacitus animadvertit: « ingenii humani esse, odisse eum quem laeseris » talem erga sponsum sentit aversionem ut nullo modo possibilis sit reconciliatio. Animus sponsi omnino aversus est ab impudica uxore, ita ut cum ipsa unio sit hodie absolute et sub omni respectu impossibilis, quod testes universi confirmant. Et re quidem vera, quis reciperet foeminam, quae pluribus annis incestuose vixit? Quis unquam asserere audeat, coniuges illos inter se conciliari posse, qui per annos viginti gravissima dedecoris causa a primo sui matrimonii momento separati toto animo alienati vixerunt? quis, inquam, unionem et pacificam cohabitationem sperare praesumat ab illis, qui tam longo temporis spatio ad invicem divisi cum aliis personis affectu et vinculo carnali coniuncti vivunt, et vir quidem genitae prolis amore ligatur?

Ultimo, in casu nostro periclitatur animarum salus. Suprema lex in dispensationibus concedendis, animarum salus semper censetur, et est. De muliere possumus silere, quamvis et illa aliquando tandem resipiscere possit; sed maxime de viro nobis sermo est, qui desiderat conscientiae suae prospicere. Ille etiam in continuo peccato vitam transigere coactus est, et etiamsi ad virtutem rediret, semper in periculo proximo peccandi esset. Quod periculum non aliter tolli potest, quam dissoluto per Pontificem primo matrimonio, detur illi facultas contrahendi matrimonium coram Ecclesia. Nonne tutius perfectiusque est peccatum impedire, quam maius bonum promoveri? Atqui Synodus Tridentina causa maioris boni promovendi, matrimonium ratum et non consummatum ex professione religiosa dirimi voluit. Igitur si ex solo bono religiosae professionis matrimonium ratum dissolvitur, cur non dissolvendum, si causae graves coniuges in proximo, continuo peccandi, aeternaeque mortis periculo ponunt? Con-

sonum proinde spiritui Ecclesiae est peccandi causam avertere. Haec autem causa, quae sub titulo gravis periculi scandali futuri a doctoribus exhibetur, semper maximi fieri consuevit.

Ex allatis igitur rationibus, arbitror supplicari posse Sanctissimo pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato. Quod meum iudicium submitto sapientiae EE. PP.

Romae, 15 Martii 1905.

PAULUS SMOLIKOWSKI, C. R., Consultor.

Perpensis omnibus de iure et de facto perpendendis, ad

DUBIUM

An sit consulendum SSmo pro dispensatione in casu.

Emi Patres edixerunt: *Affirmative.*

1522
4

III.

S. Severinae. — Concursus.

Die 20 Maii 1905.

Quum, etiam in Regno Neapolitano, quoties Ordinarius intra semestre tempus, paroeciae non dederit provisionem, collatio devolvatur S. Sedi, transmissis ad Ap. Datariam actibus Concursus, S. Congr. ex duobus concurrentibus, quos prius excluserat, unum melius visum, aequitate suadente, tandem elegit in casu.

Die 18 Iunii anni 1903 habitus fuit concursus pro provisione paroeciae Archipresbyteralis et Matricis S. Nicolai oppidi vulgo Petilia Policastro iam vacantis usque a die 31 Decembris an. 1901 per obitum ultimi investiti Salvatoris Ceraldi. Concursui tamquam candidati duo tantum adstitere, nempe sacerdos Franciscus De Mercurio, et sacerdos Aloysius Mannarino ex-religiosus e Societate Iesu, in qua iam per 18 annos degerat.

Archiepiscopus in actis concursus transmittendis ad Apostolicam Datariam, quoniam res erat de collatione paroeciae iam fere a duobus annis vacantis, ita in litteris diei 23 citati mensis Iunii referebat: « Dagli atti del concorso « apparisce che due furono i concorrenti approvati quanto « alla scienza, perchè quanto a morale, amendue non go« dono *integro bono nomine.* Gli Esaminatori hanno cre« duto più atto all'ufficio di arciprete curato il concorrente « sac. D. Francesco De Mercurio, sebbene nella dottrina « abbia riportato minori punti del suo competitore D. Luigi « sac. Mannarino.

« Mi permetto far notare, che dell'età di ambo i concor« renti si fece menzione nell'albo, ove si scrissero pel con« corso, e che fu letto dinanzi agli Esaminatori.

« All'infuori di quanto trovasi espresso nel verbale degli « Esaminatori, non si fece esplicita menzione della prudenza « e delle altre qualità richieste per reggere la chiesa par« rocchiale vacante; ed è per questo che io supplico per la « grazia sanatoria del concorso, se mai sia necessaria ».

Hisce acceptis, Apostolica Dataria sub die 28 Augusti sequentis rescripsit, utrosque sacerdotes non esse idoneos ad paroeciam regendam, ideoque novum esse indicendum concursum. Hac habita resolutione Archiepiscopus iterum atque iterum institit pro collatione paroeciae favore sacerdotis De Mercurio, eum purgans ab indignitatis nota in epistola diei 15 Decembris eiusdem anni.

Nova vero declaratio confecta et remissa ab Examinatoribus Pro-Synodalibus in memoriali ad E.mum Pro-Datarium est sequentis tenoris: « Poichè siamo sul punto di « chiarire le cose, dobbiamo dire, che mentre ci consta inec« cepibilmente della indegnità del sac. Mannarino (non cu« riamo affatto, come quantità incalcolabile, l'accusa di fa« voritismo che dopo il concorso è andato gettando contro « di noi) abbiamo anche la morale certezza della incolpa« bilità del sacerdote De Mercurio, sia perchè di un'accusa « contro di lui, che sarebbe l'unica un po' grave, lo mo« strava calunniato a torto il Vescovo di Cotrone al nostro « Arcivescovo; sia perchè il nostro Arcivescovo ci ha po« tuto assicurare in tutta coscienza che egli non ha mai « avuta accusa attendibile contro il De Mercurio; sia perchè « noi stessi non abbiamo potuto veder altro in lui, fuorchè « il vivissimo zelo disinteressato per il servizio della chiesa « e per il bene delle anime.

« È dunque obbligo nostro materiale e morale questo che « riconosciamo; e noi vorremmo che Vostra Eminenza pren« desse come nostra relazione degli esami, su cui basare la « risposta, questa dichiarazione: " Per la scienza accettiamo « ambedue i concorrenti come sufficienti: accettiamo il solo « De Mercurio come degno, adatto e capace. La restrizione « che l'altra volta facemmo per lui non ha ragione di esi« stere " ».

Hisce tamen non obstantibus Apostolica Dataria stetit in decisis; tantummodo per litteras diei 22 eiusdem mensis hoc temperamentum Archiepiscopo significabat: « Qualora poi « nella sua prudenza giudicasse inutile un nuovo concorso, « potrà presentare qualche sacerdote idoneo anche non dio« cesano per essere investito nella nuova parrocchia ».

Interim plures oblati sunt recursus apud eamdem Apostolicam Datariam a sacerdote Mannarino sive in sui defensionem pro paroeciae consecutione, sive ad impetendum oppositorem De Mercurio: et cum denuo declarasset se velle controversiam ad H. S. C. deferre, die 19 Aprilis 1904 ab eadem Dataria acta ad S. V. O. transmissa sunt. Haec vero S. C. antequam aliquid super proposita quaestione decerneret, opportunum duxit super hoc consultoris votum expetere, cuius sententia fuit sequens: « Praevia diligenti inqui« sitione super moralitate sacerdotis De Mercurio, peragenda « eo prudentiori modo, quem S. H. C. decernendum puta« verit, si nihil contra eumdem resultet, supplicandum SS.mo « ut dignetur, sanatis actis, eidem conferre curatam prae« bendam matricis Ecclesiae oppidi Polycastren. archidioe« cesis S. Severinae. Et ad mentem. Mens est quod si nihil « resultat contra sacerdotem De Mercurio, procedatur contra « sacerdotem Mannarino, ob gravissima illa, quae contra « sacerdotem De Mercurio, in suis epistolis ad Apostolicam « Datariam asserere non dubitavit. Quod si e contra pro« bata manserint contra sacerdotem De Mercurio, quae as« seruit sacerdos Mannarino, huic alteri beneficium confe« ratur ».

Ampliores itaque requisitae sunt informationes super moralitate duorum sacerdotum. Et quoniam sacerdos De Mercurio incusabatur ab adversario tum de non admissione ad alium concursum, tum de occulto morbo eum reddente inidoneum ad paroeciam obtinendam, hinc super utroque percontatus est Archiepiscopus, qui litteris diei 7 Augusti 1904 respondit, quoad primum sibi constare ex certis documentis De Mercurio nunquam exclusum fuisse a praecedentibus concursibus. Quo vero ad aliud accusationis caput addit: « Ho la coscienza di attestare *coram Deo et hominibus* « che il De Mercurio, non ostante si trovasse da oltre cinque « anni sotto rigorosa cura dietetica per diabete nervosa, « pur accetta inviti di predicazione or qua or là, cosa che « certamente non potrebbe avverarsi, se l'infelice avesse

« perduto la voce come si vorrebbe far credere. Mi consta « anzi che in Petilia Policastro il De Mercurio, quando « manca chi suoni e canti sull'organo, è chiamato a soste- « nerne le parti nelle funzioni del Clero ricettizio ».

Item cum sacerdos De Mercurio insimularetur de expulsione a Seminario Bovensi quando erat clericus et de mala habita relatione cum quadam moniali in dioecesi Cotronensi, vi cuius ab hac dioecesi fuisset dimissus, super utroque respectivos Ordinarios audiendos esse censui. Verum Episcopus Cotronensis impictam accusationem falsam esse retulit, eamque ait fuisse inventum quorumdam malorum. Quoad aliud accusationis caput nempe expulsionem a Seminario, quae locum habuisset an. 1880, Episcopus Bovensis rescripsit id deprehendisse a nonnullis condiscipulis ipsius accusati, sed de eius causis nihil referre posse cum acta Seminarii illius temporis deperierint ob incendium palatii Episcopalis.

Ex alia vero parte Archiepiscopus H. S. C. novum dedit documentorum fasciculum, quae dum in propatulo ponunt sacerdotis De Mercurio honestatem et moralitatem, ex adverso sacerdotem Mannarino de malis moribus manifesto coarguunt.

Ampliori igitur expleta inquisitione super qualitatibus moralibus concurrentium, tum super hisce requisitis, tum super actis caeteris concursus, praehabendum censui novi consultoris votum, quod typis impressum heic subiicio, et quod ita concluditur: « Verum ut parvulus loquendo audeo asserere duplicem nodo huic solvendo viam patere.

« *a*) Per viam gratiae, sanato concursu, praebenda paroecialis conferri potest sacerd. De-Mercurio, qui, omnibus perpensis, praecipue vero quae supra disputavimus, par est oneribus parochi sustinendis.

« *b*) Per viam iuris, declarata nullitate concursus, novus indici potest, excluso tamen ex numero concurrentium sacerd. Mannarino, non quod moribus indignus, posset enim admitti et reprobari; sed quia calumniator extitit in aemulum ut ei praeferretur, *frustra enim*, ut fert brocardicum illud, *legis auxilium invocat, qui in legem committit.*

« Haec secunda solutio magis iustitiae consonat, illa aequitati; per hanc lex concursus tuetur, per illam subvenitur adverso fato sacerdotis De-Mercurio et relationi Examinatorum, et systemati votationis in iure laeso; illa summopere in votis Archiepiscopi est, ab hac tamen non abhorret ».

Hisce omnibus de ritu expletis causam iussi poni in folio.

Modo nonnulla expendam non super actis concursus aut super iudicio de concurrentibus ferendo, quum his per consultoris votum sit abunde provisum; sed potius super concursu ipso, quem ambo consultores nullum fuisse sustinent ob non legale scrutinium ab Examinatoribus Pro-Synodalibus peractum. Si quidem haec consultorum sententia non videtur undequaque certa ac tuta. Uti enim ex facti specie constat, collatio paroeciae in themate iam erat devoluta S. Sedi, eo quia Ordinarius intra semestre tempus eius provisionem non fecerat: id aperte profluit ex *cap. 2, de conc. praebendae* et ex *constit. S. Pii V « In Conferendis »*.

Neque pro paroeciarum collatione in regno Neapolitano urgeri posset *art. XI* Concordati an. 1818 in quo ita legitur: « Sanctitas Sua concedit Episcopis Regni ius conferendi paroecias, quae quovis anni tempore erunt vacaturae ». Nam sive ex praxi Datariae Apostolicae, sive ex consuetudine Episcoporum recurrendi ad eamdem Apostolicam Datariam quando paroeciae vacatio ultra semestre est protracta, uti factum etiam fuit in casu praesenti, satis liquet reservationem S. Sedi collationis harum paroeciarum adhuc vigere pro regno Neapolitano. Hinc factum etiam est ut si quando Ordinarii has paroecias ex errore contulerint, ab H. S. C. sanatoriam impetraverint, uti refertur in una causa *S. Agathae Gothorum — Concursus*, diei 20 Dec. 1879.

His in claro positis, en quod Benedictus XIV in Constitut. *Cum illud* § *20* disponit quando agitur de reservatione collationis paroeciarum ex alio titulo quam ratione mensium Papalium: « Sin vero dicta beneficia, quibus cura imminet « animarum, ex alio quovis capite quam mensium Aposto- « licorum S. Sedi reservata sint, eo sane casu, veteri non « immutato more abstineat Episcopus a ferendo dignioris « iudicio et acta concursus ultra Datariae exhibeat ». Et in opere de Synodo Dioecesana *lib. 13, cap. 24, n. 7*, haec habet: « quo vero ad caetera omnia beneficia curata ex alio quo- « cumque titulo praeterquam ratione mensis S. Sedi reser- « vata, acta concursus ad Datariam mittant, sese abstinentes « a iudicio ferendo, quisnam sit caeteris dignior et aptior, « facultate tamen ipsis facta significandi per familiares li- « teras ad Pontificis Datarium conscriptas, quem ipsi cen- « seant digniorem, et an quisquam ex iis qui ad concursum « admissi sunt occulta aliqua nota laboret ».

Ex his itaque videtur posse inferri quod in beneficiis curatis ut supra reservatis relatio examinatorum sit inutilis et inefficax, cum Episcopus peracto concursu, sese abstinere debeat ab omni iudicio ferendo, et ultro tantum debeat acta concursus ad A. Datariam transmittere. Haec interpretatio confirmatur etiam ex duabus resolutionibus editis ab H. S. C. nempe *Oppiden. - Concursus*, diei 24 Iulii 1886 et citata *S. Agathae Gothorum*, in quibus causis licet examinatorum synodalium relatio fuerit irregularis ob non latum cumulativum iudicium circa doctrinam, prudentiam et alia requisita, qui defectus iuxta *Reclus. de concursibus p. 1, tit. 5*, operatur nullitatem concursus, tamen ab H. S. Congregatione retenta fuit validitas utriusque concursus. Atque id fortasse ex ea ratione retentum est, uti expenditur in § *Neque* citatae *Oppiden.*, quia haec Examinatorum Synodalium relatio utpote de iure in proposito casu non requisita, nihil conferre poterat in iudicium ab A. Dataria edendum super actis transmissis, et hinc locum habebat principium, *utile per inutile vitiari non debet.*

Ex hucusque enucleatis principiis videtur statui posse quod non liceat concludere in praesenti controversia pro nullitate concursus, ex eo quod forma servata ab Examinatoribus Pro-Synodalibus Curiae S. Severinae in actis concursus expendendis fuit irregularis.

Sed haec dicta intelligo remissive iudicio et censurae EE. VV., quibus interim sequens pro solutione propono

DUBIUM

An et cuius favore adiudicanda sit Ecclesia paroecialis S. Nicolai, oppidi vulgo Petilia Policastro, in casu.

Responsum fuit: *Dilata.*

1522/4 IV.

S. Severinae. — Concursus.

Die 17 Iunii 1905.

Acta haec causa fuit in p. elapsis generalibus comitiis mensis Maii, et propositae rogandi formulae - *An et cuius favore adiudicanda sit ecclesia paroecialis S. Nicolai oppidi vulgo Petilia Policastro in casu.* - S. H. C. annuens petitioni sacerdotis Mannarino, rescripsit - *Dilata.* -

Hoc edito rescripto illico monui praefatum sacerdotem seu eius procuratorem, causam in proximo generali conventu iterum esse proponendam, ut si forte ulteriora iura haberet, deduceret, qui tamen quamvis monitus, hucusque

nihil mihi exhibuit. E contra eius oppositor Franciscus De Mercurio 4 documenta transmisit quae maiori evidentia statuunt litigiosam indolem et pravam agendi rationem sui adversarii.

Primum est declaratio apparitoris iudicis pacis vulgo (Conciliatore) ex qua constat sacerdotem Mannarino vadatum fuisse an. 1903 a matre sua pro quindecim libellis. Alterum est attestatio cuiusdam decempedatoris a quo sacerdos Mannarino expetivit in proxime elapso mense Maio « se realmente « io e l'Economo Curato De Mercurio in Pigliarelle ci fossimo ubbriacati, perchè a lui premeva saperlo ».

Tertium est cuiusdam personae Municipii localis servitio addictae...

Ultimum documentum est declaratio cuiusdam mulieris prolata coram Praeside Municipii localis et quatuor testibus, ex qua liquet sacerdotem Mannarino in quadam causa cum deponente coram Praetore peierasse, et deinde occasione visitationis pastoralis sui Archiepiscopi ipsum expostulasse a praefata muliere contrarium testimonium de non emisso periurio, promissa dilatione solutionis cuiusdam summae sib debitae, quod tamen mulier peragere renuit.

De veritate subscriptionum in praefatis documentis appositarum dubitari non posse videtur, cum referant authentiam Syndici localis, quanti vero aestimanda sint videbunt EE. VV. una simul ad examen vocatis, quae in praeterito folio ex benignitate resumendo, deducta fuere.

Interim sequens iterum proponitur diluendum

DUBIUM.

An et cuius favore adiudicanda sit ecclesia paroecialis S. Nicolai oppidi vulgo Petitia Policastro in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Affirmative favore sacerdotis De Mercurio.*

1150/2 III.

Derthonen. — Privationis paroeciae.

Die 17 Junii 1905.

Quamvis in hoc processu summario non omnes fuerint a Curia Episcopali servatae regulae substantiales iustitiae, tamen sententia privationis paroeciae fuit a S. Congr. confirmata iuxta modum.

Pervagante rumore in paroecia rurali oppidi vulgo N. contra illius parochum, qui spretis synodalibus constitutionibus secum uti famulam retinebat quamdam mulierem in aetate 22 annorum constitutam et quae iam utero gravis apparere ferebatur, Episcopus, re ex trium parochorum exquisito testimonio comperta, initio mensis Iulii an 1901, grave eidem parocho praeceptum indixit dictam mulierem intra trium dierum peremptorium terminum dimittendi. Nec omittendum quod in antecessum, quaedam etiam suspicio pervaserat circa pravam ipsius parochi consuetudinem cum alia famula mense Aprilis eiusdem anni demortua, et etiam cum alia.

Dato praecepto se paruisse illico sacerdos Aloysius per epistolam ad Vicarium Generalem declaravit; at subsecutus eventus prorsus contrarium demonstrare visus est. Nam die 5 subsequentis Augusti, ceu retulit Episcopus, famula in domo parochiali enixa est infantem masculini sexus, qui ab obstetrice pro partui assistentia iam illuc accita statui civili denuntiatus fuit sub nomine Aloysii et deinde missus ad Brephotrophium civitatis.

De hac re edoctus Episcopus illico apud se arcessivit parochum, qui huiusmodi infamiam celare pertentavit, negando infantem natum esse in domo parochiali; sed facile de mendacio revictus est per designationem loci nativitatis pueri factam officiali status civilis. Serius occasione alterius monitionis ab Episcopo acceptae, nempe mense Novembris, obtendit illum non a sua famula, sed a quadam muliere fortuito appulsa et hospitio accepta, fuisse editum, quae suum nomen declinare recusaverat.

Suae paternae charitatis Episcopus prius esse duxit parochum hortari ad paroeciae nuncium mittendum, attento praesertim quod factum iam in vulgus edi incipiebat: at incassum. Quare die 12 praedicti mensis Augusti in eum animadvertit poena suspensionis a divinis *ex informata conscientia*, et decreto diei 14 successivi deputavit in oeconomum spiritualem paroeciae viciniorem parochum cum assignatione menstrua libell. 45. Verum hac non obstante poenae inflictione, renunciabatur sacerdotem Aloysium adhuc in sua nequitia perseverare et famulam in domo adhuc degere paroeciali, cum magno populi scandalo, neque defuerant recursus apud Ordinarium praesertim ex pluribus patribusfamilias parochum incusantibus uti « trascurato nei suoi doveri ed « immorale nella sua condotta ».

Hisce itaque rebus commotus Episcopus et praesertim a contumacia parochi in expellenda concubina, praeceptum ei renovavit de mulieris dimissione, assignato peremptorio termino usque ad diem 7 successivi Novembris, quo inutiliter elapso ipse processisset ad alias canonicas poenas iuxta Conc. Tridentini praescriptum contra parochos concubinarios.

Parochus die antecedenti statutae praefixioni termini per epistolam monuit Episcopum famulam dimisisse: sed haec parochi declaratio a veritate abhorrebat. Nam ex processu postea instituto aliud compertum est, scilicet famulam in domo paroeciali degere perrexisse, licet clanculum.

Interea deputatus oeconomus spiritualis cum consequi nequivisset a parocho assignatam mercedem, post duos expletos menses cum dimidio in concredito officio, muneri valedixit, et Episcopus decreto 4 Ianuarii 1902 novum designando oeconomum, cum pecuniaria retributione in libellis menstruis 80, parocho imposuit sub *excommunicationis poena*, tum solutionem libellar. 112.50 pro praestito servitio favore dimissionarii oeconomi, tum repraesentationem singulis mensibus libellar. 80 faciendam in antecessum apud Curiam Episcopalem.

Dum ita res se haberent, accidit etiam ut de prava agendi parochi ratione perlatum fuerit ad gubernium, et hinc provocatum decretum regium remotionis parochi ab administratione temporali sui beneficii. Hoc decretum significatum fuit sub fine eiusdem mensis Ianuarii, sacerdoti Aloysio, a regio suboeconomo qui supposuit sequestro fructus beneficii et mercedem deputati capellani ad 30 menstruas libellas reduxit.

Inflictis ab Episcopo poenis, se iniuste perculsum sacerdos reputans, recursum obtulit initio successivi mensis Februarii H. S. Congregationi contra factas ab eodem Episcopo disciplinares ordinationes, atque expostulavit ut ipse in officio redintegraretur, sin minus ut iuberetur Ordinarius summarium instituere processum. Rogatus Episcopus super oblato recursu, nedum facta superius allegata confirmavit in sua relatione, sed et aliam addidit accusationem, nempe sacerdotem ingentes missarum eleemosynas collegisse, quin missarum satisfactionem curaverit.

Hac habita relatione, sub die 13 Aprilis, recursus reiectus

fuit per sequens rescriptum: « Lectum ad instantiam: idque notificetur Episcopo, qui praefigat parocho Aloysio terminum 15 dierum ad dimittendam paroeciam, et quatenus obedire detrectet, processum instruat iuxta instructionem S. Congregationis Episcop. et Regul. diei 11 Iunii 1880 et sententiam pronuntiet definitivam ».

Ad tramites enunciati rescripti tribunali constituto, sub die 28 Iunii an. 1902, processus ad instantiam designati Promotoris Fiscalis incoeptus est. Verum cum in decursu processus praeter immoralitatis caput alia accusationis capita deducta essent tum circa collectas missarum eleemosynas, quarum parochus litationem neglexerat, tum circa summas beneficii parochialis absque beneplacito apostolico alienatas, iudex delegatus, sub die 4 Novembris successivi, ad instantiam Promotoris Fiscalis, hisce accusationibus in unum cumulatis, incidentalem sententiam tulit, qua sacerdos Aloysius damnabatur in antecessum ante processus ulteriorem prosecutionem ad deponendam apud Curiam Episcopalem complexivam summam libellar. 7241, ita distributam, nempe libell. 4791 pro missis adhuc non celebratis, libell. 1450 pro totidem absque legitima venia erogatis et tandem libell. 1000 pro iudicii inchoati expensis.

Ab hac sententia sacerdos appellavit ad H. S. Congregationem, insimul expostulans ut alia accusationum capita in separato iudicio pertractarentur. Haec vero S. C. litteris dierum 13 Decembris eiusdem anni Episcopo rescripsit, ut posthabita exigentia memorati depositi curaret quam primum ad exitum processum deducere et dein sententiam definitivam proferre.

Aliae post exortae sunt quaestiones incidentales, tum circa numerum testium ab accusato productorum, tum circa exceptiones ab eodem factas contra testes a Promotore Fiscali adductos, tum circa eorum depositiones, ad quas quaestiones vel componendas vel iudicandas non parum operae impendere debuit iudex delegatus, praesertim attenta indole nimis litigiosa parochi inquisiti et mole ingenti processus. Quibus omnibus expletis, idem iudex die 11 Februarii 1904, relativam sententiam edidit cuius pars dispositiva est sequens:

« Per le premesse considerazioni e motivi:

« 1° Rimoviamo definitivamente il D. Luigi dalla cura « e perciò anche dal beneficio parrocchiale, per l'infamia « di fatto ivi contratta ed irreparabile in luogo dove non « potrebbe abitare, e per la giustificata avversione dei par« rocchiani (Ex cap. *Inter dilectos* 11, *de Excessibus prae« latorum*, et ex Conc. Trid. sess. XXII, cap. I, *de Reform.*), « poichè *cuius vita despicitur restat ut eius praedicatio « et omnia spiritualia ab eo exhibita contemnantur.*

« 2° Lo dichiariamo *ipso facto* incorso nella privazione « del beneficio parrocchiale, secondo il disposto della Costi« tuzione estravagante di Paolo II che comincia con le pa« role *Ambitiosae*, per avere senza licenza dell'Autorità Ec« clesiastica riscosso e distrutto la somma capitale di lire 1450 « appartenente al suo beneficio, e concesso a nove anni a « locazione per mezzo del contratto di mezzadria senza ri« serva di rescissione alla fine dei triennii, i terreni dello « stesso beneficio, e lo dichiariamo tenuto da quel punto « alla restituzione dei frutti ».

« 3° Lo deponiamo canonicamente dall'ufficio con le « conseguenze che ne derivano di privazione dell'esercizio « dell'ordine, di privazione del beneficio parrocchiale e di « inabilità a conseguirne qualunque in forza del Cap. *Cum « non ab homine* 1°, *de Iudiciis* pel gravissimo e scanda« loso furto per truffa, sotto colore di messe da celebrare « e asserte celebrate, continuato per più anni, con abuso « della fede pubblica, che si attribuisce ai confessi di messe « celebrate rilasciati dagli stessi sacerdoti celebranti, e « dichiariamo vacante la parrocchia.

« 4° Lo dichiariamo incorso nella scomunica *latae sen« tentiae* comminata da ciascuno dei decreti vescovili delli « 20 e 22 maggio 1902 per la trasgressione degli ordini in « essi contenuti, e nella scomunica pure *latae sententiae* « non riservata inflitta dalla suddetta violata costituzione « *Ambitiosae.*

« 5° Lo condanniamo a sborsare nella Curia Vescovile « entro il termine di due mesi la somma di lire 5071 per « messe da lui raccolte colle rispettive elemosine, le quali « restano a carico suo ancora da celebrare, senza rilevarlo « di maggior somma che sia dovuta per altre messe che « abbia raccolto o per maggiori limosine che abbia rice« vuto oltre le calcolate nella presente sentenza. E lo con« danniamo pure a sborsare nella stessa Curia entro il ter« mine di sei mesi, la somma di lire 1450 per redintegrare « il beneficio del capitale da lui senza licenza dell'Autorità « Ecclesiastica riscosso e distrutto.

« 6° Finalmente lo condanniamo nelle spese del processo « da liquidarsi nella Cancelleria Vescovile ».

Ab hac sententia sacerdos Aloysius appellationem interposuit apud H. S. C. et omnibus de ritu peractis quaestio hodie disceptanda proponitur. Cum vero super implexa quaestione attenta multitudine actorum consultoris votum exquirere censuerim, illud typis impressum una cum praecitata sententia heic adiungo. Interim ne sacerdos indefensus maneat, nonnulla adiiciam.

In primis, quoad processus formam haec adnoto. Quamvis in themate agatur de non formali processu, sed de summario, tamen in hoc servandae erant regulae iustitiae substantiales, uti praescribit art. 11 *Instructionis S. C. Episcop. et Regul.* diei 11 Iunii 1880 superius citatae. Atqui hae regulae prorsus pessumdatae sunt: 1° Quia tum reo tum eius defensori denegata fuit in instructione processus a Iudice delegato communicatio actorum, allegationum et nominum testium ex adverso a promotore fiscali productorum, quamvis sacerdos Aloysius iteratis vicibus institerit in audientia dierum 10 Octobris 1902, 27 Ianuarii et 2 Martii 1903, et hinc ei praeclusus est aditus ad exceptiones proponendas seu ad defensionem. Quin oggeratur id factum fuisse ne daretur reo ansa traducendi testes coram laico tribunali querela diffamationis, uti aliquando a sacerdote Aloysio factum fuisse constat cum Laurentio in alia controversia. Hoc enim facile praecaveri poterat, ipsorum communicationem faciendo tantum rei defensori adiecta secreti lege, uti edicitur etiam in art. 32 memoratae Instructionis.

2° Quia cum sacerdos Aloysius ad se purgandum a criminibus 80 testes obtulisset, eorum numerus ad 40 fuit coarctatus et sic impedimentum reo ad defensionem fuit paratum; neque obesse potest, quod reus huic arbitrariae testium reductioni acquieverit, nam acquiescentia excusare non valuit iudicem delegatum, qui media neglexit indagandi veritatem seu existentiam impicti criminis. De aliis deinde sacerdos conqueritur, tum quoad suggestivas interrogationes testibus in defensionem factas, tum quoad violentam propositarum a se exceptionum reiectionem, ita ut poene dici posset viam liberae rei defensioni fuisse occlusam. Quare ex adductis deduci posse videtur, si processus ab extrinseco seu quoad formam spectetur, nullum fuisse, et hinc etiam editam sententiam esse infirmandam.

At id fulgentiori luce praeclarum evadit si de intrinseco valore processus examen paulisper instituatur. Ex triplici capite, uti ex parte sententiae dispositiva supra relata patet, sacerdos Aloysius ab officio et beneficio fuit depositus, seu privatus paroecia, nempe ob turpem cum foeminis consue-

tudinem, ob alienationem bonorum paroeciae illegitime factam, et ob turpem fraudulenter factam missarum collectionem seu uti edicitur in sententia: « Pel gravissimo e « scandaloso furto per truffa sotto colore di messe da cele- « brare e asserte celebrate ».

Verum si singula expendantur accusationis capita, nullum ex his ita probatum apparet, ut locus fieri debeat statutae poenae. Hinc iuxta art. XVI superius citatae Instructionis sacerdos Aloysius est ab imposita poena liberandus. Cedo articuli verba: « Ad retinendam in specie culpabilitatem accusati, opus est probatione legali, quae talia continere debet elementa, ut veritatem evincat aut saltem inducat moralem certitudinem, remoto in contrario quovis rationabili motivo ». Re quidem vera primum accusationis caput est de prava parochi relatione praesertim cum mulieribus eius servitio addictis.

Omitto quaerere de parochi relatione cum aliis mulieribus, cum circa hanc tantum habeantur vehementes suspiciones et non legales probationes ut ipsa refert sententia.

Praemitto quod parochi agendi ratio ex hoc titulo apud Curiam Episcopalem, ante praeceptum factum initio mensis Iulii an. 1901 dimittendi famulam, nunquam fuerat incriminata. Quin imo parochus in praecedenti vitae sacerdotalis cursu specimen vitae integrae et zeli, sive in vindicandis Ecclesiae sibi commissae iuribus, sive in sacra praedicatione, sive in aliis pastoralis ministerii operibus ediderat. Id non obscure videtur innui nedum ab attestatione 200 parochianorum die 26 Augusti signata, sed etiam ab alia declaratione collectiva parochorum sui Vicariatus, quam Vicarius Foraneus Stramesi, die 17 Septembris memorati anni, transmisit ad Episcopum in accusati parochi defensionem.

Hisce praemissis noto, quod utique intercessit praeceptum prohibitionis factum parocho retinendi apud se famulam et dein inflictio suspensionis ex *informata conscientia*; sed hoc facile explicatur quia retentio dictae iuvenis in aetate iuvenili 22 annorum erat contra synodales constitutiones, quod toto coelo differt ab alio emisso in processu et sententia motivo. Quin negotium facessat quod parochus moras connexuerit ad ancillam dimittendam, spretis Episcopi monitionibus et poenis inflictis; nam in facto est quod parochus ante processus institutionem iam dato praecepto a nonnullis mensibus paruerat, uti patet ex declaratione coniugum apud quos usque a mense Novembris 1901 diverterat ancilla; hinc facta transgressio constituere poterat materiam ad infligendam aliquam poenam disciplinarem in reum, non vero motivum eum privandi paroecia ex capite infamiae, quae iam si adfuisset, vel erat purgata, vel alio modo purgari poterat.

Item de inhonesta parochi conversatione cum alia famula adsunt testium depositiones, sed parochi defensor observat, caute oppido procedendum esse in huiusmodi accusationibus recipiendis. Plures siquidem parochus contraxerat inimicitias, tum cum loci municipibus ob vindicatum a Municipio legatum Isombardi in libellis annuis 750, tum cum suis propinquis, qui reluere debita volebant ex paroeciae redditibus, tum cum aliis personis, quae vel a fundis vel a servitio Ecclesiae dimissae erant, vel quaestiones cum parocho habuerant. Defensor has exceptiones ad trutinam revocat et testibus a promotore fiscali productis fidem non esse praestandam concludit.

Aliunde honestas ancillae praeterquamquod eruitur a depositionibus plurium testium in favorem sacerdotis Aloysii adductis, firmatur etiam pluribus sacerdotum testimoniis uti sunt Archipresbyter et alii sacerdotes apud quos famulatum exercuit, et fide medicorum constat ipsam decessisse ex cancri ulcere.

Modo succedit altera quaestio nempe de praegnantia ancillae et de eius partu in domo paroeciali edito die 5 Augusti 1901. Item heic praemittere iuvat, quod haec mulier pulchritudine carebat, ob maculam in oculo, quae vulgo *fiocchino* dici solet et insuper laborabat quadam obesitate seu pinguedine in corpore. Ob hanc obesitatem plerumque evenire solet, ut hae mulieres oculis inexpertis, appareant tamquam praegnantes, cum revera non sint. Unde praecisione facta ab aliis exceptionibus, reponi posset quod testes producti ad probandam ancillae praegnantiam, in errorem lapsi sint, praesertim si expendatur, quod quando agitur de parocho infamia notando, non desunt improbi hodiernis temporibus proclives ad quamcumque occasionem arripiendam.

At hac observatione seclusa, non desunt alii testes a parocho adducti, qui deponunt sese hanc praegnantiam non vidisse: hinc res adhuc ancipiti versaretur. Verum quod in huiusmodi quaestione omnem abrumpit nodum est depositio iurata in arte periti nempe medici, qui mense Aprilis an. 1901, invisendo ancillam morbo gastro-enterite affectam, in inspectione ventris et examine pulsationis cordis, declaravit nullum adinvenisse signum praegnantiae.

Haec declaratio roboratur indirecte etiam a iurato testimonio obstetricis, quae vocata ad assistentiam praebendam partui cuiusdam mulieris explicat quomodo fortuito partus locum habuerit in domo parochi: nec eam peierasse in casu enarrando praesumenda est, quoad usque contrarium non probetur: aliunde ipsa cogi non potest ad revelandum nomen puerperae, si haec detegi nolit, cum adstringatur ad secretum professionale. Idque eo fortius tenendum quia, uti arguit parochi defensor, huiusmodi facti historia congruit etiam cum narratione quam eadem obstetrix peregit alteri testi.

Positis itaque testimoniis tum medici, tum obstetricis, quae utpote personae publicae omnem fidem mereri debent quoad usque contrarium non probetur, necesse est ut adversae depositiones ruant.

Quo vero ad alterum accusationis caput nempe ad fraudulentam missarum collectionem haec animadverti possunt favore sacerdotis Aloysii. Certe ipse hanc collectionem negare non valet, sed sustinet ipsam non esse fraudulenter factam. Ipse pro virili traditarum missarum adimplementum curavit, uti probatur ex nonnullis sacerdotum declarationibus qui missas ab eo receperunt. At pressus aere alieno contracto ad necessarias reparationes faciendas in fundis sive rusticis sive urbanis paroeciae, ad evitandas sequestrationes a creditoribus comminatas usus est eleemosynis missarum pro satisfactione debitorum, et sic impar evasit ad curandam missarum celebrationem. Verum huic malo potiusquam sententia privationis paroeciae, consuli melius poterat imponendo redintegrato parocho onus devolvendi annuatim portionem redditum paroecialium usque ad totalem missarum satisfactionem. Improvida itaque ex hoc puncto dici debet lata contra parochum sententia.

Demum quoad tertium in sententia allegatum motivum, scilicet alienationem summae capitalis libel. 1450 ad praebendam paroecialem pertinentis et locationem ultra triennium fundorum ipsius ope contractus vulgo *mezzadria*, ex quorum titulo sacerdos Aloysius declaratus est etiam in excommunicationem incidisse iuxta Const. Pauli II. *Ambitiosae*, haec profecto animadverti possunt. Summam libel. 1450 non in usus proprios convertit, sed erogavit in beneficii paroecialis utilitatem, eaque occurrit expensis necessariis perlatis pro domorum beneficii eiusdem reparatione. Hinc stricte dici nequit eam summam distraxisse in paroeciae damnum, sed potius in eius bonum convertisse. Utique id egit necessaria destitutus venia, et ob id sana-

toriam implorat, at non videtur incurrisse in poenas a praefata Constitutione statutas, cum huius legis praecipuus finis fuerit impedire alienationes bonorum ecclesiasticorum proprie dictas, seu distractiones.

Nec aliud iudicium ferendum est de locatione ultra triennali seu novennali fundorum rusticorum paroecialium stipulata vi citati contractus. In iure romano colonus partiarius spectabatur uti socius, et dictus contractus potius ad societatem quam ad locationem accedebat. *Leg. 25, § 6, ff. loc. cond. Domat. lib. 1, tit. 4.* In modernis legibus hic contractus consideratur tamquam aliquid mixtum, nempe participans de locatione et societate. In art. *1647* § 1, codicis civilis italici quo nunc regimur, ita edicitur: « Sono comuni « a tale contratto le regole stabilite in genere per le loca« zioni di cose ed in particolare per le locazioni dei fondi « rustici colle modificazioni seguenti ». Hae vero modificationes seu conditiones uti videre est in sequentibus articulis applicari non possunt contractui locationis.

Cum itaque praefatus contractus non constituat proprie dictam locationem, ipse subiici non poterat poenalitatibus sancitis a dicta Constitutione contra locantes fundos ecclesiasticos ultra triennium, et hoc titulo parochus Aloysius sententia privationis beneficii mulctari.

Hisce parochi favore deductis, nec non prae oculis habito consultoris voto, modo EE. VV. rogantur sequens diluere

DUBIUM

An sententia Curiae Derthonensis diei 11 Februarii 1904, sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Responsum fuit: *Affirmative, iuxta modum, scilicet quoad privationem paroeciae. In reliquis vero, Sacerdos Aloysius graviter moneatur ut consulat conscientiae suae, peragat spiritualia exercitia et interim suspensus maneat a divinis.*

ORDINIS MINORUM CONVENTUALIUM.

Eleemosyna missarum in ecclesiis Regularium taxanda erit arbitrio Ordinarii, iuxta morem regionis.

Beatissime Pater,

Fr. Vincentius Buri, Guardianus Conventus Pyrrhani, in dioecesi Tergestino-Iustinopolitana, regularis Provinciae Dalmato-Patavinae, Ordinis Minorum S. Francisci Conventualium, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, quae sequuntur exponit:

Saepe ad dictum Conventum veniunt villici afferentes, sive paupertatis sive parsimoniae causa, S. Missas cum eleemosyna tamen minori quam ea quae in dioecesi viget. Dictas Missas Religiosi huius Conventus semper recipiebant easque aliis sacerdotibus indigentibus ac libenter accipientibus celebrandas fideliter committebant. Ast anno elapso 1904, R.mus Ordinarius Tergestinus decretum edidit prohibens, ne sacerdotes Missas cum eleemosyna inferiori dioecesana statuta a dioecesanis reciperent.

Stante hoc R.mi Ordinarii decreto, Orator ad securitatem propriae conscientiae et ne dicti offerentes ab Ecclesia eorumdem Religiosorum averterentur, humiliter proponit sequens solvendum dubium:

« Utrum dicti Religiosi possint, prout hucusque erant in usu, non obstante supradicto Decreto R.mi Ordinarii, eleemosynas pro Missis inferiores taxa dioecesana recipere, easque aliis sacerdotibus indigentibus et bene sibi notis, extra tamen dioecesim, celebrandas committere.

« Et Deus, etc. ».

Et Sacra Congregatio omnibus perpensis, ad propositum dubium respondendum censuit:

Dentur resolutiones in una Sancti Severini, die 16 Iulii 1689, et in una Romana, die 15 Ianuarii 1639.

Tenor vero harum resolutionum ita se habet:

Sancti Severini. — Sacerdotes quotidie se offerunt celebrare ad rationem tenuis eleemosynae dimidii Iulii pro qualibet Missa, (Episcopus) supplicat declarari, an ipse statuere possit eleemosynam manualem unius integri Iulii pro qualibet Missa, imponendo poenam celebrantibus pro minori quantitate.

R. *Affirmative* quoad eleemosynam manualem.

Romana. — Eleemosynam pro qualibet Missa per Regulares celebranda in eorum Ecclesiis esse taxandam arbitrio Ordinarii iuxta morem regionis.

Atque ita rescripsit. Die 8 Maii 1905.

VINCENTIUS Card. Episc. Praenestin., *Praef.*

L. ✠ S.

C. De Lai, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

ORDINIS CISTERCIENSIUM.

De iure communi, professi votorum simplicium suffragia ferre possunt in Actis Capitularibus Ord. votorum solemnium, exclusa admissione ad professionem solemnem.

Beatissime Pater,

D. Eugenius Notz, Abbas Maristellae, Prior Augiae Maioris Ordinis Cisterciensis in Austria, necnon Vicarius Generalis Congregationis Cisterciensis Helveto-Germanicae ac Visitator monialium eiusdem Cisterciensis Congregationis, ad pedes S. V. humillime provolutus petit decisionem harum quaestionum:

1. Habentne monachi Congregationis Helveto-Germanicae Ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professi suffragium: *a*) in admissione alicuius candidati ad novitiatum; *b*) in primo et secundo scrutinio pro novitiatu continuando; *c*) pro admissione ad vota simplicia emittenda post unum annum novitiatus?

2. Habentne iidem monachi simpliciter professi suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii?

3. Habentne moniales Congregationis Helveto-Germanicae Ordinis Cisterciensis communis observantiae simpliciter professae suffragium: *a*) in admissione alicuius candidatae ad novitiatum; *b*) in primo et secundo scrutinio pro novitiatu continuando; *c*) pro admissione ad vota simplicia emittenda post annum unum novitiatus?

4. Habentne eaedem moniales simpliciter professae suffragium in quibuscumque abalienationibus ex parte monasterii?

5. Habentne eaedem moniales simpliciter professae vocem activam (ita ut possint eligere non autem eligi) in electione Abbatissae in dies vitae?

Sacra Congregatio E.morum ac Rev.morum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, perpensis omnibus, respondendum esse censuit prout respondet: « *Affirmative* in omnibus ».

Romae, die 20 Februarii 1905.

D. Card. FERRATA. *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ATREBATEN.

Circa prolationem verborum « Flectamus genua » in S. Ordinatione; et circa Lectiones I. Nocturni in festis S. Marthae V. et S. Benedicti Josephi Labre.

R. D. Onesimus Machez, hodiernus Magister Caeremoniarum Ecclesiae Cathedralis Atrebaten. et eiusdem dioecesis Calendarii Redactor, de licentia sui Rmi Ordinarii a Sacrorum Rituum Congregatione solutionem insequentium dubiorum humillime postulavit; nimirum:

I. Utrum in Ordinatione peragenda Sabbato quatuor temporum Pentecostes, vel diebus Dominicis ex indulto Apostolico, pronuntianda sint ante singulas Orationes super Ordinatos verba Pontificalis *Flectamus genua*?

II. Ex indultis Apostolicis d. d. 22 Decembris 1881 et 27 Maii 1886 festa S. Marthae Virginis (29 Iulii) pro Galliarum Ditione et S. Benedicti Iosephi Labre Confessoris (16 Aprilis) pro dioecesi Atrebaten. ad ritum duplicem maiorem evecta sunt, nulla mentione facta de Lectionibus in primo Nocturno recitandis. Calendarista vero Atrebaten., innixus decreto Sacrae Rituum Congregationis 2 Septembris 1741 ad 3, putavit assignandas esse Lectiones de Virginibus et *Iustus si morte* de communi Sanctorum donec evulgata fuerit eiusdem Sacrae Congregationis responsio *Plurium Dioecesium* 30 Iunii 1896. Quam responsionem ita interpretatus est Orator ut assignaverit utrique festo Lectiones de Scriptura occurrente in Directoriis annorum 1903, 1904, 1905. Nunc quaeritur: Utrum post decretum 3923 *Plurium dioecesium* 30 Iunii 1896, in I Nocturno utriusque festi possint retineri Lectiones de Scriptura occurrente?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, re mature perpensa, rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* iuxta Pontificale Romanum.

Ad II. *Affirmative* ad mentem decreti n. 3923 *Plurium dioecesium.*

Atque ita rescripsit. Die 7 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

ORDINIS CARMELITARUM ANT. OBSERVANTIÆ

Carmelitae A. O. observare debent ritus proprios, quos Prior Generalis in unum colligere poterit sub titulo *Ritualis Carmelitici.*

R. P. Simon Bernardini, Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia reformata, pro opportuna solutione, humillime exposuit; nimirum:

I. An ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus sit ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis, qui ad paroecias regendas assumuntur?

II. An sit improbanda praxis recepta in Liturgia Carmelitica, ut quae formae ac caeremoniae pro uno vel altero Sacramento deerunt in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur?

Et quatenus *Affirmative* ad I, et *Negative* ad II:

III. An in facultate sit Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum A. O. tam ritus peculiares Ordinis, quam eos, qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo *Ritualis Carmeliticus* et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam praescribere?

Sacra porro Rituum Congregatio in peculiari Coetu ad Vaticanum habito, die 16 vertentis mensis Maii, proponente E.mo et R.mo D.no Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenestino, et Relatore, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Quas resolutiones Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, ab infrascripto Cardinali S. R. C. Pro-Praefecto relatas, Sanctitas Sua ratas habere et confirmare dignata est.

Die 24 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

COMMENTARIUM.

Sanctissimus Pontifex Pius V, Constitutionibus " *Quod a nobis* „ d. septimo Idus Iulii a. MDLXVIII, et " *Quo primum* „ d. pridie Idus Iulii a. MDLXX, reformatis Breviario ac Missali Romano, ab universa Ecclesia ea servari voluit in divinis sacrisque persolvendis. Idem tamen sapientissimus Pontifex, iisdem latis Constitutionibus statuit, ut

ritus qui a duobus saeculis in quibusdam Dioecesibus vel Ordinibus Regularibus vigerent, rati ac confirmati haberentur, et in sua natura immutati permanerent. Iamvero, neminem latet, Carmelitarum ritum (natura sua latinum), non duobus, sed multis saeculis (1) ante Pium V viguisse, hinc nihil ex Piana Constitutione passus est. Privilegium Pianum, quod Liturgiam Carmeliticam attinet, Gregorius XIII, et Clemens VIII confirmarunt, uti eruitur ex eorum litteris in forma Brevis, Breviario et Missali Carmelitarum praepositis.

Porro praedicta Carmelitica Liturgia, quae et Hierosolymitana nuncupatur, usque ad annum 1903, libros omnes liturgicos habuit, videlicet: Breviarium, Missale, Caeremoniale, Martyrologium, libros cantus, processionalia, etc., non autem Rituale. Rectius tamen dicendum Carmelitarum Ordinem semper proprium Rituale habuisse, siquidem quae Ritualis erant formae ac caeremoniae, tum pro Sacramentis, tum pro Sacramentalibus ministrandis, sparsim inveniebantur in praedictis Carmeliticae Liturgiae libris, uti pro ritu romano erat ante Paulum V. Ex defectu Ritualis libri, data occasione, id eveniebat, forsitan commoditatis gratia, ut Sacerdotes Carmelitae, praesertim qui in Ecclesiis Ordinis curam gerebant animarum, ansam sumerent ad Rituale Romanum adhibendum, maxime in Sacramentis ad infirmos ministrandis; et hoc procul dubio non sine levi privilegiorum Ordinis iactura. Huic malo ergo occurrere necesse erat, et Generale Capitulum in Urbe celebratum anno 1902, Praeside Emo ac Rev.mo D.D. Vincentio S. R. E. Card. Vannutelli Episcopo Praenestino, ac Ordinis Carmelitici Protectore vigilantissimo, statuit libros liturgicos iterum cudi, Rituali non excepto, cuius necessitas penes universum Ordinem apprime manifesta erat. Quapropter Rev.mus P. Pius Mayer Prior Generalis ab eodem Capitulo noviter electus, de Rituali typis parando statim cogitavit, quippe quod magis necessarium. Collegit hinc quidquid iuxta Carmeliticum ritum Sacramentorum et Sacramentalium administrationem spectabat, eaque typis mandavit una cum iis etiam ritibus ac caeremoniis e Rituali Romano desumptis, qui iam ab antiquo in Liturgia propria admittere necesse fuit, eo quod peculiares respondentes deessent. Confectus liber " *Rituale Ordinis Fratrum* etc. " inscriptus fuit, et eius observantia universo Ordini imposita. Verum ubi Rituale lucem vidit, dubium motum est apud S. Sedem: 1) an Parochi Carmelitae cum fidelibus sibi subditis proprio Hierosolymitano ritu uti deberent, uti praeceperat P. Generalis, an potius ritu Romano; 2) An in facultate esset Prioris Generalis, Rituale Ordinis edere, inconsulta S. Sede, et illud cunctis Carmelitis, Parochis non exceptis, imponere. Sacra autem Rituum Congregatio, exposita dubia, ratione qua in relato Decreto extant, exprimi voluit; et primo quaesitum fuit: " An ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae, et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus sit ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis, qui ad Paroecias regendas assumuntur ". Cui sapientissime responsum *affirmativum* datum est. Neque aliter certe reponi poterat. Etenim Liturgia per excellentiam omnibus in re peritis, Missae sacrificium est, per quod unaquaeque Liturgia ab altera differt, et a quo profluunt, ut ita dicam, reliquae eiusdem Liturgiae partes, i. e. formulae pro Sacramentis et Sacramentalibus, etc. Atqui Parochi Carmelitae Missam semper celebrarunt et celebrant iuxta ritum Ordinis, iuxta quem etiam Officium divinum persolvunt. Ergo logice omnino consequitur, ut iuxta eumdem ritum sacramenta fidelibus administrent. Rationes in contrarium facientes, si quae essent, absolute dubito, an fulcimentum aliquod invenire queant.

Praeterea, Parochis Carmelitis proprium relinquendum esse ritum, ut Romanum sequantur, assertum omnino gratuitum est, adeo ut neque in Liturgiae, neque in iuris canonibus illud reperire detur. Imo oppositum habetur, nam Concilium Tridentinum Sess. VII, Can. 13, statuit: " Si quis dixerit receptos, et adprobatos Ecclesiae Catholicae Ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut contemni, aut sine peccato a Ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque Ecclesiae Pastorem mutari posse, anathema sit ". Patet ergo Parochos Ordinis Carmelitarum proprium ritum omni iure sequi teneri, nec illum quavis de causa deserere posse.

Insuper, Ritus Ordini, qui in Ecclesia est persona publici iuris, conceditur, non vero individuis. Paroeciae etiam ad Ordinem, non autem ad privatos sodales pertinent. Parochi Regulares iuxta communissimam iuris peritorum sententiam, nomine Ordinis praeponuntur et administrant; ad nutum vero eiusdem Ordinis revocantur. Ipsi inter privatos sodales numerandi sunt. At, Ritus publici iuris est ex iuridico titulo recognitus, qui inter Apostolicam Sedem et Ordinem intercessit. Itaque pactis privatorum mutari non potest. Plaudendum ergo S. R. Congregationi, et cum ipsa tenendum Parochos Carmelitas ad ritum proprium servandum etiam cum fidelibus sibi subditis, omnino adstringi.

Secundo quaerebatur: " an sit improbanda praxis recepta in liturgia Carmelitica, ut quae formae ac caeremoniae pro uno vel altero Sacramento vel Sacramentali deerant in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur ". Et responsum fuit *Negative*, et optime quidem. In Liturgia enim Carmelitica, forma deerat tum Baptismi, tum ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum, ea de causa arbitror,

(1) Gregorius XIII, Constit. « *Ut Breviarii* », d.d. 4 Aug. 1584.

quod antiquiore aevo, Carmelitarum Ordo Paroecias curandas non habuerit. Item, eadem de causa teneo, nonnullas defuisse in praefata Liturgia formas Sacramentalium ac caeremonias, quae munia spectant Parochorum. At ubi Carmelitis Paroeciae commissae fuere, undenam ritus Hierosolymitanus suppleri debebat? num ex Orientalibus Liturgiis? num ex Mozarabica? num ex Ambrosiana, aliisque latinis ritibus? Minime unquam. Ergo ex legitimo universoque fonte, videlicet e Romana. Nonne ita se gessit Mediolanensis Ecclesia pro suo Rituali conficiendo? Ergo P. Generalis ad Rituale Carmeliticum conficiendum, non solum e Romano Rituali sumere poterat ritus illos ac caeremonias quae in propria deerant liturgia, quaeque de caetero a saeculis necesse fuit adhiberi, sed omnino tenebatur. Quapropter non modo non improbandus, sed maximis laudibus commendandus.

Ultimo quaesitum fuit (scrupulose quidem) " an in facultate sit Prioris Generalis, tam ritus peculiares Ordinis, quam eos qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo " *Ritualis Carmelitici* „ et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam imponere „. Sacra Rituum Congregatio vero et huic *Affirmative* reposuit, et quidem puto, gravissimis de causis. Etenim Generalis Carmelitarum Antiquae Observantiae, Ritus sui Ordinis Custos et vindex est, ex Apostolicis privilegiis. Sane ante Pium V, Carmelitica liturgia omnino ab Ordine dependebat. Atqui Pius V, praedictam liturgiam exemptam esse voluit, uti iam diximus, a suis Constitutionibus datis pro Breviario ac Missali Romano reformandis. Ergo Carmeliticus Ritus subiectus omnino adhuc remanet Superioribus Ordinis. Privilegium hoc recognitum etiam fuit a Summis Pontificibus Gregorio XIII, et Clemente VIII, ex quorum Constitutionibus datis pro reformatione Breviarii et Missalis Carmelitici, indubie eruitur, Priorem Generalem Ordinis Custodem esse Carmeliticae liturgiae, et ipsi soli facultatem factam esse proprios libros liturgicos imprimendi. Ergo in Rituali edendo confinia sui iuris haud praeteriit, quia nil novi invexit, sed quod probatum erat, typis dedit. Dices, in Rituali Carmelitico plura esse e Romano deprompta, ergo approbatio S. R. C. requirebatur. Respondeo: Si haec approbatio necessaria fuisset, Sacra Congregatio responsum quod dedit, minime dedisset. Insuper dico: Quae Rituale Carmeliticum constituunt, formae ac caeremoniae pro sacramentis et sacramentalibus, *omnes* quotquot sunt, ad Carmeliticam pertinent liturgiam, hincque ab auctoritate Ordinis dependentes. Consulto dixi *omnes*, nam quae ex Rituali romano desumpta fuere, et ipsa Carmelitici ritus partes sunt dicenda, etenim a pluribus saeculis Carmeli Patres iis necessario usi sunt, cum peculiares respondentes in proprio ritu non haberentur. Ergo etiam hisce inspectis, P. Generalis auctoritate sua Rituale imprimere poterat, prout fecit.

Stat ergo relatum Decretum, pro Carmelitica Veteri familia solemnissimum, quo privilegia Ordinis a Summis Pontificibus concessa, iterum firmantur, ad honorem Dei, et B.mae Mariae Virginis de Monte Carmelo.

P. Elias M. Coccia *Ord. Carm.*
Sacr. Rituum Cong.nis Consultor
Censor Academiae Liturgicae.

III.

ORD. CARMELITARUM ANTIQUAE OBSERVANTIAE.

Tertiarii Ord. Carm. in processionibus incedere possunt sub eadem cruce Ordinis Primarii, post Fratres Primi Ordinis.

R. P. Spiridion Cimino, Prior Conventus Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, de consensu sui R.mi Procuratoris Generalis, a Sacrorum Rituum Congregatione sequentis dubii solutionem humillime flagitavit; nimirum:

« An Tertiarii Ordinis Carmelitarum in processionibus incedere possint sub eadem cruce Ordinis Primarii ? »

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, reque mature perpensa, rescribendum censuit: Affirmative in casu, data praeferentia Fratribus primi Ordinis. Atque ita rescripsit. Die 30 Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

ASSISIEN.

De controversia circa praecordia S. Francisci Assisiensis.

Quaestioni olim agitatae, postea sopitae, nuperque iterum excitatae super praecordiis S. Francisci Assisiensis, quae Assisii in Ecclesia S. Mariae ab Angelis nuncupatae, religiose custodiri alii affirmant, allata etiam vetusta Ordinis Minorum traditione; et alii negant vel in dubium revocant: Sacra Rituum Congregatio in peculiaribus Comitiis ad Vaticanum habitis die decima sexta elapsi mensis Maii, proponente E.mo et R.mo D.no Cardinali Francisco Segna Causae Relatore, omnibus ex utraque parte ad rem deductis argumentis atque documentis, discussis accurateque perpensis, attento etiam voto Commissionis Historico-Liturgicae, atque audito R. P. D. Alexandro Verde sanctae Fidei Promotore, ita respondere censuit: « Imposito partibus de hac re contendentibus et disputantibus magno silentio, quaestionis praecipuae resolutio differatur, manente interim in sua possessione enunciata traditione. Si quid autem novi pro una vel altera sententia in casu reperiatur, Sacrorum Rituum Congregationis examini et iudicio erit subiiciendum; nihilque

edendum nisi de ipsius sacri Consilii expressa atque scripta licentia ».

Quas resolutiones, Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X per infrascriptum Cardinalem Sacrae Rituum Congregationi Pro-Praefectum relatas, Sanctitas Sua ratas habuit, probavit atque servari mandavit.

Die 24 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

SOCIETATIS IESU.

Circa celebrationem Anniversarii Dedicationis Ecclesiae a regularibus peragendam, et circa festum Patrocinii S. Ioseph.

Hodiernus Redactor Calendarii divinorum Officiorum ad usum provinciae Austriaco-Hungaricae Societatis Iesu Sacrae Rituum Congregationi sequentia dubia pro opportuna solutione humiliter exposuit; nimirum:

I. In archidioecesi Viennensi ex privilegio S. R. C. d. 13 Ianuarii 1888 « a clero universo... tam saeculari quam regulari festum Dedicationis omnium ipsius archidioecesis ecclesiarum sub competente ritu quotannis Dominica III Octobris celebrari valet ». Quum autem alias festa eiusmodi dioecesana Regularibus concessa intelligantur absque Octava, quaeritur: Utrum hoc idem sit observandum in casu in templis Societatis Iesu non consecratis et intra eiusdem archidioecesis limites sitis?

II. Societati Iesu concessum est festum Patrocinii S. Ioseph Dominica III post Pascha celebrandum ritu duplici I classis cum Octava, et quidem, ut Observationes ad Calendarium approbatum 6 Decembris 1888 declarant, ita fixe ea die, « etiamsi occurrat cum festo Dedicationis ecclesiae propriae, Patroni, vel Titularis ecclesiae, quae amandantur ad primam diem non impeditam ». Quum autem haec sint festa primaria, quaeritur: Utrum eo ipso idem Patrocinium S. Ioseph pro Societate et a fortiori sit primarii loco habendum, nec ista praerogativa censenda revocata decreto S. R. C., n. 3808, 27 Iunii 1893 (1), et n. 3881, 4 Februarii 1896 (2)?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis respondendum censuit:

Ad I. Anniversarium Dedicationis ecclesiae etiam a Regularibus celebrandum est sub ritu duplici I classis cum Octava in ecclesiis tum consecratis quam non consecratis, iuxta decretum 3522 *Amalphitana* 20 Augusti 1880, et decretum generale 3863 *Celebrationis festorum Patroni loci, Dedicationis ac Tituli ecclesiae* 9 Iulii 1895 ad III.

Ad II. *Negative*, et concessio particularis revocata est decretis generalibus suprarelatis 3808 et 3881.

Atque ita rescripsit. Die 7 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. I, p. 316.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. IV, p. 66.

VI.

MONTISPESSULANI — DECRETUM.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Andreae Soulas Sacerdotis et Missionarii, Institutoris Congregationis Sororum a Nostra Domina pro auxilio infirmorum.

INFORMATIO ADVOCATI

(Sequitur vide pag. 256)

DE HEROICA CHARITATE ERGA PROXIMOS.

34. Proximorum charitas a charitate Dei ortum habet atque ad eam tamquam ad certam regulam dirigenda est. — Verum, quoniam Servus Dei divino amore ardentissime flagravit, etiam cum proximis suis charitatis vinculis coniunctus fuit. Quamdiu vixit, tamdiu hominibus benefecit, omnibus obstaculis feliciter superatis.

35. Hominum amor duplici munere continetur: alterum ad corpora; alterum ad proximorum animas spectat. In utraque re Servus Dei praestantissimum sese exhibuit. Iam adhuc puer erat, cum mirum in modum ad pauperes levandos sese impelli sentiebat. Saepe oves ad pascua deducens, si per viam pauperes nanciscebatur, summo gaudio perfusus, obsonia a parentibus parata, prompte donabat, nihil, nisi exiguo panis fragmento reservato sibi. Re cognita, ipsi filium redarguerunt: quid ille? « *Il répondit qu'en* « *lisant la vie des Saints, il avait appris à faire la cha-* « *rité; qu'il voulait faire comme eux* ». Sic quidquid ad manus erat, in pauperes effundebat. Suis quoque vestibus se ipse exuit ut alios operiret. Quadam die puerum per viam obviam habuit, qui, saeviente frigore, nudis pedibus incedens, tremebat. Andreas eum prius suaviter allocutus est, deinde calceolos sibi demptos puero ultro dedit. Matri autem exprobranti: « *Je prendrai les souliers de mon frère plus* « *âgé que moi et qu'il ne porte plus; cela me suffira* ». Neque haec inexplebili charitati satis: quotidie Curionem oppidi adibat atque ibi tantam voluptatem inter vitam S. Vincentii a Paulo legendam capiebat ut nihil supra. Interrogatus, cur tam avide librum illum legeret: « *C'est parce* « *que* (respondit), *je veux imiter la charité pour les pau-* « *vres de Saint Vincent de Paul* ».

36. Neque temporis lapsu tam fervidi charitatis sensus imminuti sunt. Pauper enim ipse pauperum turmas alebat, nonnisi ope Dei providentis fretus. Nonnulla exempla in medium proferam. Mulier, rigente hieme, vestem a Servo Dei petierat; ipse vestem suam donavit. Multis, qui eum arguebant, respondit: « *Il ne faut pas laisser mourir de froid* « *le pauvre qui vient implorer assistance* ». Iamdiu petasum obsoletum et longo usu fere detritum capite gerebat: alium novum pileum quaedam nobilis matrona ei porrigere volebat. At ille: « *J'accepterais volontiers votre offrande* « *pour mes orphelins, mais laissez-moi mon chapeau, qui* « *peut encore aller tel qu'il est* ». Cella, in qua degebat, domicilium paupertatis esse videbatur; sodali suadenti ut eam meliori supellectile instrueret: « *Je m'en voudrais* (in- « quit) *d'employer à meubler ma chambre le prix de quel-* « *ques sacs de blé qui manqueraient à mes orphelins* ». Et cum summa laboraret inopia, dicere consueverat: « *Je tends* « *la main pour mes orphelins; il ne faut pas qu'on puisse* « *m'accuser de dépenser pour moi l'argent des pauvres* ». In *Legionem Honoris* nonnisi eo consilio se tandem cooptari sivit ut facilius subsidia a rei publicae rectoribus impetraret ad sua opera excitanda. Verum ubi primum se vidit hac spe deceptum, accepta insignia dimisit. — Alias Montispessulanus Episcopus eum Canonicorum ordini volebat adscribere. Statim ac Servus Dei rem rescivit, summam exinde

aegritudinem cepit. Magnus enim sumptus insumendus erat, cui ipse, pauperum amore, parcere cupiebat: quae quam praeclara charitatis argumenta sint, omnes facile intelligunt.

37. Verumtamem alia longe praestantissima suppetunt. — Saepe noctu culcitas humeris gerentem, quas aegrotis donaret, eum amici deprehenderunt: idemque plurimos dies ieiunus transegit ut sumptibus sibi necessariis abstineret atque ita institutum puellis orphanis condendum iuvaret. — Pariter presbyter quidam egentissimus, vestem petierat: meliorem, quam habebat, ille donavit. Quod charitatis exemplum saepe praebuit. — Per viam, quae vulgo appellatur « *Notre-Dame des Champs* » in ruricolam forte incidit, pluvia madefactum ac frigore vehementer rigentem. Tanta misericordia Servus Dei captus est ut pallium suum dederit. Item, cum duos pueros obviam habuisset, undique sudorem manantes, vestes interiores sibi dempsit eosque operuit. — Erat etiam vir quidam abhinc tres dies ieiunus: ut eum Servus Dei aleret, cibum ori suo eripuit ipseque integrum diem ieiunus mansit. — In oppido vulgo *Gange*, duo pueri degebant, e matrimonio mixto nati, qui matre orbati, miserrimam ac solivagam trahebant vitam. At Servus Dei, venia ab eorum patre impetrata, eos bene fovit et in quibusdam institutis collocavit. — Duas puellas periclitantes, quae publicis in viis totam fere diei partem transigebant, in quodam coenobio sororibus commendavit. Alias « *Un ouvrier, qui « travaillait à l'église, était très enrhumé et toussait continuellement. Le P. Soulas lui fit faire un vin chaud, et « comme la toux persistait, il dit aux Sœurs de lui donner « de la tisane jusqu'à ce qu'il fût guéri* ».

38. Magnam partem charitatis erga proximos famulorum et infirmorum cura excipit. « *Le Serviteur de Dieu fut « frappé du danger auquel les domestiques étaient exposées, et en même temps de la piété extraordinaire « d'un certain nombre d'entre elles; cette dernière considération lui donna la pensée de faire une Congrégation de garde-malades* », cuius Congregationis finis praecipuus erat corpora curare, ut melius animarum saluti consuleretur. Quapropter illud curandi ministerium sororibus concreditum merito sacram missionem vocavit. Nonnulli dicebant ei: « *Vos religieuses courent de grands dangers* »; at ipse: « *Elles en auraient de bien plus grands dans le « monde, et Dieu les gardera* ». Sibi ipse severus, bonam Sororum valetudinem vehementer cordi habuit. Saepe ab iis petebat numne bene valerent vel ulla unquam re opus haberent. Olim cum accepisset in oppido *Béziers*, Sorores nimio labore premi, datis litteris antistitam enixe monuit ut iis maiorem quietem concederet. Porro illud provida Servi Dei mens cavit ne Sorores, nimis defatigatae, impares muniis obeundis evaderent. Caeterum quanta utilitas ex hoc recentiori Sororum instituto expectanda erat, illud argumento est quod divitibus simul ac pauperibus morbo laborantibus Dei Servus prospexit. Verum huiusmodi charitatis sensus Servus Dei non modo erga infirmos et Sorores fovit, sed erga caeteros omnes, qui proximorum nomine continentur: unde institutum illud repetendum est, quod pueris lacte alendis prorsus destinatum voluit. Quinam esset huius instituti finis, audite: « Le but de la Crèche est d'avoir soin « de tous les petits enfants pauvres, pour que leurs mères « puissent vaquer au travail: on comprend les services que « cette œuvre peut rendre aux familles pauvres. Pour fonder « cette œuvre, il fit appel aux dames de la ville. Une trentaine donnèrent chacune un berceau complet et promirent « une quotité annuelle. La Crèche fut fondée le 21 septembre 1846 et prit le nom de Crèche de Notre-Dame ».

39. Profecto quoniam potiora hominis bona sunt, quae gloriae aeternae consecutione continentur, sic Dei Servus corporum charitatem fovebat ut maiorem foveret animarum. Atque illud tamquam praecipuum munus duxit esse suum ut unusquisque ad immensam Dei erga nos bonitatem amandam excitaretur ac, divino quodam ardore incensus, ad summum bonum raperetur, in quo solida et vera felicitas consistit. Ex tali charitate omnia opera, quae instituit, effecta sunt. Sororibus legem dedit ut in aegrotis, magis quam corpus, animam spectarent ac pro viribus commendavit ut in aegrotorum personis ipsum Christum patientem intuerentur. Pueros lacte alendos effuso sinu voluit Sorores amplecti ut, succrescente aetate, ad omnem virtutem effingerentur. Orphanotrophium condidit ut periculis pueri eriperentur, quibus in mundo quotidie erant obiecti. Piorum hominum corrogata pecunia, in suburbano oppidi vulgo *Matettes*, ad rem nonnullos agros emit atque in libro accepti et expensi hunc titulum inscripsit: « *Confiance en Dieu et « en sa providence, charité et dévouement* ». Tanta charitate succensus erat ut quidquid ab eo peterent, nunquam vel minimum denegaret. Quid? Cum charitas impensis maior esset, saepe eveniebat ut pecunia sumptibus non suppeteret ideoque nonnulli deputati fuerint, qui Servi Dei charitatem certis prudentiae finibus moderarentur. At frustra, etenim « il répondait aux enfants qu'on lui présentait par une caresse, puis il disait: *nous verrons*, et finalement il les « admettait tous. Et quand on lui disait qu'il en admettait « trop, il répondait: *un de plus ou de moins ne feront « pas une grande différence* ». Ne opus de orphanis curandis imperfectum esset, aliud orphanotrophium puellis educandis instituit. Anno millesimo octingentesimo quinquagesimo secundo emit opportunum locum, quem a Nostra Domina Opifera nuncupari voluit. « Il y réunit une soixantaine de jeunes filles auxquelles on apprenait à lire, à « écrire et à s'occuper de tout ce qui concerne la lingerie « d'une maison. Il plaça à leur tête des Sœurs garde-malades pour les surveiller, les instruire et leur apprendre « à travailler ». Praeterea pium pauperum opus instituit: « Il les réunissait tous les lundis, leur adressait une petite « instruction et donnait à chacun une aumône de dix centimes. Bientôt il changea le jour de la réunion au dimanche « pour s'assurer que les pauvres entendaient la messe ». Vix verbis exprimi potest quam gratum illud opus civibus omnibus acciderit, qui certatim adiutricem manum Dei Servo in eo instituto condendo contulerunt. Hodie quoque innumeri pauperes hoc beneficio utuntur.

40. Haec omnia praeclara: at Dei Servi charitas praeclarioribus indiciis manifesta prodiit in sacris missionibus, quas ad animarum culturam totum fere vitae tempus sustinuit. Zelus animarum vorabat eum, neque ullum tam grave obstaculum erat, quod facile non superaret. Nunquam e piorum hominum memoria sacra expeditio exciderit, quam in paroecia vulgo *Fabrègues* obiit. Iam aliquot dies praedicaverat; exigui fructus ob pessimam consuetudinem, quae convaluerat, ut iuventus se per dominicos dies choreis exerceret. Quid ipse? Sacrum piaculare, pro animabus purgatorio igne detentis, indixit et supplicationem publicam ad coemeterium oppidi deducendam. Res ex animi sententia cessit; nam, cum suavi eloquentia de morte et de hominum novissimo fine populum esset allocutus, omnes, licentiori more deposito, sacram missionem innumeris pietatis indiciis celebrarunt. In paroecia vulgo *Castelnau* pietas refrixerat. Servus Dei eam concionibus suis excoluit et multi, iique pervicaces peccatores, ad bonam frugem redierunt; quem apostolici ministerii fructum etiam in oppido *Mèze* se impetrasse a Deo gavisus est, cum ibi quadragesimales conciones habuit. Pariter prosperum rerum exitum obtinuit in oppido *Vérune*, ubi sacras missiones obiit. Ante annum 1841 in oppido *Pa-*

lavas omnino sacerdotes deerant: nullum templum erat: incolae, omni locorum communicatione disiuncti, ferino more vivebant ex piscium captura cibum trahentes. Servus Dei hac hominum conditione commotus, vehementi desiderio se tangi sensit ut iis opem ferret; consilium cum Episcopo communicavit, qui zelum eius admiratus, non modo rem probavit, sed incitamenta addidit. Illuc se Dei Servus contulit: at non bene exceptus est; contra non despondit ipse animum. « Il « fit comprendre à ces gens-là qu'il s'intéressait à eux, et « qu'il voulait leur faire du bien. Il leur assura qu'en assis- « tant à la messe le dimanche, ils attireraient la bénédiction « de Dieu; il dressa un autel au pied du mur d'un fort « éloigné, construisit une tente, célébra la Sainte Messe et « précha et promit pour le lendemain une pêche abondante. « Le lendemain les pêcheurs gagnèrent le large et firent une « pêche des plus abondantes. Ils la considérèrent comme « miraculeuse et la récompense des prières et du dévoue- « ment du saint Missionnaire ». Quanto gaudio omnes laetarentur, difficile dictu est: omnes grates Deo agebant ac vitam ante actam non modo salubri poenitentia expiarunt, sed etiam eo in ardore pietatis adeo constiterunt sibi ut paroecia ad religionis perennitatem instituta fuerit.

41. In oppido vulgo *Bédarieux* viri et mulieres in officinis una simul commixti, laboribus operam dabant: unde multa mala exoriebantur. « Le Curé Miquel appela le P. Soulas « comme le plus capable d'atténuer le mal et d'y apporter « le remède. Il ne fut pas trompé dans son attente. Beau- « coup de pécheurs se convertirent, et on se souvient encore « du grand effet moral et religieux qui fut le résultat de « la Mission ». In paroecia *Sancti Mauritii* tuguria unum ab altero longe distabant ita ut difficile opus esset sub vesperum incolas in templo colligere: etiam « la saison d'hiver « est très rigoureuse; les sentiers sont étroits et mauvais; « impossible de réunir la population le soir dans l'église « paroissiale »: sed ne fructus inarescerent, Servus Dei nulli pepercit labori: ab uno ad alium se conferebat vicum, singulas familias christianae religionis praeceptis excolens. Uberrima emolumenta exinde manarunt, veluti testes fuse narrant. « Un laboureur faisant profession d'impiété s'était vanté « de ne pas aller entendre les Missionnaires, et il détournait « même les autres du désir qu'ils auraient eu de se con- « vertir pendant la Mission. Le P. Soulas, en compagnie « de M. le Curé, vint le sermoner dans les champs. Il discuta « avec lui et l'obligea à s'avouer vaincu. Il n'avait d'autre « ressource pour échapper à la confession que le prétexte « du travail: « Si ce n'est que cela, reprit le P. Soulas, « je vais labourer à votre place, et vous, allez derrière cette « haie qui borde le champ et confessez-vous à M. le Curé. « Ce qui fut dit, fut fait. Il n'y eut plus d'obstacles à la mis- « sion. Les plus endurcis se convertirent, et la paroisse fut « renouvelée ». Etiam in paroecia vulgo *La Salvetat*, quae praeruptis saxis indita erat, immitem aërem et locorum asperitatem sprevit ut animas Deo lucraretur. « La Salvetat, « située sur les montagnes les plus élevées du diocèse, a « beaucoup de hameaux très distants de l'église; le climat « y est très rude. Les Missionnaires parcouraient les hameaux, « malgré la neige et le froid. La population fut très tou- « chée de leur zèle et se rendit au culte paroissial; dès lors la « mission eut les plus consolants résultats ». Incolae oppidi *Montpeyroux l'Adisse* in pietatis studio perquam frigidi erant; omnes ad unum concionibus suis Servus Dei excitavit. « Les hommes se confessèrent presque tous, la mission eut « le plus brillant succès, et Mgr Thibault, en étant informé, « alla présider la clôture. Plusieurs hommes reçurent la con- « firmation ». Eosdem fructus in curia *Sancti Iosephi de Cette* retulit. Etenim plurimi ad rectam vivendi rationem ab eo traducti sunt ibique Congregatio augustissimae Trinitatis honori, ex Servi Dei opera, condita est.

42. Etsi totum suae vitae cursum in apostolicis laboribus obeundis consumpserit, verum postremos reliquos annos ita sacris missionibus dedit operam ut sui ipsius curam penitus abiecisset. « Pendant les dix dernières années de sa vie de « Missionnaire, il a prêché 22 missions, 15 stations quadra- « gésimales, sans compter celles qu'il a prêchées après les « dix premières années. On ne compte plus les retraites qu'il « a données dans l'intervalle des missions. » Coelestia mysteria, quae praedicabat, altissime eius haerebant animo ideoque summa auditorum commotione concionabatur, unde obdurata pectora mites erga Deum sensus suscipiebant. Atque hoc quidem modo in munere docendi erudiendique populos se gessit labore utique non mediocri, sed quem fractae eius debilitataeque vires ferrent.

43. Tandem charitas perfecta est, si quis proximos suos ne verbis quidem offendit; quod vitium quam commune sit inter homines illud Prophetae demonstrat: *omnis homo mendax.* (1) « Je ne l'ai jamais entendu mal parler du prochain, ni en- « tendu dire qu'il eût mal parlé de qui que ce soit. Lors- « qu'il entendait mal parler de quelqu'un, il gardait le si- « lence et se retirait ». At vero longe omnium praestantissimum charitatis officium, in quo nos maxime exercere oportet, illud est inimicos diligere atque iniurias acceptas aequo animo remittere et condonare. Ait enim Christus Iesus: *diligite inimicos vestros, benefacite eis qui oderunt vos* (2). Talibus Andreas imbutus praeceptis, omnia quaecumque ad mansuetudinem, lenitatem, aliaque id genus virtutis pertinent, erga proximos enixe perfecteque coluit. Quos cariores habebat, hi inimici erant. Etsi pessime haberetur ab iis, semper tamen veniam non modo tribuebat, sed et cumulatiora beneficia et gratiam. Sic igitur mirum in modum explevit illud Christi edicentis, *orate pro persequentibus et calumniantibus vos, ut sitis filii Patris vestri, qui in Coelis est* (3).

44. Nec modo homines in terris degentes suavi charitate Servus Dei complexus est; etenim etiam animas piaculari igne cruciatas enixe iuvit et aliorum precibus levandas curavit. Testes audite rem praeclare explicantes: « le Servi- « teur de Dieu avait une grande dévotion pour les âmes du « Purgatoire. C'est ce qui le porta à faire réciter tous les « jours avant le Salut du Saint Sacrement, 3 *Pater* et *3 Ave*, « un *De Profundis*, pour les âmes souffrantes ». Quae cum ita sint, Andreae charitas erga proximos prorsus absoluta dicenda est.

DE HEROICA PRUDENTIA.

45. Qui rerum expetendarum fugiendarumque scientiam possidet, is prudentissimus est. Prudentia enim in eo consistit, ut quis sibi maximam felicitatem pariat, iis subsidiis adhibitis, quae ad rem assequendam praecipue usui sunt. De christiana prudentia certum est pro viribus cuique enitendum esse ut vitam aeternam accipiat. Dei Servus ad Deum semper, tamquam supremum bonorum auctorem et finem, properato gressu, contendit. Ab ineunte aetate in timore Domini constanter mansit atque omnia subsidia tenuit, quae huic consilio perficiendo responderent. Praecipue animam immunem ab omni scelere servavit, cum sciret peccatorum nostrorum immanitate aversum a nobis Deum operibus nostris non benedicere. Deinde vero quid de se voluntas Dei ferret adsidue investigavit et, divina voluntate cognita, omnia obstacula removit, quibus ad eam exequendam prohiberetur.

(1) Psalm. 155, 2.
(2) Mat., 5, 44.
(3) Mat., 5, 44.

46. Sapientem apud se esse illud maxime in sacrarum litterarum proverbiis atque etiam ab Apostolo arguitur iuxta sententiam: *ne sis sapiens apud temetipsum: nolite prudentes esse apud vosmetipsos* (1). Prudentia enim, quae multum consideratione et consultatione eget, lente, aliorum ope consilioque advocato, quae agenda sint diu atque ante perpendit. Dei Servus nihil unquam agendum suscepit quin prius Deum precibus consuluisset. Id praesertim ostendit cum Sodalitatis Sororum fundamenta iecit: cum enim aliqua prudentissima muliere ei opus esset, quam condendae Congregationi praeficeret atque eam enixe peteret a Deo, olim factum est ut fere divinitus puella *de Cazillac* daretur, cuius voluntas erat aegrotos curare. Noluit eam subito Dei Servus admittere dixitque ei: « *C'est Dieu, qui vous a* « *envoyée* », ac, ne praecipiti consilio res ageretur, addidit: « *ne précipitons rien: réfléchissons et prions avant de* « *prendre une résolution définitive* ». Ut vero lumen coeleste devocaret, fervide orabat: « *Se méfiant de lui-même,* « *remercia Dieu de lui avoir envoyé ce qu'il désirait, et* « *le pria de lui faire connaître sa volonté* ». Ubi vero cognovit quaenam Dei mens esset, pro viribus institit ut ei satisfaceret. Quod idem dicendum est de prudentia, qua sacellum augustissimo Sacramento adorando instituit: haud prius enim rem aggressus est, quam Dei voluntatem omnino habuit compertam: « *De concert avec la Supérieure, il fut* « *résolu qu'on ferait une neuvaine, et si on recevait* « *pendant le cours de la neuvaine une certaine somme* « *fixée d'avance, ce serait une preuve que Dieu voulait* « *l'agrandissement; si on ne recevait rien, on ne com-* « *mencerait pas les travaux* ». Res ex animi sententia cessit: etenim pecunia corrogata est et sacellum conditum.

47. Sacerdotes tamquam Dei interpretes Servus Dei venerabatur: itaque ad eorum consilia saepe confugiebat: totam vitae suae rationem, tum in iis, quae ad animum, tum quae ad corpus pertinerent, eorum ductu composuit, qui sibi moderatores erant. Nec modo talium virorum consiliis in iis rebus obsequutus est, quae magis studiis ac voluntati suae indulgerent, sed praecipue a quibus exequendis abhorrebat animus, ea admodum consilia perfecit. Nonnulla in medium proferam exempla: « Il renonça à prêcher publiquement aux protestants à Galargues, sur l'observation que ses amis lui firent que cette démarche serait imprudente ». Adorationem perpetuam nonnisi cum Episcopi venia erexit: Sacellum ipsum non inconsulte ampliavit. In negotiis, quae gravi pondere erant, P. Berthomieux et P. Coural consulebat: « Ce ne fut qu'après qu'il (le Père Coural) eut approuvé la résolution de M.lle de Cazillac, « que le Serviteur de Dieu résolut de l'admettre au noviciat « de sa Congrégation ».

48. Ubi primum inter preces ei a Deo mens iniecta est sodalitatem sororum condendi, timens ne sui ipsius opinione deciperetur, nihil unquam, nisi consulto Episcopo, aggredi voluit. « Il résista longtemps à cette pensée; mais pendant qu'il prêchait une mission à Grabels, il en fut tellement obsédé qu'il suspendit ses prédications pendant 24 heures pour venir communiquer à Monseigneur cette pensée importune. *Il faut prier*, lui dit l'Evêque, *continuez votre mission et nous verrons après*. Le Serviteur de Dieu fut tranquille, mais il pria, se mortifia, demanda des prières et alla trouver Monseigneur. Il voulait faire une Congrégation sans les vœux de religion; Monseigneur ne fut pas de cet avis et lui conseilla de prescrire les trois vœux de religion, parce que les religieuses seraient meilleures et feraient plus de bien ». Quae omnia consilia a Praesule suo accepta, Servus Dei ad unguem explevit ac bono rerum exitu confirmavit. Verum quam magni monita eius faceret, praeclaro documento fuit promptus animus, quo res a se incoeptas, quamquam sibi gratissimas, in medio cursu intermittebat. In Paroecia vulgo *La Salvetat*, cum de patria ac religione optime meritus esset, omnium existimationem sibi conciliaverat ibique inter effusas benevolentiae significationes contentus vivebat. Ut merita eius iuste rependeret Episcopus eum ad quamdam dignitatem in Montispessulano templo principe obeundam evexit. Id parum gratum ruriculis incidit, qui a patre suo amantissimo se disiungi aegre ferebant, ideoque: « On voulait le retenir dans son premier poste, à cause du bien qu'il avait fait et qu'il pouvait faire encore. Malgré ses répugnances pour accepter son nouveau poste, il ne voulut pas qu'on fît des démarches pour contrarier la volonté de Monseigneur et partit aussitôt pour son nouveau poste ». Tum denique quoniam prudentis est bonam famam sibi bene partam operibus tueri, eamque omni ex parte vindicare, Servus Dei prudentissime etiam hominum dicacitatem vitare contendit: quibus de causis pauperrimam vitam agere maluit, quam imprudentiae notis signari.

49. Tali erga se ipsum prudentiae laude Dei Servus florebat: facile sic potuit prudentissimae virtutis in alios quoque exempla edere: hinc apud omnes gratia et auctoritate valere: hinc consilia eius undique atque avide expeti: hinc confertissima quotidie ad eum multitudo confugere: hinc magna fructuum copia in animis ad Deum deducendis.

50. At opus, in quo maxime sapientia Servi Dei ad miraculum eluxit, leges sunt, quas sororibus in aegrotis curandis servandas tulit: « Il donna à ses filles des règles pleines de sagesse concernant leurs fonctions. Il leur recommandait de ne parler que pour le bien des malades. La sagesse de ces règles a eu jusqu'à ce jour les meilleurs résultats ». Sciebat animum abstrahi a Deo rumoribus ac praesertim mulierum linguam in inconsulta saepissime verba trahi. Pariter noverat sapientis esse tempus recte ducere, in aliquod bonum opus semper transferre. Ideoque voluit sorores suas loquacitatem fugere ac vel minimum temporis spatium aucupari ut christianae charitati et precibus incumberent: « Elles doivent parler peu, ne pas lier conversation avec les domestiques, quand même il serait question de piété; et leur temps libre doit être consacré à la prière ou aux lectures de piété ». Et quoniam prudentissimus quisque non in divitiis neque thesauris ponit animum suum, quibus rebus in transversum trahitur animus, pro virili parte cavit, ut sorores divitiis abstinerent: « Il ne voulait pas que quelques-unes des religieuses eussent la tentation d'envoyer des converses auprès des malades et de se prélasser elles-mêmes comme des grandes dames. Voilà pourquoi il leur imposa des règles pour donner aux pauvres et aux orphelins le superflu de leur nécessaire ». Quo consilio praecipue « il établit plusieurs œuvres, telles que l'orphelinat, la crèche, l'œuvre des mendiants ».

51. Potissimum prudentiae munus est etiam carnis macerationes et vigilias certis quibusdam finibus continere ne corpus cruciatibus extenuatum muniis obeundis impar evadat. His Dei Servus imbutus praeceptis, etsi dirissime corpus suum tractaret, vetuit sorores valetudinem suam minuere: « D'après les conseils de plusieurs médecins distingués, il détermina le régime alimentaire de la communauté. Il était préoccupé continuellement de la santé de ses sœurs et il voulut que leur nourriture fût saine et abondante. Il écrivait à la Supérieure de Béziers de veiller à ce que les sœurs ne compromissent pas leur santé, qu'il valait mieux refuser le soin de quelques malades, plutôt que de surmener les sœurs par un excès de travail et une alimentation insuffisante ». Cum primum Congregatio condebatur, sororibus ad pietatem effingendis moniales ex ordine S. Iosephi praefecerat. Brevi

(1) XII ad Rom. 16.

sensit quaenam incommoda exinde manare possent atque Episcopi consilio ipse summum sororum regimen assumpsit. Alias in oppido, vulgo *Pézénas*, domum sororibus aperuerat, ingentia a presbytero quodam mutuatus subsidia. Is vero, quippe qui adiutricem opem contulisset, nonnulla immutare in Congregationis regulis contendebat, scilicet: « Trouva que les sœurs étaient trop simples dans leur costume et voulait leur donner des allures de dames du monde ». At Servus Dei acriter institit ne regulae mutarentur ac sorores, quae ibi erant, cum alteris commutavit. Presbyter ira inflatus, subsidia sustulit: Servus Dei domum proborum hominum praesidio commisit et maluit opibus destitui quam constitutis legibus refragari.

52. Caeterum nunquam opportunis monitis sorores regere per epistolas aut viva voce cessavit. Cum olim accepisset prospero rerum exitu *Béziers* sorores uti, scripsit eis « de redouter la prospérité et les louanges comme un piège très dangereux du démon, de considérer les éloges non comme l'expression de la vérité, mais comme une indication de ce qu'il faut faire pour les mériter ». In omnibus epistolis suis « leur recommanda la confiance en Dieu, l'humilité, la charité. Ecrivant à ses filles de Béziers, il craint pour elles la prospérité et les éloges, leur recommande l'humilité, donnant à chacune de ses maisons les conseils qui convenaient à leur situation. Le Serviteur de Dieu se faisait tout à tous et donnait à chacune les conseils convenables: aux unes la confiance en Dieu et la charité, aux autres l'humilité et la défiance d'elles-mêmes ». Quae cum ita sint, ne mireris si brevi temporis spatio « ses règles de sagesse ont eu les meilleurs résultats pour faire estimer les sœurs et inspirer la confiance à tous ceux qui réclament leurs soins ».

DE HEROICA IUSTITIA.

53. Iustitiae summa haec est: Deo et hominibus iura sua tribuere: quae si nominatim designare volumus, haec sunt praecipue: religio, pietas, observantia et obedientia. Hisce muneribus Dei Servus perfectissime perfunctus est.

54. Deo primum religionis debitum officium solvit. Primitias aetatis et ingenii illi dicavit, omnesque vitae actiones retulit. Sacra mysteria frequens obibat et a saeculari strepitu abhorrens, commentatione rerum caelestium et precibus Deo mira dulcedine iungebatur. Omnem honorem Deo tribuendum toto pectore curavit, tum cultum divinum propagans, tum saluti animarum studens, siquidem « il a eu toujours à cœur la propagation du culte divin comme moyen de sauver les âmes. Le zèle du P. Soulas pour la propagation du culte divin se manifeste dans l'établissement de l'adoration perpétuelle et dans la construction d'une magnifique chapelle ». Sanctos etiam Spiritus, iam aeterna beatitate fruentes, ac praesertim Dei Parentem enixo studio prosequutus est. Uti iam supra rem fuse explicavimus, « il manifestait sa dévotion envers la Sainte Vierge par les pratiques de la piété en l'honneur de Marie, et il remplissait scrupuleusement toutes les obligations de son état ». Praeceptis itaque religionis, *Deo debitum cultum et reverentiam exhibens* (1), omni ex parte Dei Servum satisfecisse certum est.

55. Erga alios quomodo iustitiae legibus steterit facile intelligitur. Primum parentes iusto obsequio et amore complexus est, iuxta illud: *filii, obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim iustum* (2). Honorandi autem sunt non modo ii, ex quibus nati sumus, verum etiam alii, qui patres appellantur, ut Episcopi et Sacerdotes, ut reges et caeteri huiusmodi. Episcopis et Sacerdotibus perinde paruit Dei Servus ac si in iis Deus ipse loqueretur. Praecipue Romanum Pontificem in honore habuit atque ut alii iisdem sensibus erga Ecclesiam essent affecti omnibus viribus opibusque adlaboravit. Haerebat animo Servi Dei illud Apostoli: *obedite praepositis vestris et subiacete eis: ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri* (1). Qua de causa tanta reverentia Episcopum coluit ut, ipso inconsulto, nihil egerit.

56. Caeterum iura proximorum suorum omni modo tuitus est et quoniam iustitiae pars potissima in affabilitate ac liberalitate posita est, quidquid habebat suum pro alienis necessitatibus sublevandis libenter tradebat. Propinquos secundum iustitiam dilexit. Olim frater a Servo Dei petierat pecuniam, qua egebat, pro necessariis rebus sibi emendis: at ille: « *Oui* (inquit) *j'en ai, mais il ne m'appartient pas: je ne puis donc pas te le donner, et me damner pour te rendre service* ». Noluit igitur unquam pecuniam Congregationis sibi intervertere.

57. Munia sua tanta religione obivit, ut ab iis, nunquam deflexerit, licet corporis aegritudine acerrime devexaretur. Praesulis sive rectitudo mentis, sive iustitia nunquam magis probatur, quam cum ille rationes omnium aequa lance libret, nullumque alteri sua gratia praeferat. Dei Servus officio et amore pari omnibus aderat neminem deserens omnes suo charitatis ardore fovens. Neque unquam, si obiurgationes inciderent necessariae, virgae pepercit. Veruntamem ad obiurgationes iratus nunquam venit, ne perturbatione ulla abreptus, plus aequo in quempiam animadverteret. Cum olim defectum cuiusdam Sororis deprehendisset, eam severe arguit et sacris epulis aliquot dies abstinere iussit. Quapropter illud Apostoli ei licuisset dicere: *per omnia placeo* (2) vel illud S. Hieronymi: *virtus eius lenis, blanda, tranquilla et omnium bonorum apta consortio, invitans ad familiaritatem sui dulcis alloquii moribus temperata* (3).

DE HEROICA FORTITUDINE.

58. Fortitudinis, quae ad aspera quaeque pro Christo ferenda suppetit vires, duplex pars est: ardua videlicet *aggredi* eademque *sustinere:* hac duplici laude Servus Dei floruit.

59. Profecto in gloria Dei propaganda nullus unquam tam gravis labor fuit, qui eum deterreret; nunquam quievit: nunquam sibi pepercit; longa itinera pedes confecit; sub canicula aut frigore acutissimo, fame distentus, abiectus vestibus, conviciis laceratus incessit ut plebem christianae legis praeceptis instrueret. Quam animi fortitudinem in omni sacra expeditione plane demonstravit, sed praecipue in Paroecia, quae vulgo *Salvetat* nuncupatur. Uti iam diximus, hic locus ascensu asperrimus erat, caeloque rigidissimo: curia distantibus locis late patebat: tuguria quatuor vel quinque millia passuum a templo aberant. Quoniam difficile erat ruricolas ibi congregare, Servus Dei ut animabus opem ferret, gelu niveque spretis, huc atque illuc discurrebat idemque aegrotos invisens, omnes sacris concionibus excolebat. Pariter « Il a fait des actes héroïques de force dans ses missions, en particulier à Palavas, lorsqu'il traversait les marais, la nuit, courant le danger de perdre la vie ». Quod quale fortitudinis argumentum sit, nemo est, qui non novit.

60. Facile est exteriores difficultates vincere: at vincere seipsum hic labor, hic opus; unde melior expugnatore urbium ille appellandus est, qui, bello acerrimo contra se indicto, de suis animi motibus triumphum agit. P. Soulas ita se omni voluptate et carnis rebellione exuit ut omnino sensuum

(1) 2. 2, Q. 81 a. 1.
(2) Eph. VI, 1.

(1) Hebr., XIII, 17.
(2) I. Cor. 10, 33.
(3) Ad Nep.

expers videretur esse. In adversis, quaecumque ingruerent, quin desponderet animum, laetabatur. A Dei ordinatione solamen in omnibus repetebat. Illius memor: *Nolite timere opprobrium hominum et blasphemias eorum ne metuatis* (1), rectum rationis iudicium nunquam abiecit ut vulgi dicteriis obsecundaret. Ubi primum Congregationi Sororum condendae animum appulit, multi iique pervicacissimi homines eum a proposito suo deterrere conati sunt: sed interea « il refoulait les premiers sentiments de son âme, et se soumettait à la volonté de Dieu ». Cum primitus institutum orphanis recipiendis perfectum fuit, calumniae inflatae sunt, perinde ac si pueri quotidiano labore, eorum aetati impari, a Servo Dei exercerentur. « Le Serviteur de Dieu répondit à ces calomnies dans une petite brochure, où il montrait qu'il s'occupait non seulement des soins matériels des orphelins, mais de leur instruction et de leur formation à la vie chrétienne. Les calomnies furent dissipées et les dons affluèrent plus abondants pour les jeunes orphelins ». Vere hoc modo Dei Servus, Apostolorum fortitudinem aemulatus est, de qua praeclarum illud: *Ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (2).

61. Enimvero ut tam sublime fortitudinis culmen attingeret, iam se puerum difficultatibus exercere didicit: « Jeune enfant, surpris à la campagne par une pluie torrentielle, il s'écriait: Merci, mon Dieu; je veux m'habituer à la souffrance pour aller un jour évangéliser les sauvages ». Idem cum sacrorum alumnus in Seminario degeret, carbonibus ardentibus strenue ferendis manum occaluit atque olim, igne absumente domos, charitatis et fortitudinis eximia specimina edidit. Porro tales fortitudinis sensus in suo alumno Dei Servus infundere potuit: nam cum anno 1854, asiatica lues omnes circum regiones pervaderet, sorores tum de civili, tum de christiana societate optime meritae sunt. « La famille du P. Soulas manifesta son dévouement en 1854, à Aniane, dans une épidémie de choléra. Le P. Soulas voulait y aller lui-même, mais Monseigneur s'y opposa formellement ».

DE HEROICA TEMPERANTIA, PAUPERTATE ET CASTITATE.

62. Moderandis cupiditatibus, regendisque animi motibus, quae potissima *Temperantiae* munera sunt tam sedulam Dei Servus operam dedit, ut hac etiam virtute mirum in modum excelluisse certum est. Quod Apostolus de se praedicabat: *castigo corpus meum et in servitutem redigo* (3), id P. Soulas omni studio consequi connixus est. Ut actiones omnes ratio in potestate sua ac veluti in ditione contineret, contra corpus bellum acerrimum indixit, idemque flagris acerbissimis cruentavit. Temperantiam eius Montispessulanus Episcopus praeclaris laudibus celebravit, cum de eo iam patrii nosocomii praeside designato, Antistitae dixerit: « *Je suis bien* « *sûr que si vous ne lui donnez que du pain et des cen-* « *dres, le P. Soulas ne se plaindra pas* ». Cibi ac potus parcissimus, nullis unquam oblectamentis indulsit: deteriores cibos quaerebat, meliores donabat. Siquando ipsi aegrotanti paulo exquisitioria obsonia essent allata, omni ope contendere consueverat, ne sapore ullo titillaretur libido.

63. Qua ex re plura afferuntur exempla. « Le Serviteur « de Dieu, se trouvant indisposé, la Sœur Louise lui pré- « para une salade avec une orange et un peu de sucre. Il « ne voulut pas y toucher et envoya ce qu'il appelait une « gourmandise aux enfants de la crèche ». Alias « on ser- « vit une côtelette au P. Soulas. Il demanda si la sœur « malade était servie bien mieux que lui. Ce n'est que sur « la réponse affirmative qu'il accepta la côtelette ». Nec satis: cuidam pauperi dedit cibum, qui ei unice suppetebat: ipse incoenatus abiit. Quodam vespere ad sorores longo itinere confectus inopinato venit. Nonnisi exiguum panis fragmentum supererat, idque mucore obsitum. Tunc antistita iussit meliorem panem in propinquo oppido quaeri. Vetuit prorsus Dei Servus, cui panis mucosus opipara coena fuit. Aliud simile praeclarum temperantiae exemplum edidit apud Sorores in coenobio, quod « *Notre-Dame des Champs* » nuncupabatur. Enimvero cum eo improviso ac sero venisset, « *ne vous mettez pas en peine* (dixit eis), *cherchez là tout* « *près quelques herbes de campagne et faites une salade* ». Hoc satis erat. Alias fere integrum diem ieiunus exegerat: attamen sub vesperum tantummodo paucis solanis tuberosis contentus fuit. Quae cum ita se haberent, plane illud Sancti Thomae explevit: *abstinentia quatenus importat ciborum substractionem, per quam castigatur corpus, non solum contra luxuriae illecebras, sed et contra gulae oblectationem, temperantia est* (1).

64. Praeterea ad hanc virtutem pertinet ciliciis corpus acerrime edomare. Dei Servus cilicium ad nudam carnem gerebat asperrimum, seque horrendum caedebat in modum. « En lavant et en racommodant son linge, on le voyait cri- « blé de trous, résultat des instruments de pénitence. On « a trouvé de lui une discipline et quatre cilices ». Haud raro interiores vestes sanguine suffusae deprehendebantur. Saepe, remotis arbitris, dirissime se habebat. Testis haec refert: « Le P. Soulas avait ordinairement sa chambre fer- « mée à clef, pour qu'on ne fût pas témoin des mortifica- « tions qu'il pratiquait. Mais ayant un jour oublié la clef « sur la porte, on s'aperçut qu'il devait pratiquer de dures « pénitences. J'ai vu une ceinture en fer avec des crochets, qui devait être bien dure à porter ». Quod item caeteri testes describunt, qui in cubiculo eius invenerunt « deux ceintures « de pénitence: l'une avait deux rangs de pointes de fer et « l'autre trois rangs ». Ut se afflictaret nullam neglexit industriam et omnem occasionem cruciandi sui laetus arripuit. « La Sœur qui faisait le lit du Père, trouvait souvent « le matelas sous la paillasse ». Ita vero, cum corporis sensus tam acriter cohiberet, facile potuit praepotentes animi motus compescere atque illam assequi tranquillitatem, quae in homine temperante maxime cernitur. Suavitas enim morum in Servo Dei laudibus summopere digna fuit. Omnes per eam ad se alliciens, desides instigavit, praecipites repressit, inertes accendit, audaces cohibuit, naturam denique omnium versabat, ita ut suavitas animi tessera eius vitae prope fuerit.

65. Divitiis, quibus angitur animus, nunquam mentem Dei Servus appulit; contra *Paupertatis* virtutem, quam Christus verbis atque exemplo suo probaverat, ad obitum usque, tamquam sponsam dulcissimam, custodivit. Et quoniam amantium est quae amant, palam profiteri, praeseferre, fere ostentare, paupertatis amor in Servo Dei in omnibus rebus eminebat. Quae in Evangelio praeclara edicuntur: *nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam* (2), haec tamquam sibi nominatim dicta P. Soulas interpretatus est. Cella eius cuiusvis rei expers erat. « Sa Chambre était on ne peut plus pauvre: « il y avait un lit en fer, une vieille commode, quelques chaises communes et très peu de linge ». Olim alteri ex amicis, tantam domicilii paupertatem exprobranti eique suadenti ut meliori apparatu cubiculum instrueret, respondit: « *Il vaut*

(1) Is., 51, 7.
(2) Act. V, 45.
(3) I. Cor. IX, 27.

(1) 2. 2, Qu. 146, A. 11.
(2) Matt. X, 9. 10.

« bien mieux avoir soin de mes pauvres, que dépenser l'argent mal à propos ».

66. Vestes quidem mundas gessit, sed longo usu detritas. « Il n'avait ordinairement qu'une soutane, qu'il avait soin « de faire rapiécer, et il ne la mettait de côté que lorsqu'elle « était entièrement usée ». Cuidam dicenti vestem dissutam esse, « *mon enfant* (inquit) *ce n'est rien: le bon Dieu était « bien plus pauvre que nous, mais nous irons au Ciel* ». Quod idem responsum tulit nobilis quaedam foemina, quae Servo Dei aiebat: « *Je comprends que vous refusiez de « vous présenter dans un salon avec des soutanes pareil- « les. Si vous le permettez, je vous en offrirai une plus « convenable* ». Cui ille: « *Merci de votre générosité; si « si vous voulez appliquer cette aumône aux orphelins, « je vous en serai doublement reconnaissant* ».

67. Dolo (ut ita dicam) amicos uti oportebat ut novas vestes indueret. Enimvero cum capite pileum gereret omni ex parte obsoletum, nobilis matrona, quae Servum Dei tamquam conscientiae suae noxis expiandis arbitrum elegerat, servos suos iussit pileum ipsum terebrare. Iussa impleta sunt, et mulier novum pileum misit: « Le Serviteur de Dieu « ne l'accepta que lorsqu'il vit les coups de ciseaux qui « avaient mis son vieux chapeau hors d'usage ». Adeo paupertatem dilexit, ut cum olim S. Vincentii a Paulo sepulchrum inviseret eiusque vestis fragmenta oscularetur, inter lacrimas clamarit: « *Je suis un misérable, bien loin de « comprendre et de pratiquer la pauvreté comme St Vin- « cent de Paul* ».

68. Pauperes prolixo amore dilexit, atque cum iis diutius, quam cum aliis, versari summopere delectabatur. Ipsam Sororum sodalitatem instituit eo consilio ut magis quam caeteris, operam pauperibus darent. Omni commodo facile se privari gaudebat, quo maiora subsidia inopia laborantibus ferret. Saepe ad epulas apud amicos invitatus, renuebat dicens: « *Si vous voulez, donnez-moi cinq francs pour « mes pauvres, et dispensez-moi d'accepter votre invi- « tation. Je ne suis pas fait pour prendre part à de « grands repas* ». In *Honorariam Legionem* cooptatus, insignia eo consilio tantummodo accepit, quo facilius auxilium pauperibus porrigeret: itemque gravi aegritudine affectus est, cum Episcopus eum Canonicorum ordini adscripsit, eo quod: « Une centaine de francs nécessaires pour son costume « seraient bien mieux employés pour donner du pain à ses « orphelins ». Victus eius, uti supra iam diximus, pauperrimus: « Le Curé de Saint-Georges venait souvent le voir; « il l'invitait à dîner, à la condition de se contenter d'une « omelette ajoutée à son ordinaire ». Soror cibum paulo exquisitiorem paraverat. Eam severe Dei Servus redarguit: « En lui disant qu'elle avait manqué à la pauvreté et lui « ordonna pour pénitence de réciter le *Miserere*, les bras « en croix ». Exprobravit etiam quemdam, qui nonnihil lactis in terram effuderat, dicens illud voto paupertatis contrarium esse.

69. Vix oratione persequi possumus odium, quo pecuniam prosequebatur. Cum aliquando Missae celebrandae stipes offerretur, nunquam manum porrexit ut pecuniam tangeret, sed iubebat eam super tabulam poni. Itaque cum Servo Dei nihil esset paupertate prius, nihil antiquius, omnes suam cogitationem in eo fixit ac locavit ut qui esset paupertatis splendor, quae pulchritudo, sorores quoque penitus intelligerent, quas saepe his verbis monebat: « *En tendant la « main pour recevoir l'aumône, il faut donner l'exemple « de l'amour de la pauvreté* ». Alia: « *Lorsqu'on tend la « main pour les pauvres, il ne faut pas laisser croire « qu'on demande pour soi* ». Acriter invigilavit ne sumptus praeter modum in coenobiis peragerentur. Quondam: « La « sœur Thomas avait préparé un poisson pour le Père; il « en demanda le prix: 0 fr. 75 c., lui fut-il répondu. *C'est « bien dommage* – reprit-il – *que cette somme n'ait pas « servi pour les orphelins*. La sœur Emilie avait préparé « une côtelette, le Père l'envoya à une sœur malade ». Ut paucis complectar, omnis temperantiae exempla in eo mire elucebant et rogantibus quo modo tot tantaque opera ad exitum deducere potuisset: « *C'est* – inquiebat – *en me « nourrissant de beaucoup de pommes de terre* ».

70. Verum cum corpus tam severe haberet et animum a terrenis omnibus abstractum custodiret, *Angelus castitate* fuit, immunis ab omni inquinamento carnis. Mulierum consuetudinem, quantum poterat, vitavit: maluit etiam urbanitatis quam castitatis officiis deesse: « Se rendant à table dans le « château *Marsyllagues* pour un grand repas, Mgr Thibault « et les ecclésiastiques présents ne firent pas de difficulté de « donner le bras aux dames. Le Père Soulas croisa les « bras et se rendit seul à la place qu'il devait occuper ». Mens oculis ad libidinem inflammatur: at Servus Dei oculos cohibuit, neque huc illuc veluti exultantes vagari permisit. Cum otio hebescant homines, in impudicitiae scelus praecipites labi solent: verum ille temporis parcissimus fuit et otium vigilantissime fugit. Verborum obscenitate, quasi face quadam admota, mentes ad libidinem exardescunt *corrumpunt* enim *bonos mores colloquia mala* (1): sermo autem ex ore Dei Servi, tamquam e limpido fonte, fluebat eoque audientes nova quadam dulcedine recreabantur. Porro de P. Soulas confirmatum est, quod divus Ambrosius de virginibus praedicabat: *Nubes, aëra, angelos transgredientes, verbum Dei in sinu Patris inveniunt* (2).

71. Sic dum totus intus castitatis amore deflagrabat, interea vehementi desiderio tangebatur ut alii quoque, hanc virtutem singulari studio colerent. Vir emunctae naris esse videbatur, ne dicam divino instinctu permotus, cum aliorum animos impudicitiae vitiis irretitos penitus dignosceret. Siquando acciperet aliquem hanc virtutem deliquisse, lacrimis conficiebatur atque impar dolori ferendo erat. Testem loquentem inducam: « J'ai vu le Serviteur de Dieu pleurer « parce qu'un des orphelins conduisant ceux qui étaient plus « jeunes que lui au travail, les avait scandalisés par des « actes contraires à la pureté. Il se plaignait hautement de « ce qu'on ne l'avait pas prévenu plus tôt, et aussi parce « que, voulant faire le bien, il croyait être coupable du « mal qui se produisait. Je l'ai vu s'arracher les cheveux, « sangloter et ne pouvoir contenir son émotion; il congédia « le coupable et le fit accompagner immédiatement, pendant « la nuit, jusqu'au village voisin, où il attendrait la dili- « gence ». Profecto: « Il avait un tel amour pour la vertu « de pureté, qu'ayant appris une faute commise par un des « membres de la Congrégation des domestiques, le Serviteur « de Dieu en éprouva une si grande émotion, qu'il aban- « donna momentanément la direction de cette œuvre ». Talis cum Servus Dei esset, castitatis amore ad miraculum eluxit ac verbis et exemplo praesertim suo ostendit quantum ab hominibus impuris abhorreat Deus, quantum virginibus faveat.

De heroica humilitate.

72. Humilitas omnium virtutum magistra est ac perfectionis firmissimum fundamentum. Quoniam Dei Servus illo magno virtutum apparatu praeditus erat, quem huc usque contemplati sumus, necesse quidem fuit ut altissima humilitate adstrueretur. De omnibus gloriam Deo tribuebat ac se ipsum sperni omnino exoptabat. Etenim ea praecipue

(1) I. Cor. XV, 33.
(2) Lib. I. De Virg.

huius virtutis vix (ex Sancti Alphonsi sententia) in hoc consistit, ut quis de se modeste demisseque sentiat, laudem fugiat ac veluti omnium infimum sese praebeat. Hisce omnibus humilitatis partibus prorsus Servus Dei satisfecit.

73. Cum Curio ab Episcopo in Montispessulano templo principe creatus est, quantum viribus eniti poterat, adlaboravit ut Episcopus susceptum consilium mutaret. Aiebat enim huic muneri sustinendo se omnino imparem esse. Diu quoque restitit priusquam munus acciperet quadragesimales conciones Nemausi habendi. Tunc humilitas eius nonnisi ex precibus et iussibus R.mi Alzon, Vicarii generalis Dioeceseos, superata est. Alias « invité par Monseigneur à donner « des retraites dans des maisons religieuses, fit respectueu« sement observer à Sa Grandeur que ne s'étant adressé qu'à « des gens simples et à des pécheurs, il ne saurait parler « convenablement aux âmes d'élite dans les communautés « religieuses ».

74. Monita ab aliis libenter excipiebat eorumque opinionibus se facilem subiiciebat. Olim Curio oppidi *Pézenas* eum exoravit ut meliori dicendi genere in concionando uteretur. Quantum in se situm erat, hisce consiliis obtemperare studuit, nec tamen data monita aegre tulit, quin immo summam gratiam Curioni habuit. Omnes se alios meliores putabat, magisque dignos, qui honoribus decorarentur: etenim cum *Legionis honorariae* insignia ei oblata sunt, Episcopum deprecabatur ut aliis eadem donaret dicebatque « *que lui-même n'avait rien qui pût lui faire attribuer « cette distinction* ». Profecto oportuit ut Episcopus eum iuberet accipere. Etiam « ayant été obligé dans une pré« sentation officielle de mettre sa croix de la Légion d'hon« neur, à son retour il la déposa en disant: « *Ce n'est pas « ma croix* »; il faisait allusion à sa croix de missionnaire ». Eosdem humilitatis sensus fovit cum canonicatu actus est: tunc enim aiebat: « *Le costume me coûtera une « centaine de francs, que j'aurai de moins pour mes « orphelins* ».

75. Bonis aliorum operibus gaudere, uberrimis fructibus, quos alii et laboribus suis accipiant, delectari, id humilitatem excipit, qua iubemur aliorum honoribus non invidere, sed magis magisque laetari. Verum haec laus praecipue ad Servum Dei pertinet, qui de fructibus, quos sodales in sacris missionibus referrent, maximam capiebat laetitiam. Vir quidam ei dixit ampliores fructus sodalem suum, quam ipse, in sacris expeditionibus referre solitum esse « *J'en suis bien « aise*, respondit, *je suis très heureux que Dieu se serve de « mes confrères pour faire plus de bien que moi* ». Pariter mundanum fastum fugere, divitias odere, solitudinem quaerere, id praeclarum humilitatis praeceptum est: humilis enim animus silentii et recessus suavitate recreatur. Servus Dei olim Lutetiam Parisiorum invisit atque in tanta urbis celebritate nihil ei antiquius erat, quam ad parvam suam domum redire, inter pauperes suos versari, in quibus Christi Iesu personam intuebatur.

76. Caeterum omnem occasionem arripiebat deprimendi sui neque eum unquam puduit se publice peccatorum omnium, quos terra sustinet, infensissimum profiteri. Cum Nemausi conciones in templo coram populo frequentissimo haberet, eumque ad spem Dei misericordia fovendam excitaret: « *Ce n'est pas*, inquit, *un pauvre pécheur comme moi, « mais un saint, qui devrait parler de la miséricorde* ». Alias cum de charitate Dei loqueretur: « *Je suis un igno« rant, un âne, j'en conviens*, inquit, *mais j'aime Dieu et « veux vous le faire aimer* ». Publicis eius orationibus olim Episcopus intererat. Tunc Servus Dei haec de se praedicare non dubitavit: « *Ce n'était pas à moi, qui suis un « ignorant, de vous parler des merveilles de l'amour de « Dieu dans l'Eucharistie. C'était à vous, Monseigneur, « à parler sur les merveilles de cet auguste Sacrement* ». Tanta humilitate praeditus erat ut ne cogitare quidem posset illud sibi divinitus datum esse ut Congregationem conderet. Ideoque « pendant longtemps il n'en parla à personne et « chercha à éloigner cette pensée ».

77. Laudes hominum acerrime fugit. « Pendant son vi« cariat à la Salvetat, il avait conquis l'estime et la vené« ration de tous les paroissiens. Lorsqu'il quitta cette pa« roisse, il voulut se dérober aux regrets de ceux qu'il avait « évangélisés et édifiés ». — Post conciones, multi iique praeclarissimi viri confluebant, qui ipsi laetarentur. Quando eorum oculis se eripere non poterat, respondebat « que s'il « avait plus de zèle, Dieu se servirait de lui pour convertir « un plus grand nombre d'âmes ». Ipse Episcopus, post eius auditam concionem, tanta pietate commotus est, ut e suggestu eum verbis humanissimis elegantissimisque compellasset. Interea Servus Dei, acriter sibi vim inferens quantum potuit, abstinuit a lacrimis, sed cum ad sacrorum custodiam se recepit, altis singultibus ingemiscere coepit. Profecto se nonnisi probris et conviciis, potiusquam laudibus dignum esse putabat. Die Sancto Andreae Apostolo sacro, sorores et orphani eum officiosis verbis alloquebantur. At ille: « *Les compliments* (aiebat) *sont pour St André. Ils « disent, non pas ce que je suis, mais ce que je devrais « être* ».

78. Quoniam vero illud S. Gregorii Magni eius menti penitus haerebat, videlicet *humilitatem esse omnium magistram virtutum, coelestis aedificii firmissimum fundamentum* (1), eo maximopere spectavit, ut alii quoque ad hanc virtutem effingerentur. Cum sacerdos quidam Servo Dei scriberet se prosperum exitum a Deo in sacris missionibus retulisse, « il lui manifestait sa joie, mais pour lui apprendre « l'humilité, il le pria de considérer non seulement les brebis « qui étaient rentrées au bercail, mais celles qui étaient « encore égarées ». Eximius igitur P. Soulas fuit humilitatis cultor huiusque virtutis nedum exemplar egregium, sed etiam magister praestantissimus nominari potest.

De supernis donis et miraculis in vita.

79. Mirabilis Deus in Servis suis: mirabilior in P. Soulas fuit, cuius virtutes charismatum donis praeclare confirmavit. De admirabili eloquio eius, iam multa passim prosecuti sumus. Erat equidem ille sapientiae sermo, qui, per Spiritum Sanctum conceptus, mores immutat, commovet animos atque omnem in partem convertit. Saepe etiam innumeris occupationibus distentus, haud paratus ad conciones accessit « comme « lorsqu'il prêcha sur le reniement de St-Pierre, tout l'au« ditoire en fut étonné, et on pensa que ce sermon avait « été longtemps et sérieusement préparé ». Verum alterius gentium Apostoli ei nomen iure indidi poterat: innumeri enim homines, qui in tutela versabantur erroris, ad veritatis patrocinium ex opera eius traducti sunt. Ne in exemplis afferendis longus sim, de puella quadam dicam, quae pravorum librorum lectione irretita, Servum Dei audire recusabat. Vicit tamen olim semetipsam eumque adiit: eius concionibus ad meliorem vitae rationem deducta est. Alias tres impii iuvenes, certi de Servo Dei vindictam sumere, quippe qui ad poenitentiam mulierem quamdam, prava eorum consuetudine implicatam, excitasset, eum, instructis insidiis, ad necem dare constituerant. Alter ex iis repentino morbo correptus est eique animam agenti adfuit Servus Dei: caeteri ex ipsius ope ad meliorem frugem se receperunt.

80. Vel animorum abdita saepe penetravit atque in iis dirigendis summopere excelluit. Cum quadragesimales con-

(1) Serm. 7, de Epiph.

ciones in Montispessulano templo S. Eulaliae dicato haberet, nonnulli impii homines ut eum irriderent, quamdam probrosam mulierem ad Servum Dei miserunt, obtentu conversionis. Ubi primum ipsa ad P. Soulas accessit, ille divino fere instinctu intellexit sacra ab iis in ludibrium verti ac subito mulierem remisit: quod quantam admirationem excitaverit quisque facile novit. — Spiritu prophetico quoque praeditus erat ac, mente divino lumine perfusa, saepe, quae in tenebris futuri temporis iacebant, manifesta prospexit. Frustra piscatores olim per integrum diem retia in mare iecerant. Iubet Servus Dei iterum retia tendi. « La pêche « fut si abondante que les filets rompaient ». Iacebat mulier morbo confecta atque a medicis deposita. Sorori curanti Servus Dei dixit: « *N'ayez aucune crainte: la malade ne « mourra pas: elle se relèvera* ». Id prorsus rerum eventus confirmavit. Duas puellas in quodam templo invenit: alteri dixit: « *Vous serez religieuse, mais vous ne serez pas « ma fille: vous entrerez dans une autre Congrégation* ». Contra alteri: « *Vous serez ma fille* ». Res, uti praedixerat, evenerunt. Quid? obitus sui Servus Dei definitum tempus praenunciavit. Testis quadragesimus quintus refert: « Mon « père, décédé depuis 24 ans, m'a raconté qu'un jour à Gignac « il rencontra le Père Soulas qui lui dit que dans trois mois « il irait rejoindre son frère (mon oncle) le F. Trappiste « Caizergues, décédé depuis plusieurs années. Effectivement, « trois mois après le P. Soulas rendait son âme à Dieu ».

81. Morbos quoque a corporibus affectis mira facilitate discussit. Multae sorores asiatica lue prostratae iacebant. Summopere dolens Servus Dei ad Tabernaculum venit dixitque: « *Mon Dieu, si vous rappelez à vous toutes vos filles, « avec quoi formerai-je ma Communauté? De grâce, « guérissez-les* ». Ne una quidem ex iis cessit e vita. Porro de Servo Dei dici poterat: *caeci vident, lingua capti loquuntur*. Soror quaedam tam vehementer oculis laborabat, ut medici edicerent eam prorsus lumen oculorum fore amissuram. Sororem animo iacentem his verbis P. Soulas solatus est: « *Vous ne perdrez pas la vue. Nous allons prier pour « vous, et vous serez bientôt guérie* ». Paucis post diebus res ex animi sententia evenit. Nobilis foemina, nomine *de Latour*, lingua et membris omnino capta erat. Eam Servus Dei adiit, dixitque: « *Vous n'avez pas la foi: ayez donc « la foi, vous parlerez, vous marcherez, vous guérirez* ». Vix ipse discesserat, cum foemina clamare coepit: « *Mon « Dieu, mon Dieu* ». « Trois jours après elle se leva et marcha « et parla comme tout le monde ». Illa sanata erat.

82. Coelitum quoque adloquio Dei Servus beatus est. « En « 1851, à la Messe de minuit, après la Consécration, le « P. Soulas vit la Sainte Hostie prendre la forme d'un petit « enfant. Il fut troublé et attendit que la Sainte Hostie re« prît sa forme pour pouvoir continuer. Toute l'assistance « remarqua que le Père restait à l'autel bien plus longtemps « que de coutume, et au moment de la Communion plusieurs « personnes s'aperçurent qu'il était profondément ému Le « lendemain, la Supérieure lui demanda ce qui lui était ar« rivé: « *N'avez-vous donc rien vu?* » répondit-il: « *Abso« lument rien* », dit la Supérieure... « *Après la Consécra« tion*, reprit le Père, *l'Hostie Sainte a pris la forme d'un « petit enfant, et j'ai dû attendre qu'elle reprît sa pre« mière forme pour continuer le Saint Sacrifice* ». L'im« pression que ressentit le P. Soulas ne lui permit pas pen« dant deux ou trois jours de prendre autre chose qu'un « peu de bouillon ». Tale vero prodigium ipse Episcopus auctoritate sua publice confirmare non dubitavit. Hac autem visione P. Soulas non semel suaviatus est: etenim « la fa« veur dont nous venons de parler se renouvela une se« conde fois pendant la Messe dans la chapelle de Bon-Se« cours. Comme à la première apparition, le Serviteur de « Dieu éprouva une émotion si profonde, qu'il resta plusieurs « jours sans pouvoir prendre aucune nourriture solide ».

83. Verum mirabilis quoque opes erat, quam in variis necessitatibus a Deo referebat acceptam, ita ut iure affirmari possit, ipsum vel rerum elementa in suis manibus poene habuisse. Sapienti muliere opus erat, quae regendae nascenti Congregationi praeficeretur. Puella Montagnol de Cazillac fere divinitus datur. — Ciceres ad coquendos Soror paraverat numero tam exiguo ut omnium sororum prandio minime sufficerent. At paucis post horis olla plena ciceribus inventa est, stupentibus omnibus. Alia exigua farinae copia suppetebat. Sorores P. Soulas iussit spem in Deo collocare. Farina ipsa paulo post, multiplicata fuit. Lintea orphanis operiendis deerant: ille ad Tabernaculum accessit: interea vir quidam venit dixitque ei: « *Voilà un sac de mille « francs, et, si cela ne suffit pas, vous n'avez qu'à le « dire. J'étais à mon bureau, quand j'ai pensé que vous « étiez en peine, et j'ai eu hâte de venir à votre secours* ». Quam opem alias expertus est: nempe: « Il se trouva un « jour à court d'argent pour acheter de la farine. Il pria « Dieu de lui venir en aide, et à la fin de sa prière, appelé « au confessionnal, il en sortit bientôt pour trouver dans son « chapeau une somme assez ronde pour satisfaire son désir. « Il se prosterna devant le Tabernacle et remercia Dieu de « l'avoir exaucé ». Atque etiam: « Il avait à payer une « note de 200 francs qu'on lui présentait. « Attendez un « moment », dit-il. Il alla au tronc des orphelins, y trouva « la somme voulue, et se prosterna devant le St Sacrement « pour témoigner à Notre-Seigneur sa reconnaissance ». Pariter: « Le Serviteur de Dieu avait à solder d'urgence « une somme de 6000 fr. pour une échéance de l'achat de « Notre-Dame des Champs. Il était sans ressources. Toute« fois, dans son humble cellule se trouvait une armoire de « réserve. Il pouvait y avoir tout au plus quelques cen« taines de francs, au dire des Sœurs. Le Père Soulas ouvrit « cette armoire et en retira 7000 francs. Il dit ensuite aux « Sœurs: *Il faut avouer que nous sommes bien ingrats et « que nous avons bien peu de confiance en la Providence, « qui se montre si bonne pour nous* ». Ut sacellum perpetuae adorationis aedificaretur, centum millia libellarum opus erant. Subito novendiales preces Servus Dei incipit: « Vers la fin de la neuvaine, une dame malade donna à la « Sœur qui la soignait la somme de 10,000 francs, pour « les porter immédiatement au Serviteur de Dieu ». Possem alia id generis in medium proferre, sed reliqua, quae in Summarii tabulis late patent, brevitatis causa praetermitto.

De fama sanctitatis in vita.

84. Virtus animos ad se inflammat et gloriam parit: nec ab impiis gloria istaec obscurari potest, qui adeo quadam vi naturae compulsi, eos laudibus efferunt, quos modo, aestu cupiditatum abrepti, maledictis incesserant. Neque contra humilitatis virtus prorsus obvolvi potest, solis ad instar, qui per nubes coelo obductas erumpit et radiorum spicula vibrat. Fama, quam Servus Dei adeptus est et quamdiu vixit tenuit, ab infantia ortum duxit, neque unquam lapsu temporis imminui visa est. Multi, iique gravissimi homines, eius patri laetabantur, quod talem filium suscepisset: « Le père « du Serviteur de Dieu, se trouvant dans une foire en « compagnie de gens dont il était inconnu, il entendit faire « l'éloge de son fils: chacun disait son mot, et l'un d'entre « eux, à la fin, proclama heureux le père qui avait donné « naissance à un tel enfant. A ces mots, le père ne put « contenir ses larmes, il se trahit et on comprit qu'on « avait parlé de son fils. On voulait faire des honneurs

« extraordinaires à ce père, qui se déroba à leurs félici« tations ».

85. Iustos aestimatores virtutis suae omnes aequales Dei Servus nactus est. « Pendant sa vie, le P. Soulas était con« sidéré comme un saint ». Curio oppidi, eum puerum plurimi habuit ac divino quodam beneficio ad grandia natum esse putabat. Hanc opinionem summo studio foverunt cives omnes, ita vero ut olim, cum pluvia iamdiu siccis agris recreandis desideraretur, enixe se illius precibus commendassent; neque spe sua decepti sunt. Itemque si dignitate suffragantium sanctimonia tanti viri foret dimetienda, optime de Servo Dei senserunt Episcopi Galliarum, quorum nomina omnia ad unum referre longum est; praecipue in iis Montispessulanus Episcopus recensendus est, qui tanto in pretio eius sanctitatem habuit ut eam inter publicas conciones laudibus efferre non dubitaret. Neque mireris si Dei Servi nomen in omnium ore versabatur. Populares homines aut potius ex omni ordine cives, uno quasi spiritu permoti, eum *Sanctum*, concordi voce, appellabant. Huius sanctitas argumento sunt innumeri Christifideles, qui ad Servum Dei confluebant, ut apud eum suas noxas salubri poenitentia expiarent. Pariter confertissima multitudo ad P. Soulas accedebat auxilium eius operibus latura ac nonnisi eius sanctitate permota. Pariter ob famam sanctitatis, qua potiebatur, multos collegit manipulos animarum atque mentium potentissimus fuit, veluti testis refert: « Ma mère « m'a raconté que, très occupée aux soins du ménage, le « P. Soulas l'invita à aller trouver une personne pour une « œuvre de charité. – Je ne puis pas en ce moment, lui fut-il « répondu; vous voyez que je suis très pressée dans mon « travail. – N'importe, répliqua le Père; et ma mère laissa « tout pour obéir au Serviteur de Dieu. Tel était l'ascen« dant de sa sainteté ».

86. Talis autem sanctitatis opinio non tempori cessit, non locis. Constans et aucta in dies, quodque caput est, vitae morumque integritate nitebatur. « Partout j'ai entendu dire « que le P. Soulas était considéré comme un *saint;* dans « les Communautés religieuses, on le considérait en général « comme un *saint* ». *Sanctum* appellabant eum propter eximium virtutum apparatum et singularia munera, quibus divinitus praeditus fuerat. « Il était affable envers tout le « monde, il commandait le respect par sa réserve et sa « modestie ». Propterea nemo unquam huic famae adversatus est: « Je n'ai jamais entendu mal parler de lui; tous « ceux qui l'ont connu n'en font que des éloges; en le « voyant, on comprenait qu'il était tout pénétré de Dieu et « de la pensée des âmes ». Id singularia facta ostendunt, nempe: « Un témoin oculaire a assuré que lorsqu'au Sé« minaire on apprit la mort du P. Soulas, les directeurs et « les élèves furent frappés de stupeur, et se dirent les uns « aux autres: *c'était un saint!* » Quam sententiam alii insigni pietate viri fovebant: « Monsieur l'Abbé Berthomieu, « qui jouissait d'une grande réputation de piété et qui avait « été l'ami et le confident du Serviteur de Dieu, disait: « *Si le P. Soulas n'est pas au Ciel, tout le monde peut « y renoncer* ». Sorores autem, quibus ipse leges dederat, haec de Patre suo sentiebant: « Nous le regardons tous « comme un saint, à cause des exemples qu'il nous donnait « et des grandes fatigues et privations qu'il s'imposait « pour nous faire connaître Dieu et nos devoirs ». Ut paucis praecidam, erat *corona aurea super caput eius, expressa signo sanctitatis, gloria honoris et opus fortitudinis* (1).

(1) Aug. Card.

De pretioso obitu et concursu ad funus.

87. Qui vitam sanctissimam duxerunt, ii saepe divino instinctu supremam horam praesentire videntur. Tali beneficio fidelem Servum suum Deus (uti iam supra diximus) commendare voluit: quod id multis praeclarisque indiciis apparuit. Cum is sacellum augustissimo Sacramento perpetuo adorando extulit, ita viribus attritus erat ut iam proximam mortem sibi esse nunciaret. Itaque vehementi desiderio exardescens ut opus illud tandem aliquando perficeretur, operarios excitabat: « *Dépêchez-vous* » (aiebat) « *Vous « voyez que nous ne perdons pas notre temps* » respon« debant ipsi. Quibus ille: « *Je le vois, mais il me semble « que vous n'arriverez pas à temps; je crois que, peut« être, je mourrai avant la fin des travaux* ». Saepe etiam « addebat: « *allons, cela va bien: je ne demande à Dieu « qu'une grâce, c'est de vivre assez pour assister à la « bénédiction de l'église* ». Denique, opere perfecto, dies vigesima tertia Aprilis, anno 1857, constituta fuerat, qua sacris caeremoniis sacellum lustraretur. Tunc summo mentis ardore perinde ac si auditoribus valediceret ac discedendi veniam ab iis exposceret, publice concionatus est. « Prêcha « avec une émotion considérable, qui se traduisait par les « larmes qu'il versait. On fut étonné de l'altération de sa « voix, émus même, car beaucoup dans l'auditoire faisaient « comme lui et pleuraient. Il semblait qu'il faisait ses der« niers adieux à son auditoire ». Verum, paucis interiectis diebus, morbo postremo tentatus occubuit. At pridie quam se lectulo daret, inter sacrum celebrandum, diutius quam consueverat, ad sacram aram veluti in extasim raptus, attonitus haesit. Postea oculos ad omnia altaria circum vertit quasi extremis verbis sacellum salutaret.

88. Postridie illius diei vigesimae quintae Aprilis, anno 1857, quae incidit in dominicam, cum sub vesperum e templo exiret, morbo correptus est. « Le médecin constata qu'il était « atteint d'une fièvre cérébrale. Ses enfants, d'après le mé« decin, n'attachaient pas une grande importance à ce qu'on « croyait une crise passagère. Néanmoins, la Supérieure fit « prier les Sœurs; les Missionnaires aussi demandèrent des « prières aux fidèles ». At non illusit sibi ipse: insueto animi gaudio ad beatam patriam contendere videbatur, et quamdiu aegrotavit, tamdiu virtutum omnium documenta edere non destitit. De corporis cruciatibus minime anxius erat: contra de singulis Congregationis negotiis rationes voluit sibi reddi quotidie. Iam duobus ante diebus peccata omnia anteactae vitae confessus erat, ac tum Montispessulanae domus antistitae dixerat: « *J'ai fait un retour sur toute « ma vie: je suis bien content* »; sed cum sensit sibi extremam horam imminere, summo mentis ardore Sacramentis se rite expiavit. Etiam sacro morientium oleo, per summum fervorem, illitus est. Paulo post mente labi coepit.

89. Ubi primum vero per urbem nunciatum est Servum Dei iam prope esse ad vitae exitum, summus moeror pervasit omnes. Ex omni ordine cives ad cellam eius confluere: omnes salutem eius a Deo exposcere: Episcopus ipse pluries ei animam agenti adesse. « La chapelle ne désemplissait « pas de fidèles priant avec ferveur pour la conservation « du Serviteur de Dieu ». Verum quodnam delirium eius? Testis admodum refert: « L'agonie du Serviteur de Dieu fut « longue et très agitée depuis la nuit du dimanche et toute « la journée du lundi; il répétait dans le délire des paroles « qui rappelaient les grandes vérités qu'il avait si souvent « prêchées: « *Dieu! le Ciel! l'enfer! l'éternité!* ». Il bai« sait fréquemment sa croix de missionnaire. Le lundi soir, « vers les huit heures, il devint plus calme, et une demi« heure après il rendit son âme à Dieu, pendant qu'on réci-

« tait les dernières oraisons des Litanies des Saints ». Atque etiam « dans le délire de ses derniers moments, le Servi- « teur de Dieu baisait le Crucifix, le pressait sur sa poi- « trine et répétait les paroles qu'il avait fait si souvent re- « tentir aux oreilles de ses auditeurs: *Dieu, le Ciel, l'enfer,* « *l'éternité!* Il y eut quelques instants de calme, après les- « quels il rendit son âme à Dieu, le 4 mai 1857 ».

90. Quando vero mortis rumor pervagari coepit, omnis fere e suis sedibus urbs commoveri visa est. « A la nou- « velle de la mort du Serviteur de Dieu, une foule de fi- « dèles vint contempler une dernière fois les traits du « P. Soulas. Dès que le corps fut dans la chapelle, les re- « ligieuses l'entourèrent sur un double rang. Elles suffisaient « à peine pour faire toucher au corps les objets de piété « qu'on leur présentait ». Etiam: « Une grande affluence « vint dans la chapelle faire toucher des objets de piété au « cercueil qui renfermait sa dépouille mortelle. Les Sœurs « ne suffisaient pas pour satisfaire la piété des visiteurs. Il « fallut l'intervention de la police pour faire circuler sans « trop d'arrêt les fidèles autour du cercueil. Un grand nombre « accomplissaient ce pieux devoir en versant des larmes et « en s'écriant: « *Quel malheur! quelle perte pour les pau-* « *vres et les œuvres qu'il avait accomplies!* ». Omnes sanctum mortuum esse clamabant. Rev.mus Pater de Alzon, ubi obitum eius accepit, *ego nunquam mirabor*, inquit, *si Servum Dei olim Ecclesia inter Sanctos suos retulerit.* Matres quoque fuerunt, quae infantes suos ad feretrum deduxerunt « dans l'espoir que ce contact serait pour l'enfant « et pour elles une précieuse bénédiction ». Funera eius, tamquam triumphus, magna celebritate peracta sunt. « Les « funérailles eurent lieu le 6 mai à 9 heures 1|2, à la ca- « thédrale. Les Vicaires généraux, les chanoines de premier « et de second ordre, Monseigneur, les curés de la ville, un « grand nombre de prêtres de Montpellier et des environs « y assistaient. Les Pénitents bleus réclamèrent l'honneur « de porter le corps ». Longo ducto agmine ad sepulchrum corpus delatum fuit. « Jamais, depuis les funérailles de « Mgr Fournier, on n'avait vu un cortège si nombreux et « si pieusement attristé. Les orphelins et les vieillards de « l'hôpital ouvraient la marche. La Confrérie des Made- « leines, la Congrégation de la Mission de Montpellier sui- « vaient; après venaient les Pénitents bleus, qui avaient sol- « licité l'honneur de porter le corps; la Congrégation des « domestiques, fondée par le P. Soulas; les orphelins, les « garde-malades, la Persévérance des hommes avec les prê- « tres adorateurs, la Conférence de St Vincent-de-Paul; « après venait le clergé présidé par les Vicaires Généraux; « les Curés de la ville conduisirent le deuil; un piquet de « soldats rendait les honneurs au défunt; une grande foule « faisait cortège, au milieu d'une grande affluence, qui for- « mait la haie sur tout le parcours. On peut dire que la « ville était en deuil. Elle avait perdu un apôtre, un ami « des pauvres, un Saint ». Quid? « Un grande nombre d'hom- « mes, qui le considéraient comme un saint, se disputèrent « l'honneur de le porter quelques instants ». Porro sanctus ab omnibus reputabatur, atque « les rues que devait par- « courir le cortège étaient encombrées plusieurs heures à « l'avance et chacun se disait: « *Nous avons perdu un* « *saint!* ». Erant etiam, qui inter lacrimas clamabant: « *Nous n'avons pas besoin qu'il meure beaucoup de prê-* « *tres comme celui-là: nous aurions trop de travail* ». Et alii quoque aiebant: « *les pauvres s'apercevront de la dis-* « *parition de ce prêtre* ». Quo praeclarius sanctitati eius testimonium tribui quidem non poterat.

De fama sanctitatis post obitum.

91. Sanctitatis fama, virtutibus parta ac Spiritu Sancto confirmata, post obitum non evanescit, sed magis magisque crescit in dies, omnium celebrata praeconio. Sanctitatis fama, qua vivens Dei Servus inter omnes floruit, multo clarior ac vulgatior facta est postquam ad coelum migravit, illudque in primis documento est quod ex omni ordine cives, post eius obitum, turmatim confluxerunt ut funus comitarentur: « Ce qui prouve sa réputation de sainteté après « sa mort, c'est la grande affluence de toutes les classes de « la société auprès de son cercueil. Il fallut que la police « intervînt pour maintenir l'ordre et empêcher l'indiscrétion « d'un grand nombre, qui auraient mis en lambeaux les « vêtements du défunt pour les garder comme des reliques ». Ipsi homines protestantica lue infecti, eius reliquias avide quaerebant eumque sanctum una voce clamabant: « Les « protestants eux-mêmes passaient des linges sur son corps « pour les garder en souvenir ». Tanta erat fama sanctitatis, ut patres quoque monerent filios ne ex eorum animis funeris unquam recordatio excideret: « Aux funérailles du « Serviteur de Dieu, un tout petit enfant fut conduit par « son père pour voir défiler le cortège funèbre. Cet enfant, « qui est aujourd'hui un homme fait, m'a raconté qu'après « le défilé, son père lui avait dit: « Ce que tu as vu, ne « l'oublie jamais; tu as vu rendre des honneurs extraordi- « naires à un homme qui n'était pas riche, il était pauvre « comme moi; ce n'était pas un grand savant, il n'avait pas « cherché à le devenir; il n'appartenait pas à la noblesse, « son père était un pauvre paysan; mais c'était un saint. « Fais en sorte d'en garder le souvenir et d'imiter les vertus « dont il nous a donné l'exemple ».

92. Ea qua floret Dei Servus sanctitatis opinio, omnibus numeris ex iure requisitis, absoluta est. Late enim patet, apud doctos atque ignobiles, virtutibus innixa, prodigiis probata. En quid increduli homines de eo sentiebant: « M. Seguy, « doyen de la faculté des lettres, a dit en présence de « M. Garimond, de M. Courey et de deux autres docteurs de la « faculté, qu'il n'était pas suffisamment édifié sur les mi- « racles de la Salette; mais que si on lui disait que le « P. Soulas a fait un miracle, il le croirait sans hésiter ». Porro, uti testes referunt: « J'ai vu beaucoup de personnes « du peuple ou de la haute société et leur témoignage sur « la réputation de sainteté du Serviteur de Dieu est una- « nime. Jamais je n'ai entendu dire du mal de lui ». Cuidam petenti cur P. Soulas tanta fama celebraretur, hoc responsum datum est: « *Le P. Soulas n'est pas un homme du monde,* « *mais tout le monde sait qu'il avait une sainteté at-* « *tractive; on ne pouvait le voir ou l'entendre sans être* « *pénétré de vénération pour lui, et sans être porté à* « *devenir meilleur, parce qu'on avait été en contact avec* « *un saint* ». Atque etiam: « Ce qui prouve sa réputation « de sainteté après sa mort, c'est la voix du peuple una- « nime à le considérer comme un grand bienfaiteur de l'hu- « manité et comme un saint ». Qua de causa P. d'Alzon in publica ephemeride illud de Servo Dei praedicare non dubitavit: « *On dit quelquefois qu'il n'y a plus de saints.* « *Pour nous, qui eûmes pendant près de vingt ans la* « *confiance et l'amitié de cette âme sacerdotale, en* « *venant demander pour elle des prières, dernière puri-* « *fication nécessaire peut-être, nous ne serions pas surpris* « *que l'Eglise, qu'il aima tant, le présentât un jour à la* « *vénération des fidèles comme un modèle de l'amour* « *envers les pécheurs, les pauvres et N. S. au Sacrement de* « *l'autel* ».

93. Inter homines, qui virtute et bene factis patriam illustrarunt, Servus Dei saepe ab iis, qui historiam scribunt,

referri solet eumque laudant Episcopi aliique ecclesiastici viri celebratissimi. Quotidie ad eius sepulchrum invisendum et opem invocandam confluunt homines ex quovis ordine: « Ce qui prouve encore la réputation de sainteté du Serviteur de Dieu, c'est la confiance d'un grand nombre de fidèles pauvres et riches en son intercession; c'est encore la visite fréquente à la chapelle et auprès de son tombeau en dehors de l'Eglise; c'est encore le pieux désir de posséder de petites parcelles de ses vêtements. Cette vénération pour le Serviteur de Dieu subsiste encore aujourd'hui ». Quod omnes sentiunt, etenim: « Un grand nombre de fidèles, persuadés qu'on a obtenu par son intercession des grâces extraordinaires, l'invoquent à leur tour, demandant souvent à vénérer la croix ou les objets qui lui ont appartenu et l'invoquent encore aujourd'hui avec une grande confiance ». Nec satis: « Ce qui prouve la réputation de sainteté du Serviteur de Dieu après sa mort, c'est la confiance d'un grand nombre de fidèles pour l'invoquer, de demander à Dieu par son intercession des grâces extraordinaires. La réputation de sainteté après sa mort a continué et s'est répandue à cause des grâces de conversion et des grâces extraordinaires qu'un grand nombre de fidèles ont obtenues par son intercession ». Tum denique: « Ce qui prouve la réputation de sainteté dont jouit le P. Soulas après sa mort, c'est la confiance que les fidèles ont de venir prier sur son tombeau pour demander par son intercession la guérison des malades et la conversion des pécheurs. Cette réputation est fondée sur les guérisons déjà obtenues et elle subsiste encore de nos jours ».

94. Dei Servum tamquam legiferum patrem, sodalitatis suae praesidium et decus, sorores invocant aeternae gloriae participem factum. Neve hanc sanctitatis famam unquam plus aequo exornatam atque ex industria hominum ultro conflatam dicas. Iterum testes referunt: « J'ai toujours vu M. Soulas agir et parler comme un saint. Tous ceux que je connais ou que j'ai connus et qui sont morts, n'ont jamais parlé de lui que pour raconter ses vertus et bonnes œuvres. Si on le canonise, nos morts eux-mêmes en seront heureux! Il était si bon et si vertueux, il parlait du bon Dieu avec tant d'ardeur, qu'il était aimé et estimé comme un saint. J'ai toujours entendu parler de lui avec beaucoup d'éloge et je crois que c'est une bonne pensée de vouloir le faire canoniser ». Ut paucis complectar: « Le P. Soulas a laissé une réputation de sainteté dans la ville de Montpellier et le peuple l'appelle *Saint Père Soulas* ».

De miraculis post obitum.

95. Virtutes, quibus Dei Servus floruit, non modo immortali hominum laude, uti iam diximus, celebrantur, sed plurimis iisdemque magnis prodigiis eas adseruit Deus, quasi divino indito sigillo, quo splendidiore munere inter homines fidelis cultor suus commendaretur. Mirabiles prorsus sanationes a morbis dirissimis, eius ope, impetratae sunt: itemque depositae spei homines salubri expiati poenitentia ex hac vita migrarunt. Multa in Summarii tabulis narrantur: ego, ne longus sim, nonnulla attingam.

96. Praedicat omnibus validissimam apud Deum esse gratiam Servi Dei suffragantis Soror a Sancto Augustino. Etenim cum tam dira erysipele correpta esset ut nullo modo stare posset, iussa a Congregationis praeside Montem Pessulanum petere, obediit. In itinere, Dei Servi ope invocata, in statum pristinae valetudinis restituta est. Mulier in urbe Grenoble corde laborabat acerrime: pueros male instituerat: ipsa blasphema erat. Aegrota omnia sacra respuerat atque a daemone horrendum iactabatur in modum. Preces Servo Dei habitae sunt: poenitentissima obiit. Puella Gaubert, medulla spinali laborans, in postremum discrimen deducta erat: mirabiliter, Dei Servo invocato, convaluit. In oppido *Viols-le-fort* puella typho flagrabat et iam aderant praeludia mortis. Reliquia Servi Dei admota, illico sanitatem recepit.

97. Foemina in oppido *Monfrain* gravissime aegrotabat: sacerdotes ad eam accedere maritus non patiebatur. At Servi Dei patrocinio commissa, morbo ipsa levata est, maritus omnino ad Deum traductus. Vir impius, nomine Libe, in vitae discrimine versabatur. Ex Servi Dei ope, sanitatem et virtutem recepit. Senex depositae spei aegrotabat; ad eum sacerdos deductus est. Vitae noxas, ex Servi Dei intercessione, rite delevit. Vir quidam, nomine Fontvieille, sacrilego ore maiestatem Dei violabat: Dei Servo commendatus, salutari peccatorum confessione peracta, obiit. Iuvenis nomine Bastide ad extremum diem iam venerat. Impia dicta iactabat in Deum. Ter pro aegroto Dei Servi opes invocata est. Paullatim Virginem invocare coepit, donec rite poenitentia expiatus, animam efflavit. Iuvenis, nomine Berger, sensim lento morbo consumebatur. Fastidiosissimum caput erat. Cum de vita Servi Dei sibi enarrata audire incoepit, preces fudit et parocho peccata patefecit: donec prorsus, posita contumacia, suavi Ecclesiae iugo cervicem submisit. Domina Bouet, omnibus membris capta ad Servum Dei confugit perfecteque convaluit. Pariter quod puella a vita sua necanda manus abstinuit atque altera mulier in profluentem se non abiecit, id Servo Dei referri debet acceptum. Michaël d'Alby a recta virtutis via deflexerat. Gravi morbo urgebatur: de religione ne verbum quidem. Novendialibus precibus incoeptis, peccata detestatus, sancte decessit.

98. Dux militum, nomine Poujolat, non procul aberat a morte. Pessimus erat. Reliquia Dei Servi admota, confessione animum expurgavit et pie mortuus est. Mulier quaedam Deum negabat esse et pariter aegrotabat. Furtim ei Dei Servi imago imposita est. Obiit certis poenitentiae et pietatis editis signis. Soror Ludovica a S. Corde auribus capta erat et carie ossi affecta; prece Dei Servo adhibita, e morbo emersit. Soror Elisabetha intestinis adeo laborabat ut chirurgica operatione egeret. Extremis Sacramentis munita fuerat. Crines Dei Servi suo ipsa corpori applicuit. Ad pristinam et perfectam valetudinem rediit. Soror Helena medulla spinali laborabat, acutis doloribus dilacerata. Medici eam conclamaverant. Quadam die, inter preces Dei Servo porrectas, sana evasit. Cuidam mulieri aegrotanti medici edixerant de salute eius iam conclamatum esse. Ipsa e fenestra se deiicere constituerat: at custos, somno per Dei Servi vocem excitata, a certa morte eam retinuit. Soror Benedicta Déjean gravissimo morbo tentata fuerat. Iam imminentem exitum in horas adstantes expectabant. Dum funus paratur, interea sorores opem Dei Servi appellant. Subito sopor evanuit: sensus et sanitas redeunt, stupentibus omnibus.

99. Plura profecto addere possum beneficia, quae, Dei Servo suffragante, impetrata sunt. Haec tamen delibasse sat est, cum plenae sint Summarii tabulae: quibus ex rebus praeclare ostenditur quantum Deus, quantum homines Andreae nomine delectentur. Spe itaque summopere nitimur fore ut huic causae rite ineundae Sacer hic Ordo ferat suffragium, quemadmodum cum Ill.mo ac R.mo Alberto Battandier, huius causae Postulatore vigilantissimo, et cum universa Sororum a Nostra Domina pro infirmis iuvandis Sodalitate, enixe flagitamus.

Quare etc.

Die 12 Ianuarii 1901.

Ioannes Adv. Minetti
Achilles Martini.

Revisa:
Alexander Adv. Verde
S. R. C. Assessor et Fidei Sub-Promotor.

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Indulg. conceduntur pro pio exercitio in obsequium Deiparae Immaculatae primis cuiusque mensis sabbatis...

R.mus P. Dominicus Reuter, Minister Generalis Ordinis FF. Min. Conventualium, nuper exposuit, se anno quinquagesimo mox expleto, ex quo dogma de Immaculato B.mae Virginis Conceptu proclamatum est, veterem praxim, fere oblivioni datam, revocasse, exhibendi nimirum peculiarem cultum Virgini Deiparae singulis primis cuiusque mensis sabbatis, in obsequium tam singularis privilegii intuitu meritorum Christi eidem Virgini collati; quam piam praxim f. r. Clemens XIV litteris aplicis d. d. 10 Iunii 1774 indulgentia biscentum dierum iam ditavit, acquirenda a christifidelibus, qui memoratis sabbatis praefati Ordinis ecclesias adivissent.

Porro quum tam laudabile exercitium, nunc denuo propositum, vehementissimo cordis affectu christifideles sint prosequuti, ne huiusmodi tepescat pietas, sed imo ferventior in posterum evadat, idem Minister Generalis humillimas preces SS.mo D.no N.ro Pio PP. X admovit, ut christifidelibus, qui singulis primis sabbatis, vel etiam dominicis, haud interruptis, infra spatium duodecim mensium sacramentali poenitentia rite expiati sacraque mensa refecti, sive precibus, sive quoque meditationibus ad honorem Virginis absque originali macula concepta aliquamdiu vacaverint, simulque ad mentem Sanctitatis Suae oraverint, plenariam indulgentiam, defunctis quoque applicabilem, memoratis sabbatis vel dominicis lucrandam, tribuere dignaretur.

Sanctitas vero Sua, votis R.mi P. Ministri Generalis obsecundare exoptans, ut erga Dei Matrem magis foveatur fidelium religio, in omnibus pro gratia iuxta preces benigne annuere dignata est. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, die 1 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Sanantur receptiones ad Confraternitatem B. M. V. de Monte Carmelo usque nunc invalide peractae.

B.me Pater,

P. Praepositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum ad Sacrorum Pedum osculum provolutus, exponit S. V. non raro contingere ut christifideles, qui ad Conf.tem B. M. V. de Monte Carmelo admitti postulant, invalide recipiantur, tum ob omissam nominum inscriptionem, tum ob aliam causam. Ne itaque praefati christifideles gratiis et privilegiis memoratae conf.ti concessis inculpatim priventur, Orator S. V. humiliter exorat, quatenus receptiones ad eamdem conf.tem quacumque ex causa usque ad hanc diem invalide peractas, benigne sanare dignetur.

Et Deus etc.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS. D. N. Pio Pp. X, sibi specialiter tributis, petitam sanationem benigne concessit. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Sec.ria eiusdem S. C., die 28 Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

Pro Sec.rio: IOSEPHUS M. Can.cus COSELLI, *Sub.tus.*

III.

In casu Ecclesiae reaedificatae fere in eodem loco et sub eodem titulo, privilegium Viae Crucis transfertur sine nova erectione.

Fr. Bonaventura Marrani, Ordinis FF. Minorum Procurator Generalis, ab hac S. Congregatione Indulgentiarum sequentis dubii solutionem humiliter expostulat:

Ex Decreto huius S. C. in una *Leodien.* d. d. 9 Augusti 1843 indulgentiae non cessant, si, destructa veteri Ecclesia, nova aedificetur fere in eo loco, ubi vetus existebat, et sub eodem titulo. Quaeritur:

Utrum praefata resolutio applicetur etiam Stationibus S. Viae Crucis legitime erectis, ita ut in casu Ecclesiae ex toto reaedificatae fere in eodem loco et sub eodem titulo praeexistens privilegium S. Viae Crucis non cesset, si S. Via Crucis, quae in veteri Ecclesia destructa legitime erecta extabat, salva substantia, ast sine nova erectione in Ecclesiam reaedificatam, prout dictum est, transferatur?

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, audito Consultorum voto, proposito dubio respondendum mandavit: *Affirmative.*

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 7 Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*
IOSEPHUS M. Can.cus COSELLI, *Subst.*

IV.

Indulg. 300 dierum conceditur recitantibus iaculatoriam in honorem B. Mariae Virg. vulgo *della Guardia*.

Beatissimo Padre,

Il Sac. Carlo Cresta, Direttore del periodico *La Madonna della Guardia*, colla venia dell'Arcivescovo di Genova, suo Ordinario, prostrato ai piedi della S. V., umilmente supplica di voler concedere qualche indulgenza a coloro che, onorando la SS. Vergine sotto il glorioso titolo di Nostra Signora Regina della Guardia, venerata nella Liguria in più celebri Santuarii, reciteranno la seguente invocazione:

« Nostra Signora, Regina della Guardia, pregate per noi che ricorriamo a Voi ». — Che ecc.

Die 6 Aprilis 1905. — Ex audientia SS.mi.

SS.mus, auditis expositis, omnibus Christifidelibus suprascriptam precem recitantibus, quoties id egerint, indulgentiam tercentum dierum, Animabus etiam in Purgatorio detentis profuturam, benigne concessit, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus. In quorum etc.

CASIMIRUS Card. GENNARI.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 10 Aprilis 1905.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XXIII. Die 5 Martii 1678.

LAUDEN. — Matrimonii. — R. *Episcopus conficiat processum ser. serv. et transmittat.*

MEXICANA. — Congregationis charitatis. — R. *Deputentur EE. Card. Nidardus, Albritius et Casanate, qui audiant et referant.*

ROMANA. — Concursuum. — R. *Nihil innovandum.*

DUBIUM. — Cognationis spiritualis. — R. *Affirmative.*

VENETIARUM. — Restitutionis in integrum. — R. *Dilata.*

69. Romana. — Concursus.

Praxis tribunalis E.mi Urbis Vicarii in concursibus parochialium ea est, ut concurrentes quicumque describantur cum expressione aetatis, et titulorum, ac graduum, quos obtinuerunt. Adveniente die in edictis praefixo, intimatur unicuique concursus habendus. Conveniunt examinatores coram Eminentia sua et admissis examinandis insimul, tres ex ipsis RR. Examinatoribus, unus post alium variis quaesitis periculum faciunt de idoneitate quoad litteraturam eorumdem concurrentium, singillatim expectando responsionem primi, v. g. per quam, si quaesitum evacuat, procedunt ad aliud cum insequenti. Si vero non exacte adimpleat, interrogant secundum, quid dicat super quaesito? Et sic deinceps, donec expleatur turnus.

De moribus nulla iudicialis fit inquisitio per RR. Examinatores, sed tamen extraiudicialiter omnes concurrentes sunt eis satis noti. Et in actu descriptionis, secretarius tribunalis recognoscit eorum titulos, et testimoniales, ac licentias celebrandi, quas obtinuerunt in adventu ad Urbem, vigore testimonialium Ordinariorum suorum, et si quid circa hoc effugeret notitiam examinatorum, E.mus Vicarius in praeeligendo inter approbatos quoad litteraturam, habet rationem bonorum morum, et conversationis eius vel eorum, quos ad parochiales nominat.

His stantibus, de mandato SS.mi D. N. discutiendum venit:

An de caetero sit servanda forma examinis per concursum, quae practicatur in Urbe pro parochialibus, et Vicariis perpetuis.

R. *Nihil innovandum.*

70. Dubium. — Cognationis spiritualis.

Praesentis dubii resolutio, die 29 Maii 1677, dilata fuit ut scriberent theologi. Istorum igitur scripturis transmissis per manus E.morum iterum quaeritur:

An dispositio Conc., cap. 2, sess. 24, *de Reform. matrim.*, decernens in Sacram. baptismatis, contrahi cognationem spiritualem inter suscipientem et patrem ac matrem suscepti, habeat locum in baptismo sine solemnitatibus ob necessitatem domi sequuto.

R. *Affirmative.*

XXIV. Die 26 Martii 1678.

MUTINEN. seu NULLIUS. CARPEN. — Iurisdictionis. — R. *Iterum proponatur et detur copia Decretorum E.mis PP. et extendatur dubium ad mentem.*

ROMANA. — Concursuum. — R. *In decisis.*

REGULARIUM — De Casibus reservatis. — R. *Non licere.*

LAUDEN. — Iurisdictionis. — R. *Affirmative.*

DE OBSERVANDIS ET EVITANDIS IN CELEBRATIONE MISSARUM. — R.

DE CASIBUS RESERVATIS. — R. *Secretarius exponat SS.mo Sacram Congregationem quoad dubia iudicasse a primo usque ad decimum inclusive sufficienter provideri litteris circularibus ad Episcopos dirigendis, quibus eisdem iniungatur ut diligenter curent, quod sacerdotes tam saeculares, quam regulares debita cum reverentia celebrent. Ab 11 ad 14 inclusive sufficienter esse provisum in decretis sa. me. Urbani VIII. A 15 ad 18 nihil esse addendum provisionibus iam factis a Clemente VIII.*

CRACOVIEN. — Dismembrationis. — R. *Negative.*

CARMELITARUM. — Iuris disponendi. — R. *Negative ad utrumque.*

NULLIUS ALTAMURAE. — Processionum. — R. *Ad 1. affirmative dummodo in titulum Beneficii conferantur.*

SQUILLACEN. — Cappellaniarum. — R. *Ut infra: Ad 1. quod alias fuerat secundum, negative; ad 2. alias 3.m detur decretum emanatum in una S. Agathae Gothorum die 25 Maii 1652; Ad 3 alias 4.m non posse prohiberi; Ad 4.m alias 5. affirmative intra limites suae parochiae.*

71. Regularium. — De casibus reservatis.

Viglevanensis Episcopus exponit praelatos regulares, quorum zelum vocat indiscretum, dum casus quoad subditos sibi reservarunt, iubere, quos ad confessiones regularium

audiendas exponunt, ut verbo aut scripto declarent non solum numerum religiosorum, sed et nomina eorum qui regulariter iis confitentur. Hinc resultare quod cum unus confessarius quatuor vel sex poenitentes habeat, si contingat, ut petat licentiam absolvendi ab aliquo casu reservato, iam praelatus inter quatuor vel sex scire debeat quisnam illud commiserit et cum longa experientia mores singulorum percalleat, possit digito ostendere, sine erroris periculo, quisnam iste sit, qui absolvi a reservato valeat. Id putans repugnare arctissimo confessionis secreto, instat decerni:

An liceat ut confessarii singuli exhibeant superiori nomina eorum, qui ad suos pedes gratiae sacramentalis...

R. *Non licere.*

72. Lauden. — Iurisdictionis.

Sub die 14 Novembris 1676, proposito ad instantiam Episcopi sequenti dubio, responsum fuit, dentur decreta; sed quoniam ea, quae reperiuntur alias edita, non ita adaequate dubium evacuant, ad omnem ambiguitatem amovendam, idem Episcopus Romae praesens instat pro declaratione particulari.

An Episcopus visitare possit Montem pietatis loci Codogni non obstante praeventione magistratus in revisione computorum.

R. *Affirmative.*

73. De observandis et evitandis in celebratione Missarum.

Delatum fuit SS.mo, a nonnullis Sacerdotibus tam brevi temporis spatio sacrosanctum missae sacrificium peragi, ut non sine scandalosa confectione, et irreverentia tremendum hoc mysterium tractetur. Ad debitam itaque venerationem instaurandam proposita fuere Sanctitati Suae, et ab eadem remissa ad hanc Sacram Congregationem pro examine infrascripta remedia:

1° Praescribendum, seu potius declarandum, non posse, absque indecentia, missam celebrari minori temporis spatio, quam sesquiquadrantis unius horae.

2° Ad haec declaranda, in hoc non dari parvitatem materiae.

3° Adversus contravenientes, infligendam poenam suspensionis et pecuniarum.

4° Proinde retinendam in quolibet altari Clepsydram quae currere incipiat in introitu.

5° Si quis ante elapsam Clepsydram missam impleverit, contravenisse censeatur.

6° Et nihilominus sacerdos donec integre arenula decurrat in altari stare teneatur, ut suae irreverentiae poenam et hanc publici pudoris sentiat.

7° Quod si non steterit, in poenam excommunicationis ipso facto incurrat.

8° Accolytus contraventorem ad parochum, et is ad Ordinarium deferat.

9° Super his autem edendam Constitutionem.

10° Quamque quolibet anno, et in qualibet Ecclesia legendam et populo explicandam.

11° Pari modo delatum fuit, quampluribus in Ecclesiis sufficienti sacerdotum numero destitutis acceptari legata et eleemosynas pro missis non sine detrimento fidelium, qui defraudantur; expedire propterea id sub censuris prohibere, et duorum librorum retentionem iniungendam ut in uno eleemosynae in altero celebrantes adnotentur.

12° Prohibendam detractionem 4ᵉ partis eleemosynae missarum in pluribus Ecclesiis practicatam, sub praetextu cerae et aliorum.

13° Prout etiam abusum quo aliquis sacrista retinet quinque iulios quolibet mense, et manuales sacerdotum eleemosynas sub ratione, quod eos ad celebrationem admittat.

14° Sub gravibus poenis etiam censurarum iniungendm superioribus, aliisque ad quos spectat, munditiem mapparum in altaribus, et aliorum quae in sacrificio adhibentur, prout etiam paramentorum nitorem.

74. De Casibus reservatis.

In eodem folio demum subditur multiplicitatem casuum reservatorum, et difficultatem inveniendi sacerdotem ab iis absolvendi auctoritate suffultum destruere, potius quam aedificare. Ideo:

15°. Praescribendum Ordinariis, ne plures, quam quindecim casus reservent.

16° Et dandam absolvendi facultatem parochis, et aliquot regularibus.

17° Qui tamen eumdem poenitentem non pluries, quam bis aut ter possint absolvere.

18° Ac pro iis imponant poenas pecuniarias, aut corporis afflictiones, puta ieiunia, horas orationum.

R. *Secretarius exponat SS.mo Sacram Congregationem quoad dubia iudicasse: a primo usque ad decimum inclusive, sufficienter provideri litteris circularibus ad Episcopos dirigendis, quibus eisdem iniungatur ut diligenter curent, quod sacerdotes tam saeculares, quam regulares debita cum reverentia celebrent. Ab 11 ad 14 inclusive, sufficienter esse provisum in decretis sa. me. Urbani VIII. A 15 ad 18, nihil esse addendum provisionibus iam factis a Clemente VIII.*

75. Carmelitarum. — Iuris disponendi.

In Constitutionibus Carmelitarum, p. prima, cap. 2, ita disponitur: « Item volumus quod illi qui habuerunt in Or« dine bonorum communium Ordinis dispositionem, puta « prior generalis, provinciales, procuratores Ordinis, valeant « secundum quod conscientia eis dictabit, de bonis mobi« libus ad usum suum detentis, exceptis scriptis et libris, « quos volumus omnino reponi in libraria conventus, ad « quem spectabunt, infra ordinem disponere, et ordinare « communitatibus Ordinis, provinciarum, seu conventuum, et « etiam ad usum vagum, et incertum fratrum studentium, « praedicatorum, et aliorum, sic tamen quod proprietas semper « sit alicuius communitatis ».

Sed hae constitutiones non sunt a Sede Apostolica confirmatae sed tantum recognitae ex decreto Capituli generalis celebrati anno 1625.

P. Magister Acosta, anno 1664, obtinuit a P. Generali facultatem disponendi intra limites constitutionis p.tae et obtinuit a D. Nuncio Hispaniarum confirmationem et successive, anno 1676, in ultima voluntate, de suis mobilibus caeteroquin pretiosissimis disposuit.

Sed P. Vicarius Generalis pro hoc et aliis casibus, qui possunt occurrere, mediante libello per SS.mum remisso, pro declaratione instat decerni:

1° An dispositio d. P. Acosta sustineatur.

2° An praedicti regulares possint iuxta praedictam constitutionem disponere.

R. *Negative ad utrumque.*

76. Nullius Altamurae. — Processionum.

Propositis infrascriptis dubiis, die 27 Novembris 1677, resolutio dilata fuit ut clerici audirentur, citato itaque illorum Procuratore ad informandum iterum, quaeritur:

1° An clerici non participantes obtinentes tamen beneficia, aut officia ecclesiastica simplicia quamvis tenuia, aut nullius redditus etiamsi de iure patronatus laicorum, cogi possint ad publicas processiones.

2° An pariter cogi possint obtinentes legata pia, quae conferuntur in titulum.

R. *Ad 1. affirmative, dummodo in titulum Beneficii conferantur.*

77. Squillacen. — Cappellanarium.

Ex quinque dubiis in hac causa propositis, 11 Decembris 1677, ad primum tantum resolutio emanavit, in reliquis dilata fuit. Nunc itaque EE. PP. instantibus cappellanis dignentur d. Congregationis folium reassumere et ad reliqua tunc proposita dubia respondere:

1° An Episcopus potuerit dictos Cappellanos adigere ad interveniendum pro diacono, et subdiacono in matrici.

2° An prohibere dd. Cappellanis ne diebus festis missam celebrent in eorum Ecclesia ante missam a parocho non celebratam.

3° Ne missas ibidem cantent absque parocho.

4° Ne sermocinentur, festa, aut vigilias populo annuncient.

5° An potuerit eisdem iniungere ut confessiones audiant in Ecclesia, in qua parocho illibuerit.

R. *Ut infra: Ad 1. quod alias fuerat secundum, negative; ad 2. alias 3.^m, detur decretum emanatum in una S. Agathae Gothorum die 25 Maii 1652; Ad 3 alias 4.^m, non posse prohiberi; ad 4.^m alias 5, affirmative intra limites suae parochiae.*

XXV. Die 30 Aprilis 1678.

Brunswicensium. — Indulti. — R. *Posse concedi ad formam primi indulti in gratia oratoris de fide catholica optime meriti.*

Nuceriae Paganorum. — Decimarum. — R. *Exquiratur votum Rotae.*

Romana. — Distributionum. — R. *Affirmative.*

Hortana. — Moderationis oneris. — R. *Moderandas dotes ad proportionem reddituum.*

Amalphitana. — Archipresbyteratus. — R. *Ad utrumque negative.*

Clusina. — Iurisdictionis. — R. *Exhibeantur litterae patentes; et si manet in carceribus, relaxetur cum fidei iussione danda coram Ordinario.*

Dubium. — Reductionis missarum. — R. *Exprimant casus particulares.*

Umbriaticen. — Dismembrationis. — R. *Ad utrumque negative.*

78. Brunswicensium. — Indulti.

Anno II Pontificatus Alexandri IV emanarunt Apostolicae Litterae tenoris etc.

Alexander etc. Dilecto Filio Nobili viro duci de Brunswic, salutem et Apostolicam Benedictionem. Nonnunquam instans devotorum supplicatio Nos inducit, ut ipsorum petitiones per quas eorum occurritur gravaminibus, et quieti consulitur, ad exauditionis gratiam admittamus. Sincerae igitur devotionis affectum, quem ad nos, et Romanam Ecclesiam habere dignosceris sollicite attendentes, ac per hoc tuae cupientes providere quieti, auctoritate tibi praesentium indulgemus, ut nulli Ordinarii in quorum dioecesibus terrae tuae consistunt, nec non delegati, subdelegati, exequutores, et conservatores a Sede Apostolica vel eius legatis dati, non possint in tuam et uxoris tuae ac filiorum tuorum personas excommunicationis et in terras tuas interdicti sententias proferre, nec facere promulgari absque mandato Sedis Apostolicae speciali de hoc indulto plenam et expressam de verbo ad verbum mentionem faciente, non obstantibus aliquibus litteris, seu indultis a Sede Apostolica vel legatorum eius impetratis, aut etiam impetrandis per quas huiusmodi concessio valeat impediri. Nulli ergo, etc.

Idem Pontifex, per alias litteras, constituit exequutorem praemiss. Abb. S. M. in Redaxhusen, ord. Cisterc. Huberstaden. dioeces. per haec verba: Discretioni tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus d. ducem super praemissis non permittas contra concessionis nostrae tenorem a quoquam indebite molestari; Molestatores huiusmodi per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, non obstante, etc.

Nunc Io. Fridericus, modernus dux de Brunswic, et Luneburgh, per libellum a SS.mo remissum supplicat pro eadem gratia. Quare non graventur EE. PP. decernere:

An sit annuendum.

R. *Posse concedi ad formam primi indulti, in gratia oratoris de fide catholica optime meriti.*

79. Nuceriae Paganorum. — Decimarum.

Sub die 24 Iulii 1677, in causa hac per SS.mum remissa S. Congregatio censuit a regularibus teneri solvere decimas ex iis bonis, ex quibus solvebantur antequam in ipsos transirent. Additum tamen fuit quod si regulares praetenderent privilegia, ea deducerent in eadem S. Congregatione. Nunc autem deducunt motiva desumpta ex transactione, quae datur in summario, et ideo cit. parte quaeritur:

An standum sit vel recedendum a decisis.

R. *Exequiratur votum Rotae.*

80. Hortana. — Moderationis oneris.

In testamento quondam Alberti Nicolai condito de anno 1626, inter caetera legitur: « Item lascio scudi 500 moneta, che si ponghino a censo, e del frutto di essi se ne debbano maritare due zitelle povere da cavarsi a sorte tra il n° di otto; ed essendovi zitelle povere della sua famiglia o parenti, siano preferite tanto materne, quanto paterne, e si debba dare per dote scudi 20 per ciascuna, le quali morendo senza figli legittimi e naturali servano dette doti per gli altri maritaggi, e si debbano maritare il giorno della festività di Santa Corona; ed a questo legato siano soprastanti gli eredi principali con il sig. Arciprete *pro tempore*, e suoi successori col sig. Cap. Andrea Colutelli vivente ed in suo difetto li suoi eredi, e dopo li più prossimi parenti del sangue di esso Testatore ».

In executione talis testamenti scut. quingenta versa fuere in emptionem tot censuum ad rationem octo pro centenario.

Sed quoniam ex dictis censibus pro summa capitali scutor. 160, haeredes iudicialiter coacti fuere recipere tot stabilia ex quibus fructus percipiuntur vix ad rationem quinque pro cent. scuta sexaginta restituta remanent otiosa

quia hisce temporibus difficillime inveniuntur reinvestimenta ad rationem octo, et reliquorum fructuum diminutio probabiliter timetur.

Attilius et alii de Nicolais haeredes, et de praesenti praed. legati executores supplicant pro moderatione.

Praemissorum veritas apparet ex relatione Episcopi, qui praeterea considerat videri haeredes non teneri supplere, ideo venit inspiciendum:

An et in qua forma petita moderatio sit facienda.

R. *Moderandas dotes ad proportionem redditaum.*

81. **Amalphitana. — Archipresbyteratus.**

De anno 1676, 22 Augusti, per obitum vacavit parochialis archipresbyteratus nuncupata terrae Atrani. Successive 20 Octobris communitas patrona solemniter congregata fuit assistente gubernatore et mandato proregis expedito 13 eiusdem, et ex 182 congregatis, 104 nominarunt Marcum Antonium de Guido, 63 Io. Bapt.am Albino, 2 Gianninum et Protam, 13 abstinuerunt, et die 21 nominatio praesentata fuit Archiepiscopo, et 21 Decembris a Guido acceptata.

Sed postmodum Archiepiscopus per suam sententiam ad evitanda scandala, quae oriri poterant inter nominatores in factiones divisos, et dicens electionem legitimo non fuisse in tempore praesentatam et propterea ad se devolutam, divisit archipresbyteratum a parochialitate, et sic archipresbyteratum contulit Guido cum port.a scut. 15 et scut. 10 pro missis. Parochialem vero contulit Albino cum reddita scut. 30. Ab hac sententia appellavit Guidus et communitas a causa commissa R. P. D. Thomate. Nihilominus Auditor SS.mi per suum decretum in contradictorio remisit ad hanc S. Congregationem, quo non obstante, Guidus instat ad iudicem remitti, vel resolvi Archiepiscopum non potuisse beneficium ita dividere.

Sed e contra pro parte Archiepiscopi et Albini, adducitur fides 130 Atranensium, qui testantur ab ipsis in praecedenti consilio electum fuisse Albinum, et subscriptum folium talis electionis modo deperditum, quia, syndici faventes Guido, noluerunt electionem Albini registrari in libris consiliorum. Item a Collaterali Neapolis 9 et 16 Octobris fuisse mandatum, ne quidquam innotesceretur sub poena praesertim nullitatis, et hoc notificandum communitati 19 eiusdem et 26 ordinatum omnia reduci ad pristinum, Archiepiscopum 9 eiusdem mensis decrevisse provisurum prout de iure quando fuisset exhibita validitas parlamenti. Quodque in omnem casum communitas 9 Martii 1678, divisioni consensit, prout etiam Capitulum Cathedralis 5 Ianuarii 1678.

Quare his positis decernendum videtur:

1° An ius conferendi, devolutum fuerit ad Archiepiscopum.

2° An Archiepiscopus potuerit, ut supra dividere.

R. *Ad utrumque negative.*

82. **Dubium. — Reductionis Missarum.**

Pro habenda regula in reductionibus Missarum peragendis, supplicatur declarari:

An super censibus gravatis Missarum oneribus exigi possint collectae Camerales.

R. *Exprimant casus particulares.*

ANALECTA VARIA

I.

DE MARIA NUNQUAM SATIS

De quantitate gratiae Beatae Mariae Virginis

THEOLOGICA DISQUISITIO.

(*Vide pag. 266 sq.*).

Caput VI.

De quantitate gratiae Beatae Mariae Virginis in initio, in progressu et in fine.

Si quis librum R. P. Godts sedula versarit manu, praeter multa inutiliter scripta ad thesim pro qua dimicat conficiendam, scilicet gratiam Beatae Mariae Virgini, in momento illius Conceptionis, concessam, superasse gratiam consummatam omnium simul Sanctorum et Angelorum, nullam aliam rationem ab ipso deprehendet allatam, nisi Mariam statim a Conceptione sua, utpote Matrem Verbi, nostram quoque Mediatricem extitisse: qui etiam a negantibus vel in dubium vertentibus hanc sententiam, hoc pacto sese expedit, quod a sancti Alphonsi sententia fas non sit cuiquam discedere (1).

Ut autem haec quaestio de initialis gratiae quantitate in Deipara rite perpendi valeat, quatuor in illius vita mortali momenta distingui apprime debent: primo, momentum Conceptionis Immaculatae; secundo, momentum Annuntiationis seu Incarnationis Verbi; tertio, momentum quo, sub Cruce Nati hominum Mater divinitus constituta est; quarto, momentum ingressus illius animae in beatam patriam. Ab hoc ultimo momento incipere possumus, ut quid de priori momento, circa quod potior dubitatio versatur, dici possit, tuto decerni valeat.

(1) « *On nous objecte: Vous voulez que Marie eût dès lors cette supériorité* IN ACTU; *il suffit qu'elle l'eût* IN TITULO. — *Non, cela ne suffit pas; cela n'est pas l'opinion de saint Alphonse; la Maternité divine était* IN TITULO FUTURO, *soit; mais la suréminence de la grâce* IN ACTU *dès le premier instant, voilà, pour nous, le fait et la vérité, vérité que nous voudrions défendre au prix de notre sang* ». P. 251. Quam apte hic quadrent verba poëtae :

« *Ah miser!*
Quanta laboras in Charybdi,
Digne puer meliore flamma! »

Ut igitur ab ingressu Deiparae in gloriam exordiamur, dicere possumus gratiam aut melius gloriam, qua exornata tunc fuit anima Mariae, longe superasse summam gratiae vel gloriae omnium simul Sanctorum et Angelorum. Cui utique sententiae securius quisque assentiri potest, quam quidem fulciri videmus evidentibus et non alieno sensu detortis locis, ex multis rerum sacrarum scriptoribus et signanter ex Bulla *Ineffabilis.* Re quidem vera, si Deus sibi in Maria plene complacuit, si illam Angelorum Sanctorumque coronavit Reginam, si a dextris Filii sedere in Coelis iussit, eam constituens gratiarum divinarum dispensatricem, salutis arcam, ianuam coeli, quidquid de ea dici potest eius ita dignitati cedit, ut vere conclamare valeamus: *De Maria nunquam satis.*

Accedimus nunc ad investigandam gratiam Deiparae in momento Annuntiationis, quod quidem cum momento Incarnationis Verbi plene coincidit, concessam, in quo etiam praedicare tuto possumus hanc gratiam tantam fuisse, ut gratiam omnium simul Angelorum Sanctorumque (1), qui Mariam praecesserant, excesserit. Tunc quippe ineffabile mysterium in Beata Virgine complebatur: Verbo scilicet in eius utero carnem sumente, ac Maria hoc ipso, utpote vera Dei Matre, ad Deum, qui est totius gratiae fons et origo, omni alia creatura propius accedente.

Re quidem vera, si ad oeconomiam salutis nostrae attendamus, facile deprehendemus omnem, quae unquam hominibus data est, gratiam a Christo Domino derivari, diversimode tamen, secundum temporum diversitatem. Et quidem, ante Christi adventum, gratia hominibus data est intuitu praevisorum illius meritorum, non physica eius humanitatis actione, cum res aliqua operari non possit antequam sit; gratia autem Angelorum a Christo efficienter non derivatur. Igitur nonnisi in momento sui ingressus in hunc mundum, Christus Dominus thesauros suae gratiae spargere coepit modo physico: iamvero, quaenam fuit illa creatura, quae omnium prima huius distributionis effectus perceperit, nisi ipsa Redemptoris vera et propria Mater? Et praecise, quia anima Mariae, prima omnium, influxum Verbi, illo in momento percipiebat, ideo gratiam ab eo tam abundanter recepit, ut illa undequaque perfunderetur. Cum autem operationes Novae Legis incomparabiliter superant operationes Veteris Legis, propter influxum physicum Hominis-Dei, conveniens fuit ut illa prima sanctificatio, quam Christus in Matre sua dilectissima efficiebat, longe superaret sanctificationem omnium simul Angelorum et Sanctorum usque ad illud tempus causatam.

Cum igitur ad hoc sit Verbum homo factum, ut genus humanum sua humanitate divinitati consecraret, conveniens fuit ut primam illius gratiae dispensationem ordinaret in Maria, et quidem in mensura quam omnes simul Sancti ante ipsam attingere unquam valuerunt: quo faciunt illa Angelici Doctoris verba (1): " *Quanto aliquod receptivum est propinquius causae influenti, tanto magis participat de influentia illius* „.

Accedit huic proposito Mariam, hoc ipso quod Dei Mater est effecta, officium Mediatricis quodammodo inchoasse, inter Christum, quem castis visceribus gerebat, et homines ad quos salvandos Iesus venerat. Quapropter Maria, hinc quidem ut vera Verbi Incarnati Mater, erat obiectum complacentiae Trinitatis Beatae, et sic in ordine speciali collocata, ipsa sola perfectior et pulchrior erat omnibus creaturis; ut vero Mediatrix, non solum nullam maculam habere debebat, sed etiam gratiâ ita erat exornanda, ut oculis Filii sui singulariter amabilis redderetur, propter cuius amorem Iesus se Patri tunc offerebat, placationis victimam pro salute mundi. Adventante ergo tempore quo Redemptor luci huius mundi nasci dignatus est, quid primo conspexere eius oculi, nisi vultum tuum, o Beata Mater, in quo sibi adeo complacuit, ut absque tua cooperatione mundum salvare noluerit, ut sic non solum nostra Mediatrix, sed etiam nostra Corredemptrix dignissima fieres (2)!

O ineffabile momentum Incarnationis Verbi! Sanctissima Virgo, ad vocem Angeli se humiliat quantum creaturae unquam possibile sit, et Altissimus eam supra omnes creaturas exaltat! Rite ergo canere potest Maria: " *Fecit mihi magna qui potens est, et sanctum nomen eius* „ (3).

Duo igitur circa quantitatem gratiae in Maria comperta iam manent: primum, hanc gratiam, in momento ingressus illius in coelum, pondere suo superasse cumulum gratiae etiam consummatae omnium simul Sanctorum et Angelorum; secundum, gratiam Mariae, in momento illius Annuntiationis, superasse gratiam non consummatam sed finalem omnium simul Angelorum et illorum Sanctorum, qui usque ad illud tempus vixerant.

Nunc restat ut et de primo momento vitae Deiparae agamus, et de momento, quo sub Cruce Nati Mater hominum effecta est: quae duo puncta simul, claritatis gratia, nunc tractabimus.

Et quidem quod ad primum Conceptionis Mariae instans attinet, cum rei rationes ad trutinam denuo haud leviter revocaverimus, id nobis confirmandum esse videtur, quod antea diximus,

(1) Intellige: gratiam Angelorum in via, non in patria, iuxta superius exposita: de Sanctis compertum est, nullum eorum fuisse glorificatum antequam Christus ipse glorificaretur.

(1) 3, Quaest. VII. art. 1.

(2) Vide quod scripsimus pro Congressu Mariano nuper Romae habito: « *L'Immacolata Madre di Dio, Corredentrice del genere umano* ».

(3) Luc., I, 49. Haec consideranti menti succurrit factum de gloriosissimae Virginis apparitione apud Lourdes, A. D. 1858, in die illius Annuntiationi sacro, quando humili puellae iterum iterumque sciscitanti quodnam foret eius nomen, ineffabiliter gestiens respondit: « *Ego sum Immaculata Conceptio* ». Quanta est dogmatum fidei nostrae harmonia!

illam scilicet positionem, qua tenetur gratiam Deiparae, in primo illius conceptionis momento, superasse gratiam finalem omnium simul Sanctorum et Angelorum, solido carere fundamento, negarique posse citra ullam diminutionem privilegiorum Mariae: quandoquidem altius eminent Dominae Nostrae laus honorque, quam ut futilibus rationibus, et pro cuiusque ingenii lubitu confictis, indigeant sustentari.

Et primo quidem, id replicare iuvat quod modo protulimus, scilicet initialem Mariae gratiam superasse gratiam finalem altissimi inter Sanctos aut Angelos; ita quod tunc Beata Virgo Maria, quia praedestinata erat ut esset Mater Dei, plus a Deo diligeretur quam quaevis creatura ab ipso unquam fuerit dilecta. Quapropter eius initium aut fundamentum superabat non solum initium et fundamentum, sed etiam terminum et culmen primi inter Seraphim (1), et hoc propter duo: primo, quia Deus illam ex tunc praeparabat ad officium, ad quod illam destinaverat; secundo, quia Maria ipsa, in illo primo actu liberi sui arbitrii, gratia illam efficacissime movente, in Deum ferebatur incomparabili intensitate et fervore. Siquidem Maria, ut diximus, statim a sua conceptione donum gratiae, non sicut alii parvuli, sed sicut adulti, scilicet operatione propriae voluntatis, accepit, Spiritu Sancto illius animam radio suae lucis collustrante (2), ita quod modo perfectiori quam altissimo inter Cherubim competat, intellexerit relationes, quibus ad Deum referebatur, et rationem ob quam creaturae Deum diligere debent; unde ad Deum se convertit actu immensi amoris, cuius proprius effectus fuit, ut thesauro divinae gratiae, plus quam quaevis alia creatura, ditata fuerit. O quam pulchra tunc fuit anima Mariae! Spectaculum utique hominibus, Angelis, Deo dignissimum!

Num tamen propterea dici debet gratia Mariae tunc superasse finalem gratiam omnium simul Sanctorum et Angelorum?

Hoc, inquam, non videtur rationabiliter dici: summa enim rationum ad hoc conficiendum, ad haec duo reduci potest: scilicet, talem gratiae cumulum Mariae competere, tum tamquam Matri Dei, tum tamquam nostrae Mediatrici. At, imprimis, falsum est, Mariam ab origine sua fuisse Matrem Dei; falsum pariter est illam tunc fuisse Matrem hominum et nostram Mediatricem (3). Profecto, Maria ante Verbi incarnationem Mater Dei non erat, nec consequenter erat Mediatrix nostra, cum Christus utique est mediator noster ad Deum, Maria vero est Mediatrix nostra formaliter ad Christum, qui nonnisi post plures annos ex ipsa nasci debebat (4). Quod si interdum loquimur de conceptione, de nativitate Matris Dei, nostrae Mediatricis, hoc non est nisi per anticipationem, quemadmodum dicere solemus Summum Pontificem in tali vel tali civitate natum esse.

Decerni ergo tuto potest gratiam Mariae, in illius conceptione concessam, fuisse utique immensam, attamen in ordine proportionato actuali illius statui: scilicet, nondum erat Mater Dei, ideoque *satis erat* ut talem acciperet gratiam, qua ad suam futuram dignitatem praeparari posset.

Quam tamen sufficientiam non ideo praedicamus, quasi modum nos Deo imponere velimus; sed quia sapientiam operum Dei, qui nil unquam sine ratione sufficienti molitur, humiliter investigantes, deprehendimus uberiorem mensuram fine praeintento non requiri. Utique, hac consideratione seposita, alia non suppeteret via ad Deiparae gratiam dignoscendam, nisi ut praefracte decerneretur quod *de ea nunquam satis*: quod tamen criterium sic intellectum huic aequivalet ut de Maria quidquid, etsi minus solidum, praedicari valeat: quod profecto avertat Deus!

Hic autem maximi momenti rem praetermittere non debemus, scilicet sententiam, quam impugnamus, si profundius perpendatur, Mariae dignitati honorique quidquam potius detrahere quam adiungere; altissimamque, quam de Maria habere debemus existimationem, consistere utique posse, imo rectius et securius, cum ea doctrina quam exponere studuimus.

Ad quod rite intelligendum, meminisse in primis iuvabit hominis meritum, et consequenter honorem gloriamque, ex eo quod divinae gratiae cooperetur et donis Altissimi correspondeat, proprie pensitanda esse. Iamvero, si admiserimus, ex una parte, id quod omnes doctores tamquam terminum gratiae Deiparae adsignant, videlicet illius quantitatem incomparabiliter esse superiorem quantitate gratiae finalis omnium simul Sanctorum et Angelorum; si autem, ex altera parte, duplex principium in ista gratia fingamus, unum, quale supra exposuimus, alterum quale confingunt auctores, quos impugnamus, nonne evidens est Mariam in primo casu magis, vitae suae decursu, gratiae correspondisse, et consequenter illius meritum ordinatius crevisse, sic ut gratia tamquam aurora emicans in eius conceptione splenduerit, gradatimque usque ad illam termini perfectionem processerit, iuxta illud (1): "*Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectum diem*".

Iamvero quandonam perfectus ille dies, omnem quamcumque lucis differentiam in sua unitate adunans, resplenduit in anima Mariae? Quandonam thesauri gratiae ita in eius anima creverunt ut ad quantitatem ineffabilem pertingerent? Hoc censemus fuisse quando, sub Cruce Filii sui,

(1) Utique adhuc in via constituti, ut explicatum est.

(2) Cf. Tract. DE BMA VIRGINE MARIA, p. 495.

(3) Haud recte ergo scribit R. P. Godts (p. 171): « *Marie a été Mère des hommes dès l'origine: cette maternité, cette médiation entre Dieu et les hommes est même sa raison d'être* ».

(4) Adverti hic debet perperam ab eodem P. Godts confundi officia Mediatricis, Corredemptricis et Advocatae (p. 258): quandoquidem ista tria officia realiter differunt, secundum differentiam rationum formalium eorum obiectorum. Cf. Tract. de BMA VIRGINE, P. III. C. I. art. 2, 3, 4.

(1) Prov. IV. 18.

Maria facta est spiritualis hominum Mater, ita quod tunc Deiparae gratia gratiam etiam finalem omnium simul Sanctorum et Angelorum superaverit, quando nempe Christi oraculo, ipsa humani generis Mater est effecta.

Id ergo quod dicit S. Alphonsus de gratia Virginis in momento illius Conceptionis, dicendum censemus de eadem, in momento quo hominum Mater sub Cruce Christi est effecta: at gratia Deiparae crescere adhuc debebat, usquedum ad ineffabile fastigium perveniret, in illo momento quo cessit e vita. Siquidem tum sub Cruce Domini, tum in fine vitae, gratia Mariae supergressa est gratiam omnibus simul Sanctis et Angelis concessam: sic tamen ut a momento mortis Christi ad momentum suae in coelum assumptionis, ineffabiles iugiter accessiones ita acciperet, ut vere de ea dici posset: " *Astitit Regina a dextris tuis in vestitu deaurato, circumdata varietate* „ (1).

Nec difficile videbitur id quod diximus de Maria sub Cruce Domini, cuivis parumper consideranti quale tum divinum opus perageretur. Re quidem vera mysterium, pro iis quae ad Deiparae gratiam pertinent, excellentissimum, sub ara crucis completum est, cum gladius a Simeone praedictus, beatam illius animam pertransivit. Siquidem prophetia illa complementum tunc habuit, quando etiam Deiparae anima gratia fuit donata modo supra explicato, videlicet, ita quod haec eius gratia finalem omnium simul Angelorum et Sanctorum gratiam superaret. At quonam pacto hoc effectum est, nisi quia Maria tunc Christi decreto hominum Mater constituebatur? Siquidem cum nil Deus proferat inane, hoc ipso quod Christus Mariam hominum Matrem constituit, tum hominibus filialis pietatis obsequii sensus, tum Mariae maternae pietatis viscera potentissime contulit, ut et illi quidem Mariam Matrem suam, haec vero homines filios suos vere compellare possent.

At hoc advertendum est, quod quidem ad propositum nostrum facit, in hoc praecise mysterio, animam Mariae gladio fuisse confossam, cuius quidem acuitas non in hoc consistebat, quod Filium suum Maria amitteret (nunquam enim Christus desiit esse Mariae filius), nec quod homines filios acciperet (hoc enim potius gaudio ipsi erat), sed quod eosdemmet spirituales filios accipiebat, qui Filium naturalem, qui Deus erat, interficiebant, et quidem sub propriis suis oculis, quemadmodum olim una Cain ferocia iustum Abel, Evae sub oculis, e vivis abstulerat.

In quo quidem consistere censemus summam virginei doloris, quem cum illa Deo plenissime conformis toto cordis affectu tulerit, hoc ipso mulier vere fortis, generis humani vera Corredemptrix esse meruit, ad quam facta est nova

(1) Ps. XLIV. 10. Ingrediente coelum Deipara, eius gratia iam consummata fuit, ideoque dici utique potest hanc gratiam superasse non solum finalem, sed proprie *consummatam* gratiam omnium simul Sanctorum et Angelorum, iuxta superius exposita.

Spiritus Sancti invisibilis missio, qua sanctiores quosque homines, Angelorumque altissimos choros, in gratia tunc sibi collata, superavit. Magna quidem fuerat gratia quam in sui Annuntiatione acceperat Virgo gloriosa, sed maior longe ea fuit quam in Filii sui morte, suo ineffabili martyrio, percipere merita est. Oh! quanta est excellentia Virginis Deiparae dum sub Nati cruce constituta, generis humani dignissima Corredemptrix meretur effici! Tunc quippe quaecumque magna, quaecumque sublimia de ea possunt praedicari, ita quod cum S. Thoma a Villanova conclamare possimus: " *Quantum potes, tantum auge: quantum vales, tantum adde* „ (1).

Caput VII.

Conclusio.

Antequam huic elucubratiunculae finem imponamus, opportunum ducimus ea, quae de quantitate gratiae Beatissimae Virginis hucusque disseruimus, paucis ordinatim perstringere.

Et primo quidem monuimus, in hac gravi materia, circa quam silent Scripturae, et vix tenuis quaedam nec inconfuse Traditionis vox auditur, veritatis indagatorem caute procedere debere, nec quidquam absque sufficienti ratione proferre; sed constituto sibi quantum fieri potest, fine divinorum operum, id decernere, quod convenientius et fidei analogiae magis consentaneum visum fuerit.

Iamvero, ea est constans Dei in operando norma, ut non statim rem in perfecta naturae illius conditione constituat, sed solum gradatim eam ab imperfecto ad perfectum perducendo. Sic quippe mundum hunc spectabilem ab informi quadam primigenia materia ad formosam rerum varietatem paulatim adduxit; sic etiam sanxit ut viventia a rudimentali quadam forma ad sui completam evolutionem ascendant; sic denique uniuscuiusque electorum sanctitatem novis, temporis decursu, cumulat incrementis.

Nec aliter sane de anima Deiparae, in via sanctitatis et gratiae procedente, decernere fas est: illa siquidem, ut aurora consurgens, usque ad perfectum gratiae meridiem processit, occasus nescia.

Hoc ergo de gratia illi in primo Conceptionis momento decernatur, eam utique immensam fuisse, cuiuscumque Sancti vel Angeli gratiam, etiam finalem, superans: hoc quippe illam omnino decebat, quae futura erat Verbi, secundum carnem, Genitrix, hominumque, secundum spiritum, piissima Mater.

In qua gratia, quales postea Beata Virgo progressus fecerit ille solus noverit, cuius efficacissima motione ducebatur: hoc tamen dicere ultro possumus, progressus illos adeo fuisse conspicuos, ut adventante Annuntiationis tempore, ex Christi eius Filii physico influxu, gratiam acceperit,

(1) Serm. II. de Nativ. Virg.

Angelorum simul et Sanctorum Veteris Testamenti gratiam superantem. Hoc quippe divinam decebat Maternitatem, qua Maria supra omnem naturae et gratiae ordinem elevabatur, hoc quoque quodammodo suadetur ipsomet Mediatricis officio, quod tunc Mater Dei inchoabat.

In quo quidem duo notatu digna subnectenda censemus. Primum, immensam hanc gratiae quantitatem Mariae collatam fuisse, tamquam praemium illius spontaneae actionis, qua moventi Spiritui Sancto cooperata est. Iam pridem, in momento suae Conceptionis divinam gratiam non absque suo consensu Maria acceperat; pariter omnes gratias, quae hanc primam gratiam subsecutae sunt, merito suo comparaverat. Nunc autem, aucta iam in illa gratia, augebatur quoque facilitas et promptitudo ad cooperandum novae gratiae, et consequenter augebatur capacitas ad novam gratiam accipiendam, iuxta illud quod Augustino tribui solet: " *Charitas inchoata meretur augeri, ut aucta mereatur perfici* „. Nil mirum ergo si Angelo, arcanum Incarnationis mysterium annuntianti, Virgo Beatissima omni haesitatione seposita, sine mora ultro consensum dederit: " *Fiat mihi secundum verbum tuum* „, Verbo simul in eius utero carnem sumente, et Spiritu Sancto eius animam divina gratia perfundente.

Quam recte ergo sancta Elisabeth, Praecursoris mater, hoc gratiae prodigium in excessu mentis admirata, exclamavit, Virginem compellans: " *Benedicta tu inter mulieres!* „ Quam recte Maria ipsa, ante Verbi Incarnationem iam salutata plena gratia, nunc super totum universum exaltata, mirabile canticum edidit (1): " *Magnificat anima mea Dominum... quia fecit mihi magna qui potens est!* „ Quam recte nunc Ecclesia, per totum orbem disseminata, haud desinit Virginem salutare: " *Ave, Maria, gratia plena* „: qua quidem oratione nil efficacius est ad exprimendam supereminentiam gratiae Virginis in momento Incarnationis, nil Deiparae ipsi gratius, nil denique nobis peccatoribus magis proficuum (2).

Alterum circa gratiam Beatae Virginis in momento Annuntiationis adnotandum, est singularis efficacia mediationis quam tunc Deipara exercere coepit, per respectum ad suum castissimum sponsum sanctum Ioseph, necnon per respectum ad Christi Praecursorem, sanctum Ioannem Baptistam.

(1) Luc. I. 46, 49. Contra eos qui, paucis latinae editionis S. Scripturae exemplaribus innixi, contendunt cum A. Loisy, Minocchi, aliisque, canticum *Magnificat*, attribuendum esse, non Mariae, sed sanctae Elisabeth, conscripsit nuperrime R. P. Florianus Jubaru, S. J., opusculum cui titulus: « *Le Magnificat, expression réelle de l'âme de Marie* », Rome, Desclée, 1905, ubi doctus auctor illam positionem triumphanter explodit. Deiparae Cantici declarationem in relatione ad illius Immaculatam Conceptionem, evulgavit ultimis hisce temporibus S. Fr. P. Parisi: « *Il Magnificat applicato allo Immacolato Concepimento di Maria* », Palermo, 1905.

(2) Quanti hoc mysterium, quod una cum Crucis mysterio, inter caetera eminet in vita gloriosissimae Deiparae, faciant sodales Servorum Mariae, evincit imago illa divinitus confecta, cuius repraesentatio exstat in huius opusculi fronte, quamque inde a primordiis Ordinis, in sua Florentina basilica, speciali cultu sunt venerati.

Et quantum ad primum, tuto teneri potest Verbum recens incarnatum, propter amorem quo Matrem suam prosequebatur, et etiam intuitu eius validae intercessionis, immensis gratiae thesauris sancti Ioseph animam ditasse, cui propter eius verum matrimonium cum Deipara, stricto foedere ita coniungebatur, ut illius Filius diceretur. Hoc quippe tempore tantam sanctus Ioseph gratiam accepit, ut nullo prorsus impedimento illum retardante, ad Deum iugiter tetenderit, iuxta illud: " *Filius accrescens Ioseph* „ (1).

Eidem quoque causae, scilicet physico Verbi incarnati influxui, respectu tamen ad Deiparam habito et mediante eius intercessione, adscribi debet mirabilis Ioannis Baptistae sanctificatio, cum Maria Elisabeth cognatam suam visitavit, cui sanctificationi attribuendum est quod postea Christus testatus est (2): " *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista* „.

Talis ergo fuit, ineffabili Annuntiationis momento, mirabilis gratiae quantitas in Maria, mirabilis quoque illius gratiae operativa virtus: at crescere adhuc debebat in accepta gratia Virgo Beata: scilicet in schola Auctoris gratiae, quem nunc in sinu, mox in ulnis gestura erat, quem lacte alitura, cuius gressus ductura, quem in templo oblatura, quem in peregrinationibus comitatura, cuius laborum dolorumque particeps erat adsciscenda, tales tantosque progressus Maria edere debebat, quibus digna foret ad supereminens illud et humanis oculis impervium fastigium, sub cruce Filii, pertingere, quod supra descripsimus.

Et quidem nunquam mente cogitari, nunquam verbis sat exprimi poterit, quantis gratiarum thesauris in hoc omnium solemnissimo momento, ditata fuerit anima Virginis gloriosae. Tunc enim fructus copiosissimae Redemptionis, in ipsam primo, Christus e cruce, physico quidem influxu, ita derivavit, ut vere tunc Maria fuerit sublimiori modo redempta, in se una exhibens totam Christi virtutis efficaciam, quo videlicet tempore dici tuto posse censemus gratiam omnibus simul Angelis Sanctisque collatam, Mariae gratia superatam longe fuisse.

Hic autem unum addendum esse volumus, non satis lugendam segnem plurium incuriam, qua ea quae ad Beatae Virginis martyrium pertinent prosequuntur, quidquid menti subeat palam et absque delectu proferentes; quo fit ut altissimus ille de gloriosa Deipara sensus obfuscetur, et Maria ipsa, quae, sub Cruce Filii consistens, ad summae perfectionis apicem elevata est, ad vilis cuiusdam mulierculae, dolore confectae et veluti deiectae, imbecillitatem deprimatur. Iam diximus abiiciendas esse, tamquam ab Ecclesia sufficienter condemnatas, eas Beatae Virginis picturas, quibus illa in deliquium cecidisse

(1) Gen., XLIX, 22.

(2) Matth., XI, 11.

repraesentatur (1). At multa sunt quae in liberculis, sic dictis devotionis, continentur, a tantae Dominae excellentia prorsus aliena, quibus non vera, sed ficta quaedam, pietati minus proficua, devotio, fovetur.

Sic quippe passim legitur Mariam, sub Cruce Filii, absque miraculo diutius vivere non potuisse, quasi fortitudinis virtus, quae ex immensa gratia qua erat ornata, insignis in ipsa prodibat, sufficiens non fuerit, iuxta dulcem Dei providentiam, opportuna necessitatibus auxilia disponentis, ad illam congrue sustentandam. Sic pariter Maria misera Mater interdum appellatur, quasi misera esse potuerit, quae tot gratiae cumulis tunc afficiebatur, et sua cooperatione mundum salvari videbat. Haud raro etiam a scriptoribus aut a praedicatoribus, ita, ad auditores aut lectores commovendos, describitur Mariae dolor, ut omni prorsus consolatione illa tunc caruisse dicatur, quasi superior illius animae pars ab inferiore, ut in nobis saepe accidit, opprimeretur. Demum a quibusdam edicitur in eo quod nos Mariae Christus filios dederit, filiorum commutationem fuisse habitam, hominibus scilicet Christo succedentibus, quasi Christus desierit unquam aut desinere possit esse Filius Mariae (2).

At, quod adhuc gravius est, nonnulla etiam interdum proponuntur, tamquam a sanctis Patribus dicta, quibus catholicus sensus, ne dicam catholica fides, plurimum offenditur. Omitto plura inepta et risum moventia, quale est illud quod sancto Bonaventurae tribuitur (3): " *Sicut enim coelum non est ullo modo porosum sed solidum, sic Dei Mater pia nullo modo fuit porosa vel vacua, sed solida* ". Ubi tamen, etsi exemplum deficiat, suppetit nihilominus virtutis incentivum. Sed, gravius est quod ex pseudo-Bernardo recitatur, ad excitandos compassionis sensus in Deiparam: " *Fiebat proinde moeror et luctus ab Angelis ibidem praesentibus, qualis decebat spiritus almos: imo mirarer, si omnes Angeli in illa beatitudine, ubi flere est impossibile, non flevissent. Credo, propter quod et loquor, quia dolebant, si dolere valebant. Sicut enim fuit possibile Deum per assumptum hominem mori, ita forte possibile Angelos bonos dolere de morte Domini Dei sui* " (4).

At haec quidem forsan per hypothesim, utique impossibilem, dicta censueris: quo tamen adhuc gravius est quod ex eodem auctore legitur (1): " *In ipsa enim sola* (Maria) *in triduo illo fides Ecclesiae stabat* ". Quod si haec benignius intelligi poterunt, scilicet hoc sensu quod fides utique in apostolis et discipulis perduraverit, at non ita firma et inconcussa sicut in Maria permansit, quomodo in bonam partem trahi poterunt haec alia, S. Ambrosio attributa, quibus S. Iosephus ab Arimathaea, prae Beatissima Virgine extolli videtur (2): " *Non minor gloria est quod tumulus Ioseph suscitaverit Dominum, quam quod sanctae Mariae uterus procrearit. Sed fortasse quis dicat: Quae comparatio ventris ac tumuli, cum illa ex intimis visceribus ediderit filium, hic autem solummodo locum praestiterit sepulturae? At ego dico non minorem, ex hoc scilicet, Ioseph affectum fuisse quam Mariae; siquidem illa utero Dominum, hic corde concepit: illa Salvatori membrorum suorum secretum praestitit, hic secretum sui corporis non negavit; illa Dominum pannis involvit, cum natus est, hic linteis, cum recessit; illa perunxit beatum corpus oleo, hic aromatibus honoravit. Conveniunt ergo sibi obsequia, convenit et affectus: unde necessarium est, et meritum ex hoc saltem convenire, nisi quod Angelus Mariam ad obsequium admonuit, Ioseph autem sola iustitia persuasit* ".

Sane eruditi rerum patristicarum, luce clarius iamdudum demonstraverunt haec et similia, Patrum, quibus tribuuntur, minime esse, sed incertorum auctorum, sub ementito illorummet nomine: nec putamus a vero longe abesse qui censuerint talia desumpta fuisse ex illis piis passionis dominicae, media aetate, in ecclesiis sub nomine mysteriorum, peragi solitis repraesentationibus: quidquid tandem sint, optandum est et enixe curandum, ut et ab huius ineptiis recitandis concionatores sese abstineant, et rerum sacrarum scriptores, maxime vero librorum liturgicorum editores illa, sicubi inveniantur, penitus expungant.

Et haec dicta sint ad laudem et gloriam Virginis Deiparae, de qua id replicare possumus quod S. Bernardus (3), inconsultos Deiparae laudatores carpens, aiebat: " *Honor Reginae iudicium diligit. Virgo Regia falso non eget honore, veris cumulata honorum titulis, infulis dignitatum* ".

Desinam, verba referens quibus Dionysius Cartusianus, textum Cantici Canticorum commentans, ita de quantitate gratiae Deiparae edisserit (4): " SOROR NOSTRA PARVULA EST, ET UBERA NON HABET. *Hoc potuit Verbum aeternum, Unigenitus Patris,*

(1) Tract. de BMA VIRGINE MARIA MATRE DEI. pp. 242, 243.

(2) Notum est inter imagines Virginis Dolorosae arte byzantina depictas, et eiusdem imagines arte occidentali confectas, hanc intercedere differentiam, quod in illis desit intensus ille doloris sensus, quem in istis cernere est: quasi artifices graeci significare potius voluerint Deiparae in summa afflictione tranquillam iucundamque pacem, quod ipse S. Ambrosius significasse videtur, cum dixit (Orat. Val. Opp. T. V. 3.: « *Stabat Sancta Maria iuxta Crucem Filii... stantem lego, flentem non lego* » (Vide GARRUCCI, *Storia dell'Arte Cristiana*, IV, p. 115).

(3) Sermo I. de B. Virgine, inter Opp. S. Bonav. Hunc sermonem editores opp. S. Bonav. ad Claras Aquas ita spurium habuerunt, ut illum ne recensuerint quidem.

(4) Sermo de Lamentatione B. M. V., inter opp. S. Bernardi. Multa valde inepta ibi continentur.

(1) Ibid.

(2) Sermo LII de Sepulchro D. N. J. C. inter opp. S. Ambros. Hic sermo, una cum pluribus aliis indignis tanto Doctore, a P. A. Ballerini, in nova eius opp. editione Mediolani, praetermissus est.

(3) Epist. CLXXIV.

(4) Enarratio in Cap. VIII. Cantici Cantic. Art. XXVI. Opp. Monstrolii, T. VII, pp. 445, 446.

ad coelestes cives proferre de Sacratissima Virgine adhuc in annis infantiae existente, quando adhuc apta non erat concipere regem Messiam, cuius adventus in mundum tunc propinquavit. QUID FACIEMUS SORORI NOSTRAE IN DIE QUANDO ALLOQUENDA EST *per Gabrielem archangelum, annuntiantem ei Incarnationis mysterium, in ea, ex ea, et per eius consensum esse complendum?* SI MURUS EST, AEDIFICEMUS SUPER EUM PROPUGNACULA ARGENTEA. *Optima Virgo fuit tunc murus quia praeclarissime sanctificata in utero, et confirmata in bono, et ante solitum tempus coepit (divino praeventa auxilio) uti ratione ac meritorie agere: ideo Deus aedificavit super eam propugnacula argentea, quia quotidie valde perfecit eam omni sapientia, virtute et gratia ad expugnandum invisibiles hostes, et ad conterendum caput antiqui fraudulentissimique serpentis.* SI OSTIUM EST. *Utique ostium fuit divinissima Virgo, per quam Salvator mundi venit in carne assumpta ad genus humanum; et per ipsam omnes habemus accessum ad Salvatorem et Iudicem nostrum, tamquam per piissimam portam omnibus patulam et apertam. Et sicut Christus est Deus noster et misericordia nostra; sic ipsa est Mater et Domina nostra, misericordiae ianua.* COMPINGAMUS ILLUD TABULIS CEDRINIS, *id est latitudine charitatis, plenitudine pietatis, omni divinorum ornatu et permixtione charismatum: ut vere aptissima sit ut existat regina misericordiae, genitrix gratiae, advocata piissima, refugium miserorum, spes desolatorum, potentissima quoque et opulentissima sit ad succurrendum, ad protegendum, atque salvandum.*

LAUS DEO ET DEIPARAE.

A. M. LÉPICIER.

FUNDAMENTA AEQUIPROBABILISMI
prout probabilismo opponitur.

PARS I.
DISCUSSIO PHILOSOPHICA

(Sequitur. Vide p. 269 sq.)

Analysis legis aeternae.

III. *Cum legis aeternae ordinatione obiectiva.* Hic variae distinctiones sedulo notandae sunt. Primo spectari debet lex aeterna prout contradistinguitur a ratione naturali ac lege naturali qua ipsa homini promulgatur. Ita porro spectata nihil aliud est quam voluntas divina relata ad ordinem moralem sapientia divina constitutum. S. Thomas quidem eam definit: " ratio divinae sapientiae secundum quod est directiva omnium actuum et motionum ". Sed ibidem in corpore eam dicit " rationem divinae sapientiae *moventis* ad debitum finem ". Porro Deus creaturam movet per *voluntatem* et creaturam rationalem et liberam in ordine morali per *imperium obligans.* Hae binae definitiones idcirco recidunt in idem. Inde alia distinctio sequitur quam S. Thomas innuit in eodem articulo: esse nempe *simpliciter directivam* actionum humanarum, legi aeternae competit ex divina sapientia qua obiectum eius, ordo moralis constituitur eo ipso quod haec *divina sapientia rationem habet*, ait Angelicus, *exemplaris* vel *ideae* huius ordinis; esse autem *obligatorie directivam*, eidem legi competit ex *divinae voluntatis imperio*, quo movetur creatura *libera* ad finem. Porro gravissimum inde fluit pro re nostra consectarium: cum scilicet, uti supra explicatum est, ordinatio illa legis aeternae non obliget liberum nostrum arbitrium nisi nobis *certe* notum fuerit, ubi defecerit haec eius *certa* notitia, ordo divinae sapientiae probabiliter vel probabilius tantum notus (sensu superius explicato) erit nobis *simpliciter* tantum directivus nostrarum actionum, de *consilio perfectiori* scilicet, ad summum, nequaquam vero *obligatorie* directivus (1).

Ulterius divina illa voluntas ad ordinem moralem relata, prout contradistinguitur a sua promulgatione, radix quidem est obligationis in subdita sibi natura libera passive spectatae, non vero eam imponit nisi promulgatione perfecta, qua promulgatione fit ipsa plene obligatoria; unde quoties eius ordinatio obiectiva ratione naturali non promulgatur uti certa, iam dixi: ordinatio haec obiectiva, qualiscumque ea possit esse vel sit, obligatoria certo non est. Aliis verbis: obligatio non est imperium, sed creaturae resultat ex imperio divino; resultat autem creaturae per scientiam. Porro lex aeterna in se quidem imperium continet, non tamen ex se imperii scientiam tribuit creaturae rationali: haec scientia paritur ratione naturali. Ergo cum de ratione legis in communi sit obligatio active sed plene spectata, haec autem non resultet plena nisi promulgetur, de ratione legis in communi est etiam promulgatio. Ergo quando S. Thomas, explicata prius, *1. 2. qu. 90*, lege in communi, qu. sequenti explicat successive legem aeternam, legem naturalem, non intendit stricte dividere genus in species quibus singulis competat nota generis, sed potius analogum princeps cui succedunt duo analoga, diversa singillatim ratione princeps analogum participantia: lex aeterna nempe lex appellatur, quia *radix* et fundamentum est omnis legis; lex naturalis dicitur lex, quia prima et *plene* hanc legis rationem ab aeterna derivatam participat. Deinde veniunt leges positivae sub alio respectu a naturali et inter se distinctae. Cf. Suar. l. c. l. 2, c. 4, n. 10.

Iamvero bonus P. W. videtur hanc rem non satis advertisse, dum a lege aeterna plenam obligationem supponit derivare independenter ab eius notitia (pag. 58 initio paragr. secundae).

(1) Cf. S. Th. De verit. q. 23, a. 3, in ult. par. corporis artic.; q. 17, a. 3, ad 2^m.

IV. *Qualiscumque ea est.* Hoc adiecto vel significatur omnis ordinatio legis aeternae intra ambitum cognitionis quam de ea potest adipisci cum proportionata certitudine (superius explicata), ratio humana legem aeternam promulgans; vel significatur extra hunc ambitum. Si primum, conceditur assertum. Si alterum, negatur eius suppositum, quod ex dictis patet esse falsum. Porro ex minore atque ex consequente ab auctore subiectis patet ipsum intendisse hunc alterum sensum.

Falsa supposita propositionis maioris.

Hisce enucleatis, manifesta sunt falsa supposita quibus nititur propositio maior totius ratiocinii: Primum suppositum: LEGEM ÆTERNAM quia *lex* appellatur, esse *ex se sola* non tantum voluntatem divinam ordini rerum relatam, sed *imperium etiam* nobis directum. Alterum suppositum: OBLIGATIONEM MORALEM nobis resultare ex *sola* subiectiva nostra certitudine ordinationis divinae etiam *nondum uti obiective certae* nobis manifestatae. Inde tertio consequitur PERFECTIORA EX EO SOLO QUOD TALIA SINT, ESSE OBLIGATORIA; ipsa enim in ambitu continentur ordinationis illius quae obiectum adaequatum constituit sapientiae et voluntatis divinae, relate ad actiones humanas: non tamen promulgata sunt uti certo obligatoria, quamvis quaedam eorum promulgata fuerint uti *non obligatoria.*

Porro radix totius erroris videtur fuisse illa *univoca* applicatio conceptus legis in communi, facta vel praesupposita ab auctore in intellectione *legis* aeternae et legis naturalis, uti superius explicatum est.

Ratiocinium quarto videtur etiam aliquatenus niti aequivoca intellectione VERITATIS IN ORDINE MORALI: utique obligatoria nobis essent ea quae probabilius conformia sunt ordinationi legis aeternae, si tam late pateret obligatorium ac verum: sed dum omne obligatorium est verum, non omne verum est obligatorium; ut enim *verum* sit aliquid in ordine voluntatis creatae liberae ad finem suum atque ad media in finem, satis est ut respondeat ideis exemplaribus divinis de hoc ordine, quam conformitatem mens, comparatis rerum essentiis ac relationibus, cognoscere aliquatenus quidem valet, uti dictum est, non tamen penitus atque adaequate penetrare. Ut autem aliquid *obligatorium* sit, *insuper* requiritur ut mens id quod verum esse intellexit et certo verum, intelligat esse a Deo *imperatum.* Si autem ipsa non potuerit certitudinem assequi nisi de probabilioritate rei non vero de veritate eiusdem, non poterit certo iudicare idipsum sibi esse *imperatum.* Aliis verbis: *imperatum* est omne *obiective* verum in eo ordine, *simulque* subiectiva mentis certitudine ut tale iudicatum: *verum* potest esse obiective, quin subiectiva ea certitudine tale iudicetur. Ratio autem fundamentalis huius discriminis exinde desumitur quod *veritas* in rebus est ex solo earum respectu ad exemplar divinum, quem respectum consequitur respectus earum ad intellectum creatum. *Imperatum* insuper dicit respectum ad voluntatem creaturae rationalis liberam, ideoque exigit ut ab ea creatura rationali, morali saltem certitudine iudicetur esse imperatum, quo libertas certo donata a Deo etiam certo ligata ab eodem resciatur. Ea autem moralis certitudo deficere potest tam ex parte *obiecti* cogniti, quam ex parte *subiecti* cognoscentis, seorsim, imo etiam ex utriusque parte simul. Quocumque modo deficiat, *imperatum* non est, ideoque nec obligatorium.

Ita perspecta singillatim *comprehensione* veri et obligatorii, indeque alia et alia utriusque *extensione*, ulterius inter obligationes, venit distinguenda obligatio qua urgetur voluntas ut intellectum applicet ad inquisitionem *veri* in ordine morali atque *obligatorii;* et obligatio qua, inquisitione, quantum possibilis est, peracta, voluntas astringitur ad actiones veritati inventae conformandas. Quoad obligationem inquirendi veritatem in ordine morali, voluntas ea *sinceritate* inquisitionem instituere tenetur ut nec sibi illudat, intellectum distrahendo a veritate rite pro suis viribus et adiunctis investiganda, nec eam inventam a se quocumque modo avertat. Porro veritas in ordine morali multifarie constituta reperiri intellectu potest; vel ad finem ultimum, necessitate medii et praecepti divini, connexa; vel huic fini sola praecepti divini sive necessarii sive liberi necessitate connexa; vel ex nulla necessitate sed ex convenientia solum connexa cum isto fine; vel demum nulla certitudine connexa cum eo reperitur. Inde variae obligationes morales voluntati exoriuntur ut actiones veritati repertae conformet. Si autem veritatem huiusmodi, intellectus, inquisitione rite peracta, cum certitudine proportionata non fuerit adeptus, ex dictis est manifestum negandum esse suppositum cuiuscumque ulterioris obligationis pro voluntate quae suo tunc arbitrio plene potitur in ordine morali.

Ultimum tandem quod falso supponitur, ut consequentiae apparentia in illo ratiocinio simuletur, consistit in eo quod certitudini *excessus probabilitatis* de *re* idem ius tribuatur per se, ad ligandam libertatem, quod tribueretur certitudini cadenti immediate in ipsam rem, ideoque ipsi rei veritati. Porro huiusmodi aequiparantia spectata quidem ex parte obiecti, est per se falsa quemadmodum falsum est *apparentiam* vel maiorem apparentiam veritatis esse ipsam *veritatem;* spectata autem ex parte certitudinis subiectivae, in tantum sustineri potest aequiparantia in quantum haec certitudo excludit prudentem formidinem de solida probabilitate certe subsistente ex parte opposita: ut nempe cognitio legis probabilioribus coniecturis innixa aequivalere possit ad obligationem inducendam, morali certitudini de legis

existentia, necesse omnino est non quidem ut non possim *subiective opinari legem ipsam* non existere, sed ut saltem non possim certo iudicare rationes solide probabiles quamvis minores adhuc militare contra legem: secus enim simul *formidarem et non formidarem legis existentiam sub eodem respectu:* nam illa moralis certitudo de legis existentia, quamvis non sit parta ex evidentia, tamen non sufficit ad legis scientiam obligationi gignendae requisitam, nisi excludat non dico *opinionem* contra legem (1), sed *formidinem* gravem quod lex non existat; ex altera vero parte hae rationes probabiles contra legem quae certe iudicatae sunt subsistere, formidinem hanc eamdem necessario ingerunt quod lex non existat. Ergo mens pateretur simul formidinem eamque simul non pateretur de eodem obiecto sub eodem respectu, quod implicat. Donec igitur haec minor sed solida probabilitas contra legem certe iudicetur subsistere, etiamsi concederetur excessum probabilitatis pro lege simul posse certissime asseri (quod non concedo, uti supra monui, sed ex alia ratione), certitudo huius iudicii sufficere non posset per se, ad scientiam legis eius obligationi pariendae requisitam. Falsum est igitur hoc suppositum quo nititur totum auctoris ratiocinium.

Processus rectus. — Processus devius.

Vitia itaque quibus a radice inficitur tota ratiocinatio ab auctore evoluta, prima principia offendunt philosophiae moralis: nam analyticus Ethicae ordo evolvit 1) naturam *obligationis moralis* omnesque eius causas; inde 2), rationem *peccati* atque actus moraliter *boni*, liciti et illiciti 3); rationem essentialem *legis* in communi, habitudinem fundamentalem imperii divini et sic dictae *legis* aeternae ad legem naturalem et consequenter ad omnes alias leges. PRIMUM quod in Ethica edocetur (1), postquam finis ul-

(1) Nota bene statum quaestionis in prima regula s. Alphonsi super qua disputamus, non exigere ut mens ipsi legi adhaereat assensu opinativo, tamquam vere exstanti, et consequenter prudenter et rationabiliter non valeat eiusdem legis existentiam negare assensu opinativo quia *opinamur probabiliora*, non vero *minus* probabilia. Sed status quaestionis solum exigit ut certo iudicemus probabilitatem pro lege militantem esse maiorem, quin ullum *opinativum* assensum ipsi legis existentiae praebeamus, vel multo minus eius non existentiae. Aliud sane est iudicare de rei *probabilitate*, aliud de *re* cui prius iudicata est maior probabilitas militare. Quo praemisso, dum iudico maiorem probabilitatem militare pro re, fieri *per se* potest 1) ut simul iudicem minorem probabilitatem simul militare contra rem; fieri etiam potest 2) ut simul iudicem minorem solidam adhuc probabilitatem non militare contra rem. Porro evidens est in 1° casu hoc iudicium de solida minore probabilitate contra rem, in causa esse ut mens mea non possit *sine formidine errandi, ipsi rei* assentire innixa rationibus maioribus militantibus pro ipsa: res ergo mihi certa esse non poterit. Si e contra 2um contingat, nulla trepidandi ratio supererit in assensu *pro re*, qui non quidem erit evidentia firmatus, sed maiori et *unica* probabilitate sufficienter firmatus quia absque oppositi formidine: quem ultimum assensum concedimus sufficere ut obligatio moralis *sciri* dicatur; dum in 1° dicimus non sufficere.

Porro eo sensu nunc explicato, P. Bucceroni scripserat: « qui sequitur in praxi opinionem quae sistit intra terminos rectae rationis et prudentiae, prudenter et consequenter honeste agit. Atqui opinio minus sed vere et solide probabilis sistit intra terminos rectae rationis et prudentiae ».

Reponit autem P. W. p. 95: « transeat maior; nego minorem. Et sane opinio quae probabilius *falsa* est quam *vera*, . . . cui tam quam *verae* ne infirmus quidem assensus prudenter praeberi potest, imo quae assensu opinativo *tamquam falsa* habenda est, eius modi opinio... non sistit intra terminos rectae rationis. Atqu id genus est opinio vere sed minus probabilis ». — Vide miram coincidentiam: Eadem fere responsio quam P. W. dat Patri Bucceroni, ea ipsa plene convellit maiorem et minorem et consequens et consequentiam Patris W. Transeat nempe tota maior; non enim hae conditiones requiruntur ut pars contraria quamvis minus probabilis possit esse vere et solide probabilis formidinemque ingerere prudentem opinanti pro eius opposita, sed sufficit ut certo iudicem eius probabilitatem subsistere etiamsi minorem opposita probabilitate iudicem. Minor autem P. W. si intelligatur de eodem casu de quo loquitur P. B., pariter transmitti potest; consequens inde et consequentia negantur. — Si autem minor intelligatur de parte opposita opinioni certe et notabiliter probabiliori de qua scripsit suam dissertationem P. Wouters, tunc conclusionem admittet nobiscum P. Bucceroni sed propter rationem a posteriori quam piget millies repetere. Ecce igitur novum specimen responsionum Patris W. ad triginta sex probabilistarum obiectiones. Praeterea responsio data p. 97 ratiocinio Patris Schiffini, eodem falso laborat supposito.

Frustra urgetur ex Alberto Farges in nota p. 95. et 96 ab auctore adscito, opinionem certe iudicatam minus probabilem, etsi *metaphysice* sit adhuc probabilis, ut ait Farges, non esse amplius *prudentem* et *rationabilem*, iuxta axioma: *e duobus malis minus est eligendum:* hanc ideo esse rationem quae S. Alphonsum determinavit ad primam suam regulam statuendam. — Nego enim utrumque. Agitur sane de conscientia sibi efformanda circa licitum vel illicitum ex imperii divini existentia vel non existentia super re quadam, atque de huius imperii existentia nobis *dignoscenda:* dignoscitur autem ipsa, ex certitudine qua valemus eam affirmare vel non; atque in casu et in materia praesenti, ex formidine *menti* ingesta vel non per rationes oppositas: haec autem pendet e iudicio certo vel non quod mens elicit de illius partis opposita probabilitate quam Farges vocat *metaphysicam*. Non agitur itaque de *maiori minorive* malo sed de *malo certo* vel *nullo:* si illa causa prudentis formidinis in iudicio circa legem, subsistit, malum est *nullum* quia obligatio incerta ideoque nulla; sin minus, malum est *certum* quia obligatio sufficienter certa ideoque plena. Neque ipse P. W., uti reor, admittet S. Alphonsum in ratione suae regulae annexa cogitasse de minori prae maiori malo eligendo. Nonne meam etiam in *Crisi* propositam explicationem, eo fere titulo arbitratus est ipse esse reiiciendam? Quamvis alioquin ea non sit praecise talis qualis a P. in praesenti dissertatione p. 5 repraesentatur: sed parum curo de hoc. — Concludo itaque Albertum Farges aberravisse a recto explicationis tramite: voluit enim periculum *minuere*, ubi poterat ipsum *tollere: sistere* nempe in medio periculorum praetulit, quam paulo ulterius progrediendo periculum *omne*, et maius et minus *effugere*.

Nec quidquam proficitur si dicatur opinionem certe minus probabilem quamvis sit *logice* probabilis, non esse amplius *ethice* probabilem: nego enim et assertum et suppositum huius asserti; dari nempe obligationem moralem resultantem ex ordinatione divina cuius oppositum adhuc certe iudicari possit *logice* probabile: ordinatio illa divina non fit tunc relate ad nos, *imperium* nec obligatio moralis potest ab ea resultare: opinio igitur *logice* probabilis est etiam *ethice* probabilis, vi principii reflexi; quia obligationis resultantia dependet non solum ab ordinatione Dei obiectiva, sed etiam a certitudine eius et a cognitione nostra, ideoque etiam ab ordine *logico*. Porro frustra quaeritur extra imperium divinum, alia ratio formaliter determinans obligationem voluntati a Deo libertate donatae. Qua de re sermo infra recurret *in obiectionum solutione*.

(1) Quamvis in scholis magistri non soleant imperium obligationem inducens spectare nisi in lege, ideo quia omnis obligatio communis a lege est, tamen ordo logicus ex conceptuum analysi

timus, et liberum hominis arbitrium explicata fuerunt, primum, inquam, quod edocetur est natura *obligationis moralis* ut inde natura viae quae competit creaturae rationali ad suum finem, plene intelligi possit, atque in ea, ratio illiciti, peccati et demeriti, ratio liciti, et meriti. DEINDE imperium divinum ex quo formaliter oritur obligatio moralis creaturae notificata, distinguitur in praeceptum personae particulari impositum, et in legem communitati promulgatam. Unde manifestum est obligationem moralem quae tam ex praecepto quam ex lege oritur, ex lege oriri non tam vi notae specificae quam vi notae genericae qua imperium superioris ipsa lex includit. Porro si ita est, vera controversiae sedes adversarios inter et nos, in eo est ut, praecisione facta a *lege* ne in eius appellatione ludatur, inquiratur num in probabiliori solummodo ordinatione divini superioris, etiam cum certitudine cognita a creatura rationali, tantum habeatur quantum necessarium est et sufficit ut consistat *obligatio moralis* (1).

Iamvero, ut quaesito satisfaciamus nos, probabilistae, inquirimus ante omnia notas essentiales obligationis moralis, ex instituta analysi quae superius evoluta est. Inde fit nobis manifestum Deum non posse, creaturae quam liberam in via esse voluit, ligamen imperio suo imponere, quod incertum sive obiective sive subiective creaturae pro ipsius naturae et conditionis modulo remaneret. Criterium idcirco intrinsecum, in quaestionibus dubiis circa obligationem moralem, quo discernimus obligationem exstare vel non, est illud ipsum quo discernitur *certum ab incerto* in huiusmodi materia ex hypothesi, non evidenti. Certum autem ab incerto in ea materia non evidenti, distinguitur exinde quod *absque prudenti formidine oppositi*, uni contradictionis parti adhaerere valeamus innixi probabilitate certe iudicata pro eadem parte. Haec autem absentia aut praesentia formidinis prudentis pendet exclusive *ab absentia aut praesentia motivi probabilis in parte opposita certe iudicati* simul ac certe iudicantur probabilia motiva alterius. Ergo haec praesentia vel absentia probabilitatis certe iudicatae in opposito criterium intrinsecum est quo ultimatim discernitur certum, vel melius, moraliter certum ab incerto.

Ideo prima S. Alphonsi regula ut iacet, criterium intrinsecum exhibere nequit. Ergo, si vera est, signum tantum exhibet a posteriori demonstratum quo discerni in praxi possit in aliqua opinione cui maior favet probabilitas certe iudicata in communi scholarum aestimatione (1),

efflorescens est sine dubio ille quem dixi, quique potius respondet ordini a S. Thoma in 1. 2. servato: ibi enim agitur successive de fine ultimo, de beatitudine, de adeptione beatitudinis, de voluntario, de bonitate et malitia actus humani,... de peccatis et tandem de legibus.

(1) Revera P. W. pag. 62 ad distinctionem quam sibi obiiciendo proponit: « Debeo sincere tendere ad convenientiam cum ordinatione legis divinae certo seu fere cognita: *concedo;* probabilius cognita: *nego* », sic respondet: « distinctione ista principium nostrum haudquaquam distinguitur. Etenim non edicit principium, tendendum nobis esse ad convenientiam cum ordinatione divina *certo* aut *probabilius cognita*, at, uti supra videre est, in convenientiam cum ipsissima ordinatione divina. Ex eo principio indubitanter efficitur eam quae nostra persuasione cum praedicta ordinatione probabilius convenit, opinionem sequendam esse. Liquet, ergo, adversarium sensum principii nullatenus perspexisse ». — Dic melius, tu, aequiprobabilista, subsumam ego: adversarius tuus benigno suo animo praesumpsit te quantumvis aequiprobabilistam non ignorare ordinationem divinam non inducere obligationem nisi tam subiective quam obiective certo vel fere certo cognitam, tibique ideo sufficere posse et debere illam responsionem, qua hoc tibi in memoriam revocaretur quin apertius inurereris nota probrosa admodum violatorum primorum moralitatis principiorum in *suppositis ipsis* fundamenti a te constituti. Tu, nunc, ut possis per fas et nefas hoc tuum sustinere principium, tibi fingis adversarium, qui in sua responsione usus est vocabulo *legis* divinae, praesupponere, sicut tu supponis, obligationem moralem resultare ex nota *specifica* non vero ex nota *communi* legis et praecepti. Deinde ut possis eum *ignorationis elenchi*, mutatis aleis, ut aiunt, in eius manu, arguere, iterum falso supponis antecedenter ad legem naturalem qua aeterna lex promulgatur, hanc aeternam vocari *legem* sensu pleno ideoque ex se sola obligare in quacumque sua ordinatione etiam per rationem naturalem uti probabiliori tantum cognita et certe iudicata.

Ita simul assumptis istis duobus falsis suppositis, responsioni adversarii tui statim subsumis: adhuc integrum consistit meum fundamentum: nam hanc certam cognitionem exigis tu probabilista atque ego tecum, relate ad obligationem quae resultet ex lege divina naturali, sed attende bene: antecedenter ad legem naturalem, existit lex aeterna quae vera lex est ideoque obligat ad quidquid in ea certo a nobis cognoscitur: etiamsi per se non sufficiat idipsum (quia probabilius est solummodo, nedum certum) ad obligationem quae resultat ex lege divina *naturali*, sufficit ad obligationem quae resultat ex lege *aeterna* atque etiam est sufficienter nobis ratione naturali promulgatum, quippe quod *certe* cognoscitur in aeterna lege probabilius contineri. — Ergo non obstante tua distinctione immobile consistit meum principium.

Hodie itaque ego probabilista, tua insistenti requisitione adstrictus, sin tuam, tui saltem argumenti fallaciam in apertam lucem adduco: obligatio moralis homini libero non resultat nisi ex imperio divino et quidem in eius ordinatione certa mente iudicata non tantum ut probabiliori sed uti obiective certa: Idque prima moralitatis principia demonstrant. Nego idcirco tuum fundamentale principium. Probationes autem quibus ipsum communire conaris oriuntur omnes ex illo duplici falso supposito: ex probabilitate enim vel maiori probabilitate ordinationis divinae etiam certe iudicata, non potest per se resultare obligatio moralis: nec 1) quia est ordinatio legis *aeternae:* nam lex *aeterna* non sufficit ad constituendam obligationem, quippe quae lex *aeterna* non est obligatio sed eius solummodo fundamentum; ex solo autem fundamento et quidem ex una parte sola, non habetur relationis adaequatae constitutio; — nec 2) quia est *certe* cognita uti probabilior: nam per hanc certam cognitionem notificatur quidem probabilioritas obligationis non per se obiectiva saltem moralis certitudo obligationis, quae certitudo obligationis demonstratur in ipso initio Ethicae, esse requisita ut obligatio moralis resultet a suo fundamento.

(1) Cf. etiam *Crisis*, pg. 114-116.

Sane si DD. communiter non haesitant amplius in asserendo isto notabili probabilitatis excessu, ideo est quia rationes oppositae nullum eorum ita moverunt amplius ut pro eis opinaretur: hoc autem non contingit reapse nisi rationes istae non aestimentur amplius gravem ingerere formidinem erroris ex adversa parte. Si enim aestimarentur tales ab aliquibus, ipsi simul ex eo titulo haesitarent in asserendo oppositae probabilitatis excessu: *uti de facto in multis controversiis comprobari videmus.* — Ergo remanet, partem oppositam non quidem ex motivo evidentiae intrinsecae vel definitionis S. Sedis aut alio huiusmodi esse certam, sed esse assertam communiter sine ulla formidine ex *opposito* motivo orta, sed cum sola illa formidine quae suapte natura

causam certam formidinis prudentis de oppositi veritate non subsistere.

Adversarii vero hanc viam sequi abnuentes, pro prima saltem S. Alphonsi regula explicanda, contendere voluerunt opinionem cuius probabilitatis excessus certe iudicatur, iam *ex se, sive subsistat sive non subsistat probabilitas certe iudicata* in parte opposita, sufficere ad obligationem inducendam, ideoque formidinem ex opposito exortam esse potius contemnendam. Ut hoc autem contenderent, debuerunt radicem obligationis moralis invenire cum sufficienti ipsius promulgatione, *quae tamen independens esset* ab illa morali certitudine obligationis ipsius quam nunc explicavi in processu nostrae analysis. Ad hoc excogitaverunt esse *legi aeternae* recurrendum: *lex* enim est antecedenter ad notitiam nostram, dixerunt. Ergo ubi *est*, obligatio adest: ipsa autem est in ordinatione sua obiectiva quacumque, etiamsi haec a nobis non cognoscatur nisi uti probabilior: ergo in hac obligatio est. Promulgatio autem sufficiens est si ipsa haec eius probabilioritas *certe* iudicetur.

Ecce ergo mirabile inventum vi cuius probabilismus qui hanc demonstrationem non curat, proclamatur condemnandus imo iam pridem mente adversa S. Sedis reprobatus, etc. etc. Sed obliviscuntur in tanto suo zelo hi boni viri se non probavisse illa supposita sub ipsorum ratiociniis abscondita quae superius e latebris extracta sunt. Ea autem, sine quibus non currit eorum consequentia, in aeternum non probabunt, uti in quaestione non valde dissimili scribebat S. Alphonsus suo *amico* Patutio; ideoque operam oleumque perdunt, dum aereum construunt aedificium. Nec conquerantur me nimia acerbitate eos increpare: non tam eos quam eorum asserta reprobo: ceterum repeto: quis fuit qui me, dum silebam, ad loquendum astrinxit?

oritur ex *probabilitate proprii* motivi; habemus igitur probabilitatem notabilem et *unicam* quae in prudenti rerum contingentium humanarum aestimatione practice aequivalet certitudini, cum saepissime in agibilibus maiorem certitudinem assequi non valeamus. Nota bene tamen totum hoc ratiocinium legibus moralibus inniti quae a posteriori per inductionem statuuntur. A priori enim, comparatis rationibus *probabilitatis eiusque excessus*, non plene apparet cur et quomodo excessus notabilis probabilitatis ex una parte secum pati non possit solidam aliqualem ex opposito probabilitatem. Id tamen illustrari potest aliquatenus si animadvertatur, rei alicuius probabilitatem in tantum dici *apparentiam veritatis* eiusdem rei, in quantum motiva nobis rem exhibent spectatam non quidem sub omnibus simul suis respectibus, sed inadaequate et praecisive sub aliquibus tantum (propter abstractam et inadaequatam rationem repraesentandi rem, uti supra dictum est, quae nostris intellectualibus speciebus convenit). Probabilitas idcirco in tantum augetur ex una parte in quantum *plures* rei respectus menti affulgent ex quibus concludendum esse videatur pro ea parte: cum autem nondum *omnes* adaequate respectus apparuerint eidem parti faventes, nondum tota res in seipsa evidens certe asseri potuit; inde ratio intrinseca ipsi probabilitati huius partis, aliquatenus formidandi adhuc errorem in assertione rei in huius partis sensu: quae quidem intrinseca formidandi ratio (cum in huiusmodi materia impossibile nobis sit plenam evidentiam assequi), prudenter contemni poterit, si in parte opposita nullus rei respectus appareat ex quo concludatur contrarium. Si vero certo appareat talem respectum oppositum subsistere, formido plene subsistet. Unde *a priori* criterium verum et decisivum desumendum demonstratur ex subsistentia vel non subsistentia causae prudentis formidinis in minori contradictionis parte. — A posteriori autem signum huius non subsistentiae habebitur in consensu prudentum, iuxta multoties explicata, quia in ea materia de gradibus excessus probabilitatis, ultra aestimationem communem prudentum, criterium non suppetit. Cf. etiam *Crisis*, pg. 112, 113.

Nonnullarum obiectionum solutio.

I.

Ex dictis plene solvi potest difficultas quam adversarii desumunt ex possessione libertatis.

Obiiciunt enim *physicam* libertatem non tolli nec minui per restrictionem ipsius in ordine morali, ideoque locum non esse appellandi ad possessionem libertatis: deberet antea probari libertatem *moralem* fuisse priorem in possessione; id autem quomodo probabitur unquam?

Respondeo 1) S. Thomam scripsisse in IV, dist. 15, qu. 2, a. 4, sol. 2: " Illud dicitur licitum quod nulla lege prohibetur ". Porro, quandoquidem, iuxta eumdem S. Thomam, *voluntas* principis habet *vigorem* legis, atque ad legem pertinet *praecipere* et *prohibere*, uno verbo *imperare* (1. 2, qu. 90, a. 1. *Sed contra* atque *ad 3*; de verit. q. 17, a. 3, in corpore: *Actio autem.*), illud principium aequivalet huic alteri propositioni: illud dicitur licitum quod nullo superioris *imperio* prohibetur. Ubicumque igitur pro S. Thoma non constat de imperio prohibente vel expresse in lege negativa, vel implicite in lege affirmativa, positive constat de liceitate actus. Hoc autem supponit in signo saltem naturae priori ad imperii divini applicationem, homini concessam fuisse libertatem non solum physicam sed etiam moralem. Quomodo autem hoc probetur, sequentibus accipe:

Respondeo 2) In mea *Diatriba*, pag. 37, 38, iam explicatum est, ipso libertatis physicae dono a Deo creaturae rationali collato, ordinem incipere moralem quia eo ipso suppositum constituitur a Deo physice distinctum ac, veluti in oppositione ad Deum, persona, domina sui arbitrii, ponitur in via ut pro lubitu suo vel tendat in finem ultimum vel ab eo se avertat, ideoque imputare sibi debeat si finem amiserit: donum scilicet libertatis physicae secum fert creaturae rationali in statu viae, *imputabilitatem* moralem. Status autem viae est complexus mediorum (i. e. operationum honestarum) ad finem ultimum: quae media innotescunt in ordine rerum inter se et relate ad finem. Unde praecisione etiam facta ab imperio divino, creatura rationalis iam posset se in usu mediorum ordinando finem assequi, vel media inordinate negligendo finem amittere: in eo quidem mediorum usu, plena *boni* moralis ratio inveniretur quia praeter servatam mediorum ad finem convenientiam, subiectio etiam superiori Deo servaretur per obedientiam formalem cui sufficit conformatio

cum solo superioris beneplacito, excluso etiam rigoroso eius praecepto: unde vera meriti ratio haberetur in tali mediorum usu. In abusu tamen et neglectu mediorum, inadaequata tantum *mali* moralis inveniretur ratio, quia huiusmodi abusus et neglectus non esset plene *contrarius* illi morali *bono*: esset quidem inordinatio contra finem; esset etiam *carentia* subiectionis beneplacito divino, carentia formalis obedientiae, non tamen *contraria* praecepti rigorosi violatio: iste neglectus itaque esset *inordinatus* quidem atque eatenus *privans* fine quatenus careret medii usu *necessarii ad finem* consequendum, non tamen esset plene *illicitus* quia ex hypothesi facta solius beneplaciti divini, non vero praecepti, adhuc creaturae arbitrio *relictum fuisset absque superioris imperii ligamine*, finem sibi assequi vel non: unde usus mediorum ad finem esset debitus sub hypothesi quidem, nondum tamen absolute debitus, ideoque amissio eorum et finis amissio esset mala sub hypothesi nondum absolute et tantum quantum poterat esse mala: uno verbo esset inordinata, non illicita.

Per hanc analysim sub oculis perspicue explicari videtur quid per *solum* libertatis *physicae* donum creaturae rationali in statu viae constitutae, fuerit a Deo etiam in *ordine morali* concessum: nempe imputabilitas moralis, possibilitas merendi et consequenter demerendi, plena libertas agendi bonum morale cum summae etiam obedientiae formalis perfectione, et simul libertas operandi malum morale sed inadaequate malum, utpote solummodo inordinatum nondum, vero absolute malum atque illicitum. Haec igitur nec plus nec minus est libertas moralis in cuius possessione constituta est creatura rationalis per solum donum physicae libertatis in via sua ad finem.

Deus autem necessario adiiciendo praeceptum et prohibitionem, complevit illam inadaequatam mali moralis rationem, fecitque ut ordinis transgressio plenam obtineret *peccati* naturam; bonum etiam morale reddidit in latitudine praecepti, *obligatorium*, unde rationi mercedis in consecutione finis ultimi, accessit ratio sanctionis. Quibus omnibus simul sumptis exsurgit et coalescit perfecta ordinis moralis constitutio, eaque necessaria.

Porro creaturae rationali in perfecto huiusmodi ordine constitutae, ex solo iam titulo imputabilitatis moralis paulo supra explicatae necesse omnino est ut praesto sit *norma agendi certa in operationibus quibus ipsa tendit ad suum finem, in omni casu occurrente.* Ubi quidem imperium divinum omni ex parte indicatur certum, ipsum hanc suppeditat normam. Atvero ubi ordo obiectivus atque imperium Dei necessario hunc consequens ordinem, omni possibili inquisitione adhibita, remanent incerta, ne Deo qui naturam humanam cum huiusmodi infirmitate condere voluit, iniquitatem vel insipientiam attribuamus, alterutrum dicere debemus; vel in eo casu creaturam ad tutius eligendum obligari, vel deficiente norma certa, etiam ab obligatione immunem fuisse a Deo relictam. — Atqui primum, ad summum admitti posset et deberet, si ageretur de medio positive influente in iustitiam supernaturalem obtinendam, qualia sunt in praesenti elevationis oeconomia, fides, sacramenta, praesertim mortuorum; sed si agatur de mera bonitate et malitia morali, de licito et illicito, de obligatione morali, ut minimum dicam, gratis asseritur; insuper non solvit quaestionem, exhibendo normam *certam* quae, uti dictum et probatum est, omnino necessario habenda est etiam in hoc casu, ne Deus iniquitatis aut insipientiae arguatur; sed *obligatoriam* gratuito reddit normam quae ex hypothesi *incerta* est. Haec autem est solutio omnino inepta. Ergo superest tantummodo alterum, ut nempe dicamus Deum ideo normam reliquisse incertam, quia, omnibus simul collatis, noluit hominem in eo casu obligari; qua supposita Dei voluntate, neque eius providentiae incumbebat ullam normam positive prohibentem eidem homini procurare.

Ex his igitur sedulius perpensis evidenter concludere necesse est, hominem sive spectetur in signo naturae priori ad imperium divinae legis, sive in signo posteriori ad idipsum, *nulla necessitate* urgeri ad partem tutiorem in casu sequendam; non *necessitate physica*, ex hypothesi enim libertate physica donatus est; non *necessitate morali* hanc partem amplectendi *ne se a fine avertat*, quia ex hypothesi non agitur de medio instrumentaliter et positivo influxu efficientiae suae ducente in consecutionem finis, uti paulo antea dictum est, sed agitur tantum de bonitate morali per respectum ad finem sive de sola illa malitia obiectiva quae à fine privat: hanc autem malitiam absurdum est in actu quaerere cui *norma certa deficit:* ad summum ergo actus huiusmodi esset tam malitia hac quam bonitate illa vacuus, nempe indifferens: ergo, concludo, *certe non malus*, quod mihi iam sufficeret; sed, quandoquidem actus in concreto indifferens non datur, iuxta communem mihi atque adversario doctrinam, ulterius dico, *ergo bonus.*

Nec tandem homo in casu urgetur necessitate *morali* quae *ex imperio divino* resultat, i. e. obligatione morali proprie dicta, sicuti ex superius demonstratis evidentissime conclusum est.

Argumentum huiusmodi praescindit a principio possessionis et totam vim probandi sibi mutuatur ex necessitate qua sapientissimus naturae humanae conditor, si voluerit hominem sive necessitate hypothetica tantum consequendi finem per actus viae non avertentes a fine, sive necessitate morali absoluta resultante ex imperio divino, urgeri in regulando exercitio donatae libertatis, sapientissimus, inquam, naturae conditor sibi debet ut ei normam certam provideat sese regulandi. Unde statim sequitur hominem suae libertati et imputabilitati relinqui, ubi certa haec

norma non suppetat, nec posse de aversione a fine argui a Deo, quemcumque fecerit usum libertatis physicae acceptae. Ipse enim Deo respondere posset: normam tendendi in finem mihi incertam reliquisti et norma incerta, norma haud est.

Quamvis autem argumentum praescindat a principio possessionis, quia ex altiori ratione desumitur, potest tamen etiam institui sistendo in principio possessionis, uti conciliationis quaerendae causa feci l. c. *Diatribae*, quia, uti supra ostensum in praesenti est, imputabilitas moralis, nedum sola libertas physica homini a Deo tradita est possidenda, in signo priori ad praeceptum sive imperium divinum. Ergo difficultas proposita inanis esse demonstratur.

Nec regerat adversarius ordinationem obiectivam in casu quem ipse respicit, non esse incertam: certe enim probabilior est. — Respondeo sane sicuti supra respondi et infra iterum dicam: me consequentiam eius argumenti impugnare; conclusionem ex aliis rationibus admittere, quia in eo casu ordinationem illam obiectivam contendo esse moraliter lato sensu certam. Consequentiam autem ideo impugno quia adversarius eam sustinere vult etiamsi pars minus probabilis, speculative probabilis esse certe iudicaretur. Porro eo in casu ordinatio obiectiva nequit iudicari lato sensu moraliter certa, quia subsistentem certam probabilitatem sibi retinet oppositam. Norma itaque agendi cognoscitur incerta, qui est praecise casus de quo institui argumentum.

Neque, uti supra dictum est, iuvat distinctio quam adhibet P. W. cum aliis, inter probabilitatem *logice* subsistentem ex parte minori, atque *ethice* subsistentem ex ea parte: illam concedendo, hanc negando: id, inquam, nihil refert quia *logica* probabilitas separari nequit ab *ethica* eamque secum fert, ubi illa spectaverit rem sub respectu *omnis* obligationis nedum *unius* tantum praecisive consideratae: exempli causa, dicimus respectu *unius* legis particularis, logice vel speculative probabile esse eam ad aliquem casum particularem non se extendere; sed practice atque ethice id non esse probabile, quia *alia lex certa* urget in eo casu, v. g. evitandi periculum proximum lapsus; sicuti contingit in quibusdam casibus de sexto praecepto. Sed ubicumque *omnibus* perspectis logice probabile iudicamus aliquid non esse prohibitum, legitime concludimus vi principii reflexi idem esse etiam ethice licitum quia logica illa subsistens probabilitas nobis certum fecit Deum normam prohibitivam nullam manifestasse.

In praesenti casu itaque aequiprobabilistae in tantum possent negare *ethicam* subsistere probabilitatem, in quantum *legem quamdam generaliorem* demonstrare valerent qua certe probabiliora ut sic sequi teneremur. Atqui id non valuerunt demonstrare, nisi multa falsa supposita sibi assumendo. Ergo. Cf. Wouters, pg. 12 et pg. 99, *Respondeo ad diff. XV.*

Nihil tandem iuvat recurrere ad ordinem *intentionis* divinae in quo moralitas intenditur tamquam finis, et tamquam medium huic ordinatum, libertas physica. Hoc conceditur totum, sed non finit litem. Nam moralitas quidem intenditur a Deo tamquam finis et libertas tamquam medium, et *insuper* tamquam medium etiam intendi a Deo debet manifestatio *obiective certa* normae a creatura sectandae: ubi ergo haec cognosci uti certa nequit ex ipsius naturae infirmitate, certitudo quam forte in alterutro sensu contradictionis moralitas habet menti divinae, non sufficit ad urgendam creaturae operationem iuxta eam partem; quia norma esse nequit operandi, quod operanti libero prius non est cum certitudine notum. Cf. Ter. Haar, in diss. latina superius citata, pg. 20, 21, in nota: *Acute.*

II.

Nunc, ut plene contentum faciam adversarium, datam a me responsionem adaptare volo praecipuis quibusdam eius propositionibus in probatione maioris et minoris sui ratiocinii ab ipso notatis:

Norma quam sequeretur probabilista in sua actione esset haec: „ actus hic vel ille permittitur dum mea opinione probabilius antecedenter non permittitur sed prohibetur „. Pg. 59.

Respondeo 1) norma probabilistae in casu esset: actus hic vel ille permittitur dum mea opinione probabilius antecedenter non permittitur sed prohibetur, *quin simul possim certo iudicare esse ex adverso solide probabile actum non prohiberi antecedenter: nego* assertum; — norma etc. ..... dum et quoties simul possum certo iudicare probabilitatem obiectivam eius permissionis subsistere; *concedo* assertum ita conditionatum, sed *nego suppositum* eius, nempe conditionem eius verificari de facto, quando *certo* iudicavi cum communi DD. actum probabilius esse prohibitum, non quidem propter rationem a priori allatam a P. W. quippe quae non concludit, sed propter rationem a posteriori quam toties inculcavi.

Vel simplicius R. 2): *nego* assertum et *nego suppositum* eius, probabilistas nempe ita ratiocinari unquam: quia vel casus est de *certo probabiliori* in communi aestimatione DD. et tunc probabilista eam aequiparat *unice probabili*, ex ratiocinio a posteriori, ideoque se tenet obligatum; vel casus est de *certe probabiliori* sibi, uti privato doctori, et tunc probabilista aliquid auctoritatis saltem extrinsecae aliis dubitantibus vel negantibus etiam defert quia se aliis praeferre temerarie non audet; ideo se nondum tenet obligatum quia casus reincidit in secundam S. Alphonsi regulam de dubio *quasi* stricto.

III.

„ Deest neque excogitari posse videtur principium moralitatis, quod honestatem tribuat ele-

ctioni qua, quum tendere possim, non tendam ad convenientiam... cum legis aeternae ordinatione obiectiva „ pag. 59. — R. *Distinguo* assertum; si haec legis aeternae ordinatio obiectiva mihi ea certitudine innotescit, quae sufficiat ut non formidem oppositum ideoque me habeam obligatum, *concedo* assertum; — si formido haec prudens errandi subsistat: *nego* assertum eiusque suppositum, obligationem nempe oriri mihi a lege aeterna independenter a notitia mea certae dispositionis eius, uti supra explicavi.

IV.

" Nisi sincere tenderem, quum tendere possem ad convenientiam... cum legis aeternae ordinatione antecedenti, actio mea... (eiusdem) vilipendium involveret „ pag. 59, 60.

R. Si simul haec ordinatio mihi innotesceret absque concomitante probabilitate obiectiva de eius opposito: *transeat* assertum. — Secus *subdistinguo:* si non tenderem ideo quia non sum obligatus: *nego* assertum; — si non tenderem ex intentione *operantis* despiciendi Deum, *concedo* assertum. — Vel aliter *subdistinguo*: actio mea involveret ex fine *operis* vilipendium ordinationis divinae, *nego*; ex fine forte *operantis*, *omitto* quia non est ad rem. — Nimirum, cum Deus sit auctor naturae rationalis, auctor eius viae, auctor insuper *poenae* qualis est ignorantia, quae uti poena sequitur lapsum originale, nullum vilipendium est legis aeternae ut sic, non servare id quod Deus, volendo illa tria, voluit non certe nobis innotescere ideoque non esse obligatorium. Cf. *Crisis*, pg. 282 sq.

V.

Ad argumentum quam maxime nobis commendatum ab auctore, superiusque a me transcriptum, respondeo: actus aliquis *hic* et *nunc*.... ea indutus est moralitate quam ei obiective spectato inesse ipsemet operans, inquisita veritate, qualicumque notitia noverit. *Transeat* maior.

Atqui, actus qui ipsius operantis iudicio, probabilius obiective prohibitus est, ab ipso aliqua notitia quae est opinativa, cognitus est tamquam obiective prohibitus. *Transeat* minor.

Ergo actus ille *hic et nunc* prohibitus est: *Distinguo* consequens: quia illa opinativa notitia ex se iam sufficit ad scientiam imperii divini, requisitam ut obligatio moralis mihi consistat: *nego* consequens et multiplex eius *falsum suppositum*, iuxta superius explicata; — quia et quando opinativa illa notitia communiter a DD. sine haesitatione retenta, signum mihi est experimentale, oppositam probabilitatem depressam esse infra probabilitatem solidam et certam, iuxta centies explicata: *concedo* consequens.

Ad ea verba S. Alphonsi in editionibus sexta, septima, octava et nona, suppressa, ad quae appellat D. Sweens a P. W. citatus: " Etsi talis opinio non sit certo vera, habet tamen certum fundamentum quod ipsa sit vera „: respondeo eodem modo: *concedo factum* sed nego explicationem facti quam exhibet P. W. quia est contra prima principia philosophiae moralis; aliamque explicationem facti probabilistae cum P. Lehmkuhl et aliis dant, quae logica est, scientifica, sola admissibilis, atque, uti iam alias probavi, iterumque in cap. II dicam, critice verior, si mens spectetur S. Alphonsi.

Praeter difficultates superius in notis relatas cum inepta solutione a P. W. eis data, multae aliae solvuntur ab eo ex supposita veritate ratiocinii quod ostensum est falsis niti suppositis. Piget singula singillatim et in forma diluere. Hoc relinquo, exercitii causa, discipulis faciendum. Certe ipsi P. W. qui est Professor theologiae moralis, eiusque sociis sufficiet perspectam habuisse infirmitatem sui fundamenti.

(Prosequendum)

G. Arendt S. I.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

IV.

De ignorantia a censura excusante.

Die 13 Februarii 1905, hora 16 (4 pom.).

Titius, postquam per plures annos in artis militaris exercitio vitam traduxisset, a sacramentorum usu prorsus alienam, tandem in se reversus et ad privatam vitam rediens, spirituali recessui in domo religiosa vacare studet. In confessione generali, praeter alia, haec confessario aperit, scilicet, se una vice lacessitum ad duellum, illud acceptasse. Licet autem non ignoraverit, ab Ecclesia duellantes excommunicatione puniri, tamen in committendo duello poena haec e memoria excidit, siquidem totus animo praeoccupatus erat, ut adversarium feriret, et se ab illius ictibus tueretur. Insuper, cum Parochus loci, in quo militaverat, impediverit turpem amicitiam ab ipso cum puella contractam, tanto in eum odio exarsit, ut illum fustigare statuerit. Sed cum tenebrae iam factae essent, loco laedendi parochum, graviter percussit alium presbyterum sibi amicum, qui externo sui corporis habitu parochi similitudinem referebat.

Confessarius, qui facultate caret absolvendi a censuris Pontifici reservatis, dubitat an Titius in duplici casu excommunicationem incurrerit. Hinc absolutionem poenitenti differens, habita prius ab eodem venia, amico theologo casum proponit ab eo quaerens:

1. *An et quae ignorantia vel inadvertentia aut oblivio a censura excuset?*

2. *An Titius excommunicationem contra duellantes sancitam ob oblivionem effugerit?*

3. *An saltem error in quem incidit circa personam sacram ab eo percussam, eum a censura liberet?*

Resp. Ad 1um. A censura incurrenda excusat ignorantia sive antecedens, sive etiam concomitans, sive facti, sive iuris ecclesiastici, sive censurae. Ita S. Alph. l. 6, n. 1074, l. 7, n. 43,351. Ratio est, quia censura est poena. Quare a censura incurrenda excusat, naturali iure, quidquid excusat a peccato letali. Si ergo ignorantia sive facti sive iuris excusat a peccato, excusat etiam a censura incurrenda. Censura autem est poena extraordinaria et medicinalis, et ideo ignorantia etiam censurae a censura incurrenda excusat. Poena

enim extraordinaria ignorata non incurritur, ut hodie commune est apud Doctores, et videre est apud S. Alph. l. 6, n. 1074, l. 7, n. 351. Ac huiusmodi medicina nihil sane sui ignorantia prodesset. Insuper censura sine contumacia non incurritur. Contumacia dicitur a contemnendo, et ignorantis nullus esse potest contemptus.

Ut autem excusat ignorantia, ita etiam inadvertentia et oblivio excusat. Nam ut ignorantia ita etiam inadvertentia et oblivio auferunt voluntarium et peccatum, et auferunt quoque contemptum.

Ignorantia quae fuerit invincibilis et sine peccato *naturali iure* a censura excusat. Ea vero quae letali peccato non caret et vincibilis est, ex legislatoris indulgentia, a censura etiam incurrenda excusat. Etenim C. 2. *de Const.* in 6° dicitur: « *Ut animarum periculis* obvietur.... ligari *nolumus* ignorantes ». Nullum sane animarum *periculum* ex ignorantia inculpabili, vel leviter tantum culpabili. Si praeterea nonnisi de inculpabili ignorantia ageretur, revera nihil *vellet* Legislator. Nam illa naturali iure excusat. S. Alph. l. 7, n. 31, 34, 45, 205.

Iamvero quamvis ignorantia etiam graviter vincibilis excuset a censura, ab ea tamen incurrenda non excusat ignorantia *crassa* et *supina*, ut diserte habetur in eodem C. *Ut animarum* 2, *de Const.* in 6°. Attamen ignorantia haec *crassa* et *supina* a censura excusat, si ea lata sit contra *temere facientes, contra praesumentes facere.* Nam nisi quis sciens prudens faciat, nunquam erit *temere faciens, praesumens facere.* Temeritas et praesumptio scientiam important. Quin imo ignorantia etiam *affectata* excusat probabilius a censura, si ea lata sit contra *scienter facientes, consulto facientes.* Qualiscumque enim sit ignorantia, ignorantia semper est, et adimit scientiam et consilium. S. Alph. l. 1, n. 169, l. 7, n. 47, 48; Nom. Apost. Tr. 19, n. 8.

Resp. Ad. 2um. Si Titius licet antea cognovisset excommunicationem in duellantes latam, illius tamen fuerat oblitus, et tunc, cum lacessitus ad duellum, illud acceptavit immemor omnino excommunicationis, excommunicationem Titius non incurrit, neque tunc cum duellum acceptavit, neque tunc cum duellum perpetravit. Verum, si consideratur Casus ut iacet, non videtur Titius posse ex oblivione excusari ab excommunicatione. Etenim tota oblivio Titii refertur ad actum ipsum dimicationis, et evidens res est, quod etiam ille qui plene cognoscit excommunicationem latam in duellantes in actu ipso duelli, in quo tota eius attentio fertur ad adversarium vulnerandum et ad se defendendum contra adversarii ictus, non cogitat tunc excommunicationem et illius omnino tunc obliviscitur, vel potius ad illam non attendit. Porro hic videtur fuisse Titii casus. Dicitur enim: « Licet non ignoraverit ab Ecclesia duellantes excommunicatione puniri; tamen in committendo duello poena haec e memoria excidit, siquidem totus animo praeoccupatus erat, ut adversarium feriret, et se ab illius ictibus tueretur ».

Resp. Ad 3um. Circa tertium Quaesitum propositum, duae sunt sententiae. Prima affirmat, quia illa presbyteri amici realis percussio non fuit voluntaria, sed mere casualis. Accedit quod defectu voluntarii ea actio amico presbytero iniuriosa non fuit. Personae vero morali non nisi per singularem personam fieri potest in casu realis iniuria. Altera sententia negat, quia licet error adsit in persona, clericum tamen vere vult laedere et de facto laedit. Ergo laedit vere statum clericalem. Ergo. Lig., l. 3, n. 628. Verum quamvis velit laedere et de facto laedat; tamen de facto non verificatur quod clerico iniuriam inferat. Absque animo iniuriandi iniuria haberi non potest. Quare neque statum clericalem ulla afficit iniuria.

JANUARIUS BUCCERONI S. J.
Epitomator ex officio.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

—

Juillet 1905.

1 Samedi.

Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Antoine Agliardi est nommé Protecteur de l'Académie de l'Immaculée Conception.

— Le St-Père reçoit en audience M. Benoît Sylvain, Env. Extr. de la République d'Haïti près l'Empereur d'Abyssinie.

2 Dimanche.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. Mgr Laurent Passerini, Patriarche d'Antioche pour le Rite Latin; — S. G. Mgr Jean Cagliero, Arch. Tit. de Sébaste, Vic. Ap. de la Patagonie Septentrionale; — S. G. Mgr Paul Padilla, Ev. de Tucuman; — Mgr Charles T' Serclaes, Président du Collège Belge; — et le R. P. Ghignoni, Barnabite.

3 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Comte Nicolas Syécsen de Temerin, Ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le St Siège; — et le R.me Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins.

5 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Rego Maja, Ev. de Belem de Para; — et S. Exc. M. le Dr Bruno Chaves, Env. Extr. et Min. Plénip. du Brésil près le Saint Siège.

6 Jeudi.

S. G. Mgr Paul Massad, Arch. Maronite de Damas, est reçu en audience.

7 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Emile Parodi, Arch. Tit. de Pessinonte, Coadjuteur de l'Arch. de Sassari; — et Mgr Jean De Montel, Doyen des Auditeurs de la S. Rote.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, LL. Em. les Card. Casimir Gènnari et Benjamin Cavicchioni, sont nommés Membres de la S. Congr. de la Propagande.

8 Samedi.

S. G. Mgr Albin-Ange Pardini, Ev. Tit. de Zama, Chanoine de la Basilique Libérienne, est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal André Steinhuber est nommé Protecteur de l'Association des Dames, fondée à Fulda, pour les Missions Catholiques.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le T. R. Père Joseph Lémius, Proc. Gén. des Oblats de Marie, est nommé Consulteur de la S. Congr. de Propagande.

10 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Antoine Espinosa, Arch. de Buenos-Ayres; — Mme la Princesse Françoise Massimo; — Mgr Joseph Guthlin, Référendaire de la Signature Papale; — et Mgr Dominique Gualtieri, Secrétaire de la Nonciature Apost. de Lisbonne.

11 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: Sa Béatitude Mgr Elie-Pierre Huayek, Patriarche d'Antioche pour le Rite Maronite; — Mgr Joseph Wilpert, Prot. Ap.; — et Mgr Casimir Skirmunt, Prélat Domestique.

— Congr. Gén. des S. Rites tenue au Vatican *coram SS.mo* sur les vertus héroïques de la Vén. Sœur Marguerite du T. S. Sacrement, Carmélite Professe, au Diocèse de Dijon.

12 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. le Prince Don Louis Barberini; — S. G. Mgr Dominique Taccone-Gallucci, Ev. de Nicotera et Tropea; — et M. le Commandeur Paul Pericoli, Président de la Jeunesse Catholique Italienne.

13 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Prince Don Philippe Lancellotti; — et S. G. Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli.

14 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Stephan, Arch. Maronite; — S. G. Mgr Augustin Van de Vyver, Ev. de Richmond; — et le T. R. P. François Ehrle, Préfet de la Bibliothèque Vaticane.

15 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Ignace Montes de Oca y Obregon, Ev. de St-Louis de Potosi; — et S. A. le Comte Leininghem.

17 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean O'Reilly, Arch. d'Adélaïde; — et M. le Commandeur Virginio Iacoucci, Conseiller Municipal et Provincial de Rome.

18 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean Morad, Ev. Maronite de Balbeck; — et M. le Comte Fabius Fani, Camérier Secret de Sa Sainteté.

19 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr André Szeptycki. Arch. Grec-Ruthène de Lemberg; — et Mgr Liberte Boeynaems, Ev. Tit. de Zeugma, Vic. Apost. des Iles Sandwich.

20 Jeudi.

A l'occasion du deuxième anniversaire de la mort de Léon XIII, un service funèbre est célébré à 10 heures 1/2 dans la Chapelle Sixtine. La messe est chantée pontificalement par S. Em. le Card. Vincent Vannutelli. Le St-Père donne l'absoute.

21 Vendredi.

Le R.me Dom Archange Lolli, Abbé des Chanoines Rég. du Latran, est reçu en audience.

22 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Philippe Camassei, Arch. de Naxos; — ainsi que le Collège des Expéditionnaires Apostoliques.

24 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean-Correa Nery, Ev. de Pouso Alegre; — S. G. Mgr Thomas-Théophile Kulinsky, Ev. de Kielce; — M. Arthur Campuzano Marqués, Chargé d'Affaires de la Colombie; — et le R.me P. Félix Fioretti, Sup. Gén. des Barnabites.

25 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Bilczewski, Arch. de Lemberg pour le Rite Latin; — et Mgr Paul Basbus, Ev de Tyr et Sidon, pour le Rite Maronite.

— Congr. Antépr. des S. Rites, tenue auprès de S. Em. le Card. Dominique Ferrata, Ponent, pour l'examen des deux miracles qui sont proposés pour la Béatification du Vénérable Serv. de Dieu Bonaventure de Barcelone, Frère Lai de l'Ordre des Mineurs.

26 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Joseph Fiorenza, Arch. de Syracuse; — S. Exc. M. le Baron Wulfram de Rothenan, Env. Extr. et Min. Plénip. de Prusse près le St-Siège; — et le Rme Père Jean Kasprzycki, nouveau Sup. Gén. de la Congrégation de la Résurrection, accompagné par les membres du Chapitre Général.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Joseph Latini, Avocat Fiscal du S. Office, est nommé Consulteur du S. Office.

27 Jeudi.

S. G. Mgr Dominique Serafini, Arch. de Spolète, est reçu en audience.

28 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: Mgr Jean-Jacques Coccolo, Recteur du Collège *Pie X* pour les Missions Africaines et Directeur de la Ligue Internationale « Pro Africa »; — et le R.me Abbé Dom Joseph Pothier, O. S. B.

29 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Thomas Théophile Kulinsky, Ev. de Kielce, — et Mgr Paul La Rocque, Ev. de Sherbrooke; — ainsi que le Rme P. Henri Desqueyrous, Proc. Gén. des Dominicains; — Mgr Jean Vaughan, Prélat Domestique; — Mgr Henri Pik, Prot. Apost.; — Mgr Paul Debs, Chorévêque et Vicaire Gén. de Beyrouth; — et Mgr Jacob Auad, Vicaire Gén. de Tripoli.

31 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Benjamin Joseph Reily, Ev. de Savannah; — et Mgr Henri Northrop, Ev. de Charleston.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister.
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS OCTAVUS - AUGUSTUS 1905

SUMMARIUM

In proximo fasciculo unientur fasciculi Septembris et Octobris.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

De examinibus subeundis in Urbe ab omnibus ordinandis ex utroque clero saeculari et regulari, non exceptis Sodalibus e Societate Iesu.

PIVS PP. X.

MOTU PROPRIO.

Sacrosancta Tridentina Synodus de iis agens, qui ad sacra initiandi forent, sic perscribebat: « Sancta Synodus, antiquorum canonum vestigiis inhaerendo, decernit ut quando « Episcopus ordinationem facere disposuit, *omnes* qui ad « sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante « ipsam ordinationem vel quando Episcopo videbitur, ad « civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis « prudentibus viris, peritis divinae legis ac ecclesiasticis « sanctionibus exercitatis, sibi adscitis, ordinandorum genus, « personam, aetatem, institutionem, mores, *doctrinam* et « fidem diligenter investiget et examinet » (1).

Ex quibus profecto patet neminem omnino excipi a doctrinae periculo subeundo, qui velit ad sacros ordines promoveri; itemque doctrinae periculum eiusmodi, non quasi pro forma atque obiter, sed diligenti investigatione faciendum. — Ac merito quidem: non enim promiscuum est, doctus sit an indoctus qui sacris initietur; sed ea prorsus ratione qua castis rectisque moribus commendari illum oportet, eâdem et doctrina exornari necesse est.

Hinc Decessores Nostri, praesertim vero Alexander VII f. r.

(1) Sess. XXIII, cap. VII, *de Reform.*

Const. *Apostolica sollicitudo*, de doctrinae examine ab ordinandis rite peragendo, multa monuerunt ac sapientissime decreverunt, tum pro dioecesibus universis, tum praecipue pro hac alma Urbe, quae ipsis erat peculiari officio commendata, utpote Romani Episcopatus sedes.

Quae cum decursu temporum, ut assolet in humanis, nonnihil neglecta fuerint; placet Nobis, quoniam res agitur momenti maximi, quid in ea re sit praestandum enucleatius edicere ac distinctius statuere. Quae igitur sequuntur sancte in posterum praestanda volumus et mandamus.

I. Quicumque in Urbe, sive de saeculari clero sive de regulari, sacris ordinibus initiandi erunt, omnes, excepto nemine, doctrinae periculum facient in Curia Cardinalis Vicarii Nostri. Qua in re Tridentinae Synodi decreta innovamus et confirmamus, ac privilegium exemptionis quodcumque penitus exstinguimus, atque illud etiam quo fruitur Societas Iesu ex Constitutione *Pium* Gregorii XIII et Constitutione *Quantum* Pauli V Decessorum Nostrorum.

II. Quibus de rebus quave methodo examinandi sint, qui vel sacram Tonsuram vel minores Ordines sunt suscepturi praxis edocet, quae huc usque obtinuit, quamque Nos obtinere in posterum, nulla mutatione, volumus.

III. Ad maiores Ordines qui sunt evehendi, ii de *Instructione* primum interrogandi sunt, quae ad Ordinem suscipiendum pertinet. Tum etiam tractationes aliquas de Theologia dogmatica proponent: videlicet, unam pro Subdiaconatu; binas pro Diaconatu; ternas pro Presbyteratu, ac praeterea tractationem de Sanctissimo Eucharistiae Sacramento.

IV. Qui ad Diaconatus Ordinem promovendi sunt, in faciendo periculo, tractationem theologicam, quam pro Subdiaconatu proposuerunt, iterum proponere ne queant: item Sacerdotio qui sunt augendi, tractationem nullam proponant, de qua in praeteritis examinibus tentati iam fuerint.

V. Quas quisque theologicas tractationes proponat, singulorum ordinandorum arbitrio permittimus. — Cardinalis tamen Vicarii Nostri erit Tractationum seriem perscribere ac definire, praeter cuius limites nulla ordinandis eligendi facultas esto. — Singula porro examina quam diu sint protrahenda, eiusdem Cardinalis Vicarii Nostri prudenti arbitrio statuendum relinquimus.

VI. Quicumque, ex ordinandorum numero, Theologiae lauream in aliqua pontificia Universitate consequuti fuerint; eos a subeundo periculo de re theologica exemptos volumus.

VII. Pontificia decreta quae adhuc vigeant, et Vicariatus Nostri urbani consuetudines, quae hoc Motu-proprio Nostro non sint mutata vel abrogata, vim omnem ac robur in posterum etiam obtinere volumus ac decernimus.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XVI Iulii anno millesimo noningentesimo quinto, Pontificatus Nostri secundo.

PIVS PP. X.

II.

Pius X laetatur de catholicorum italorum docilitate in Pontificiis monitis excipiendis circa actionem socialem.

Ai diletti Figli conte Stanislao Medolago Albani, professore Giuseppe Toniolo, commendatore avvocato Paolo Pericoli.

PIO PP. X.

Diletti Figli, salute ed Apostolica Benedizione.

Ci piace, diletti Figli, di manifestarvi con una parola di benevolenza e di affetto la consolazione che procurò all'animo Nostro l'indirizzo, col quale una schiera di cattolici italiani ha voluto esprimerci la propria gratitudine per l'ultima Nostra Enciclica ai Vescovi d'Italia intorno allo svolgimento dell'azione sociale.

Se gradite Ci tornano sempre le dimostrazioni di ossequio e d'amore dei singoli fedeli, a più forte ragione Ci consolano le testimonianze, che in qualche particolare circostanza ragguardevoli personaggi, facendosi, per così dire, l'eco sicura dei sentimenti delle diverse classi sociali, credono di dover dare alla Nostra persona o meglio ancora a quella Suprema Podestà, della quale senza verun Nostro merito la Divina Provvidenza Ci volle investire. Quanto in tal caso l'esempio è più dignitoso, altrettanto è per se stesso edificante, e facilmente addiviene efficace e fecondo di benefici frutti.

I nobili sentimenti che l'indirizzo racchiude, non potrebbero essere più conformi, nè meglio rispondenti ai voti del Nostro cuore. Ma ciò che con particolare compiacenza abbiamo ammirato è la docilità con la quale voi accoglieste le Nostre parole. Senza riserve di sorta vi dichiarate già preparati a seguire volonterosi e lieti i Nostri suggerimenti e tradurre in pratica i Nostri disegni, diretti unicamente alla difesa della cristiana società, e ad un salutare risveglio delle vecchie e giovani energie nell'interesse comune della Chiesa e della patria, per la salvezza delle anime.

Maggiore conforto, o diletti Figli, non avreste potuto darci nell'ora presente: tanto più che quella Nostra Enciclica (1), che porse a voi l'occasione di dichiarare apertamente il vostro filiale attaccamento alla Nostra persona e la vostra piena e schietta sottomissione al Vicario di Gesù Cristo, ad altri purtroppo fornì, senza fondamento veruno di verità, il pretesto di traviare le Nostre intenzioni. E così si è cercato di condurre in inganno la pubblica opinione e la coscienza dei semplici, traendo dalle Nostre parole, per se stesse ovvie e chiarissime, un senso ben diverso da quello che esprimono.

Con voi pertanto, Figliuoli carissimi, non possiamo astenerci dal fare un lamento per la stessa ragione che mosse l'apostolo S. Paolo a scrivere a quei di Corinto le seguenti parole che ora facciamo Nostre: « Questo è il nostro vanto, « la testimonianza della nostra coscienza, dell'esserci noi « diportati con semplicità di cuore e con sincerità di Dio, « e non con saggezza carnale, ma secondo la grazia di Dio « in questo mondo e molto più con voi. Perocchè non c'è « altro nelle nostre lettere, fuori di quello che potete leg- « gervi e comprendervi ». Come già una lettera del grande Apostolo, così la Nostra Enciclica sull'Azione Cattolica in

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XIII, p. 233.

Italia fu da certuni male interpretata, quasi che Noi dicessimo una cosa e volessimo intenderne un'altra, e che, condiscendendo a dispense necessarie in casi particolari, volessimo abbandonare le tradizioni gloriose del passato e rinunciare ai sacrosanti diritti della Chiesa ed alle rivendicazioni di questa Sede Apostolica.

Noi, che sempre avemmo cura di parlare ai fedeli con quella semplicità, che Gesù Cristo tanto raccomandò ai suoi Apostoli, non possiamo permettere che Ci si faccia il torto di trarre fuori dalle Nostre lettere quello che non v'è, nè fu mai nelle Nostre intenzioni, e peggio ancora di torcere le Nostre parole a sensi contrarî al loro proprio. Confidiamo però che questa benevola manifestazione dei Nostri sentimenti apra gli occhi a tutti i Nostri figli, che non cessano di esserci cari anche quando traviano. Noi li stringiamo tutti nel paterno amplesso della Divina carità. Voi adunque, Figli dilettissimi, che ben dimostrate di volere corrispondere ai Nostri intendimenti, proseguite nella via additata dalla Nostra ultima Enciclica, e quantunque il còmpito affidato alle vostre cure sia tuttora preliminare e provvisorio, non vi perdete d'animo di fronte alle difficoltà inevitabili di una impresa che si estende in un campo così vasto e d'indole assai complessa. Lungo e paziente necessariamente dovrà essere il lavoro di preparazione, se dalle vostre fatiche volete raccogliere un frutto durevole; ed errore sarebbe il voler vedere fin da ora gli effetti immediati di un'opera che richiede senza dubbio una organizzazione molto estesa e completa di tutte le forze cattoliche in Italia.

Voglia il Signore esaudire il voto ardente dell'animo Nostro e Ci dia la consolazione di vedere tutti quanti i Nostri figli uniti come altrettanti fratelli col dolce vincolo della pace e della carità cristiana: senza gelosie tra loro, senza odî, senza rancori, tutti con santa emulazione attendere alacremente alla propria e all'altrui santificazione.

Con questa soave speranza impartiamo a voi, diletti Figli, l'apostolica benedizione, pegno della Nostra paterna benevolenza.

Roma, dal Vaticano, il 1° Agosto 1905.

PIO PP. X.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 29 Iulii 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. De Pouso Alegre. — Dubiorum circa Oratoria privata. — R. *Ad I^um. Negative, firmis tamen in reliquo dispositionibus contentis in praefatis litteris ad tramitem iuris communis, et onerata super eorum observantia, omnium ad quos spectat conscientia: et in reliquis provisum in primo.*

II. Mariannen. in Brasilia. — Synodi dioecesanae. — R. *Pro gratia ad decennium ad tramitem resolutionis in Baionensi, diei 16 Febr. 1889, aliarumque similium.*

III. Faventina. — Legati pii. — R. *R. P. Gattari teneri sortem deponere in loco tuto ab Episcopo iuxta consuetas regulas determinando et rationem reddere de administratione legati hucusque habita, praestito iuramento de veritate dicenda.* (Reservata).

B. — In folio.

I. Annecien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

II. Monacen. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. Ventimilien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Fiat novus processus iuxta instructionem dandam a defensore matrimonii ex officio.*

IV. Ostunen. — Solutionis. — R. *Placere de concordia et ad mentem: mens est ut Archiepiscopus solvat 30,000 libellas pro omni et toto iuxta litteras diei 29 Maii 1903, quarum libellarum 9600 solvat intra mensem, reliquas intra annum.*

V. Gaudisien. — Unionis Paroeciae et erectionis Collegii. — R. *Ad I^um et II^um. Attentis omnibus, non esse locum erectioni Capituli Regularis Canonicorum Lateranensium ad honorem in Ecclesia S. Georgii.*

VI. Barcinonen. — Iurium parochialium. — R. *In decisis et amplius et iuxta modum. Modus est ut in posterum prima funebris missa post obitum fiat aut in propria defuncti paroecia aut in Cathedrali, et quatenus in alia Ecclesia legitime celebretur, parocho proprio solvatur quarta funeraria.*

VII. Nicosien. — Concursus. — R. *Confirmandam esse electionem ab Episcopo factam.*

A. — Per Summaria precum.

$\frac{3445}{4}$ ..... I.

De Pouso Alegre. — Dubiorum circa oratoria privata.

Die 25 Februarii 1905.

Declaratur non amplius vigere suspensionem ab Internuntio inflictam sibique reservatam contra sacerdotes absque Apl. Indulto celebrantes in oratoriis privatis, firmis tamen dispositionibus contentis in praefatis litteris, ad tramitem iuris communis.

Anno 1866, die 14 Septembris, R.mus Archiepiscopus Rochus Cocchia, Internuntius in Brasilia, litteris circularibus interdixit celebrationem in oratoriis privatis, sub poena suspensionis sibi reservatae, iis sacerdotibus qui tali indulto non fruerentur. Hoc praemisso, die 14 Maii anni mox elapsi, Episcopus de Pouso Alegre sequentia dubia proposuit, ad H. S. Congregationem a S. Congregatione de Propaganda Fide remissa:

I. — *An adhuc vigeat suspensio ab Internuntio Brasi-*

liensi anno 1886 inflicta sibique reservata, contra sacerdotes absque Apost. indulto celebrantes in privatis oratoriis?

II. – *Et quatenus affirmative: utrum conveniens sit eam abrogare vel saltem relaxare?*

III. – *Dictum Internuntii decretum coarctatne facultatem Episcopis a S. C. C. die 23 Ian. 1847 concessam, missam nempe permittendi in oratoriis privatis per modum actus transeuntis, ita ut v. g. Ordinario licitum non sit eam permittere, ne causa quidem ministrandi viaticum morti proximis?*

IV. – *Data hac Internuntii prohibitione, an sacerdos unquam possit in peculiaribus adiunctis de difficili ad Ordinarium recursu, celebrare in oratorio privato, quin incurrat suspensionis poenam?*

In merito propositarum quaestionum haec videntur posse animadverti.

Quamvis ex hodiernis moribus, quidquid sit de iure scripto, potestas Legatorum sive a latere, sive simpliciter talium, v. g. Nuntiorum, Internuntiorum, praecipue aestimari debeat ex litteris, per quas in munere Apostolico il constituuntur, firmum tamen omnino est eos a Romano Pont. in aliquam provinciam mitti, recensita negotia administrandi cum potestate ordinaria. « Ond'è che per questa potestà « ordinaria – (ita clar. Ser. De Santi, in opere: « *Istituzioni di Dir. Can.* », *vol. 2, pag. 77*) – i Legati a latere « e i Nunzii Apostolici *possono fondare Statuti che hanno « forza perpetua*, giusta il testo in cap. « *Nemini* » *de « off. leg.*, in cui si legge: « *Nemini dubium esse volumus, « quin Legatorum Apostolicae Sedis Statuta, edita in « provincia sibi commissa, durent, tamquam perpetua, « licet eamdem postmodum sint egressi* ». Hinc Ferraris, *in Bib. can. v. Lex*, n. 32, ait: « Legatus Pontificis potest *leges ecclesiasticas ferre intra fines suae legationis* », et in v. *Legatus, n. 51*, tradit quod « Legati Papae Statuta durant etiam finita legatione ». Hoc autem inniti videtur eo iuris principio quia ut ait cit. auctor in v. *Lex, n. 15*, « quantum est de sui natura, nisi postmodum legitime revocetur, legis proprium est ut obliget in perpetuum, cum ea quae ad ius pertinent, perpetua esse debent, leg. *falso Cod. de diversis rescriptis* ».

Ulterius hoc confirmatur ex « *Observationibus* » Cardinalis Iacobini a Secretis Status S. Sedis, ad Nuntium Apostolicum Hispaniarum transmissis; in quibus haec leguntur: « I Nunzi, quali delegati e rappresentanti del Santo Padre, « hanno, come risulta dai Brevi e dalle Istruzioni, che loro « sono date, *una missione non puramente diplomatica, ma « autoritativa* quanto ai fedeli e ai Vescovi; per conse« guenza, come nè gli uni nè gli altri non hanno il diritto « di determinare le sue attribuzioni, e tanto meno di emet« tere un giudizio sulla legalità de' suoi rispettabilissimi « atti, così questi ultimi, fino a prova contraria, sono per« petui, per ciò stesso che rappresentano perfettamente le « vere intenzioni del S. Pontefice.... L'autorità episcopale « non può esercitarsi contrariamente alle prescrizioni del « Nunzio o Internunzio Apost., alla stessa guisa che deve « essere sempre sottomessa a quella del Pontefice » (Confer Pallottini, *Collec. dec. vol. 14, v. Nuntius Ap.*).

Ex hucusque enucleatis videretur quod praefatum interdictum adhuc in suo robore permaneat.

Ex altera vero parte observari posset, quod quemadmodum morte Episcopi cessant Statuta ab eodem extra Synodum facta et per simplex edictum promulgata, iuxta ea quae tenent nonnulli Doctores, ut *Bertacchin., Tract. de Episc., p. 2, lib. 4; Sperellius, For. eccles., dec. 14*, et *Barbosa, de Offic. et potest. Episc., p. 3, alleg. 93*, inde inferentes per Episcopi obitum cessare casuum reservationem nisi facta fuerit in Synodo, idem videretur dici posse de Statutis factis a Legato seu Internuntio Apostolico, eius iurisdictione cessante per factam ipsius revocationem a Papa.

Quae sententia in casu etiam suas vires acquirit ex eo quod successores Internuntii dictum interdictum non confirmarunt. Quod profecto portendit finem legis iam cessasse, seu abusus ad quos reprimendos illud latum fuerat, de medio prorsus ablatos fuisse.

Quoad vero secundum propositum dubium, haec videntur posse reponi. Quamvis ex Episcopi expositis nullatenus cognitus sit supramemorati decreti tenor, ac proinde nec circumstantia ipsa, qua illud editum fuit, nihilominus, cum ex communibus contingentibus praesumi licet eam legem ad tollendos abusus, circa celebrationem missarum in oratoriis privatis irrepentes, prolatam fuisse, hinc dici posset, si de medio iidem hodie plene ablati sint, non videri curnam quam citius haud deveniendum sit ad sanctionem illam poenalem per competentem auctoritatem abrogandam vel saltem mitigandam; praeterquamquod circumstantiae temporum vel locorum aliud hodie omnino expostulent atque suadeant. Equidem factum quod successores Internuntii illud decretum non renovarunt, vel illi non institerunt, praesumptionem infert, quod eius applicatio non est amplius necessaria, vel quod illud in desuetudinem abiit, uti supra fuit animadversum.

Haec quoad duo priora proposita dubia: quoad tertium et quartum haec recolere puto. Ante Concilium Tridentinum Episcopi ordinaria et amplissima facultate gaudebant permittendi celebrationem missae in Oratoriis privatis, et hanc dabant nedum per modum actus, sed etiam per modum habitus seu indefinite et in perpetuum. Verum haec facultas a Concil. Trident., *sess. 23, de observ. in celebr. missae*, adempta eis fuit: et insuper haec Concilii dispositio an. 1615 confirmata fuit per litteras eiusdem S. C. ad omnes Episcopos datas iussu Pauli V in quibus haec leguntur: « Ill.mi Patres, Sanctissimi D. N. iussu, significandum duxerunt, facultatem huiusmodi licentias dandi ipsius Concilii decreto unicuique ademptam esse, solique Romano Pontifici esse reservatam ». Cfr. Bened. XIV, *de Sacr. missae, sect. II, § 12.* Many, *Praelect. can. de locis sacr., p. 148*; *et alios.*

Hisce tamen non obstantibus plures et magnae notae doctores sustinent non totaliter ademptam fuisse Episcopis antiquam facultatem, sed eis relictam esse potestatem *ex gravi causa* et tantum *per modum actus* concedendi privatum oratorium. Hanc sententiam tuentur Barbosa, Suarez, Schmalzgrueber, S. Alphonsus et alii, uti videre est in Many, *l. c.*, et quorum rationes refert. Sed quod magis est haec sententia roboratur recenti resolutione H. S. C. in una *Calatayeronen.* diei 7 Iulii 1855 et 20 Dec. 1856. In hac causa cum quaereretur: « An Episcopus possit, iusta interveniente causa, facultatem concedere celebrandi in oratoriis privatis in casu? » re maturius et longius discussa propositisque doctorum supra allegatorum testimoniis, respondit S. Congr.: « Negative, nisi tamen *magnae* et *urgentes* adsint causae et per *modum actus tantum* »: et ad hanc forsan Episcopus Orator sese refert in tertio proposito dubio. Etenim inibi citata decisio, nempe *Monasterien.*, ei prorsus contraria est; eaque postea per subsequentem supra relatam resolutionem temperata fuit.

Quaenam autem sint hae magnae et urgentes causae theoretice determinari non potest, et pendet a circumstantiis. « Neque nobis ipsis, ait Gattico, *cap. 15, n. 10, de Orat. priv.*, tantum arrogamus, ut idoneum ferre possimus de gravitate causarum iudicium, quod a prudentibus peti, et iuxta varietatem circumstantiarum exacte ponderari debet ».

Deinde has circumstantias recensens ex *regione*, ex *tempore*, ex *provincia*, subdit: « Forsan pluribus videbuntur urgentes causae: ratio ministrandi infirmo viaticum, quod alioquin non posset vel non sine maxima difficultate ei deferri; gravis infirmitas viri nobilis optime de Ecclesia meriti; ratio celebrandi in domo huiusmodi viri defuncti, praesente cadavere, etc. ».

Hisce pro clariori dubii propositi intelligentia, videtur posse responderi quod etiamsi enunciatum interdictum Apostolici Internuntii adhuc in robore persistat, casus concessionis oratorii privati per modum actus transeuntis inibi non comprehendatur, dummodo tamen de eo non fuerit facta expressa mentio. Ratio est quia interdictum est restrictio antiquae nativae facultatis Episcopalis, postea per Trident. Concil. moderatae; hinc applicanda est interpretatio restrictiva et non extensiva.

Item quoad quartum dubium eius solutio pariter pendet a responso dando ad primum dubium. Interim noto, quod nulla unquam succurrere potest pretiosa ratio vi cuius sacerdoti liceat marte proprio domesticum erigere oratorium, ut inibi missam celebret. Quo vero ad suspensionis poenam incurrendam pro hac arbitraria oratorii erectione, in casu res pendet a perduratione, vel non, praefatae prohibitionis Internuntii Brasiliensis.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Dilata*.

3445/4

De Pouso Alegre. — Dubiorum circa oratoria privata.

Die 29 Iulii 1905.

Proposita hac quaestione in plenariis comitiis diei 25 p. elapsi Februarii, S. H. Congregatio eius resolutionem differre censuit. Interim vero scribi mandavit Internuntio Apostolico Brasiliensi « affinchè trasmetta una copia del decreto « di Mons. Cocchia e perchè esaminati gli archivi della « Nunziatura e prese le informazioni che credesse necessarie « ed utili riferisca, se possa dirsi che Mons. Cocchia abbia « oltrepassato le facoltà che aveva come internunzio nel« l'emanare il Decreto in questione, e quali furono i motivi « che lo spinsero a ciò, se cioè vi fossero gravi ed estesi « abusi in proposito.

« Voglia ancora riferire se questo Decreto è ora caduto « in desuetudine, oppure sia ancora osservato, e se sia bene « mantenerlo ». Mandata S. V. O. examussim Internuntius apostolicus executus est, et transmisit tum litteras circulares defuncti Archiepiscopi Cocchia, tum expetitas informationes, quae typis exaratae in adnexo folio exhibentur.

Hisce itaque prae oculis habitis necnon rationum momentis quae in praeterito folio ex benignitate resumendo deducta sunt, nunc sapiens EE. VV. iudicium super controversia expostulatur.

Quare, etc.

I.

Litterae Circulares praedefuncti Internuntii Cocchia ad Episcopos Brasilienses.

Omissis, etc... Alterum est incommodum sive abusus, qui in aliquot dioeceses irrepsit, missam scilicet ubique celebrandi etiam in privatorum domibus. Quidam enim parochi non solum hanc inter suas ordinarias facultates numerandam esse arbitrantur, sed aliis etiam sacerdotibus permittunt, ut sub tectis modo huius modo illius familiae solo plerumque moti lucro, sacrum faciant.

Gravis profecto abusus hic est, nullo fundamento, ne tolerantiae quidem innixus, quem S. Sedes semper condemnavit nostrique praedecessores diversis temporibus reclamantes tollere conati sunt.

Ut autem penitus evellatur, declaramus: Praeter Ecclesias oratoriaque publica, praeter oratoria privata vel S. Sedis vel Internuntii apostolici auctoritate rite erecta, praeter facultates particulares, quas Ordinarii poterunt parocho vel cuilibet certo sacerdoti concedere *toties quoties*, ut altaria ad tempus constituenda, publica tamen, occasione visitationis vel missionis peragendae, hoc vel illo loco a parochiali Ecclesia remoto erigant; omnes qui extra praedicta loca vel in privatorum domibus, etsi parochi munere fungantur, missam celebrent, incurrere in poenam suspensionis *a missae celebratione* Apostolici Internuntii auctoritati reservatam.

Minime dubito, quin Excellentia V. Reverendissima totum suum studium, omnibus praeclare notum, magis magisque adhibitura sit, ut incommoda illa radicitus eruantur, proinde rogo ut sinceros meae erga V. Excellentiam Reverendissimam observantiae sensus velit accipere.

Fluminis Ianuarii, die 14 Septembris 1886.

II.

Litterae informativae hodierni Internuntii Apostolici Brasiliensis.

In ossequio ai veneratissimi comandi datimi da Vostra Eminenza Reverendissima col venerando foglio del 25 decorso mese di febbraio, mi reco a dovere di compiere acclusa copia della parte della Circolare, diretta all'Episcopato brasiliano dal mio defunto predecessore Mons. Cocchia, nella quale s'infligge la pena di sospensione riservata a questa Nunziatura Apostolica, da incorrersi *ipso facto* dai Sacerdoti che ardissero di celebrare nelle case di particolari, i quali non fossero muniti dello indulto dell'oratorio privato.

Nel trasmettere il prefato documento, credo opportuno far conoscere all'Eminenza Vostra che la pena di sospensione, lanciata da Mons. Cocchia, colpiva solamente quei sacerdoti che, senza legittima autorizzazione, senza grave motivo, ma sì *ad libitum*, unicamente allo scopo di piacere a questa o a quella famiglia, e per influenza politica, e spesse volte per motivi di sordido interesse, celebravano senza scrupolo messe in case di particolari non muniti dell'Indulto dell'oratorio privato.

Pare che a quell'epoca fosse molto frequente il menzionato abuso, il quale a ragione veniva dal prefato Monsignor Cocchia ritenuto gravissimo. Poichè, mentre vieppiù allontanava i fedeli dal metter piede nella Chiesa parrocchiale, era anche pernicioso per fini non lodevoli che lo motivavano.

Dall'Archivio di questa Nunziatura non ho potuto constatare se Mons. Cocchia avesse ottenuto una facoltà speciale che lo autorizzasse ad infliggere la pena di sospensione, riservata alla stessa Nunziatura Apostolica. Quello che è certo, si è che la misura adottata da Mons. Cocchia fu efficace, poichè da quel momento l'abuso andò man mano eliminandosi.

Alla Circolare di Mons. Cocchia, benchè ricevuta dai prelati brasiliani col dovuto rispetto, tuttavia non fu data da tutti un'equa interpretazione; e generalmente venne tacciata come severa anzitutto per la pena di sospensione che ivi s'infliggeva.

L'Ill.mo e R.mo Mons. Spolverini, che successe a Monsignor Cocchia come internunzio al Brasile, credette conveniente dirigere alla S. Sede, in data del 13 febbraio 1888, un rapporto su questa Circolare del suo predecessore, do-

mandando istruzioni sulla condotta da tenersi da lui in proposito. Però nell'Archivio della Nunziatura non esiste veruna risposta al medesimo da parte della Segreteria di Stato.

Solo da alcune lettere scritte dallo stesso Mons. Spolverini a questo o a quel Vescovo del Brasile si può rilevare:

1° Che la questione di principio sull'uso dell'altare portatile parrebbe che fosse rimessa al S. Offizio, di cui però non esiste alcuna decisione, se pure fu data, in questo Archivio;

2° Che lo stesso Mons. Spolverini dichiara che la Circolare in parola di Mons. Cocchia non aveva più verun valore, e che in conseguenza non sussisteva più la pena della sospensione in quella fulminata.

Da che io sono giunto al Brasile come nunzio, i parroci nei casi occorrenti, colla raccomandazione dell'Ordinario, domandano regolarmente a questa Nunziatura la facoltà dell'altare portatile: nè alcuno dei Vescovi mi ha fatto mai parola sia della Circolare di Mons. Cocchia, sia della sospensione in quella fulminata, ad eccezione di Mons. Vescovo di Pouso-Alegre. È da notare che questo prelato pubblica mensilmente un Bollettino religioso nella sua Diocesi, che dirama agli altri Vescovi brasiliani, in cui si propone anche di dare le risposte delle Congregazioni Romane, che possono riguardare anzitutto gli affari religiosi del Brasile. Io credo che egli desideri appunto una risposta decisiva dalla S. Sede per pubblicarla nel Bollettino. Il motivo del Vescovo di Pouso-Alegre può essere lodevole; però, qualora i termini della risposta della S. Congregazione fossero alquanto elastici, potrebbe la pubblicazione esserne pericolosa, come quella che con gravissimo danno della disciplina ecclesiastica avesse a dar luogo a ripristinare nel Brasile un gravissimo abuso, che ora può dirsi quasi cessato.

Ho fondamento di credere che in generale oggi dai Vescovi brasiliani si ritiene che non sia più in vigore la pena della sospensione fulminata da Mons. Cocchia, nè certo sussistono attualmente, per mantenerla, quelle ragioni che poterono provocarla.

Per mia parte quindi, opinerei nulla ostare perchè si risponda che la pena della sospensione più non sussiste, alla condizione tuttavia che i termini della risposta non dieno campo veruno per dedurne che non sussista più altresì la proibizione di principio ai sacerdoti di celebrare senza la dovuta autorizzazione la messa nelle case dei particolari non munite dell'indulto dell'oratorio privato. Mi permetto dir ciò perchè conosco un poco la facilità, che si ha, in questo paese, d'interpretare tutto in senso favorevole al proprio vedere e ai proprii interessi.

Nelle ultime parole del quesito 3°, mi pare che potrebbe per avventura contenersi un piccolo tranello « *ne causa* « *quidem ministrandi viaticum morti proximis* ». Se ciò s'intendesse di un caso del tutto straordinario, cioè di un membro di qualche famiglia che dimori nell'interno specialmente ad una notevole distanza, sia dalla *Parrocchia*, sia da una delle *Cappelle succursali* della medesima (che esistono in certo numero pressochè in tutte le Parrocchie che nel Brasile sono estesissime, e in cui per maggior comodità dei fedeli dagli Ordinari si autorizza l'amministrazione del Sacramento del Battesimo, la celebrazione della messa, l'amministrazione del Sacramento della confessione, comunione, massime per soddisfare al precetto pasquale), nulla vi sarebbe forse ad obbiettare, trattandosi d'un caso eccezionalissimo; e la facoltà verrebbe esercitata coll'autorizzazione del Vescovo *per modum actus transeuntis, et non habitus*. Che se però s'intenda pei casi in *genere di moribondi*, col far credere che i Vescovi possano dare questa facoltà, sarebbe il medesimo che fare rivivere il gravissimo abuso in questione.

Laddove poi tornasse di grande vantaggio spirituale l'uso dell'altare portatile ai parroci e ai loro coadiutori per certi casi eccezionali, che in alcune Diocesi e Parrocchie si possono più volte verificare durante l'anno, viste le circostanze speciali locali di questa regione, i prefati sacerdoti non dovrebbero fare altro che continuare, come fanno attualmente a domandarlo, colla raccomandazione dell'Ordinario a questa Nunziatura, e lo sarà per quei casi speciali accordato senza veruna difficoltà.

Questa è la risposta che ho creduto di fare al ven.mo foglio di Vostra Eminenza, e La prego a perdonarmi, se non avessi saputo ben corrispondere alla sua aspettativa, dichiarandomi pronto a darle tutte le ulteriori spiegazioni che si reputassero convenienti.

Inchinato al bacio della S. Porpora, ho l'onore di rassegnarmi con sensi del più profondo rispetto,

Di Vostra Eminenza R.ma,

Petropoli, li 24 aprile 1905.

U.mo, D.mo, Oblig.mo Servo
GIULIO, Arcivescovo di Ancira
Nunzio apostolico

Ad proposita dubia, Emi Patres, rescripserunt: *Ad 1um Negative, firmis tamen in reliquo dispositionibus contentis in praefatis litteris ad tramitem iuris communis, et onerata super eorum observantia, omnium ad quos spectat conscientia : et in reliquis provisum in primo.*

2157/5 II.

Mariannen. in Brasilia. — Synodi Dioecesanae.

Conceditur ad decennium Epo Mariannen., attenta vastitate propriae Dioecesis, ut aliquoties cogere ac celebrare possit synodum dioecesanam, absque solemnitatibus a iure praescriptis.

Episcopus in nupera exhibita H. S. C. relatione super statu suae dioecesis sub die 26 Martii p. elapsi facultatem petit, ut attenta vastitate eius territorii, quod patet in longitudinem 490 milliaria ac in latitudinem 390 circiter, possit aliquoties absque solemnitatibus synodum dioecesanam cogere ac celebrare, reservando Pontificales solemnitates quibusdam synodi convocationibus longiore intervallo faciendis.

Porro solemnitates super quibus Episcopus petit dispensationem in synodi dioecesanae celebratione inveniuntur praescriptae tum in capite XXXI lib. I *Caeremonialis Episcoporum*, tum in parte tertia libri Pontificalis Romani sub titulo *Ordo ad synodum* et hae respiciunt tum praeviam synodi indictionem, tum eius celebrationem, uti sunt verbi causa solemnis annuntiatio futurae synodi in die festo Epiphaniae, processio solemnis die prima synodi, allocutiones ab Episcopo habendae et alia huiusmodi, quae in citatis capitibus legi possunt, et explicantur a Gavanto in suo manuali sub titulo *Praxis synodi dioecesanae*. Modo nonnulla hinc inde de more innuam.

In primis preces Episcopi reiiciendae videntur, quia obstant supra relata capita, in quibus urgetur adamussim observantia praescriptarum solemnitatum tam in cogenda quam in celebranda synodo dioecesana.

Nec adducta ratio vastitatis dioecesis Episcopo favere videtur pro obtinenda petita dispensatione. Cum enim, hae solemnitates observari possint in synodi convocationibus longiore intervallo faciendis, uti ipse Episcopus asserit,

melius et potius videretur synodi celebrationem differre, quam eam cogere et celebrare, spretis statutis solemnitatibus.

Neque per hoc dici posset Episcopum incurrere in censuram Conc. Trid. *Sess. 24, cap. 2, de Reform.*, in quo iubentur Ordinarii quotannis synodum celebrare sub poenis a SS. canonibus statutis; hoc enim caput uti ex contextu eruitur, tangit tantum Episcopos ignavos, non vero iusto impedimento detentos.

Ex altera parte, haec animadverti possent. Receptum in primis est inter Doctores, quod Episcopus non tenetur synodum cogere ac celebrare in ipsa civitate episcopali, sed potest eam in quolibet suae dioecesis loco cogere. Sufficiat citare Benedictum XIV qui in tractatu de *Syn. Dioec. lib. I, cap. V, n. 2*, ita ait: « Indubitatum est, Episcopum non solum in civitate, verum etiam in qualibet suae dioecesis parte posse Synodum cogere ».

Si itaque locus ordinarius convocationis Synodi idest Cathedralis Ecclesia censeatur ab Episcopo ut una ex solemnitatibus a iure praescriptis, patet hanc conditionem non esse ita praecisam et strictam, ut ab ea derogare Episcopus non valeat, posita iusta causa ab eodem Episcopo aestimanda. Quo vero ad rituales solemnitates tum in convocatione tum in celebratione synodi, profecto non desunt exempla apud H. S. C. talium derogationum.

Ita, ut nuperrima referam, Episcopo Baionensi anno 1889 die 16 Februarii facultas facta fuit ad decennium habendi conferentiam dioecesanam loco synodi, cum potestate tamen ut nomen ac vigorem synodi indueret; quia ob vastitatem dioecesis vocare non poterat omnes de iure vocandos, ac praecipue parochos, propter defectum Sacerdotum, qui eorum vices gererent. Ita etiam ad decennium facultatem obtinuit Archiepiscopus Mechliniensis anno 1872; et Episcopo *Quinque Ecclesiarum* ex rescripto diei 11 Iunii 1860 idem permissum fuit.

His praenotatis videant EE. VV. ea qua pollent sapientia ac prudentia, an et quomodo expediat annuere postulatis Episcopi Mariannensis in casu.

Quare, etc.

Responsum fuit: *Pro gratia ad decennium ad tramitem resolutionis in Baionensi, diei 16 Feb. 1889, aliorumque similium.*

B. — In folio.

2027/3 I.

Annecien. — Nullitatis matrimonii.

Declaratur matrimonium fuisse in casu irritum, ob clandestinitatis impedimentum.

Die 9 Augusti 1902, in parochiali Ecclesia S. Mauritii, loci *Viry*, dioecesis Anneciensis, matrimonium initum est inter Clothildem 20 tunc annos natam et Iulium, adstante eiusdem oppidi Parocho nec non Canonico dioecesis Lausannensis ac Genevensis, nunc demortuo, qui eidem matrimonio benedixit.

Ferunt Clothildem domicilium in parochia, vulgo dicta *Saint-Pierre de Chaillot*, Parisiis, apud parentes habuisse, ubi ipsi cuidam praeerant diversorio. Haec sane iudex Anneciensis in sua sententia retulit: « Attento quod pater eius ante annum 1889 nunquam in loco *Viry* venit; mater eius, licet ibi nata, adhuc iunior inde abiit, Parisiis commoratura, nullam habitationem aut possessionem ibi conservans, hucque non reversa usque ad praedictum annum: aliunde aliud non habuit domicilium ac mariti, quod de consensu omnium, Parisiis erat ».

Anno 1902 parentes Oratricis praedium rusticum in vico *Eluiset*, paroeciae Viry, emerunt, ibique, prout Oratricis mater fassa est, per aliquot dies aut hebdomadas singulis annis morari solitos fuisse videntur: « Nous avons à Viry « une propriété, que nous avons achetée par procuration en « 1889. C'est une spéculation que nous avons faite. Je « comptais revendre cette propriété... En quatorze ans nous « y avons passé tout au plus six mois... J'avais à Paris une « maison importante à diriger, un personnel de trente-« deux domestiques; il m'était impossible de m'absenter « longtemps ».

Anno 1892 ineunte, mense Iulii, ipsi dictum oppidum Viry petierunt, ut exinde in civitatem *Evian-les-Bains* irent, ipsius Clothildis valetudini curandae causa. Dum itaque in vico *Eluiset* sisterent, ibi una cum suis parentibus occurrit Iulius, qui licet ex civitate *Albertville* esset oriundus, per id temporis in civitate *Saint-Julien* eiusdem dioecesis Anneciensis, ubi sub-praefecti munere fungebatur, domicilium habebat. Conventione inita, die 9 Augusti, in praedicta loci Viry Ecclesia, duabus praemissis bannorum publicationibus tum in parochia oppidi Viry, tum in parochia S. Iuliani, matrimonium inter ipsos celerrime perfectum est, quin ut videtur, formaliter petita aut obtenta fuerit delegatio nec a Parocho aut Ordinario viri, nec a Parocho aut Ordinario mulieris.

Haec sane Parochus fassus est: « J'assistais au mariage « et j'ai dit la messe de mariage.

« M. le Curé de St-Joseph de Genève a béni ce mariage. « Je ne sais pas s'il a été question de délégation pour lui; « mais j'étais présent.

« Je me considérais comme le Curé de la famille, à « raison du quasi-domicile ou de l'habitation qu'elle avait « à l'Eluiset.

« Dans ma conviction, Mlle Clothilde avait au moins un « quasi-domicile, peut-être même un domicile, parce que les « uns ou les autres de la famille y passaient chaque année « quelque temps ».

S. Iuliani autem Parochus haec deposuit: « Ce mariage « a été publié dans l'église de St-Julien.

« M. le Curé de Viry a fait auprès de moi, avant le ma-« riage, une démarche relative à ce mariage. Je ne me « souviens pas qu'une demande formelle de délégation m'ait « été présentée.

« Comme aucune réclamation ne s'est produite à l'encontre « du dit mariage, il est permis de procéder à sa célébration « canonique.

« Je déclare que, par cette formule, mon intention est de « donner toute délégation, si besoin est.

« Dans mon entrevue avec M. le Curé de Viry, je lui ai « dit: " Vous ferez le mariage; j'aime autant que ce soit « vous que moi ".

« Je n'ai pas pensé que M. le Curé de Viry eût besoin « de délégation pour assister à ce mariage.

« Mon sentiment est que la famille de Clothilde avait à « Viry un domicile suffisant ».

Quod quidem ipse eruit tum ex peractis in iisdem oppidis publicationibus, in quibus adnotabatur sponsae parentes domicilium in oppido Viry habere; tum ex civili actu, uti vocant, eiusdem matrimonii, in quo idem innuebatur; tum denique ex delecta ibi ab ipsis sepultura. Haec tamen in casu animadvertit oratrix: « Ma petite fille a été enterrée « à Viry, dans le caveau d'un de nos amis. Mon père, qui « est mort cet hiver, avait toujours manifesté le désir d'être

« ramené à Samoens. Son corps y est déposé, aussi provi« soirement, dans le même caveau ».

Celebrato matrimonio, Clothildis parentes ex oppido Viry discesserunt, Parisiosque reversi sunt; sponsi autem in vico Eluiset aliquantum permanserunt, absque vero intentione, ut videtur, ibi diutius commorandi.

Eorum tamen cohabitatio haud felicem sortita est exitum. Narrat siquidem mulier vix inito coniugio se a viro lue venerea qua laborabat fuisse affectam, adeo ut eius sanitas labefactari coeperit; eidemque causae mortem infantis ex eis natae tribuere ipsa videtur.

Insuper, prout eadem refert, plures ipsi a viro saevitiae illatae sunt; imo cum suscipiendi ille prolem aversionem haberet, eidem suasisse videtur ut remedia pro abortu faciendo sumeret.

Quare his mota mulier, de obtinendo a tribunali civili divortio cogitavit. Et sane Parisiensis iudex ob dictas rationes die 9 Maii 1902 causam mulieri adiudicavit. Dein die 18 Nov. eiusdem anni supplicem ipsa ad Sum. Pontificem libellum misit, expetens ut ob clandestinitatis impedimentum, suum matrimonium cum Iulio contractum, nullum declararetur.

Cum autem H. S. C. rescripsisset ut processus a Curia Anneciensi instrueretur, haec mense Ian. 1903 per suum Vicarium capitularem sede vacante, rite tribunali constituto, quatuor ex oppido Viry testes ab oratrice inductos sub iuramento excutere curavit, nec non Parochum S. Iuliani aliumque ex eodem oppido Viry. Insuper alii quatuor testes ex officio, nec non sex ab oratrice quidem producti, a Curia Parisiensi per delegationem Curiae Anneciensis interrogati sunt, quibus accessit iurata ipsius oratricis depositio eiusque viri, cuius testimonium ab Ordinario dioecesis Ambianensis, ubi tunc sub-praefecti munere fungebatur, per delegationem eiusdem Curiae Anneciensis exceptum est. Huius autem iudex refert viri matrem utpote aegrotantem haud interrogari potuisse.

Quibus expletis eadem Anneciensis Curia die 17 Aprilis an. 1903 attento quod in casu coniuges in oppido Viry nec domicilium nec quasi-domicilium habuerint, huiusque oppidi Parochus debita ad assistendum eidem matrimonio delegatione caruerit, ipsum invalidum ac nullum ob clandestinitatis impedimentum declaravit.

Ab hac sententia, prout de iure, cum Anneciensis vinculi defensor ad H. S. C. appellasset, hodiernis Comitiis eadem causa Vobis dirimenda proponitur.

Re itaque maturo examine discussa, ad sequens

DUBIUM

An sententia Curiae Anneciensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Sententiam esse confirmandam.*

2404
2

III.

Ostunen. — Solutionis.

Tertio redit controversia inter Administratorem Ostunensem eiusque ex-Vicarium generalem, circa solutionem stipendiorum et expensarum.

Tertio haec causa redit, quae acriter disceptatur inter Archiepiscopum Brundusinum Administratorem perpetuum Ostunensem Palmieri et eius ex-Vicarium Ostunensem sacerdotem Nicolaum Matone. Proposita enim prima vice in generalibus comitiis diei 25 Feb. p. elapsi (1) sub sequentibus dubitandi formulis: I. *An sacerdos Nicolaus Matone sit restituendus in officio Vicarii Generalis Ostunensis?* II. *An et quaenam stipendiorum solutio et expensarum eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu?* III. *An et quaenam damnorum reparatio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu?* S. H. Congreg. sequens protulit responsum: Ad I^{um}. *Negative;* ad II^{um} et III^{um}. *Dilata et ad mentem; quae est, ut Archiepiscopus et sacerdos Matone intra 15 dies eligant et proponant S. C. proprium peculiarem ratiocinatorem pro examine et discussione totius controversae gestionis, distincte tamen per singula gestionis capita. Haec autem discussio peragenda erit coram tertio ratiocinatore a S. Congregatione constituendo; qui deinde omnibus perpensis et cum adsistentia Consultoris canonistae pro parte iuridica, votum suum exarabit et S. C. proponet. Interim autem Archiepiscopus solvat sac. Matone summam libellarum 9600 pro honorariis, praestita tamen ab eodem Matone idonea cautione pro restitutione eiusdem summae si in redditione rationum de qua supra, debitor evaserit.*

Ab huius decreti parte provisionali quae respicit solutionem libellarum 9600, Archiepiscopus novum audientiae beneficium expetiit et obtinuit. Hinc causa sub die 20 p. p. (2) Maii iterum proposita fuit sub sequenti rogandi formula: « *An sit standum vel recedendum a decisis quoad impositam solutionem libell. 9600 favore sacerdotis Matone in casu?* » quod dubium sequenti rescripto fuit dimissum nempe: « *In decisis iuxta modum: modus est, ut Archiepiscopus intra 15 dies deponat penes S. Sedem summam libellarum 9600. Et in prima post proximam proponatur universa redditio rationum omnino et infallanter* ».

Ad tramites superius relati rescripti partes contendentes suum peculiarem ratiocinatorem designarunt; et facta ab utrisque dati et pensi computatio disceptata fuit coram ratiocinatore ab H. S. C. deputato una cum adsistentia Consultoris canonistae pro parte iuridica, quorum relatio et votum typis impressa et praesenti folio adiuncta pro nova dilatione concludunt.

Interim cum in prima causae propositione ultimo momento inter informandum defensores sacerdotis Matone exhibuissent quamdam Archiepiscopi epistolam sub die 29 Maii 1903, reservate missam Thomae D'Agnano, in qua ipse se declarabat debitorem erga Matone pro summa libell. 30,000, et cum huius epistolae alieno quidem charactere scriptae sed ab Archiepiscopo subsignatae, et munitae Archiepiscopali sigillo, authentia esset impugnata, in secunda causae propositione patroni sacerdotis Matone confici curarunt per Leopoldum Palmerini peritiam calligraphicam, quam deinde ipse Palmerini iuramento firmavit; in hac inter alia declarabatur subsignationem Archiepiscopi authographam esse.

Verum Archiepiscopus qui usque ab initio contenderat falsam esse huiusmodi epistolam, idque ex ipso eius tenore desumi posse, antequam causa hac tertia vice proponeretur, rogavit ut eadem epistola aliis peritis subiiceretur. Cui annuendum, ceu par erat, censui. Ideoque una cum allegationibus partium et rationum computationibus nova peritia controversae epistolae seorsim distribuetur.

Hisce pro meo munere relatis, nec non prae oculis habitis quae in praeteritis foliis ex benignitate resumendis deducta iam fuere, EE. VV. pro sueta sapientia et prudentia videbunt quo donanda sint responso sequentia

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XIII, p. 163.
(2) *Item*, p. 203.

DUBIA.

I. *An et quaenam stipendiorum solutio et expensarum refectio sacerdoti Matone debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu?*

II. *An et quaenam damnorum reparatio eidem debeatur a R.mo Archiepiscopo in casu?*

Emi Patres rescripserunt: *Placere de concordia et ad mentem: mens est ut Archiepiscopus solvat 30,000 libellas pro omni et toto iuxta litteras diei 29 Maii 1903, quarum libellarum 9600 solvat intra mensem, reliquas intra annum.*

689/2 V.

Gaudisien. — Unionis Paroeciae et erectionis Collegii.

Quidquid sit de unione principali vel minus principali inter Ecclesiam parochialem S. Georgii et Ecclesiam parochialem et Cathedralem Gaudisiensem, attenta oppositione Capituli Cathedralis, non conceditur erectio Capituli Regularis Canonicorum Lateranensium ad honorem in Ecclesia S. Georgii.

Anno 1688 volvente, die 27 Aprilis, per decretum Episcopi Melevitani a paroeciali et collegiata matrice ecclesiae sub titulo B. Mariae V. sideribus receptae in insula Gaudisiensi existenti, et serius ad Cathedralis ecclesiae honorem evecta, dismembratae fuerunt quatuor regiones S. Margaritae *del Sannat*, S. Antonii *della Caccia*, S. Mariae *della Calà* et S. Mariae *Virtutum* nuncupatae, attenta earum distantia ab Archipresbyterali ecclesia, et in proprias respectivas paroecias fuerunt erectae.

Ut autem quodammodo damnum allatum praefatae ecclesiae per huiusmodi dismembrationem compensaretur seu repararetur, in eodem decreto cautum est, ut contigua ecclesia paroecialis S. Georgii, nuncupata *del Borgo*, eidem Collegiatae et Archipresbyterali ecclesiae uniretur, etiam ad iurgia et contentiones ex tali propinquitate non infrequentes devitandas. Cedo decreti verba quibus huiusmodi unio sancita fuit: « *Et ne per huiusmodi dismembrationem... ipsa Matrix ecclesia Collegiata eiusque Archipresbyteratus detrimentum aliquod patiatur, attentis... loco ipsarum quatuor regionum sive contratarum in paroecias sic noviter erectarum, postquam praefata ecclesia paroecialis Sancti Georgii per cessum, sive decessum actualis eius Parochi, vel aliter quomodocumque et qualitercumque vacaverit ex nunc pro tunc eamdem Parochialem S. Georgii, Parochialitatis statu tamen prout in praesentiarum reperitur firmo semper remanente, eoque minime suppresso nec immutato, unico contextu eidem Archipresbyteratui Matricis Ecclesiae unimus, sive verius subrogamus ac subiicimus curae, gubernio, rectoratui, regimini hodierni Rev.di Archipresbyteri eiusque successorum in perpetuum et cunctis futuris temporibus...* »

Huiusmodi unio post annum etiam Apostolico Beneplacito fuit munita, uti patet ex rescripto H. S. C. sub die 26 Maii 1689.

Anno 1864 f. r. Pius IX, per Bullam *Singulari amore*, insulam Gaudisiensem in novam instituit dioecesim, et praefata ecclesia Collegialis et Archipresbyteralis decorata fuit titulo Cathedralis ecclesiae pro nova dioecesi, at nihil mutatum fuit circa iam factam unionem. Res ita processerunt usque ad an. 1895, quo vertente, Clerus paroecialis ecclesiae S. Georgii, praehabito consensu sui parochi Archipresbyteri, coepit inire tractatus, ut in hac ecclesia institueretur Collegium honorarium Canonicorum Regularium Lateranensium.

Verum, quamvis non deesset consensus Archipresbyteri, nec etiam Abbatis Generalis dictae congregationis, qui iam declaraverat totum negotium remittere arbitrio S. Sedis, tamen clerus S. Georgii magnum obicem et impedimentum expertus est a Capitulo ecclesiae Cathedralis, quod contendebat id absque eius consensu effici non posse. Quin imo Capitulum ad sua iura protuenda protestationem emisit coram Curia Episcopali, et impetiit uti illegitimam deputationem sacerdotis Laurentii Cutaiar ad cleri S. Georgii personam gerendam, factam prius ab Episcopo, et deinde ab eodem Archipresbytero confirmatam.

Episcopus Gaudisiensis pro huiusmodi negotio expediendo duos deputavit viros, nempe suum Vic. Generalem Michaelangelum Refalo et adsessorem Xuereb. Hi vero delegatis a Capitulo interpellatis, nec non expenso recursu a sacerdote Laurentio Cutaiar producto, relationem prorsus favorabilem institutioni Collegii canonicorum ad honorem ut supra in ecclesia S. Georgii ad Episcopum transmiserunt, qui proinde die 13 Novembris 1901 sequens edidit decretum: « *Attentis relatis, declaramus nihil obstare, quin Collegium honorarium Canonicorum Lateranensium erigatur in ecclesia paroeciali Divi Georgii M. huius civitatis Victoriae. Ideoque consensum nostrum praebemus, ut perficiatur erectio de qua in precibus* ».

Huic rescripto Capitulum non acquievit, sed plures exceptiones promovit apud Curiam Episcopalem, et cum declarasset quaestionem instituere iuris ordine servato, causa ad H. S. Congregationem tandem delata est. Cum vero interea temporis Laurentius Cutaiar instetisset apud eamdem S. C., ut praefatum Episcopale decretum approbaretur, super dicto recursu censui audire Procuratorem Congregationis Canonic. Regularium Lateranensium, qui litteris diei 20 Iunii 1902 se favorabilem exhibuit, sub nonnullis conditionibus...

Hoc accepto voto, cum Clerus S. Georgii iterum per delegatum urgeret pro approbatione erectionis Collegii, et e contra Capitulum illi sese viriliter opponeret, controversiam iussi poni in folio. Cum vero Capituli oppositio eo praecipue innitatur, quod ipsum sustineat unionem ecclesiae S. Georgii factam ex decreto episcopali diei 27 Aprilis 1688 fuisse minus principalem, ideoque ipsius consensum in dicta erectione esse prorsus necessarium, hinc inter partium delectos procuratores duo conventa sunt dubia inferius exscripta, nempe primum super qualitate et natura factae unionis, alterum super valore vel non editi episcopalis decreti approbationis erigendi collegii. Modo utriusque partis allegationes compendiatim subnecto.

Qui iura cleri S. Georgii propugnat, orationem suam in duas partes dispescit, in quarum prima statuit consensum Capituli Cathedralis in erectione novi collegii in dicta ecclesia facienda non esse necessarium; in altera, occurrit nonnullis difficultatibus quae forte ex adverso moveri possent.

Ut obtineat primam contentionis partem, advocatus eam in duo capita concinne distinguit, probare satagens: 1° ecclesiam S. Georgii ecclesiae Cathedrali unitam esse unione aeque principali; 2° dato etiam et non concesso, quod de unione minus principali agatur, non ideo sequi in facienda collegii erectione requiri Capituli consensum.

Hisce quoad primum dubium enucleatis, patronus disgrediens ad secundum, sedulo animadvertit resolutionem secundi dubii circa valorem decreti Episcopalis diei 13 Novembris 1901 totam pendere a primi resolutione; et cum insuper probatum fuerit Capituli consensum in erectione

Collegii non requiri, etiamsi sermo esset de unione minus principali, quod tamen impugnat; hinc, ait, non videtur fieri posse locus dubitandi, quod ipsum penitus sit sustinendum, etiam praecisione facta a natura et qualitate unionis ecclesiae paroecialis Sancti Georgii cum paroeciali et Archipresbyterali ecclesia Capituli Cathedralis.

E contra, qui Cathedralis Ecclesiae insulae Gaudisii iura tuetur, quoad *primum dubium* probare satagit unionem inter Ecclesiam S. Georgii et dictam Cathedralem esse minus principalem, idque duplici ex capite absolvit, videlicet demonstrando — *a)* eamdem unionem minus principalem esse *in iure:* — *b)* ut talem semper habitam fuisse *in facto*. Difficultates denique a parte adversa allatas diluit.

Ad alterum suae orationis caput progrediens patronus, probare studet dictam unionem ut minus principalem *in facto* semper fuisse habitam.

Post haec, pergit ad refellendas *difficultates* quas Rev. Sac. Cutaiar cleri S. Georgii delegatus in sua *Nota* movit.

Quoad *secundum dubium*, probat advocatus decretum Episcopi diei 13 Nov. 1901, quo declaravit — nihil obstare quin Collegium honorariorum canonicorum Regularium Lateranensium erigeretur in ecclesia parochiali divi Georgii civitatis Victoriae — haud sustineri in casu, idque triplici ex capite.

1. Quia sine consensu Capituli imo eo opponente et renuente prolatum. — Enimvero cum Ecclesia Sancti Georgii matrici Ecclesiae Collegiatae sit minus principaliter unita, iam patet idem Collegium absque Capituli consensu ibi erigi non posse. Nam si idem requiritur pro adsciscendis in Capitulum Canonicis honorariis, et a fortiori ad erigendum Collegium in Ecclesia Capitulo subiecta, eo fortius necessarius erit iste consensus pro erigendo Collegio Regularium, cum hoc finem dominii Capituli secumferat, quod est contra ius. Notum autem est Cathedralis Capitulum eidem Episcopo recursum obtulisse ne circa Cleri S. Georgii petitionem aliquid transiret. Neque opportunitas ipsum erigendi, eumdem consensum Capituli excludit, secus de quolibet auctoritatis principio actum esset; eo vel magis quod in casu non de quaestione cultus sed de mutatione substantiali in Ecclesia subiecta peragenda agitur.

Insuper, ex erectione huiusmodi Collegii, finis ipsius decreti unionis frustraretur, qui fuit subrogatio Ecclesiae S. Georgii loco quatuor parochiarum matrici subiectarum; iurgiorum et dissentionum sedatio, etc. Caeterum animadvertit ipsos contradictores eiusdem Capituli consensus necessitatem agnoscere, pro erigendo scilicet dicto Collegio, prout patet ex litteris quibus S. Georgii clerus Capituli consensum petiit, cum de huiusmodi erectione agi coepit. Imo ipse Cutaiar scribere non dubitavit: « Che siffatta questione del « consenso del Capitolo dipende esclusivamente ed essen« zialmente dalla natura dell'unione ».

Neque opponi valet, addit, intercessisse Archipresbyteri consensum ob factam delegationem; nam praeterquamquod delegatio ad sistendum in iudicio non est consensus ad Collegium erigendum, huiusmodi consensus renuente, opponente et contradicente Capitulo nullus atque irritus esset.

2. Idem Episcopi decretum non sustineri probat patronus, quia falso factorum et iuris supposito nititur, et insuper obreptitium et subreptitium est. Notum enim est Vicarium generalem qui scriptae relationis diei 4 Nov. 1901 auctor fuit, eaque attenta Episcopus Gaudisiensis dictum rescriptum tulit, a Capitulo citatum ut apud ipsum Episcopum sub iurisiurandi religione deponeret, num ante peractam relationem inquisiisset, an facta a sac. Laurentio Cutaiar allata in sua *Nota*, certis inniterentur rationibus ac documentis, haec testatum esse.

Quare concludit dictam relationem falsam esse, et decretum Episcopi quod huiusmodi relatione nititur « attentis relatis » nullum esse.

Nec praeterit contradictores facta falsa affirmare, falsaque citare documentorum fragmenta.

Proinde, cum facta a Clero S. Georgii allata, uti supra demonstratum est, quolibet fundamento destituantur, ipsique contradictores (prout scribit) « falsis factis, nec non falsis et subdolis citationibus in sua *Nota* usi sint, quum haec *Nota* substratum praebuerit relationi diei 4 Novembris 1901, et haec, vice sua, fundamentum suppeditaverit decreto 13 Novembris 1901; quum Relatores quae nunquam sciverunt et viderunt, se vidisse et scivisse declaraverint, iam patet decretum non solum falso factorum et iuris supposito fundari, sed esse etiam obreptitium et subreptitium, idest nullum ».

3. Denique advocatus addit decretum Episcopi non sustineri, utpote pendente controversia super naturam unionis editum. — Sane recolit Capitulum Cathedralis, simul ac rescivit S. Georgii Clerum, Episcopum adiisse ut Collegium erigeretur, Curiae recursum obtulisse ne eo inconsulto aliquid transiret. Inde ex una parte nota illa Sac. Cutaiar, ex altera praeiudiciales Capituli exceptiones, ut iudicium rite institueretur.

Hisce tamen adhuc non solutis, imo cum controversia adhuc pendens praecipue obstaret super natura unionis, memorat eumdem Episcopum, Cleri S. Georgii sollicitationibus pressum; falsa innixum relatione, eaque minime Capitulo communicata, huius documentis et probationibus nullimode expectatis, nullaque ideo iudicii forma servata, rescripsisse « nihil obstare » quin Collegium erigeretur; dum e contra plura obstitisse satis compertum est.

His itaque ex utraque parte relatis, EE. PP. erit sequentia dirimere

DUBIA

I. *An constet de unione aeque principali vel minus principali inter Ecclesiam parochialem S. Georgii et Ecclesiam parochialem et Cathedralem Gaudisiensem in casu?*

II. *An Decretum Episcopi Gaudisiensis diei 31 Novembris 1901 sustineatur in casu?*

Responsum fuit: *Ad Ium. et IIum. Attentis omnibus, non esse locum erectioni Capituli Regularis Canonicorum Lateranensium ad honorem in Ecclesia S. Georgii.*

4285/43 VI.

Barcinonen. — Iurium Parochialium.

Iterum ventilatur controversia inter Capitulum Eccl. Cath. Barcinon., et parochos eiusdem urbis, relate ad exercitium nonnullorum iurium parochialium, et confirmatur prior decisio, iuxta modum.

Haec causa acta fuit in generalibus comitiis S. V. O. diei 27 Augusti superioris anni (1). Controversia vertebatur, primo inter parochos civitatis Barcinonensis et Capitulum illius Cathedralis ecclesiae ob exercitium nonnullorum iurium paroecialium. Capitulum enim Cathedrale, refragrantibus parochis, contendebat manuteneri in possessione exercitii cumulativi iuris: 1) Ministrandi per hebdomadarios suae Ecclesiae baptismum infantibus sive ex civitate sive ex dioecesi sibi oblatis, quin teneretur remittere schedulam suscepti baptismi respectivis parochis; 2) Deferendi SS. Eucharistiam per mo-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 372.

dum Viatici, et dandi Extremam Unctionem nedum beneficiatis Ecclesiae Cathedralis et eius servitio addictis, sed etiam nobilibus et qualificatis personis, praehabita tantum Ordinarii licentia; 3) Distribuendi Communionem Paschalem et dandi syngrapham adimpleti Paschalis praecepti; 4) Assistendi matrimoniis fidelium ex quacumque paroecia extiterint, irrequisito parocho, tantum ex licentia Ordinarii; 5) Demum levandi, associandi, funerandi et tumulandi cadavera nedum beneficiatorum suae Ecclesiae Cathedralis, vel eius servitio addictorum, sed etiam quorumcumque fidelium, qui vel in Cathedrali Ecclesia sepulchrum familiare habuissent, vel in ea sepulturam elegissent, vel essent peregrini aut viatores, idque peragendi nulla soluta quarta funeraria proprio decedentium parocho.

Alteram quaestionem parochi habuerunt cum Rectoribus aliarum ecclesiarum minorum non parochialium, et praesertim cum Rectore Piae Domus a Charitate. Hi enim pariter refragrantibus parochis, sibi ius vindicabant peragendi functiones exequiales solemniores, postquam iusta funebria vel in Ecclesia Cathedrali aut in propria paroecia fuerant persoluta. Praecipue vero Rector Piae Domus a Charitate praetendebat sepulturae mandare cadavera pauperum in hospitio defunctorum, in spretum Ordinationis Episcopalis diei 12 Octobris 1869 id interdicentis, nullimode monito respectivo parocho nec transmissa eidem syngrapha decessus, ut hi decedentes in libro defunctorum essent inscripti.

Pro solutione harum quaestionum sequentia tunc proposita fuerunt dubia:

I. *An et quomodo Capitulum Ecclesiae Cathedralis Barcinonensis conservandum sit in possessione exercitii cumulativi iurium parochialium cum parochis civitatis in casu?*

II. *An Rector Piae Domus a Charitate et Rectores nonnullarum aliarum ecclesiarum non parochialium, ius habeant peragendi functiones exequiales solemniores, postquam celebrata fuerint iusta funebria in Cathedrali ecclesia vel in propria paroecia in casu?*

III. *An idem saltem possint solvendo parocho proprio quartam funerariam in casu?*

IV. *An Rector praefatae domus a Charitate possit cadavera pauperum ibi degentium terrae mandare, inscio parocho, vel saltem quin eorum nomina transmittantur ad parochum pro inscriptione in libro defunctorum suae Ecclesiae in casu?*

Proposita dubia S. H. C. responso dimisit prout sequitur nempe:

Ad I^{um}. *Affirmative et ad mentem: et mens est ut Emus Episcopus valde moderate procedat in indultis de quibus agitur concedendis, et statuat taxam unicam et aequam tam a Cathedrali, quam ab omnibus civitatis ecclesiis ad unguem servandam, ita ut nemo nec plus petere, nec minus exigere valeat.*

Ad II^{um}. *Affirmative.*

Ad III^{um}. *Provisum in praecedenti.*

Ad IV^{um}. *Negative et servetur decretum Episcopi diei 12 Octobris 1869.*

Hac edita decisione, parochi beneficium novae audientiae expostularunt et obtinuerunt; et per novum adlectum patronum sequentia deducunt.

Patronus orationem suam in duo capita partitur. In primo capite agit de quaestione parochorum cum Capitulo Ecclesiae Cathedralis. In altero disserit de quaestione parochorum cum aliis Ecclesiis minoribus non parochialibus.

Aggrediens primum caput, evertere nititur duo praecipua argumenta, quibus Cathedrale Capitulum sua iura tuetur, nempe Constitutionem Gregorianam Iunii 1572, et factum possessionis. Quoad Constitutionem, observat eam neque in actis esse, neque voluminibus perlustratis, eam adhuc inveniri potuisse: unde applicari posset principium « quod non est in actis, non est in mundo »: eo vel magis, quod allegata Constitutio parochialia iura non tribuit vel confirmat, sed tantum ad Capituli supplicationem enunciativo modo memorat « intus illam (Cathedralem ecclesiam) exercitium curae animarum Christifidelium, qui, sponte sua, ad ipsam Ecclesiam pro baptismatis, confirmationis ac aliis sacramentis (non tamen Extremae Unctionis), nec non pro sepultura ecclesiastica accedere volebant », statuens ut ea iura non per quatuor hebdomadarios, sed per sacerdotes a Capitulo pro suo arbitrio ponendos exerceantur. Iam vero notum est quod « enunciativae Apostolicae... nullam constituunt probationem, praesertim ubi sunt ad partis supplicationem ». Card. De Luca, *de Benef. dis. 12, n. 8;* Rota *coram* Remboldo *in Papien. Fructuum dec. 21 Februarii 1622, part. 4, t. 3, 722, n. 9 in Recent.*

Hoc everso fundamento, patronus alterum impetere satagit in possessione consistens. Patronus hanc iurium possessionem etiam suffragio Rotae munitam non denegat, neque intendit quaestionem inire prorsus salebrosam, utrum controversa parochialia iura obnoxia esse possint praescriptioni. Aliam sibi viam paratam esse ait et quidem proniorem ad hoc argumentum refellendum, nempe recens superventum concordatum inter Hispaniae Reginam et S. Sedem superiore saeculo, nempe an. 1851 initum, et gravia incommoda ex huiusmodi privilegiato iurium exercitio defluentia, quibus ut ab H. S. Congregatione occurratur necesse est.

Animadvertit, quod tempore initi concordati curae animarum exercitium nedum apud fere omnia Capitula hispanica, sed etiam apud corporationes religiosas existebat, non cum parvo animarum discrimine, cum eam gerere, uti par erat, canonici choralibus officiis distenti et religiosi vitae coenobiticae dediti nequirent. Hinc sapienter in *art. 25* dicti concordati statutum fuit « Nullum Capitulum aut corporatio ecclesiastica habere potest curam animarum, et beneficia curata atque vicariae perpetuae, quae antea pleno iure alicui corporationi coniunctae erant, iuri communi omnino subiicientur ».

Hoc posito, patronus ita ratiocinatur. Per dictum articulum Capitulis et ecclesiasticis collegiis interdictum est curae animarum exercitium. Sed Capitulum Barcinonense per exercitium controversorum iurium curam gerit animarum. Ergo ea exercere non valet ad tramites legis prohibitivae concordatariae. Quod autem Capitulum Barcinonense portet curam animarum, facile ex eo deduci valet si iura a Capitulo exercita sint stricte parochialia. Et hoc singillatim probat ex doctorum sententia.

Quin negotium faciat, quod argumentatur adversarius patronus, aiens quod ecclesia Cathedralis nunquam fuit paroecia, sed tantum eius Capitulum nonnulla iura parochialia exercuit temporis praescriptione acquisita, ideoque in articuli sanctionem non incurrere. Hanc obiectionem, quamvis speciosam, tamen veritate inspecta, nullo dicit fundamento solido innixam, cum iuxta propositum articulum, uti eum legenti patet, abolita sit quaevis gestio curae animarum apud personas morales. Adversarius nisus est articulum in facta latina versione ad suum sensum detorquere. In hispanica enim lingua ita legitur: « Ningun Cabildo ni corporacion eclesiástica podrá tener aneja la cura de almas; y los curatos y vicarias perpetuas, que ántes estaban unidas pleno jure á alguna corporacion, quedaran en todo sujetos al derecho comun ».

Contrarius patronus ita hunc articulum in linguam vertit latinam: « Nullum Capitulum adnexam habere poterit curam animarum, *ideoque seu hoc est* beneficia curata et

vicariae perpetuae... » sed notat parochorum patronus particula illa « *y* los curatos... » hispanice sonat, quod latine dicitur particula coniunctiva *et* : hispanice enim, latina dictio – *ideo seu hoc est* – vertitur « *y por tanto* ». Ex hac prava textus versione totus articuli sensus est corruptus; dum enim in nativa lingua duplex disiuncta enuntiatio continetur, in facta translatione articuli una pars pendet ab altera: et hinc nil mirum si H. S. C. in errorem ex facta versione articuli, et ex consequenti elaborata argumentatione in errorem fuerit inducta.

Item quod in praefato articulo disiuncta enuntiatio contineatur, patere ait ex ipsius contextu.

In prima enim parte interdicitur Capitulis animarum cura « ningun Cabildo ni corporacion eclesiástica podrá tener aneja cura de almas »; dum altera pars prohibitiva tantum monasteria percutit « los curatos y vicarias perpetuas que estaban unidas á alguna corporacion »; hinc absurde, ait, secunda articuli pars primam determinaret.

Hoc autem maiori etiam evidentiae luce splendescere ait, si animus ad legis concordatariae scopum sedulo advertatur. Notum siquidem est communiter receptum principium, quod scire leges non est eorum verba tenere, sed vim et potestatem. Iam vero virtus et spiritus praefatae legis in eo fuit, quod Capitula a cura animarum arcerentur, quia ob quotidianum chori pensum, pastorali ministerio non satis expedite consulere poterant.

Atqui canonici Barchinonenses licet parochi non sint, tamen praecipua parochorum munera obeunt, uti liquet ex sibi vindicatis iuribus; ergo etiamsi eos littera legis non tangeret, quia parochi non sunt, tamen eos dicendum est tenere spiritum legis.

Insuper, urget patronus, Capitulum exercere curam animarum devincitur documentis ab eo productis. Sane in Const. Gregoriana a Capitulo inducta, ipsi asseritur: « intus illam ecclesiam exercitium curae animarum Christifidelium, qui sua sponte... ». In Rotae decisionibus delegati a Capitulo pro dictorum iurium exercitio dicuntur modo Curati, modo hebdomadarii Curati, modo deputati pro exercitio curae animarum. Non itaqne, concludit advocatus, curae gestio in Capitulo inficiari potest, et consequens eius adstrictio a praefati articuli prima parte.

Sed neque satis. Advocatus alia profert ad probandum Capitulum in concordati legem incidere. Sane ad huius legis tramites statutum fuit, ut « in ecclesiis Cathedralibus existat paroecia cum suo territorio separato, et parocho functiones peragente separatim a Capitulo Cathedrali ». Item decretum fuit, quod parochi et eorum coadiutores lucrentur oblationes a fidelibus oblatas, quae nuncupari solent « derechos de estola y pié de altar » *art. 33 concord.* Age vero haec praescripta nullimode cum assertis Capituli iuribus conciliari queunt.

Neque utiliter appellari valet ad exceptionem consuetudinis, seu ad ius privilegiatum favore Capituli Barcinonensis, quando, in *art. 45* dicti concordati, affirmatur « Vi huius concordati, revocantur, quatenus ei opponantur, leges, ordinationes, decreta hucusque publicata quacumque forma aut ratione in ditione hispanica ». Neque etiam utiliter pergit patronus, ab adversa parte recurri potest ad consuetudinem inolitam post concordatum, quam Capituli defensor invocavit in altera causae propositione, cum ea dici nequeat legitime inducta. Neminem profecto latet tria praecipue ad legitimandam consuetudinem praerequiri; nempe quod praefinito tempore fuerit in morem inducta; quod nemo hoc intervallo reclamaverit, et quod non agatur de lege quam Supremus Princeps vetuerit consuetudine revocari.

Sane primum non comprobantur duo priora requisita de temporis praefiniti decursu, et de non secuta reclamatione. Concordatum enim initum fuit an. 1851; sed constat non ante an. 1868 ea quae pertinent ad modum concordati exequendi ad exitum deducta fuisse, praesertim quoad moderationem regiminis curae animarum. Hoc profecto tempore, nil mirum si parochi non reclamarunt sua iura, cum de modo executionis concordati non constaret. Iuxta Capitulum primus recursus a parochis factus fuisset an. 1895. Sed ab an. 1868 usque ad an. 1895 neque 30 anni numerantur: et hoc profecto temporis spatium admitti nequit ceu legitimum ad inducendam praescriptionem contra iura parochialia. Advocatus id confirmat auctoritate Reiffenstuel *ad tit. de cons.*

Praeterea intra hoc tempus an. scilicet 1895 parochi suas querelas moverunt contra Capitulum, vel etiam prius occasione synodi dioecesanae anno 1891 habitae, uti pars adversa in suo memoriali fassa est in altera causae propositione.

Ergo in comperto est duo priora deficere requisita ad firmandam consuetudinem.

Sed et abesse ait tertium requisitum ob contrariam Supremi Principis voluntatem. Advocatus memorat quamdam causam *Derthusen.* a se defensam die 1 Septembris an. 1894. In ea dignitates Capitulares eccles. Cathedralis contendebant se non teneri ad litandam per turnum missam conventualem, et se tuebantur inolita consuetudine. At evictum est eam consuetudinem non valere, quia haec consuetudo procedebat contra Concordatum, quod ita Dignitates instituerat, ut essent de gremio Capituli; et per secundam obtentam resolutionem principium firmatum esse ait quod Concordata, contraria consuetudine everti non possunt. Huius principii rationem advocatus in eo adinvenit, quod Concordata sunt quaedam solemnes stipulationes contractus inter supremam laicam potestatem et ecclesiasticam inductae ex gravissima causa ad moderandam in regno ecclesiasticam disciplinam, et quae nonnisi ex gravissima causa revocari possunt. Quare cum tanta sint vallatae firmitate, ut etiam ipsi stipulantes sibi quodammodo libertatem circumscripserint eas mutuo revocandi, aequum non est ut relinquatur libertati privatorum facultas eas abolendi, contrariam invehendo consuetudinem.

Sed advocatus ulterius progreditur, et sedulo distinguit inter consuetudinem directam ad legem evertendam, et consuetudinem quae iura a lege concessa convellit. In hoc casu consuetudo refunditur in praescriptionem, teste *Card. De Luca, de Iurisdictione, dis. 34, n. 28.* Quoad primum dicit sufficere interventum trium dictarum conditionum, at quoad inductionem praescriptionis, et aliud requisitum intercedere debet, scilicet bona fides, *cap. ult. de praescript.* At Cathedrale Capitulum in themate ignorare non poterat legem publico convento sacratam: erga ipsum aperte in mala fide versatum est, proindeque inutiliter ad praescriptionem appellat.

Demonstrata consuetudinis inefficacia ex supervenientia Concordati, patronus descendit ad describenda incommoda et damna ex eius perseverantia fluentia.

Item bonum religionis exposcit, ut collatio baptismi debitis perficiatur caeremoniis. Sed, ait advocatus, aliter id evenit in Cathedrali Barcinonensi, in qua cum insimul plures exhibeantur infantes, baptismus non istis peractis ministratur caeremoniis pueris turmatim admissis. Confirmat id testimonio.

Quin etiam, in re tam gravi, tanta canonici baptizantes se gerunt incuria, ut, infantes non aliquando dimittant salutari aqua non conspersos.

Inde etiam contingere ait, ut cum baptismi magna festinatione conferantur, omittantur etiam praeviae necessariae

inquisitiones, et in capitularibus codicibus referantur ut filii legitimi qui ex adulterino sunt nati complexu: probat id advocatus quatuor productis adnotationum documentis. Deinde ita disserit. Fortasse hoc Capituli privilegium seu consuetudo saeculo XVI quando Barcinonae septem tantum aderant paroeciae, et ob florescentem fidelium pietatem fraudi locus non aderat, tolerari poterat; sed temporibus hodiernis quibus dicta civitas triginta recenset paroecias et populi mores inversi sunt, amplius non est toleranda, sed potius abolenda, ob superius descripta incommoda, cum res in statum inciderit a quo incipere non poterat.

Neque iure Capitulum se tueri valet exemplo Capituli patriarchalis Basilicae Vaticanae. Longe aliter res procedit relate ad hoc Capitulum, quod privilegium repetit non a consuetudine sed a quadam Pontificia Constitutione. Canonici Capituli Vaticani non turmatim, non festinanter, sed iuxta consuetam Ecclesiae normam oblatis infantibus baptismum conferunt, et quidem prius habita a respectivo parocho notitia de infantis origine: caeterum observat advocatus, cum privilegium Capituli Vaticani nitatur Pontificia Constitutione, hoc auferri non potest nisi Summus Pontifex Constitutionem revocet. E contra cum privilegium Barcinonensis Capituli in consuetudine nitatur, si demonstratur quod haec amplius subsistere non potest ob plura inde derivantia incommoda, H. S. C. compellere potest praefatum Capitulum ad iuris communis observantiam, uti factum esse refert advocatus cum Capitulo Cathedralis Norensis in Sardinia, quod eodem modo ac Capitulum Barcinonense praetendebat ex consuetudine sibi competere facultatem administrandi baptismum in praeiudicium iuris parochialis. Confer resolutionem H. S. C. in *Galtellinoren.* diei 7 Sept. 1895 (1).

Demum advocatus carpit Capitulum quod in explendis muneribus parochialibus fuerit praetergressum et praetergrediatur praefinitos limites. Ita iuxta Gregorianam Constitutionem superius allegatam et Rotalem decisionem diei 7 Augusti 1732 baptismi sacramentum tantum intra Cathedralem Capitulares administrare valent: sed res longe aliter procedit, quandoquidem, testibus parochis in eorum recursu, Capitulum baptismum usurpat conferre nedum intra ambitum suae Ecclesiae, sed etiam in quacumque dioecesis Ecclesia. Idem faciunt canonici quoad assistentiam in matrimoniis.

Ex Constitutione Gregoriana a canonicis citata eis interdictum est sacramentum Extremae Unctionis administrare supremum vitae agonem agentibus, et ex arbitramentali iudicio diei 18 Maii 1792 ad quod ipsum Capitulum confugerat, declaratum fuit praeceptum communionis paschalis nonnisi in propria paroecia esse complendum. Hisce tamen non obstantibus canonici et sacramentum Extremae Unctionis ministrant, et fidelibus in die paschatis sacram praebent synaxim etiam traditis tesseris receptae communionis.

Item relate ad funera, parochi suas querelas deferunt; nam Capitulum iuxta parochos, nedum praetendit funerare beneficiatos et addictos Ecclesiae Cathedrali, viatores et peregrinos vel eos qui inibi aut sepulchrum familiare habent, vel sepulturam elegerint, sed etiam quoscumque cives in civitate decedentes, dummodo parentum accedat consensus. Nec omittit advocatus notare, quod dum haec munera paroecialia Capitulum exercere deberet per presbyteros a se deputandos ad tramitem verborum citatae Bullae « exercitium curae et alia onera in 4 presbyteros, ut praefertur, ponendos transferimus », ex adverso canonici plerumque ea saepe obeunt per se. Huius autem extensionis privilegii nulla iuxta advocatum, alia potest invocari causa nisi arbitrium in illo indicatum dicto « stat pro ratione voluntas ».

Absoluta disceptatione super controversia parochorum cum Capitulo, advocatus transit ad disserendum de altera quaestione quae tangit Parochos et Rectores ecclesiarum minorum non parochialium. Initium ducens a responso dato ab H. S. C. in prima causae propositione ad 2um Dubium, quo Rectori piae domus a Charitate permissum est secundum solemnius funus celebrare in sua Ecclesia, postquam primum funus seu iusta funebria vel in Cathedrali, vel in respectiva paroeciali Ecclesia persoluta fuerint, observat in primis peculiarem vigere in Hispaniae regno legem a reipublicae administratoribus editam, vi cuius cadavera defunctorum vetantur in Ecclesiam introduci. Unde fit ut funera praesente cadavere in Hispania proprie locum non habeant, sed tantum benedictio aqua lustrali ante Ecclesiae ianuam cadaverum mox ad coemeterium deferendorum. Item notat ut in Hispania peculiari disciplina receptum esse funera non peragantur die depositionis, tertia, septima, vel trigesima, aut anniversaria, sed tantum die quo rubricae seu Ecclesiae praescriptum permittat: hinc fit, ut facta prius inter parochum et defuncti haeredes vel propinquos de funere conventione, funus differatur ad secundam, tertiam, vel quartam diem, vel etiam ad longius tempus a die obitus. Haec profecto funera, uti per se patet, sunt in locum illorum funerum, quae vel praesente cadavere, vel aliis praefixis diebus, puta die tertia, septima, trigesima vel anniversaria fiunt.

Iamvero haec funera, ait advocatus, recensentur inter stricte parochialia. Probat id primum auctoritate Pignatelli *Cons. can. t. 6, n. 19,* qui tradit « celebratio anniversariorum confraternitatibus regulariter non permittitur, nisi dumtaxat in die commemorationis omnium defunctorum: non vero in tertia et trigesima die, quod proprie spectat ad parochum »; et idem confirmat resolutione data ab H. S. C. in quadam causa *Galtellinoren.*, in qua ad dubium: « An eidem parocho competat ius celebrandi missas praesente corpore et illas *dei termini,* et omnia emolumenta percipiendi? », responsum fuit, die 22 Iulii 1899: « Affirmative ».

Aptans hanc doctrinam ad propositum casum, advocatus contendit in memoratis Ecclesiis ea tantum funera peragi posse quae stricte parochialia non sunt. Sed in Hispania funera praesente cadavere non fiunt, sed tantum lustrationes aqua piaculari cadaverum ante ianuam, quae nec funera appellari, neque multo minus eorum locum tenere valent, cum fideles ob id nullam parocho tradunt mercedem. Si itaque dilata funera quae appellantur solemniores exequiae, et locum tenent funerum praesente cadavere, dici debent paroecialia, aequum profecto est ut ea non a Rectoribus ecclesiarum non parochialium, sed a proprio parocho persolvantur.

Neque cum praefatis Rectoribus utiliter obiiceretur quod haec funera, utpote non respondentia Ecclesiae ritui, inter paroecialia recensenda non sunt. Reponit advocatus, id ad summum valere posse quoties omnis fraudibus et parochorum dispendio interclusus maneret aditus. Sed in comperto est hanc fraudem in themate intervenire cum maximo parochorum damno. Sane adesse ait emissarios in Barchinonensi civitate a Rectoribus ecclesiarum non parochialium deputatos, qui huc illucque civitatem circumire solent ad conveniendum cum defunctorum parentibus pro funeribus celebrandis in dictis ecclesiis; et quo eos facilius alliciant, proponunt minori impensa in iis ecclesiis funera peragi posse ac in paroecialibus.

Huius industriae fructum ait esse magnum ex iis funeribus lucrum, ita ut pia domus a Charitate annuatim consequi valeat plusquam 40,000 libellarum, quod patronus evincit fide secretarii et ratiocinatoris praefatae domus.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. III, p. 394.

Quomodo autem praedictae fraudes in dispendium parochorum eveniant, describit sequens quatuor sacerdotum testimonium.

Neque, ait advocatus, huic incommodo obveniri potest remedio proposito in responso dato ab H. Sacra Congregatione in prima causae propositione, nempe designatione taxae unicae ab Episcopo facienda, quae ad unguem in omnibus ecclesiis servetur. Nam funera primo non sunt semper eiusdem classis: alia enim funera sunt divitum, alia pauperum. Insuper non omnes ecclesiae Barchinonenses habent eamdem amplitudinem, et eamdem ministrorum copiam, quarum opera dum funera persolvuntur, est adhibenda. Tertio demum neque fraudibus satis occlusa manebit via: emissarii, ut antea, circumibunt civitatem callidiori artificio funera aucupantes.

Quare advocatus expostulat ut securiori ratione eiusmodi fraudes impediantur, et parochorum iuribus consulatur.

— E contra qui Capituli Cathedralis Barcinonensis iura tuetur, quaedam in primis recolit quae ad eiusdem privilegiorum historiam et naturam, necnon controversiarum expositionem sese referunt. Hinc memorat dicta Capituli iura ab immemorabili existere, adeo ut Episcopus Carador e Concilio Tridentino redux non modo nihil innovandum, ac si contra ipsum Conc. Tridentinum ageretur, existimaverit, sed anno 1570 quandam inter Capitulum et Tribunal Inquisitionis conventionem approbaverit, qua dicta iura ad Capitulum spectare statutum fuit, eamque Sum. Pont. Gregorium XIII an. 1572 confirmasse addit.

Unde nil mirum si insequenti tempore huic Capituli immemorabili possessioni parochi obsistentes, tum apud proprium Ordinarium tum apud Metropolitanam Curiam usque contrariam retulerint sententiam.

Cum insuper iterum iterumque quaestio coram S. Rota proposita fuisset, in decisione habita anno 1730, quamquam ad Cath. Barcinon. Ecclesiam declaratum fuerit minime spectare universalem parochialitatem, tamen attenta plusquam centenaria seu immemorabili possessione, eidem Cathedrali Ecclesiae plenissimum recognitum est ius baptizandi omnes qui sponte sua ad eam accederent, absque ullo Capituli onere tradendi respectivis parochis notulam baptizatorum; itemque concapitularibus aliisque Sanctissimum Viaticum administrandi, nec non SS. Eucharistiam tempore Paschali impertiendi, tum ipsum ius confirmatum est inibi funerandi ac tumulandi quoties id peterent christifideles, quin eadem Cath. Ecclesia ad quartam solvendam parocho teneretur.

Et in hoc quidem suorum iurium plusquam centenario exercitio, annuente Episcopo, *legitime* ipsum perseverasse adnotat. Nam pluries contra ea insurgentibus parochis, dicta iura, eadem S. Rota editis sententiis Cath. Ecclesiae favore recognovit atque confirmavit, prout singillatim in sua oratione idem patronus recenset.

Hinc animadvertit immerito parochos supponere eiusmodi quoque specialissima Cathedralis Ecclesiae privilegia fuisse per Concordatum abrogata, cum per hoc scilicet abolita potius fuerit vera et proprie dicta animarum cura, quam detinebant vel exercebant capitula et ecclesiastica Hispaniarum instituta, quin tamen sub hac communi dispositione idem singulare terque centenarium ipsius Capituli privilegium quaedam parochialia exercendi iura comprehensum fuerit.

Quo autem clarius innotescat Capituli privilegia haud sub concordataria lege cadere, ideoque etiam post Concordatum perseverasse, singulos ipse recenset articulos, qui de eadem animarum cura seu de parochialitatis reformatione pertractant. Haec enim in art. 11 habentur: « Omnes etiam iu« risdictiones privilegiatae et exemptae cuiuscumque spe« ciei sint, et quomodocumque nuncupentur, penitus cessa« bunt, ea non exclusa quae ad S. Ioannis Hierosolimitani « Ordinem spectant. Subdita autem pene iisdem iurisdictio« nibus Territoria, propriis seu finitimis Dioecesibus adiun« gentur in nova harum circumscriptione, prouti articulo « septimo statutum est, perficienda: salvis tamen et in suo « valore mansuris quae competunt:

« I. Capitano Maiori Catholicae Maiestatis Suae – II. Vi« cario Generali Castrensi – III. Quatuor militiis, S. Jacobi, « Calatravae, Alcantarae et Montesicae, ad sensum eorum « quae nono huiusce conventionis articulo praedisposita sunt « – IV. Praelatis regularibus – V. Nuntio Apostolico pro « tempore circa Ecclesiam et xenodochium Italorum in hac « ipsa Urbe erectum. Vigebunt item speciales facultates « quae Commissario Generali Cruciatae in rebus officium « suum respicientibus iuxta delegationis litteras, aliasque « Apostolicas concessiones respondent ».

Iamvero ex hoc articulo haud deduci posse contendit Cathedralis privilegia fuisse abrogata, cum apertissime hic agatur de iurisdictionibus privilegiatis, et exemptis, quae proinde natura sua penitus sunt a parochialitate et a paucis parochialibus iuribus, quibus eadem Cathedralis Ecclesia gaudet, diversae.

Ad haec insuper magis confirmanda, exempta territoria enumerat, quae per huiusmodi articulum abolita sunt, ex quibus infert ipsum haud posse referri ad Cathedralem Barcinonensem, cum haec, utpote sub Episcopi dependentia, neque iurisdictionem exemptam constituat, neque ullam exerceat auctoritatem supra fideles, qui pro lubitu ad ipsam, quaedam excipiendi causa sacramenta, accedunt. Per hanc igitur abrogationem iurisdictionum exemptarum, quae vi Concordati peracta est, ut unicum scilicet redderetur Ecclesiae regimen, nequit intelligi fuisse quorumdam parochialium iurium exercitium extinctum.

Sic etiam in art. 25 haec leguntur: « Nullum Capitulum « aut collegium ecclesiasticum adnexam habere poterit cu« ram animarum, ideoque beneficia curata et Vicariae per« petuae, quae antea pleno iure alicui collegio coniunctae « erant, deinde iuri communi omnimode subiiciantur ». Iamvero ex eo quod Cathedralis Ecclesia quaedam peculiarissima exerceat iura tantum in volentes et petentes, deduci nequit, prout in praecedenti defensione fusius probatum est, ipsam animarum curam exercere, vel perpetuam vicariam adnexam habere, proinde neque supponi eam sub hac articuli dispositione comprehensam esse.

Insuper in art. 26 ita statutum est: « Parochiis omnibus « absque ullo prorsus ad loca, classes, et vacationis tempus « respectu, providebitur indicto concursu, servata norma a « SS. Concilio Tridentino praescripta, efformatisque per Or« dinarium ternionibus ex concurrentibus approbatis, qui ad « Maiestatem suam deferentur ut inter propositos nominare « queat ». Quod quidem cum pro Ecclesia Barchinon. per 40 fere annos a promulgatione Concordati nunquam factum fuerit, quin ipsi parochi eumdem concursum exigendi causam invenerint, iam patet nullam in dicto capitulo parochialitatem vel animarum curam verificari, ideoque nec sub Concordati dispositione ipsius iura cadere.

Pariter articulum 33 refert, in quo de cleri dotatione haec decernuntur: « Pro parochis in Urbanis Parochiis annuus « redditus intra tria et decem millia argentorum constitui« tur; in ruralibus vero, minimum redditus duo millia et « biscentum attinget. Praeterea tum Parochi proprii tum « Coadiutores fruuntur aedibus eorum habitationi addictis, « necnon hortis, seu possessionibus quae venditae minime « fuerint, et vulgari nomine Iglesiarios, monsos vel alio ap« pellari consueverunt.

« Itemque Paroc i proprii et sui coadiutores ex iuribus « stolae, et oblationis, vulgo " pié de altar " cuique respon- « dentem percipiunt ».

Ex hoc deprehenditur iura quae sunt de stola et hispanice veniunt nomine oblationum « de estola y pié de altar » quae cuilibet celebranti dantur, dum a fidelibus post peracta funera eadem stola deosculatur, a Cathedrali Barcinonensi ecclesia potissimum servata fuisse, parochis autem non constituta, sed tantum concessa esse.

Unde ex eo quod iisdem parochis concessum est pro rata eiusmodi proventibus frui, iniuste hi, observat advocatus, inferre conantur dictos canonicos vi articuli 33 fuisse a participatione ipsorum exclusos. Siquidem notum est etiam post Concordatum adhuc antiquam vigere consuetudinem has obventiones distribuendi tum inter canonicos tum inter parochos horumque coadiutores, tum etiam eas addicendi pro expensis cultus, fabricae ecclesiae, etc. Imo adnotat in quibusdam parochiis quemdam adesse, qui « Provedor de funeraria » dicitur, ab ipsis parochis ac beneficiatis electum, cuius munus est dictas oblationes colligere, easque cunctis supradictis pro rata distribuere.

Recolit insuper idem Gubernium canonicis 500 pesetarum summam destinasse, quibus postea, cum publica thesauraria arca deficeret, carere coacti sunt. Ideoque si ipsum ut capitulo consuleret opportunum duxit hanc ei summam erogare, haud profecto aequitati consonum esset, concludit patronus, canonicos iisdem « de stola y pié de Altar » iuribus privare; proinde supponi nequit idem Concordatum voluisse huiusmodi iura ipsi capitulo auferre.

Cur etiam, addit, iidem coadiutores, qui una cum parochis dictas obventiones percipiunt, illis capituli iuribus haud obsistunt, nisi quia ea, utpote ab immemorabili existentia, ipsis competere pro certo habent?

Insuper animadvertit, iniuste parochos opponere eorum dotationem detrimentum passam esse, postquam scilicet cathedralis ecclesia huiusmodi privilegia indebite, prout asserunt, sibi vindicavit. — Revera uti in *art. 32* Concordati statutum est, in Cathedralibus et Ecclesiis suffraganeis Decano primae dignitati assignatae sunt pro dotatione pesetae 4500; quatuor dignitatibus inferioribus pesetae 3500; reliquis canonicis pesetae 3000. Parochi autem in civitate Barchinonensi triplici classe divisi sunt, pro diversitate congruae qua gaudent, quae quidem si una cum habitatione computetur summam 2200 vel 3000 pesetarum pertingit.

Insuper pro diversitate classis, annuus redditus parochorum primae classis e 20,000 ad 25,000 pesetas ascendit; pro secunda classe e 8000 ad 11,000; pro tertia e 4000 ad 6000 pesetas.

Si itaque his proventibus iidem parochi, prouti contendunt, nec sacerdotibus suis ecclesiis addictis satisfacere, nec ipsi vitam ducere valent, quomodo, subdit patronus, in sua dignitate manere poterunt canonici, qui ad summum 3500 pesetas percipiunt, et qui saltem 1000 pro decenti habitatione impendere debent?

Quomodo igitur denegari poterunt, saltem salva aequitate, iisdem canonicis obventiones « stola y pié de altar »? Nec praeterit, aucto nunc Barcinonensi populo, auctos quoque fuisse parochorum redditus.

Actorum insuper computatione demonstrat advocatus falso parochos ecclesiam cathedralem accusare de abusu in suo privilegiorum exercitio. Recolit sane in Barcinonensi civitate quotannis 15,000 vel 16,000 infantes baptizari. Horum quarta pars, fere omnes operariorum filii, in ecclesia cathedrali ex antiquissima consuetudine baptismum recipiunt. Imo adnotat superiore anno 4080 infantes baptizatos fuisse; e contra in paroeciis 10.840 infantes sacro lavacro ablutos esse. Nec praeterit Capituli advocatus quod si idem immemorabile ius populo denegaretur, proprios scilicet baptizandi filios in Cathedrali, ubi semper ad hunc finem delegatus praesto est sacerdos; cum de urbe agatur in qua religio ob plures socialismi asseclas facile negligitur, et idem populus pro baptismo suscipiendo potius cathedralem ecclesiam eligat, profecto eveniret, ut nonnulli ex iisdem infantibus haud baptismum reciperent; eo vel magis quod non semper in iisdem parochiis sacerdos adest, prout in Cathedrali, qui idem administret.

Pariter addit, impudenter eosdem parochos asserere ita abuti Episcopum sua auctoritate favore Capituli, ut huius canonici fere omnibus nuptiis assistant cum maximo ipsorum detrimento. Siquidem compertum est ex 4000 nuptiis quae infra annum in civitate celebrantur, 25 solummodo in Ecclesia Cathedrali coram uno vel altero canonico initas esse, et quidem non tamquam a capitularibus delegato, sed prouti privata persona, contrahentium amica, atque ab iisdem requisita. Quapropter cum per integrum quinquennium 99 tantum matrimonia in Cathedrali inita sint, dum e contra in civitate 25,019 peracta sunt coram parochis, profecto sibi aequum videtur ut monitum in mente ab H. S. C. expressum non in Episcopum sed in calumniatores vertatur.

Nec minori impudentia, addit patronus, parochi asserunt saepe saepius Capitulum solere petentibus Viaticum administrare, cum pateat 30 annorum spatio semel tantum ipsum cuidam infirmo viro, et quidem cum adsistentia Episcopi illud detulisse.

Sic etiam quoad funeralia, immerito iidem parochi Capitulum incusant ac si fere omnium defunctorum funera singularium paroeciarum civitatis ipsum peragat. Quandoquidem ex 14,000 civibus qui in dicta Barcinonensi civitate quotannis decedunt, quique fere omnes Ecclesiae sacramenta et funera expetunt, horum 130 funera ad summum in cathedrali Ecclesia celebrantur, prout ex ultimo quinquennio constat.

Quae cum ita sint, quaenam fides, ait advocatus, erit praestanda parochis talia asserentibus, aut quis Capitulum accusabit, velut si ipsum in libero suorum privilegiorum exercitio iisdem parochis iniuriam faciat?

Et revera non modo dictis canonicis id unquam exprobratum fuit, sed ab ipsa auctoritate tum ecclesiastica tum politica, quae certe vim Concordati agnoscebat, cuique illius observantia intererat, quorumdam actorum parochialium exercitium a Capitulo exquisitum est, quin de inhonesta petitione dubitatum fuerit. Ex quo recte deducitur istud peculiare Capituli ius legitimum esse, et plene ipsius Concordati dispositionibus respondere. E contra cum parochi fere per saeculi medietatem nunquam ius inclamandi sibi recognoverint, nonne eorum silentium cum tacito Episcoporum consensu concors habendum erit, qui ita proinde comprobarunt et confirmarunt ius peculiare Capituli?

Ulterius advocatus ad alias ipsorum parochorum refellendas accusationes progreditur, quibus ipsi asserunt plura ex privilegiorum Cathedralis exercitio oriri inconvenientia.

Et quidem de Baptismi administratione disserentes, opponunt canonicos, eo quod plures simul infantes conveniant, cumulatim his baptismum conferre, nam secus impossibile videretur, aiunt, uno anno quatuor millia puerorum baptizare.

Verum respondet patronus iam in antecedenti defensione exposuisse, quomodo et quantum cumulative S. Baptismum iuxta romanum rituale administretur; additque haud rationabiliter admitti posse eosdem capitulares, tam valde suorum privilegiorum studiosos, parochis argumentum praebuisse ipsos insimulandi ea tantum ex causa, ut bis vel ter

centum pueris, opificum filiis, praeter ordinem et absque ullo bono, imo cum periculo validitatis ipsius sacramenti baptismum administrarent. Quin imo adnotat ipsum E.mum Episcopum de accurata sacramentorum administratione in praecedenti sua informatione R.mum Cap tulum laudasse.

Frustra igitur, animadvertit advocatus, parochi, deficientibus argumentis, ad haec inepte confugiunt. Notum enim est ex cathedralis privilegiorum exercitio nullum pinguibus eorum praebendis damnum obvenire, imo eorumdem redditus esse auctos; unde patet ipsos sua tuendi iura falso permoveri studio.

Denique quaedam recenset facta quae et ipsa commonstrant nullam parochis causam adesse inclamandi. Sane recolit in civitate Barcinonen. ex pluribus exequialibus functionibus unumquemque parochum e 1000 ad 2000 pesetas percipere; imo non raro evenire ut pro uno funere 2000 pesetas imponere non erubescant iidem parochi. Pariter memorat olim quemdam infirmum advocasse Ecclesiae cathedralis poenitentiarium, qui hodie est Vicarius Generalis, eique edixisse se nolle proprium parochum vocare, quia iste, tamquam mercator, iam antea pro assistentia et funeribus duorum de familia defunctorum, magna tantum soluta pecunia officium suum persolvit.

Nec praeterit, nuperrime, sicut et saepe saepius evenit, unam vel aliam humillimam opificum familiam ad cathedralem Ecclesiam confugiendo, parochum reliquisse, eo quod iste pro funere peragendo humiliori et remissiori modo, minimum pretium 200 libellarum exigebat!

Quorum quidem iniusta reclamatio ex eo etiam innotescit, quod fere in omnibus funeribus quae in cathedrali Ecclesia peraguntur, parochus proprius filiani cadaver elevat, Missam de requie celebrat et ad sepulturam illud defert, unde ipse munere suo iam fungitur (*S. C. Concilii, Maii 1879; S. C. EE. et RR., 13 Maii 1901*).

Quare memorat iniuria ac callide parochorum collegium, spreto, prout alias ab eo factum est, H. S. C. iudicio, minitari ad Regem recursum.

Exinde firma spe tenetur ut, falsis eorum argumentis artibusque posthabitis, quibus ipsi nunc favorabile iudicium extorquere pertentant, Vestra auctoritate plenissimum Cathedralis Ecclesiae ius tuto consistat, finisque tandem aliquando diutinae huiusmodi controversiae imponatur, edito responso — in decisis et amplius.

His itaque hinc inde perpensis, rogantur EE. PP. iam alias exarata resumere folia, ac sequens dirimere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu?

Emi Patres rescripserunt: *In decisis et amplius et iuxta modum. Modus est ut in posterum prima funebris missa post obitum fiat aut in propria defuncti paroecia aut in Cathedrali, et quatenus in alia Ecclesia legitime celebretur, parocho proprio solvatur quarta funeraria.*

2648
4

VII.

Nicosien. — Concursus.

Sustinetur validitas concursus in quo adhibitus fuit unus Examinator synodalis et duo prosynodales, qui unum candidatum inidoneum reputarunt comparative ad alterum idoneum.

Vacata per obitum sacerdotis Francisci Piemonte, sub die 14 Ianuarii 1904, paroecia Archipresbyterali oppidi Regalbuti in Sicilia, Episcopus, die 24 Iunii sequentis edi et affigi mandavit litteras edictales concursus habendi, die 7 Iulii successivi, pro provisione novae Paroeciae, qui tamen terminus ad diem 9 eiusdem mensis fuit prorogatus ab eodem Episcopo.

Concurrentium albo tempore utili duo tantum nomen dedere, nempe Salvator Piemonte praedefuncti parochi frater, iam uti oeconomus spiritualis ab Episcopo in vacante paroecia constitutus, et sacerdos Ioseph Campione, a Scholis Pontificii Seminarii Romani a paucis annis in suum natale oppidum Regalbuti reversus, et in aetate 26 annorum constitutus. Die praestituta concursus habitus fuit, et eadem die in scrutinio habito a tribus accitis examinatoribus, quorum unus Synodalis et duo alii Pro-Synodales erant, sacerdos Piemonte uti idoneus ad regendam paroeciam Regalbutensem renunciatus fuit, et eius oppositor sacerdos Campione uti inidoneus.

In sequelam huius relationis Episcopus, ad beneficium paroeciale deputavit sacerdotem Piemonte, et sub die 10 eiusdem mensis Iulii expediri iussit litteras Episcopales collationis paroeciae favore dicti sacerdotis.

Sacerdos Campione aegre tulit se uti inidoneum ad obtinendam paroeciam Regalbuti esse declaratum, et proinde ad H. S. Congregationem appellationem promovit a mala relatione Examinatorum. Interea vero cum recursus Regio Procuratori Generali Cataniensi innotuisset ex nonnullorum malorum opera, suspensa mansit concessio regii Placiti Bullae Episcopali, quoadusque iudicium coram H. S. Congregatione non esset expletum.

Hoc habito recursu, nec non acceptis actis concursus una cum relatione Examinatorum et Episcopi informatione, desuper exquiri iussi votum Consultoris, quod insimul cum praefata informatione iam typis editum praesenti folio subnectitur. Votum autem relationi Examinatorum est prorsus consonum, nempe favens sacerdoti Piemonte, et contrarium recurrenti Campione. Cum vero sacerdos Campione ad sua protuenda iura procuratorem sibi delegerit, huius allegationem compendiatim exscribam.

Advocatus itaque concursum nullum esse ait ex duplici capite. 1° Quia vitium irrepsit in usu examinatorum, non servata forma praescripta a SS. Canonibus. 2° Quia mala fuit Examinatorum relatio. Ad primum quod attinet, nempe quoad designationem Examinatorum in habito pro paroeciae Regalbuti provisione experimento, ita eam fuisse factam ex ipsa Examinatorum relatione constat: « Dietro invito del « Vescovo....., il giorno 8 luglio alle 9 di sera, i R.mi Mon« signori Contessa Giulio ed Arciprete Luigi Castro, presta« rono giuramento come esaminatori, il primo Sinodale e « l'altro Pro-Sinodale »; et insuper « il Rev. Giovanni Bu« scemi, pure Esaminatore Pro-Sinodale, lo presentò innanzi « a Mons. Pro-Vicario ».

Ex hac autem commixtione unius examinatoris Synodalis cum duobus Pro-Synodalibus innuit concursum esse nullum. Vel enim examinatores in postrema Synodo electi saltem in senario numero remanebant, et tunc cum eorum facultas non esset expirata, iure vetante, locus non erat indulto apostolico deputandi Examinatores Pro-Synodales, vel seni non remanebant, et tunc Episcopus facultatem ab H. S. C. obtinere poterat eos nominandi loco synodalium; in ipsorum numero accensendo etiam illos quorum facultas erat expirata, sed hi Examinatores non uti Synodales erant retinendi sed uti Pro-Synodales, et tam primi quam secundi potestatem ad annum tantum obtinebant.

Hanc autem doctrinam luculenter confirmari ait ab iis quae tradit *Bened. XIV in Synodo dioecesana, lib. 4, cap. 7, n. 8.*

Hac firmata in iure doctrina, ita in facto rem evenisse narrat. In dioecesi Nicosiensi novissima Synodus habita fuit an. 1893 et in ea electi et probati fuere 16 Examinatores Synodales. Anno delapso 1904 antequam concursus pro paroecia Regalbuti haberetur, Episcopo fuit indulta facultas nominandi 12 Examinatores Pro-Synodales de Capituli concursu, quod peregit, die 6 Iulii, seu triduo antequam dictus haberetur concursus. Sed eo temporis adhuc supererant sex Examinatores in postrema Synodo renunciati, et Episcopus in proponendo duodenarium novorum Examinatorum numerum, nullum ex superstitibus examinatoribus recensuit, ceu ex Capituli testimonio scatet. In concursu vero habito, intercesserunt duo ex noviter electis Examinatoribus et unus ex superstitibus ex postrema Synodo. His in iure et in facto depromptis advocatus observat, quod sex superextantibus Examinatoribus ex postrema Synodo, Episcopus Nicosiensis in dicto concursu iis uti debebat, iuxta ea, quae tradit *Ferraris in bib. can. v. examen n. 62*, nec ei fas erat recurrere ad H. S. C. pro obtinenda facultate novos deputandi loco synodalium, quae non conceditur, nisi quando Episcopus exponit, sex ex electis in postrema Synodo non amplius extare.

Quin Episcopus oggerat hanc facultatem obtinere ideo necessarium duxisse, quia licet sex de postrema Synodo electi examinatores adhuc superessent, tamen unus ex iis Cataniae domicilium fixerat, et sic in sua dioecesi quinque tantum de facto Examinatores remanserant. Hoc Episcopi effugium reiiciendum esse ait advocatus, utpote non legitimum ad statuendam superstitum examinatorum expiratam facultatem, et consequentem necessitatem deputandi, seu subrogandi Examinatores Pro-Synodales, cum resolutio S. C. a Ben. XIV relata taxative loquatur de decessu alterius ex sex Examinatoribus « si vel unus ex his decesserit », quod longe differt a casu discessus a dioecesi.

Verum quidem est quod durante anno a celebrata synodo, Episcopus ex motivo discessus unius ex examinatoribus a dioecesi alium subrogare valet, uti monet citatus Pontifex, si reliqui examinatores senario non remaneant numero; sed idem Pontifex loquitur de longe absentibus *l. c. n. 7* vel id est intelligendum de recedentibus in longinqua, uti alii Doctores tradunt *Ferraris l. c. n. 63; Giraldi, de Parocho, p. 24, n. 60*. Insuper hic casus de subrogatione facienda infra annum a celebratione synodi, non est confundendus cum altero casu de subrogatione facienda post annum a synodo elapsum. Sed absentia unius ex Examinatoribus ad quam appellat Episcopus, non est in loco longinqua sed potius in finitima, cum neminem lateat, civitatem Cataniae esse conterminam dioecesi Nicosiensi. Ergo inutiliter Episcopus hoc motivo se excusare contendit.

At dato etiam et non concesso, pergit advocatus, quod praetexta causa fuerit legitima ad obtinendos pro-synodales examinatores, cum superstitum ex postrema synodo facultas expiraverit, nemo profecto ambiget, quod hos Episcopus accensere potuerat inter Examinatores pro-synodales. Sed ad hoc faciendum erat necessarius Capituli consensus. Iam vero Episcopum constat alio profecto modo processisse: nempe novos duodecim examinatores pro-synodales cum consensu Capituli deputavit: sed inter hos non comprehendit veteres examinatores synodales, quorum iam facultas erat expirata. Ergo hi, concludit, nullam facultatem habere possunt, non vi synodi, cum iam ab ea concessa expiraverit, non vi indulti ab Episcopo obtenti, cum inter novos examinatores non fuerint recensiti.

Ex praemissis autem deducit sponte sua fluere habitum concursum nullum esse, cum iuxta *Reclus, de re paroec. l. 3, 56, et Giraldi, l. c. n. 71*, concursus factus vel coram uno ex tribus examinatoribus non legitimo, nullitatis vitio inficiatur: et quaecumque inde secuta collatio vel possessio beneficii ceu nulla retinenda, etiam extante bona fide, ad ea quae tradit Pirrus Corradus *Prax. benef. lib. 3, cap. 3, n. 24*, ob decretum irritans. In praesentiarum sive admittatur primus casus de sex Examinatoribus Synodalibus superstitibus ex ultima synodo iam extantibus, sive admittatur altera sententia, iuxta quam per discessum unius ex dictis Examinatoribus legitime examinatores pro-synodales constitui potuissent, semper eadem recurreret nullitas; nam in prima hypothesi Episcopus uti non potuisset Examinatoribus Pro-Synodalibus, sed tantum Synodalibus existentibus, in secunda, uti debuisset tantum tribus Examinatoribus pro-synodalibus, et non uno synodali et duobus prosynodalibus. Hinc ex hoc titulo concursus nullitas patula est.

Sed advocatus ex alio etiam capite eam deducit, nempe ex mala relatione Examinatorum, qui sacerdotem Campione ad dictam paroeciam inidoneum renunciarunt. Praemittit in genere idoneum ad ecclesiastica beneficia illum reputari, qui habet requisitas qualitates ad illa, et praecisius iuxta Wernz *Ius dec. p. 2, v. 2, n. 309* « dignus censetur ille, in quo nulla qualitas vel ex natura officii ecclesiastici, vel iure communi, vel iure speciali, sive vi fundationis, sive privilegii, sive consuetudinis, sive statuti requisita vere deest ». Dignior vero iuxta citatum auctorem ille est « qui non solum omnes qualitates absolute et relative requisitas habet, sed omnibus consideratis, tam praecellenti modo, ut cum caeteris comparatus ad officium ecclesiasticum, de cuius provisione agitur, rite administrandum, notabiliter magis idoneus vel aptissimus certo reputatur ».

Iam vero Examinatorum munus in expendendis actis concursus est tantum referre de idoneitate absoluta non vero de maiori vel minori idoneitate unius concurrentis comparative ad alterum, cum id unice ad Episcopum spectet. Patet id tum ex Conc. Trid. *cap. 18, sess. 24, de Refor.* tum ex constitutione Bened. XIV *Cum illud*, ita aientis « Examinatores postquam libraverint a quolibet scripto datas responsiones quaestionibus propositis... parem ni forte maiorem solertiam adhibeant in perscrutandis aliis qualitatibus, regimini animarum consentaneis: morum honestatem inquirant, gravitatem, prudentiam, praestitam in aliis muneribus laudem, aliaque spectabilium virtutum ornamenta, doctrinae arcto foedere consocianda: hisque omnibus coniunctim expensis, inhabiles per sua suffragia reiiciant et idoneos Episcopo renuntient ».

Hisce in iure statutis, advocatus contendit Examinatores in themate si non violarunt legem quoad litteram et formam, saltem ipsam violasse quoad spiritum, sacerdotem Campione renunciando ad paroeciam Regalbutensem non idoneum, quia iuxta ipsos maior idoneitas in adversario concurrente Piemonte existebat. Et quod sacerdos Campione idoneitate ad dictam paroeciam sufficienti esset praeditus, ita probandum aggreditur.

In primis disserens de idoneitate quoad scientiam, notat hanc praesumptive deduci ex duplici laurea qua ipse donatus fuit in philosophicis et theologicis disciplinis; nec tam facile quis ea diplomata consequi valet in Romano athenaeo, ut fortasse fieri solet in nonnullis accademiis, sed fertili ingenio et labore opus est. Inde est quod Romani Seminarii Rector de Campione testatus est: « Che nel tempo « che ha dimorato in questo Seminario Pontificio ha sempre « mantenuto condotta lodevolissima e si è applicato con dili- « genza e notevole profitto allo studio ». Quam praesumptionem ipse Episcopus admisit cum triduo ante concursum inter Examinatores pro-synodales eum recensuit.

Non negat advocatus aliquando inidoneitatem deduci per

examen, sed id fit cum aliunde non constat de candidati competenti scientia; at alia profecto res est cum meritorum pondus hanc lacunam adaequet, ut evenit in sacerdote Campione, quem insuper advocatus contra Consultoris opinionem, sustinet satis sufficienter respondisse propositis moralis Theologiae quaestionibus, et probe docteque evolvisse assignatum Evangelii textum pro exaranda conciuncula. Nec aliunde ut quis renuntietur idoneus in concursu ad paroeciale beneficium in quodam oppido, necesse est ut super propositis casibus tractatum conficiat, cum candidatus libris careat et tempus limitatum habeat, sed satis est ut propositam materiam substantialiter percipiat, et solutionis principia se ignorare non ostendat, ea propositis quaestionibus applicando. Hac autem scientia non apparere destitutum, etiamsi tantum ad peractum examen ratio habeatur, legenti datas responsiones illico erumpit.

Praeterea patronus conqueritur de extensione inidoneitatis facta ab Examinatoribus etiam ad mores. Ita in eorum relatione legitur « portando essi il loro conscienzioso giudizio sulla dottrina sui costumi dichiarano... ». Hoc iudicium inidoneitatis quamvis taxative non resultet ex moribus, sed ex omnibus qualitatibus et requisitis sac. Campione complexive expensis, tamen indirecte ipsius famam laedit seu suspectam reddit; vulgus enim difficulter iudicare valet de scientia scatente ex actis concursus, et facile concludit ad pravos vel suspectos mores uti causam principalem declaratae inidoneitatis. At e contra sacerdotem Campione omnis sceleris purum et vitae integerrimum esse plura revincunt gravia testimonia. Ita Vicarius Foraneus Regalbuti.

Novem sacerdotes Cleri eiusdem oppidi eumdem Episcopo commendantes pro consecutione paroeciae declarant: « Noi « abbiamo fissato la nostra osservazione sopra la pietà, la « prudenza dell'animo suo, sopra la rigidità de' suoi costumi « e francamente diciamo di averne ricevuta edificazione ». Idem etiam testantur cappellanus maior paroecialis ecclesiae et syndicus dicti oppidi, qui vivendi rationem sacerdotis Campione exemplarem et cum zelo deditam s. ministerio renunciant.

Neque, pergit advocatus, examinatorum relatio fortasse cohonestari valet ex eo quod sacerdos Campione in iuvenili aetate erat constitutus, et hinc etiam carens ea experientia, quae requiritur in animarum pastore. Quoad primum observat quod sacerdos Campione quando concursum iniit, an. agebat 26; hinc erat in aetate canonica pro beneficio paroeciali obtinendo, cum ad haec beneficia ss. canones requirant an. 24 completum vel 25 incoeptum. Utique in his beneficiis conferendis ratio maioris vel minoris aetatis attenditur, sed hoc in locum habet iudicio praelativo reservato Episcopo inter plures concurrentes uti idoneos recognitos: at qui caeteris requisitis pollet non exclusa canonica aetate, ob iuvenilem aetatem inter inidoneos ab Examinatoribus accenseri nequit.

De experientia disserens in parocho requisita, ait ipsam in duplici sensu usurpari posse, nempe vel eam intelligi posse quae acquiritur in munere parochiali exercendo, vel eam quae ex aliis qualitatibus coalescit et quae audit prudentia. Experientiam primo sensu acceptam absolute non requiri in parocho ex eo derivat, quod iuxta *cap. 24, de elect. in 6*, etiam clericus ad beneficium parochiale eligi potest, qui tamen intra annum sacerdotium suscipere debet. Atqui neutra experientia deficit in sacerdote Campione. Sane quoad experientiam priori sensu acceptam notat advocatus, eumdem sacerdotem usque ab anno 1901 in cooperatorum numerum ad Ecclesiam paroecialem Regalbutensem fuisse adscriptum, et in huius muneris gestione praeclare se gessisse pluribus probat cumulatis testimoniis quae in summario refert. Non itaque, ait, sacerdos Campione experientia carebat in exercitio pastoralis ministerii.

Neque item si experientia altero sensu sumatur, eadem dici debet destitutus sacerdos Campione, uti sequentia revincunt. Sane ipse ad occurrendum malis et erroribus societatis modernae plura molitus est. In primis catholicam associationem instituit vulgo *Circolo democratico cristiano* in qua ad eam promovendam Episcopus etiam munus Praesidis honorarii assumere non dedignatus est. Item ut oeconomicae sociorum conditioni prospiceret, sacerdos Campione fundavit institutum *Cassa rurale*, praehabita Episcopi venia et recognitione tribunalis civilis.

Sed idem sacerdos nedum de societate bene est meritus, sed etiam de Ecclesia paroeciali Regalbutensi, ad quam obtinendam uti candidatus adstitit in concursu. Ipse enim sua industria et laboribus vindicavit a manibus fisci beneficium *Mammana Fiorenza:* ex quo factum fuit ut Paroecia habere potuerit duos alios cappellanos sacramentales. Quare si examinatores una cum aliis requisitis etiam praestita Ecclesiae servitia iuxta Benedictinam constitutionem librare debent, advocatus concludit uti malam Examinatorum Nicosiensium relationem esse respuendam, qui sacerdotem Campione quamvis superius recensitis requisitis apprime praeditum, uti inhabilem ad dictam Paroeciam proclamarunt.

Post haec advocatus nonnulla disceptatur de adversario sacerdote Piemonte, non utique calumniandi aut accusandi animo ut ipse ait, sed ut magis de mala eorumdem Examinatorum relatione innotescat. Praemisso quod in examine quoad scientiam hic in nonnullis sese exhibuit inferiorem alteri candidato Campione, animadvertit quod in adversario plura desiderantur quoad alia requisita. In primis ad acta concursus non adest fides de vita et moribus, quae usque ei fuit denegata a Vicario Foraneo Regalbuti: utique adsunt alia suffraganea testimonia, sed haec supplere non valent fidem testis officialis et qualificati. Insuper sacerdos Piemonte in concredito sibi munere oeconomi Curati non se nimium laudabiliter gessit, sed potius negligens et desidiosus apparuit, uti ex novem sacerdotum testimonio ad acta concursus allegato deprehenditur. Demum addit quod sacerdos Piemonte adversa laborat valetudine, ex qua factum est ut ipse in praelaudato officio sibi coadiutorem adsciscere debuerit primum in sacerdote Granata, et dein in alio nempe sacerdote Occhipinti: et haec etiam fuit ratio, ait advocatus, ob quam ipse amplius remanere non potuit uti religiosus in Societate Iesu.

Cum itaque concursus sit nullus sive ob non servatam formam in designatione Examinatorum sive ob malam ipsorum relationem, advocatus urget ut ab H. Sacra Congregatione decernatur novum concursum esse faciendum, actis ad Apostolicam Datariam transmissis.

Haec advocatus disserit pro sacerdote Campione: pro sacerdote Piemonte nihil promam ex officio cum extet favorabile Consultoris votum. Tantum pauca animadvertere censeo quoad impetitam formam concursus in facta deputatione Examinatorum ab Episcopo Nicosiensi, quam advocatus irregularem fuisse retur. Proferam in primis rescripti formulam qua Episcopis H. S. C. indulgere solet facultatem deputandi Examinatores Pro-Synodales et quae ita se habet: « Cum « Episcopus N... facultatem expetierit aliquos ecclesiasticos « viros deputandi qui Examinatorum Synodalium locum ac « vices tenerent, eo quod in praesenti Synodum convocare « nequeat, SS.mus D.nus Noster hisce S. Congregationis « Concilii litteris benigne indulget, ut Episcopus N..... duo- « decim Examinatores pro N... Dioecesi de consensu ipsius « Cathedralis capituli constituat, quibus uti possit perinde « ac si in Synodo dioecesana essent electi; ita tamen ut si

« qui ex deputatis in ultima Synodo adhuc supersint, hi « aliis a se nuncupandis accenseantur, eorumque omnium « potestas post annum expiret, vel etiam prius, si dioecesanam « Synodum interim congregari contigerit. Romae ex S. C. « Concilii, die ».

Advocatus itaque censet nullum fuisse concursum, quia in eo adhibitus fuit unus Examinator Synodalis et duo Pro-Synodales. Hoc autem fieri non potuisse ait ex duplici capite: 1° Quia sex Examinatores ex deputatis in ultima Synodo iam extabant, cum recessus unius ex ipsis in Cataniam censeri non potuerit motivum sufficiens ad putandum fuisse imminutum numerum ipsorum: hinc locus non erat petitioni novorum Examinatorum Pro-Synodalium; 2° Quia dato etiam quod senarius numerus amplius non perseveraret ob unius Examinatoris recessum, Episcopus antiquos Examinatores inter novos Pro-Synodales connumerare debebat, exquisito etiam super illis Capituli consensu, quod utrumque omisit.

Praemitto in primis in citato rescripti tenore ne verbum quidem fieri de senario numero, sed tantum dici – *si qui ex deputatis in ultima Synodo adhuc supersint* – neque mihi hucusque ullum documentum fuit exhibitum ad probandum tempore habiti concursus sex extitisse Examinatores Synodales.

At quidquid sit, non videtur posse denegari, quod obiectus senarius Examinatorum Synodalium numerus in casu moraliter non amplius existebat, eo quia unus ex iis in civitatem Cataniae domicilium transtulerat: advocatus hanc absentiam vocat insufficientem, quia ea non est in longinqua. Reponi verum potest eam tunc dici sufficientem, quando impedit muneris exercitium in Examinatore, et de hoc iudicare tantum ad Episcopum pertinet, qui melius prae aliis suae dioecesis necessitates noscit.

Neque item consistere valet altera difficultas scilicet quod veteres Examinatores numerati non sunt inter duodecim noviter electos, neque super illis Capituli consensus expetitus fuit. Hoc enim non requiritur ex tenore rescripti, sed tantum edicitur, ut veteres cumulantur cum noviter rite electis – *ita tamen uti si qui... hi aliis a se nuncupandis accenseantur.* In antiquiori rescripti formula relata ab ephemeride *Monitore eccles., v. 2, p. 3, n. 131,* haec conditio ita erat expressa – *ita tamen ut si qui ex deputatis in ultima Synodo supersint iis etiam una cum a se electis* (Episcopus) *utatur.* Et iure merito non exigitur consensus Capituli pro veteribus Examinatoribus, cum perseverare censeatur consensus iam alias datus in ultima Synodo; ad eamdem profecto rationem qua censetur idem permanere, cum Examinatoribus durante anno a celebratione Synodi reductis infra numerum senarium, Episcopus ex indulto Clementis VIII procedere valet ad subrogandos deficientes vel legitime impeditos Synodales Examinatores, et tantum super novis nuncupatis Examinatoribus Capituli consensum interpellat. Confer. Bened. XIV, *l. c. n. 7, Ferrari, Bib. can. v. Concursus art. 3, n. 34 et alios.*

Hisce relatis, nec non prae oculis habito Consultoris voto, rogo EE. VV. ut sueta sapientia sequens dignemini propositum enodare.

DUBIUM

An constet de mala relatione Examinatorum in casu.

Responsum fuit: *Confirmandam esse electionem ab Episcopo factam.*

978/4 VIII.

VRATISLAVIEN. ET ALIARUM

De Parocho proprio quoad matrimonium.

Die 20 Maii 1905.

Quo plenius elucescat huiusce Causae iuridica relevantia, sciendum est iamdiu et crebro variisque in locis decreto " *Tametsi* „ subiectis, exortas fuisse dubietates circa matrimonia quae ab advenis nondum forte quasi-domiciliatis contrahuntur. Quo circa Sacra Congr. Concilii, stante supplici libello E.mi Kopp Administratoris Berolinensis, necnon E.mi Richard Arch.pi Parisiensis (Cf. *Analect.* Maii p. e. pag. 193), commisit R.mo P. Pio a Langonio Consultori, Ord. Min. Cap., ut intricatam de quasi-domicilio respectu matrimonii iurisprudentiam funditus pertractaret, suumque de dicta iurisprudentia forte moderanda proferret votum.

Quales porro fuerint egregii Consultoris animadversiones et conclusiones, studiosi *Analectorum* lectores in *voto*, quod ex integro subnectitur, videre poterunt.

In Comitiis vero plenariis diei 20 Maii 1905, E.mi Patres Sacrae Cong.nis Concilii, re mature perpensa, decreverunt: Ad mentem. Mens autem fuit summatim: Ut apostolicum, tempore opportuno decretum edatur, quo iurisprudentia de matrimoniis coram Parocho celebrandis, *iuxta conclusiones a Consultore propositas* moderetur.

E.mi ac R.mi Patres,

Episcopus Vratislaviensis, E.mus Kopp, exponit:

Quod « omnibus ex Germaniae regionibus homines Berolinum confluunt, ut ibi, si omnia bene contingant, domicilium vel quasi-dom. constituant; aliter autem, saepe post « breve tempus discedunt, ita ut civitas Berolinensis in singularissima mobilitate existat. Qua ex incolarum mobilitate, magna exoritur difficultas ratione domicilii vel quasi-dom. in ordine ad matrimonium. Saepe enim accidit ut « Berolini matrimonium ineant qui, iam in aliqua huius « urbis parochia habitant, quin nec domicilium nec quasi-dom. acquirere intendant. Itaque, cum facile inquisitio de « animo permanendi omittatur, neque nupturientes sponte « ullum hac de re verbum dicant, timendum est ne matrimonia, incompetenti parocho assistente, nulla atque invalida interdum contrahantur ».

Et heic advertendum videtur quod in praefata civitate, matrimonia invalida, ex capite clandestinitatis, erunt praecise matrimonia *catholica,* non autem *haeretica,* nec *mixta,* quia ibi tridentina lex solos afficit catholicos (*De Becker:* Edit. 1903, p. 133).

Pergit E.mus Orator: « Quam ob rem, humillime rogo ut « S. V. privilegium Parisiis iam die 9 Novembris 1898 concessum, etiam urbi Berolinensi benigne concedere velit « videlicet: *quod, Berolini, in ordine ad matrimonium,* « *quasi-domicilium acquiratur, quin animus investigetur,* « *dummodo ex alio loco vel parochia sese conferentes in* « *urbem Berolinensem, per* sex menses *ibi in aliqua parochia commorati fuerint* ».

2. Privilegium Parisiense (si privilegium dici possit) quod invocat E.mus Vratislaviensis, a Suprema concessum, publici

iuris effectum fuit penes plures Ephemerides ecclesiasticas, v. g. penes *Analecta Ecclesiastica*, vol. VII, p. 7; *Il Monitore ecclesiastico:* vol. X, P. II, pag. 220, n. V, per totum, reticito tamen nomine Curiae, et penes *Le Canoniste contemporain*, anno 1899, vol. XX, p. 219.

Porro praelaudatum *privilegium*, sic se habet: Titius et Bertha, solutus cum soluta, post diuturnas itinerationes, Parisios convenerunt cum proposito ibi permanendi per tres menses. Interim vero, Titius et Bertha matrimonium inire voluerunt, ideoque permanentiam protrahere ad aliud trimestre, propter legem civilem quae semestrem commorationem his in casibus requirit. Egregius Officialis, praehabito Consultorum voto, censuit nupturientes quasi-domicilium non acquisivisse, quia deerat, tum initio primi, tum initio secundi trimestris, animus commorandi per maiorem anni partem, ac proinde nupturientes repulit, qui tunc solo ritu civili copulati sunt, et alio profecti.

Postea vero, praelaudatus Officialis, dubius et anceps, a Suprema petiit: « An non severius egerit in deneganda...... « licentia contrahendi; et, grato animi sensu, accipiet re- « sponsum quo in futurum ut norma pro casibus similibus « uti possit ».

Porro, E.mi Patres Inquisit. Gen., fer. IV, die 9 Nov. 1898, respondendum mandarunt: « *Orator acquiescat;* et addatur: « *Se conferentes in civitatem Parisiensem, ex alio loco vel* « *paroecia, dummodo ibi commorati fuerint in aliqua pa-* « *roecia per sex menses, censendos esse ibidem habere* « *quasi-domicilium in ordine ad matrimonium, quin inqui-* « *sitio facienda sit de animo ibi permanendi per maiorem* « *anni partem, facto verbo cum SS.mo* — Et fer. VI inse- « quenti SS.mus adprobavit et confirmavit ».

3. De ista responsione, paulo fusius infra; heic tantum videtur adnotandum quod E.mus Vratislaviensis, attenta sedulitate preces exaravit iuxta textum Parisiensis indulti praecitatum, allegans nimirum: eamdem causam nempe frequentissimum advenarum concursum in civitatem Berolinensem; easdem praevias conditiones, scilicet primo, anteriorem de facto permanentiam *semestrem*, secundo, permanentiam in aliqua paroecia civitatis Berolinensis, tertio, dispensationem super exploratione animi: e quibus plane infertur eumdem pariter esse finem intentum, procul dubio tutiorem contra catholicorum invalida connubia securitatem, ut supra legitur.

Quare, quum haec Sacra Congregatio Concilii sit competens, ut puto, in elargiendis indultis huiusmodi, nihil prorsus obesse videtur quominus E.mi Patres, ita si placitum fuerit, hic et nunc, id est nequaquam expectata decisione generali, seu resolutione, ut dicitur, *di massima*, concedant exoptatum indultum, in terminis suprarelatis, servataque finali clausula: *facto verbo cum SS.mo*, quae etsi forte non absolute necessaria, opportune tamen et absque ullo damno, ni fallor, addi poterit.

4. Verum enim vero supplex libellus E.mi Kopp plagam veterem, ita si loqui liceat, magis ac magis exacerbavit, id est in aprico posuit evidentius difficultatem iam dudum observatam, quae nostris hisce temporibus, oritur ex hodierna iurisprudentia circa matrimonia quae contrahuntur ab advenis coram Parocho quasi-domicilii, rite vel non acquisiti.

Quum igitur de ven.mo mandato D.D. Secretarii H. S. Cong., illo de themate scribere debeam, omnia quae non tam dicturus sum quam tentaturus, triplici quaesito constringi posse censeo, nimirum:

I° — *Qualis hodie sit iurisprudentia canonica circa quasi-domicilium et simplicem commorationem respectu matrimoniorum iuxta formam Tridentinam ineundorum?*

II° — *An, et quibus de causis, expediat dictam iurisprudentiam tantisper immutare seu, rectius, moderare?*

III° — *Quonam opportuniori sive securiori modo statui posset dicta moderatio?*

I.

QUALIS SIT HODIE IURISPRUDENTIA CANONICA DE QUASI-DOMICILIO ET COMMORATIONE?

Ut propositae quaestioni plenius aptiusque respondeatur, haud inopportunum erit praevie inquirere qualis *antea* fuerit haec iurisprudentia, seu (quod idem est) breviter exponere progressivam evolutionem iuridicae notionis quasi-domicilii; deindeque dictae notionis elementa substantialia paulo intimius perscrutari.

§ 1. — *Conspectus historicus circa progressivam iurisprudentiam.*

5. Supervacaneum foret adnotare quod ius canonicum a iure romano substantialem ipsius domicilii notionem desumpserit et, ut ita dicam, *canonizaverit*, inquantum scilicet domicilium importat commorationem in loco cum voluntate ibidem perpetuo remanendi, si nihil inde avocet. Pronum utique fuit, et adhuc dum permanet, iuristis et causistis, per longum et latum disceptare de conditionibus in concreto translatae commorationis, necnon de voluntate satis vel non satis comprobata, tali talive loco, perpetuo vel obiter tantum inhabitandi; sed, in iure speculativo, tum romano, tum canonico, ubi factum commorationis et voluntas perpetuo commorandi, ibi certe domicilium.

Atvero, non sic de quasi-domicilio. « Leges romanae quasi-domicilium ignorant », ait D'Annibale *(Summula*, p. 1, tract. 1, n. 84, nota 23), et quidem meritissime, quum una alterave lex romani codicis, in qua pauci canonistae fundamentum vel saltem vestigium quasi-domicilii reperire volunt, loquatur tantum de relegatis, aut de militibus in praesidiis stabilibus, aut aliis huiusmodi personis, quibus non quasi-domicilium agnoscitur, sed domicilium imponitur *necessarium, coactum,* quod plerumque domicilium *imperfectum* audit, per oppositionem ad perfectum et verum, minime vero per similitudinem cum illo, quamvis etiam imperfecto, quod dicimus hodie quasi-domicilium. Istud ultimum a iure canonico, eoque solo, fuisse inductum ambigi non posse videtur.

Haud tamen excogitari debet quod, in iure ecclesiastico, quasi-domicilium inductum fuerit immediate, ex abrupto, per modum v. g. cuiusdam legis seu canonis peculiaris: e contra, notio quasi-domicilii, nonnisi pedetentim (et hodiedum incomplete) stabilita fuit, per modum exegeseos seu practicae iurisprudentiae circa decretum Tridentinum de matrimoniis coram Parocho contrahendis.

6. Omnibus notum est quot et quantae disceptationes intercesserint, durante Concilio, priusquam Tridentini Patres legem illam in sua forma definitiva statuerent. Primum schema Patribus propositum (quod transcribo ex *secunda* editione Pallavicini qui dictam editionem ipse reviserat) nullam proferebat de quopiam sacerdote mentionem: « Questo « santo Concilio... determina che per innanzi que' matrimoni, « i quali farannosi occultamente senza tre testimoni, saranno « nulli, come col presente decreto gli annulla » *(Storia del Conc. di Tr.*, lib. XXII, cap. 4, n. 3).

Item, et in secundo schemate, die 7 Augusti 1563 discusso, ne verbum quidem de Parocho, nec de Sacerdote; sed textui proposito, Cardinalis Lotharingius exoptavit ut adderetur « che oltre alle altre solennità si richiedesse, « anche al valore, la benedizione del sacerdote: si chè uno « dei tre testimoni avesse il grado sacerdotale »; ideoque sacerdos, in voto praelaudati Cardinalis, non praecise qua Parochus sed potius qua minister benedictionis, in futuro

decreto proponebatur inducendus. Re vera successivis (et quidem multiplicibus) deliberationibus, variis varie opinantibus, decretum constabilitum est communi suffragio firmatum, quo scilicet praesentia *Parochi* (non sacerdotis simpliciter) tamquam auctorati testis iniungitur.

7. Et haec praelibanda censui, ad clarius definiendum terminum *a quo* subsecutarum exegeseum et interpretationum, videlicet: Concilium Trid. requisivit praesentiam Parochi *contrahentium*, quin praecisius specificaret quis esse debeat Parochus iste: practica iurisprudentia, tum ex logico nexu, tum ex parte Decreti expositoria, Parochum induxit *proprium*. Item, ex decreto remanebat incertum uternam Parochus esset proprius, sponsi scilicet vel sponsae: practica iurisprudentia meritissime determinavit Parochum *alterutrius* contrahentis esse vere proprium in sensu Tridentini. Iam anno 1573 (et proinde decennio post promulgationem nondum elapso) et iterum anno 1589 in una *Tornacen.* (1), Haec S. Congregatio « validum declaravit matrimonium contractum coram Parocho unius ex contrahentibus ».

Item, Concilium Trident. requisivit Parochum sponsorum, id est Parochum domicilii stabilis, familiaris, prout tunc in facto et in iure agnoscebatur: iurisprudentia practica, ne quamplura matrimonia forent invalida, neve forma tridentina nimis onerosa saepe saepius evaderet, tenorem decreti paulisper ampliavit, et habitationi fixae ac perpetuae (qua constituitur verum domicilium) commorationem in loco gradatim assimilavit, commorationem dico non vagam, non perfunctoriam, sed aliquali duratione protrahendam, qua, respectu saltem ineundi connubii, Parochus fit proprius, etsi, stricto iure, non vere proprius, nupturiensque fit quasi-domiciliatus, etsi non vere domiciliatus.

8. Iurisprudentia *gradatim*, inquam, assimilavit: deciperetur enim qui notionem quasi-domicilii, prout nunc obtinet, fuisse ab origine fixam et in suis conditionibus plene delimitatam existimaret. Immo vox ipsamet *Quasi-domicilium*, ut notat Feije *(De dispensat. matrim.*, n. 209, edit. quartae pag. 130), « non occurrit apud antiquiores Auctores; voce « habitationis hi uti solebant », et citat ad rem Fagnan. C. *Significavit*. Sane, paulisper a vero deflectit haec assertio cl.mi Canonistae Lovaniensis: siquidem, verbum istud, id est *Quasi-domicilium*, expresse usurpant, inter antiquiores, v. g. *Laymann* (1635) in sua Theol. Morali (libr. V, Tract. VI, c. X. n. 6 ibi: « porro ad domicilium vel *quasi-domicilium*, eiusque ratione dioecesim vel parochiam acquirendam, cum animus requiritur tum factum. Animus consistit in proposito voluntatis permanendi perpetuo, vel ad tempus anni non modicum; factum consistit in actuali habitatione... ») – *Pirhing* (1679) qui perbelle conditiones acquirendi « quasi-domicilii » specificat (lib. II, tit. II, *De Foro comp.* n. 18, vol. 2, edit. Venetae, 1759, p. 30); *Reiffenstuel* (1703), semel et iterum ac ex professo, ubi de Foro competenti (edit. Vivsé-Pelletier, vol. 2, pag. 208) et ubi De clandest. desponsatione (vol. 5, p. 405) (1) – *Schmalzgrueber*, ubi de Foro comp. (edit. Cameralis, vol. II, parte I, pag. 79, n. 16) – *Ferraris*, saltem in additionibus sic dictis Cassinensibus, V. *Matrimonium*, art. 6, n. 97, a, (edit. Migne, vol. 5, col. 437 et seqq.), etc., etc.

Nihilo tamen minus, sensum facessit quod quamplures optimae notae Theologi et Canonistae quasi-domicilii mentionem non fecerint, etsi de iure parochialitatis adipiscendo prolixe disseruerint, ut v. g., iuxta ordinem antiquioritatis, Sanchez (1610), Card. Tuschus (1620), Barbosa (1649), Card. De Lugo (1660), qui tamen in suis Responsis moralibus quemdam pertractat casum quasi-domicilio maxime affinem, Pignatelli (1675), Fagnanus (1678) qui doctissimis commentariis illustrat C. *Significavit* (De parochis et alienis parochianis) ut infra dicetur, De Justis (1691), Card. De Luca (1683), Clericatus (1717), Habert (1718), Matthaeucci (1722), Sabellius (1724), Tournely (1729), Ursaya (1736), Coscius (1779): et alii permulti.

9. Non quod isti Canonistae Theologive quamlibet habitationem seu incolatum, ut ipsi loquuntur, autumaverint esse quasi-domicilio nostro aequivalentem, ut Feije (loc. cit.) innuere videtur: sed quod, ni fallor, mire dissentiebant circa conditiones requisitas ut incolatus in loco reputaretur sufficiens aut insufficiens ad acquirendam in dicto loco *parochialitatem* cum omnibus omnino iuribus et oneribus, aut saltem cum iure ibidem matrimonium contrahendi. Dissensiones porro et opinationes necnon opinionum consectaria practica, nemo mirabitur si velit attendere nullam tunc adfuisse decisionem *auctoritativam* de conditionibus ad quasi-domicilium canonice constituendum. Iurisprudentia, quae paulatim efformatur iuxta deductiones Iuristarum, nequit non esse plus minusve nutans et incerta quoadusque interveniat competentis Auctoritatis decretorium aut saltem directivum oraculum. Fastidiosum certe foret ac prorsus inane memoratas dissensiones prolixius indigitare: quasdam tantum *particularitates*, ut dicitur, brevi calamo notabo, quae iuris hac de re progressus et oscitantias satis revelant.

10. Sanchez (lib. III, disp. XXIII), conclusionem profert, ac tuetur tamquam veriorem, hodiernae notioni quasi-domicilii plene consonam; atvero probabilissimam dicit adversam sententiam, a plurimis AA. propugnatam variisque rotalibus Dec. firmatam (??), quae negabat quempiam, si domicilium retineat in una, fieri unquam posse parochianum in altera, « alias dicendum est (illum) habere duplicem parochiam habitationis, quod manifeste falsum videtur » (loc. cit., n. 11) — nisi forte (ut Card. Tuscus et alii) animum habuerit a prima paroecia definitive recedendi — dummodo talem animum formiter vel aequivalenter, v. g. per transactionem « maximae partis fortunarum suarum », expresserit — seu (penes *De Luca*, De matrim, P. II, Disc. II, n. 11) cum expressione verbali vel saltem cum indiciis et actibus facti — aut in nova paroecia commoratus fuerit per *triginta* annos, et quidem de praevia licentia proprii Parochi (varii apud Sanchez), aut per decennium (Tuschus) — attamen sufficit « habitatio annualis vel saltem pro maiore parte anni » (De Luca) — respectu aliorum sacramentorum in nova paroecia suscipiendorum, non autem respectu matrimonii contrahendi vel Ordinis suscipiendi..., etc., etc.

Haec est enim quorumdam Canonistarum respectu parochialitatis adipiscendae, sat singularis distinctio, scilicet inter sacramenta *necessaria* et sacramenta *voluntaria*, nimirum, ut suppono, hinc sacramenta quae Christianus quilibet recipere tenetur, illinc quae propria voluntate peroptat; et quoad ista vel illa variatur brevior longiorve commoratio ad parochialitatem acquirendam.

Talem distinctionem parvipendit Fagnanus dicens: « Neque enim constituenda est differentia inter Sacram. Poenitentiae et matrimonii, cum saepe non minor sit necessitas nubendi quam confitendi, ut contingit in his qui continere « non possunt: ideoque communiter is dicitur proprius Pa-

(1) Hanc et istam resolutionem cito in fide R. Pallottini, diligentissimi Collectoris, qui eas desumpsit e libro 1° (pag. 125) et 6° (pag. 89) Decretorum penes tabularia S. C. — V° *Matrimon.*, § XV, n. 163, 164.

(1) Quum suspicatus fuissem terminologiam de quasi-domicilio maxime praecisam non ipsi Reiffenstuel esse attribuendam sed forte novissimo ipsius editori supralaudato, ultimam illam editionem conferri curavi cum antiquiori, nempe Veneta, anni 1734, quae pariter de *quasi-domicilio* expresse loquitur.

« rochus, ad coniungendos aliquos, qui in cap. *Omnis utrius-* « *que* appellatur proprius sacerdos ad confessiones audien- « das » *(III Decret.*, De Parochis, Cap. V, n. 23).

Si vero per sacramenta *necessaria*, debemus ea tantum intelligere quae solus Parochus administrare potest, mutatur ex toto quaestionis aspectus: solum enim sacramentum matrimonii, vi promulgationis Tridentinae, requirit praesentiam Parochi proprii *sub poena invaliditatis;* ideoque maximi momenti prorsus est parochi proprii notionem, respectu matrimonii, non flaccidis et arbitrariis conditionibus, sed tutis firmisque notis determinare; quae certe desunt in praelibatis auctorum scholis.

Reiffenstuel et nomen et notionem genuinam quasi-domicilii tradit, eamque solidat super quadam paritate cum domicilio: « Sicut ad acquirendum verum domicilium sufficit « unius diei habitatio cum animo ibidem constanter perma- « nendi, ita etiam ad acquirendum quasi-domicilium, sufficit « una aut altera dies cum animo ibidem habitandi per « maiorem anni partem... Ratio est quia non apparet, cur « quis possit acquirere verum domicilium per unum diem « cum animo ibidem perpetuo manendi, et non quasi-domi- « cilium per unum diem cum animo per maiorem saltem « anni partem ibidem manendi, quod temporis spatium pro « quasi-domicilio requiritur » (Lib. IV, Decr. Tit. III, n. 60). De illa paritate fusius dicetur infra.

De Iustis (Lib. II, cap. XIX, n. 50) verum habet quasi-domicilii conceptum, et genuinas inde eruit conclusiones, sed illud vocat *domicilium*, prout caeterum quamplures alii Canonistae.

Clericatus, in suis optimis *Decisionibus*, rem absolvit sequenti modo: « Tria esse requisita necessaria, ut quis di- « catur contrahere matrim. coram suo Parocho: *Unum* est « quod contrahentes actualiter habitent sub parochia illius « Parochi. *Alterum* est quod ex aliquo honesto motivo « intendant ibi habitare (inferius addit huic secundo requi- « sito: et ibi per aliquod notabile tempus (sint) habitaturi). « *Tertium*, quod non se transtulerint ad habitandum in illa « parochia, hac determinata intentione defraudandi proprium « Parochum et *statim discedendi* a ficta habitatione, inito « coniugio » *(De Sacr. Matr.*, decis. XXXV, n. 13).

Verba *statim discedendi* sublineavi, quia non intentio fraudandi proprium parochum, bene vero properus discessus, ut inferius notat auctor, matrimonium invalidavit in Rotalibus decisionibus ibidem (n. 18) recensitis.

Pro Theologis Sorbonicis sint in specimen Habert (Ludov.) et Tournely: iste *(De Matrim.*, edit. Parisien. 1753, p. 457) prompto calamo difficultatem amovet et, excluso parocho originis et loci contractus, parochum *domicilii* tantum ponit esse proprium, quippe qui banna proclamare debet et facilius impedimenta, si quae sint, detegere potest: ille diversam affert responsionem, tantillo sale gallicano conspersam: « Iuxta consuetudinem in Galliam receptam et Edicto regio « confirmatam (1), extraneus, si sit eiusdem dioeceseos, per « sex menses in Paroecia sedem fixisse debuit; et per annum, « si diversae dioeceseos, priusquam ibi ad sacramentum ma- « trimonii admittatur » (*Theol. Mor.*, De Matrimonio, c. VI, pag. 475).

11. De facili praesumitur quod auctores sua commentaria, in isto sicut et in aliis thematibus, tentaverint solidare super assertis Huius S. Congregationis resolutionibus, fundate vel infundate allegatis. Citantur, ut plurimum, resolutiones quas Benedictus XIV, seu rectius Lambertinius, in sua notissima *Institutione can. XXXIII* commemorat, quasque sac. Pelella, decretorum Tridentini accuratissimus Editor, textui Sess. XXIV *De Reform.*, pag. 226 oculate subnexuit. Ne vero tempus et atramentum incassum insumantur, hisce resolutionibus, quae validitatem sententiant matrimonii contracti propter solum factum commorationis, absque domicilio vel quasi-domicilio, debent applicari praelaudati Lambertini animadversiones: « Non inficiamur eam- « dem Congregationem non semel decrevisse valida illorum « matrimonia qui ad evitandas cum parentibus altercationes, « ex Parochia domicilii in alium locum demigrantes, ibi « matrimonium contraxerunt. Advertendum tamen est ma- « trimonium hoc pacto ineuntes, antequam rem perficerent, « domicilium in eo loco vel quasi-domicilium assecutos fuisse. « Nam diu morati ibidem ante matrimonium fuerant, neque « inde postea discesserunt ut primam sedem ac domicilium « repeterent, quemadmodum Clericatus recte perpendit ». Attamen, haud una citari potest Resolutio pro validitate, quamvis non verificaretur, in factispecie subiecta, conditio praefata; *diu morati ibidem ante matrimonium.* Sic, in una *Senensi*, 17 Maii 1600, quam allegant Barbosa *Collect.* in Conc. Trid. Edit. Venetae 1709, pag. 277, n. 12) Fagnanus (ut supra) aliique, « validum fuisse (censuit S. Congr.) cu- « iusdam iuvenis (Senensis) coniugium cum meretrice, qui « dubitaverat illud in propria civitate contrahere adhibendo « Conc. Trid. solemnitates, eo quod iuvenis parentes eis « impedimentum de facili facturi erant, et propterea Romam « venerunt, et coram testibus et Parocho, in Paroecia, *in* « *qua aliquantulum permorati erant*, matrimonium con- « traxerunt de praesenti ». Fagnanus (l. c. n. 36) « decisio- « nem istam explicat quia, is est proprius Parochus in cuius « Parochia habitabant contrahentes tempore contractus »; Clericatus (l. c.) validum fuisse matrimonium edicit quia nupturientes fixam sedem Romae stabilire condixerant. At huiusmodi condictio nullatenus ex factispecie, prout penes auctores exponitur, apparet.

Ita, et in alia Patavina, iuvenis scholaris meretricem sibi copulans, Patavii per quinque vel sex menses (??) iam commoratus fuerat, et inde iure praesumebatur intentio protrahendi commorationem, ideoque matrimonii validitas.

12. Quare, tenuitati meae maxime persuasum est apparentes, in his aliisque Resolutionibus, tum ante tum post incoeptam (1718) *Thesauri* compilationem, oscitantias ac dubietates perbelle componi posse si quis attente perpendat, in unaquaque factispecie, genuinam decidendi rationem. Haec autem ratio decidendi, non praecise desumebatur e Iuristarum placitis et conclusionibus, haud parum nutantibus et variis, ut supra delibatum est; neque ex longiori breviorive commoratione; neque etiam ex fraudulento vel non fraudulento discessu, respectu parochi domicilii; nec etiam ex sacramentis necessariis vel voluntariis; neque tandem ex notione quasi-domicilii nondum satis fixa neque competenter declarata; sed ex concretis subiectae causae conditionibus et adiunctis, quae, si revelabant intentionem contrahendi sine Parocho et testibus, invaliditatem matrimonii, secus vero validitatem satis demonstrabant.

Sane, si nondum stabilita fuerant principia tuta fixaque circa *proprium* Parochum, aut circa specificas conditiones, in acquirenda parochialitate relate ad matrimonium secundum debitam formam ineundum, illogicum foret e dissimilibus factispeciebus multoque magis e discrepantibus auctorum scholis, normam deducere generalem et uniformem. Audiantur ad rem aurea verba praeclari De Luca: « Circa « quam (id est circa quaestionem de sufficienti vel insuffi- « cienti domicilio intuitu matrimonii) dicendum est ut illa « sit quaestio facti potius, ac probationis, etiam adminicu- « lativae, quam iuris; ideoque, iuxta regularem huiusmodi « quaestionum facti naturam, certa regula generalis desuper « constitui non potest cuicumque casui applicabilis, cum proba-

(1) Edictum istud frustra perquisivi in « *Mémoires du Clergé* ».

« tionum materia, praesertim ubi de adminiculativis agitur, « Iudicis arbitrio reposita sit, ex singulorum casuum quali- « tate ac circumstantiis regulando. Et de consequenti, er- « roneum, pro meo iudicio, est procedere cum propositio- « nibus generalibus, vel cum decisionibus quae in diversis « casibus prodierint, quoniam stant bene simul, *ut in uno « casu, aliquae probationes vel argumenta sufficiant, in « altero autem, eadem ac longe* maiora, insufficientia sint, « quia nempe ita locorum ac temporum et personarum, alia- « rumque circumstantiarum qualitas, uno vel altero modo « exigat ». (*De Luca*, libr. XIV, p. II; *De Matrim.*, Disc. I, n. 12, Edit. Venetae, 1706, vol. 14, pag. 2).

Similiter Bened. XIV, in praecitata Institut. XXXIII, tradit regulam non generalem sed potius, ita si dici possit, classificativam; id est, varias distinguit advenarum classes, vagorum, studentium, carceratorum, relegatorum, infirmantium in xenodochiis, puellarum expositarum, educandarum in monasteriis, famularumque, et conditiones praefinit quibus, *in dioecesi sua Bononiensi*, dictae classes nupturientium parochialitatem, vel secus, adipiscuntur. Attamen, in opere « *Quaestion. Canonicarum et Mor.* » eruditissimus Pontifex praecisiorem et generalem profert quasi-domicilii notionem, hisce verbis: « domicilium non acquiritur sine « animo perpetuo habitandi; nec quasi-domicilium acqui- « ritur, nisi concurrat animus habitandi per maiorem anni « partem ». (Quaest. CLXXXII, Edit. Praten., p. II, pag. 231).

S. Alphonsus (*Theol. Moral.*) tum in Tract. de Matrimonio, n. 1091, tum et plenius in Tract. de Baptismo, n. 115, varias sententias commemorat (non semper exacte quoad Auctores ibi recensitos) et, cum sententia secunda, tenet « advenas posse recipere sacramenta a parocho loci, ubi « iam contraxerint quasi-domicilium. *Contrahitur autem « quasi-dom. ab eo qui habitat alicubi, non per transi- « tum, sed per maiorem anni partem*, aut cum animo « permanendi ibi per maiorem partem anni. Imo, aiunt « Layman, etc..., ex communi *sufficere*, ad contrahendum « quasi-dom., *habitationem per aliquam notabilem anni « partem, causa alicuius negotii... Ratio huius secundae « sententiae est* quia, per quasi-domicilium quisque iam fit « parochianus loci ubi habitat, ut habetur ex *cap. finali « de Parochis*, ubi confugientes ad aliquam parochiam « causa belli, iam dicuntur illius parochiani ». (*De Bapt.*, num. 115).

Omissa porro clausula « per maiorem », vel « per notabilem » anni partem (de qua iam iam dicendum erit paulo fusius) duo videntur adnotanda. *Primo*, S. Doctor, in verbis suprascriptis, explicationem dat quae reapse parum aut nullatenus explicat: etenim, genuina quaestio non est: utrum ille qui quasi-domicilium, acquisivit in loco, fiat parochianus illius loci (quod nemo cordatus inficias ibit), sed utrum advena, per hanc aut illam in loco commorationem, acquirat quasi-domicilium et quanam de causa. *Secundo*, caput iuris finale De Parochis (id est c. *Significavit* quod est revera ultimum De Parochis et alienis parochianis: Lib. III, Decr. Tit. XXIX) intelligi nequit de quasi-domicilio, prout hodie accipitur, sed tantum, prout Fagnanus aliique bene multi, de illo domicilio quod, per discessum a loco et translationem plus minusve totalem in alio, censeri debet acquisitum, respectu saltem « spiritualium iurium » (1).

Quare, minus fundate, meo quidem humili iudicio, S. Doctor et, post eum, D'Annibale (*Summula*: De Personis, n. 84, nota 20) cum aliis paucis, praecitatum caput, ad rem invocant. Pergratum utique foret, sive in Decretalibus, sive in Tridentino, aut etiam in consensione Doctorum, vel saltem in praestabilitis iuris Regulis et practica iurisprudentia, quoddam detegere caput, decisionemve auctoritativam, qua, tute ac generaliter, satis firmarentur tum notio tum conditiones quasi-domicilii: sed nulla ni fallor, huiusmodi decisio reperitur usque ad annum 1867, tribus proinde saeculis post decretum *Tametsi* iam elapsis (1).

13. Anno praefato, die vero 7 Iunii, emanavit Instructio seu Encyclica S. C. S. Officii (*Ad Episcop. Angliae et Stat. Foed. Amer.*), circa quasi-domicilium rite constituendum et praesumendum: « Ad constituendum vero quasi-domicilium... « duo haec simul requiruntur, habitatio nempe in eo loco « ubi matrimonium contrahitur, atque animus ibidem per- « manendi per maiorem anni partem. Quapropter si legitime « constet, vel ambos vel alterutrum ex sponsis animum ha- « bere permanendi per maiorem anni partem, ex eo primum « die quo haec simul concurrunt, nimirum et huiusmodi « animus et actualis habitatio, iudicandum est quasi-domi- « cilium acquisitum fuisse, et matrimonium quod proinde « contrahatur esse validum ». Et iterum: « .... Praeterea « manifestum quoque est, actualem habitationem ineptam « esse ad quasi-domicilium pariendum, si quis in ea regione « more vagi ac itinerantis commoretur, non autem vere pro- « prieque habitantis, quemadmodum scilicet caeteri solent « qui in eodem loco verum proprieque dictum domicilium « habent ». (*Collect.* S. C. P. F. n. 1407) (2).

Praelaudata Supremae S. Congregationis instructio, prout et alia maximi momenti documenta, penes Tabularia secreta remansit, et nonnisi tandem elapso uno circiter vicennio, publici iuris effecta fuit (3). Hinc, de plano potest explicari qua

(1) Agitur in dicto capite de fidelibus in Terra Sancta domiciliatis, qui propter turcicam invasionem aufugerant in civitatem Aconensem. Praelati Terrae Sanctae requirebant ab ipsis, prout si permansissent sub sua iurisdictione, omnia onera, decimasque. Coelestinus III eos *significavit* subiacere iurisdictioni Aconensi, reservatis tantum, favore Praelatorum Terrae Sanctae, decimis praediorum fructiferorum quae dicti Transfugae in derelicto domicilio forte servaverant. Multo minus invocari potest, tamquam vestigium hodierni quasi-domicilii, distinctio quam ponit Honorius († 1227) inter domicilium *principale* et domicilium *secundarium*; necnon *assidua commoratio* qua Innocentius IV (1254) censuit, potiusquam *intentione*, domicilium adquiri posse.

(1) Immo, non desunt qui quasi-domicilium etiam nunc edicunt nullo iure scripto fundatum, sed tantum consuetudinario; ita praeclarus *Lombardi* (*Carolus*) qui: « haud in usu fuisse penes Romanos, inquit, imo et in legislationem nostram non iure scripto sed consuetudinario transiisse » (*Iuris Can. privati Institutiones:* Romae, 1901, vol. III, pag. 187).

Revera, perperam adduceretur Breve Urbani VIII « *Exponi Nobis* » diei 14 Aug. 1627 ad Archiepiscopum Colonien., aut Epistola (sic dicta) Benedicti XIV « *Paucis abhinc* » diei 19 Martii 1758, ad Archiep. Goanum, de quibus infra n. 26; nec etiam alia responsio supremae S. Congregationis S. Officii, diei 7 Maii 1804, pro *catholicis* matrimoniis Hollandiae edita, qua decernitur « parochum proprium catholicorum in Hollandia commorantium, ibique matrimonium *inter se* contrahere volentium, esse *pastorem* vel *compastorem* illius civitatis vel loci in quo alteruter ex contrahentibus domicilium vel quasi-domicilium habet; ideoque nonnisi coram isto, vel coram alio sacerdote de illius licentia, valide posse matrimonio copulari ». Heic enim determinatur (propter celeberrimam Declarationem benedictinam de matrimoniis haereticis et mixtis) quis sit parochus proprius catholicorum, non vero quid sit quasi-domicilium. Haec responsio desideratur in *Collectanea* S. C. de P. F., sed penes ephemeridem *La Nouvelle Revue Théol.* Tom. XII, pag. 577, legitur.

(2) Textus Instructionis dimidiate citatur penes *Collectanea*, nempe quoad partem practicam tantum; alterius partis, quae legitur penes Zitelli, et André (*Dict. de Droit can.*, T. II, p. 613), mentio fiet inferius.

(3) Hac de re, Feije (in 4ª editione, Lovanii 1893), refert se dictam Instructionem novisse, sed sub secreto, tempore Concilii Vaticani, utpote qui addictus erat Commissioni pro rebus disci-

ratione quidam auctores recentiores et hodierni, quibus nondum nota fuit Instructio, perantiquas et obsoletas refricarint disceptationes circa notionem et acquisitionem quasi-domicilii; sed multo difficilius intelligitur quo fundamento quidam auctores nuperrimi et quidem haud infimi subsellii, suas hac de re protulerint notiones seu definitiones, dictae Instructioni non satis consonas. Scitissime Reverendissimus P. Wernz, in suo voto vere magistrali, in una *Parisien.* 1898 (1) (*Thes.* Vol. 157, pp. 588 etc.), edicit: « Doctrina canonica, « in allegatis Instruct. S. Congr. Inquis. proposita... habetur « *nunc* tamquam absolute certa, non tantum in theoria, sed « quod maioris momenti est, etiam *in praxi*. Nam, secun« dum hanc doctrinam, non tantum matrimonia declarantur « nulla, sed declaratione nullitatis facta, etiam nova matri« monia indubitanter permittuntur. Id quod fieri non posset, « nisi doctrina ista esset omnino certa; secus SS. CC. mani« festo sese exponerent periculo violandi ius divinum de « impedimento ligaminis constitutum... ».

14. « Habetur nunc, ait praeclarus Consultor, tamquam absolute certa »: et quidem, meo humili sensu, certa tali certitudine quae omnem tollat exegesibus aut sententiis vere adversis probabilitatem. Instructiones Sacrarum Congregationum nequaquam haberi possunt tamquam opinationes, sed tamquam decretoriae decisiones quibus ius ipsummet constituitur, vel authentice declaratur. Opinationibus et oscitantiis anteactorum saeculorum finem, etsi partialiter tantum, apposuit Instructio supralaudata, non per modum simplicis decisionis ad casum, nec etiam per modum merae confirmationis iurisprudentiae vigentis, sed potius per modum normae generalis quae tamquam caput iuris, in themate, retineri debet. Hoc sensu, ni fallor, accipienda videtur animadversio praelaudati Consultoris: « Ecclesiam « quasi-domicilii notionem mutuasse ex iure Romanorum, « est res usque in hodiernum diem (*et verisimilius usque « in postremos dies*) non satis probata; *canones* vero ex« pressi de quasi-domicilio in antiquo iure ecclesiastico « omnino non existunt, imo etiam nostra aetate expressa et « universalis lex pontificia de quasi-domicilio nondum repe« ritur lata. Notio quasi-domicilii est potius inventum quod« dam fori ecclesiastici, theoriis virorum doctorum, praxi « iudiciali paulatim introducta, et tandem per sententias « et Instructiones SS. CC. confirmata ». Huic deductioni, ut liquet ex his quae superius exposui, plene adsentio, nisi quod Instructionem praecitatam S. C. Inquis. retinendam censeo, non tamquam legem proprie dictam et formiter edictam, bene vero tamquam normam vere directivam, in qua scilicet notio quasi-domicilii traditur authentica, cuique proinde, in iure, vim legis, saltem secundum quid, agnoscere debemus.

15. Quod autem, in mente S. Inquisitionis, haec Instructio sit habenda tamquam norma seu regula practica, plane liquet, ni fallor, ex altera posteriori Eiusdem Supremae (2 Maii 1877: Collect. n. 1049) responsione ad postulata Synodi Mainutinae (Maynooth) in Hibernia circa Parochum proprium, videlicet: « Parochum proprium habendum esse « parochum domicilii vel quasi-domicilii contrahentium. Ad « dignoscendum vero quasi-domicilium, *attendendam esse « regulam traditam* in Instr. fer. IV, diei 7 Iunii 1867 ».

plinaribus, et addit: Iamdiu autem secretum S. O. amplius non obstat integrae citationi, quum in publicam notitiam illud documentum devenerit, tum apud De Angelis, T. III, P. I, p. 94 (revera De Angelis, citata pagina mentionem facit Instructionis, textum vero non exscribit), Zitelli (*De Dispens.* App. IV), tum in Actis et Decr. Concilii Baltimoren. III, tum denique, addam ego, in *Collectanea P. F.* et alibi.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 62, 194.

16. Praelucente igitur illa Instructione, notio quasi-domicilii paulo clarius, quoad substantialia saltem, stabilita fuit, et a pluribus hodiernis exprimitur sequenti vel aequivalenti formula: « *habitatio in loco cum animo ibi permanendi per maiorem anni partem* ».

Haec definitio, inquantum includit utrumque simul elementum, id est *factum* et *animum* commorandi, satis communiter admittitur, haud exclusis illis, et non paucis, Theologis et Canonistis qui hodiedum dubia movent tum circa interpretationem facti, tum et maxime circa maiorem anni partem. Item, eadem definitio de plano currit, sub aspectu *negativo*, quatenus scilicet vi clausulae « per maiorem anni partem », tum domicilium proprie dictum, tum perfunctoriam aut casualem commorationem excludit. Si vero consideretur sub aspectu *positivo*, id est in suis elementis intrinsecis, tantum abest ut haec definitio plene perspicua sit et indiscussa, quod e contra, cuique paulo penitius intuenti, difficultates hinc inde prosiliunt et dubietates, ut nunc venit exponendum.

(Sequitur).

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

CONGREGATIONIS EREMITARUM CAMALDULENS. MONTIS CORONAE.

Plura solvuntur dubia.

Calendarista Congregationis Eremitarum Camaldulensium, de consensu sui Superioris Generalis, a Sacra Rituum Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime expetivit, nimirum:

I. Quum per Decretum Generale, d. d. 13 Novembris 1899 (1) festum, S. Bedae Venerabilis ad Ecclesiam universalem extensum fuerit, quaeritur: an utentes Breviario Monastico debeant recitare Lectiones pro universali Ecclesia per dictum Decretum approbatas, vel potius illas iampridem pro Ordine Sancti Benedicti concessas?

II. In Missa S. Michaëlis Archangeli, Patroni Congregationis Eremitarum Camaldulensium, approbata per Decretum 22 Iulii 1809, duae habentur Orationes, quarum prima propria dicenda est ubi Sanctus Michaël est Titularis Ecclesiae vel Altaris, altera de Communi dicenda praescribitur, ubi Sanctus Michaël Titulus Ecclesiae vel Altaris non est. Quaeritur, utrum praedicta Oratio propria in locis, in quibus Sanctus Michaël est Titularis, dicenda quoque sit in Officio, in Suffragiis autem altera de Communi?

III. Iuxta De Herdt (Ed. X, an. 1902, vol. 2, n. 368), qui citat Guyetum et Cavalieri, commemoratio S. Mariae non fit inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum (iuxta Rubricas, tit. 25, n. 4), sive coniungatur Officio diei, sive separatim recitetur: sive ex devotione tantum, sive ex obligatione dicatur. Cum vero ex Constitutionibus Congregationis Eremitarum Camaldulensium dictum Officium par-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VII, p. 491.

vum B. M. V., diebus in quibus Choro non dicitur, quotidie privatim ab unoquoque persolvatur, a supradicta doctrina perpetua omissio commemorationis eiusdem B. M. V. in Suffragiis sequeretur; hinc quaeritur, an commemoratio B. M. V. inter Suffragia, quando dicitur eius Officium parvum, omittenda sit tam in Choro quam extra Chorum, sive dictum Officium parvum coniungatur Officio diei, sive separatim aut privatim recitetur, tam diebus quibus in Choro persolvitur, quam illis quibus in eodem omittitur?

IV. An lectiones *A Mileto*, quae leguntur in festo S. Thomae Episc. Mart. considerandae sint tamquam propriae, vel solummodo propositae ex defectu Lectionum de Scriptura? Quum in ritu monastico, Officium infra Octavam Nativitatis duobus constet Nocturnis et tribus Lectionibus de Homilia in Evangelium, ideo occurrente S. Thoma in Dominica, si dicantur Lectiones *A Mileto*, tunc feria II non haberet locum initium Epistolae ad Romanos, ut in ritu Romano, sed reponendum erit in festo S. Silvestri. E contra si Lectiones *A Mileto* uti propriae non sint considerandae pro S. Thoma, tunc in ritu monastico dicerentur de Scriptura in praedicta Dominica.

V. An hymni in Officio Commemorationis Passionis D. N. I. C. et in Officio votivo Passionis D. N. I. C., deficientibus propriis Vesperis, sint transponendi, et quid sit faciendum in defectu tam primarum quam secundarum Vesperarum?

VI. An in Ecclesiis Congregationis Camaldulensis in processione feriae VI in Parasceve, cantandus sit hymnus *Vexilla* prouti in Breviario Monastico, vel ut in Breviario Romano: Missale enim Monasticum nil dicit.

VII. Praelati omnes praedictae Congregationis ex consuetudine diverso ritu asperguntur, h. e. non a superiori parte ad inferiorem uti reliqui, sed contrario a parte inferiori ad superiorem. Quaeritur, utrum eiusmodi ritus servari possit?

VIII. Iuxta consuetudines eiusdem Congregationis, quando Prior hebdomadarii munus subest, Sacerdos illi proximior Homiliae Lectiones legit, non enim decet Praelatum a subdito benedici, quod tamen in Superiore non Praelato nequaquam militat. Si ergo Prior Lectiones quoque ex necessitate aliave de causa legit, an alius pro eo debeat benedictionem petere et ipsemet Lectiones recitaturus benedictionem dare, vel dictus Prior debeat petere benedictionem cum *Iube, domne*, et sibi ipsi illam impertire, aut potius debeat petere benedictionem cum *Iube, domne*, et illi debeat dignior Sacerdos de Choro more solito benedictionem impertire?

Sacra porro Rituum Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibus perpensis rescribendum censuit:

Ad I. « Sumantur in casu Lectiones pro universali Ecclesia concessae ».

Ad II. « Adhibeatur in omnibus Ecclesiis Congregationis Oratio prima ac Patroni seu titularis propria, tam in Officio quam in Suffragio; mutato sic Orationis fine: *ut ipsius omniumque Angelorum memoriam colentes in terris, eorum quoque precibus adiuvemur in coelis* ».

Ad III. « Affirmative in omnibus, iuxta Rubricas Generales Breviarii, tit. 35, n. 4, et *Decretum Generale*, n. 4043, circa Commemorationes agendas ad Laudes et Vesperas in Suffragiis Sanctorum 27 Iunii 1899 ad III ».

Ad IV. « Initium Epistolae ad Romanos dicatur in casu die 31 Decembris in festo S. Silvestri ».

Ad V. « Affirmative in Officio tam festivo quam votivo; et si Officium utrisque Vesperis careat, ad Matutinum dicatur hymnus *Moerentes*, omisso hymno *Aspice* utpote minoris momenti, iuxta Decretum *Congregationis Eremitarum Camald.*, 11 Decembris 1903 (1), ad II, pro hymnis S. Mariae Magdalenae ».

Ad VI. « Attentis expositis, *Affirmative* ad primam partem, *Negative* ad secundam ».

Ad VII. « *Negative*, et ipsi praelati aspergantur iuxta ritum in universa Ecclesia receptum ».

Ad VIII. « Seclusa Rubrica peculiari per Apostolicam Sedem confirmata, Praelati Episcopo inferiores benedictionem a digniore persona expectent per verba *Iube, domne*, eaque accepta, Lectiones per se legant, prouti ex Decreto n. 1108, *Putignani*, *Nullius*, 15 Februarii 1659, ordinatur ».

Atque ita rescripsit, die 12 Maii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Decretum seu instructiones circa editionem et approbationem librorum cantum liturgicum gregorianum continentium.

Quum Sanctissimus Dominus Noster Pius divina Providentia Papa X suis litteris Motu Proprio datis sub die XXV Aprilis anni MCMIV (2) disposuerit, ut editores cantum gregorianum a Se restitutum typis mandare possint iuxta Vaticanam editionem, opportunum huic Sacrae Rituum Congregationi visum est nonnullas instructiones seu leges evulgare a praedictis editoribus observandas, quandocumque novam aliquam impressionem cantus liturgici parare voluerint. Hae autem leges, in audientia diei VII vertentis mensis Augusti ab eodem SS.mo Domino Nostro admissae et approbatae, sunt quae sequuntur:

I. Editores seu typographi cuiuscumque loci vel regionis, qui gregorianas melodias in Vaticana editione contentas imprimere voluerint, sive aequali forma sive grandiori vel minori, sive omnes, sive aliquas tantum, ab eadem Sede Apostolica prius facultatem obtinere curabunt.

II. Ab unoquoque ex editoribus, qui huiusmodi pontificiam facultatem obtinuerint, haec erunt diligentissime attendenda:

a) Forma notularum aliorumque gregoriani cantus signorum ea debet servari quam maiores instituerunt et editio Vaticana adamussim exhibet.

b) Nihil praesertim mutari potest in ordine quo eaedem notulae pro variis sonorum intervallis sibi succedunt.

c) Neque pariter in modo quo ipsae notulae pro diversis neumarum, ut aiunt, formulis copulantur.

d) Absolutissima quoque verborum sacri textus relatio ad notulas cantus observetur, ita ut unaquaeque syllaba notulae vel notulis suis penitus subiaceat.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XI, p. 24.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 147.

III. Editione parata ac confecta, nefas erit ipsam evulgare et in sacris functionibus adhibere cuique, nisi eam Ordinarius loci declaratione munierit, qua de eius concordantia constet cum editione typica vaticana.

IV. Ordinarius vero declarationem huiusmodi non concedat, nisi prius censores in cantu gregoriano periti, collatione facta diligentissime, in scriptis, onerata conscientia, testentur novam editionem cum Vaticana omnino concordare.

V. Illis officii liturgici partibus quae cantus diversos pro diversitate diei vel festivitatis admittunt, ut v. g. hymni et Ordinarium Missae, melodiae possunt adaptari, quae in editione typica non reperiantur, et a Sacra Rituum Congregatione approbari, servatis debitis conditionibus, iis maxime quae in § *d)* Motus Proprii XXV Aprilis MCMIV apponuntur. Minime vero tonorum seu cantuum huiusmodi varietates admittantur in caeteris partibus, v. g. in Antiphonis et Responsoriis sive Officii sive Missae.

VI. Si autem agatur de officiis propriis alicuius Ecclesiae vel Ordinis regularis Romanum ritum sectantis, aut de Officiis noviter concessis, gregorianae eorum cantilenae, a viris peritis restitutae vel concinnatae item Sacrae Rituum Congregationis approbationi subiiciantur; qua obtenta, Ordinarius loci certior factus, ut supra, de concordantia cum originalibus a S. C. recognitis, declarationem requisitam concedet.

VII. Tolerari potest quod cantus gregorianus notulis musicalibus modernis edatur, dummodo periculum sedulo amoveatur, quominus ordo notularum ac neumarum quomodocumque deturbetur. Ordinarius itaque pro hisce editionibus in commodum fidelium approbationem suam concedere poterit, si ei constiterit, iuxta art. 4 et 6, de fideli conformatione cum editione typica vel melodiis approbatis.

VIII. Quandocumque liber sacrum cantum continens vel melodia quaelibet liturgica Sacrae Rituum Congregationi ad approbationem obtinendam subiiciuntur, tria exemplaria ad eamdem mittenda sunt.

IX. Melodia gregoriana ad usum liturgicum a S. R. C. secundum normas praedictas destinata et commendata, ad sacrum Ecclesiae Romanae thesaurum seu patrimonium, sicut ipse textus, pertinet. Itaque quando novus textus fidelibus ab ipsa proponitur seu conceditur, cantus textui respondens ita simul concessus reputatur, ut nullus editor vel auctor querelam de eo movere possit, quod Apostolica Sedes easdem melodias ad alias extendat ecclesias.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die XI Augusti MCMV.

A. Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

CAIACEN.

Non obstante immemorabili consuetudine contraria, Episcopus canonicus nonnisi cum Cappa Missae conventuali ex throno assistere debet.

Rmum Capitulum Cathedralis ecclesiae Caiacensis Sacrorum Rituum Congregationi, ea quae sequuntur, pro opportuna declaratione, humiliter exposuit, videlicet:

Rmus Episcopus eiusdem dioeceseos est simul Canonicus, et prout talis est, singulis diebus suae hebdomadae, mozetta ac rochetto indutus, recitat in stallo sibi proprio Officium cum aliis Canonicis; postea vero ex eodem stallo audit simpliciter Missam Conventualem, quin, relate ad eam, aliquam functionem exerceat; propterea fruitur massa capitulari inter praesentes distribuenda. Hoc ex immemorabili consuetudine obtinet. Ex eadem immemorabili consuetudine Missa canitur ab omnibus simul Canonicis, quorum tamen alii infirmitate, alii aliis causis saepe saepius chorum deserere coguntur. Iamvero Rmus nuper Episcopus, vi decreti S. R. C. 22 Ianuarii 1877, n. 3411, *Vallispraten.*, asserit se non posse, mozetta ac rochetto indutum, Missam audire ut supra, sed nonnisi cum cappa Dominicis festisque diebus Missae Conventuali ex throno assistere teneri: quod aliquod onus Canonicis imponit, videlicet ut iis diebus eidem assistant et eum excipere debeant. — Quaeritur utrum Rmus Episcopus in casu haec exigere possit?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibusque perpensis, rescribendum censuit:

Serventur Caeremoniale Episcoporum et Decreta, uti etiam enuntiatum Decretum *Vallispraten.*, quando Episcopus solemniter vel cum cappa adsistit, vel pontificalia peragit.

Atque ita rescripsit. Die 17 Februarii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

IV.

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

In Ecclesiis Regularium, permittente ritu, celebrari possunt officia et missae defunctorum diebus 3, 7 et 30 a depositione.

Adm. Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Navarrensis, in Hispania, ad quietem et tranquillitatem suorum Religiosorum procurandam et ad omnem dubietatem de medio tollendam, de consensu sui R.mi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humillime exposuit, nimirum: An liceat in Ecclesiis Regularium, permittente ritu, Officia et Missas de Requie celebrari diebus 3, 7 et 30 a depositione, iuxta Rubricas Missalis Romani?

Et Sacra eadem Congregatio, referente subscripto Secretario, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, proposito dubio respondendum esse censuit: « Detur Decretum *3494, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci* diei 13 Maii 1879, ad I^{um} ». Atque ita rescripsit.

Die 29 Novembris 1901.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

ORDINIS CARMELITARUM EXCALCEATORUM.

In Ecclesiis Regularium, permittente ritu, celebrari possunt Officia et Missae de Requie, in diebus anniversariis defunctorum.

Adm. Rev. P. Provincialis Carmelitarum Discalceatorum Provinciae Navarrae, in Hispania, accepto responso per Decretum Sacrorum Rituum Congregationis datum die 29 Novembris 1901 super Officiis et Missis de Requie permissis in Ecclesiis Regularium diebus 3, 7 et 30 a depositione, iteratis precibus eamdem S. Congregationem pro sequentis dubii declaratione humillime exoravit, nimirum: An praefatum responsum seu iudicium extendi possit etiam ad dies anniversarios?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: « *Affirmative*, ex identitate rationis, iuxta Decretum generale *3753*, datum die 2 Decembris 1891 ». Atque ita rescripsit.

Die 24 Ianuarii 1902.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

DECRETUM URBIS ET ORBIS.

Decretum quo Indulgentiae conceduntur adolescentibus primitus ad S. Synaxim accedentibus, necnon eorumdem consanguineis aliisque Christifidelibus caeremoniis Primae Communionis adstantibus.

Adolescentes, ad augustissimum Eucharistiae Sacramentum primitus accessuros, validis oportet augeri auxiliis, quibus ferventiori pietatis affectu illud suscipere, uberioresque ex eo fructus percipere valeant. Quare humillimae delatae sunt preces SS.mo D.no nostro Pio Papae X, ut adolescentibus ipsis, prima vice sacra mensa refectis, Indulgentiarum thesaurum reserare dignaretur.

Quum vero, uti fere ubique fert consuetudo, eorumdem adolescentium parentes, imo et non pauci inter Christifideles, ad piam primae Communionis caeremoniam convenire, et etiam sancta libare soleant, ne tam laudabilis excidat consuetudo, quae maxime confert, ut eiusdem primae Communionis caeremonia solemnior evadat, eiusque memoria in adolescentium animis satius altiusque indelebilis perseveret, ab eodem SS.mo D.no nostro expostulatum est, ut iis etiam, qui primae Communionis solemniis intersunt, aliquam Indulgentiam benigne tribueret.

Has porro preces, relatas in audientia habita die 12 Iulii 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, eadem Sanctitas Sua peramanter excipiens, Indulgentias, defunctis quoque applicabiles, uti infra, clementer elargita est, nempe: Plenariam I° adolescentibus confessis et ad mentem eiusdem Sanctitatis Suae pie orantibus, die quo primum S. Synaxim celebraverint; II° eorumdem adolescentium consanguineis, ad tertium usque gradum piis caeremoniis primae Communionis adstantibus, si pariter Sacramentali Confessione rite abluti sacram Synaxim susceperint, et uti supra oraverint; Septem vero annorum totidemque quadragenarum Christifidelibus, qui corde saltem contrito eisdem caeremoniis interfuerint.

Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae, ex Secretaria eiusdem S. Congregationis, die 12 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

Indulg. 300 dierum conceditur recitantibus iaculatoriam in honorem SS. Cordis Iesu.

Cœur Sacré de Jésus, j'ai confiance en vous.

A tutti i fedeli che reciteranno tutti i giorni, col cuore specialmente, questa invocazione, accordiamo 300 giorni d'Indulgenza per ogni giorno e l'Indulgenza Plenaria in ogni mese, purchè sieno confessati e comunicati, e preghino per la conversione dei poveri peccatori.

Dal Vaticano, li 27 maggio 1905.

PIUS PP. X.

Praesens exemplar, quod cum originali concordat, exhibitum fuit S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem, etc.

Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congregationis die 19 Augusti 1905.

L. ✠ S.

IOSEPHUS M. Can.cus COSELLI, *Substitutus.*

III.

Indulg. conceduntur Sodalibus Piae Unionis vulgo *Du Crucifix du Pardon.*

Très Saint-Père,

Joseph et Augustin Lémann, chanoines honoraires de Lyon, prosternés aux pieds de Votre Sainteté, demandent humblement les indulgences suivantes pour tous les membres de la « Pieuse Union du Crucifix du Pardon », dont le but est d'obtenir le pardon de Dieu et de pardonner soi-même au prochain :

1° Quiconque portera le Crucifix du pardon aura le pri-

vilège de gagner *trois cents* jours d'indulgence, une fois par jour;

2° En le baisant dévotement, on gagnera *cent* jours d'indulgence;

3° Celui qui prononcera devant ce Crucifix une des deux invocations suivantes gagnera l'indulgence de *sept ans et d'autant de quarantaines: « Notre Père, qui êtes aux cieux, pardonnez-nous nos offenses comme nous pardonnons à ceux qui nous ont offensés ». « Je supplie la Bienheureuse Vierge Marie de prier pour moi le Seigneur notre Dieu »*.

4° Quiconque, ayant la dévotion habituelle de ce Crucifix, remplira les conditions nécessaires de la confession et de la sainte communion, gagnera l'indulgence plénière aux fêtes suivantes: à la fête des Cinq Plaies de Notre-Seigneur; à la fête de l'invention de la Sainte Croix; à la fête de l'Immaculée Conception; à la fête de la Compassion de la Très Sainte Vierge;

5° Quiconque, à l'article de la mort, muni des sacrements de l'Eglise ou contrit de cœur dans l'impossibilité de les recevoir, baisera ce Crucifix et demandera pardon à Dieu de ses péchés et pardonnera lui-même au prochain, gagnera l'indulgence plénière.

Que Dieu, etc.

Ex audientia Sanctissimi diei 1ae Iunii 1905.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, in perpetuum, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 1a Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

IV.

Omnes Indulg. Ordini Min. Capucc. concessae applicari possunt animabus fidelium defunctorum.

B.me Pater,

Minister Generalis Ordinis Minorum Capuccinorum, ad osculum S. Pedis humiliter prostratus, S. V. exponit se praesentavisse S. Cong. Indulgent. et SS. Reliquiis praepositae Summarium cunctarum Indulgentiarum et omnium Privilegiorum a SS. PP. concessorum Ordini praefato. Ad tollendum omne dubium et ad uniformitatem obtinendam, humilis Orator implorat a S. V. concedi ut omnes Indulgentiae relatae in elencho supradicto sint applicabiles animabus defunctorum, excepta Indulgentia Plenaria *in articulo mortis* lucranda. Qua de gratia...

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS.mo D.no N.ro Pio PP. X sibi tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. C., die 7 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro Secret. IOS. M. CAN.CUS COSELLI, *Substit.*

V.

Summarium Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum quae Romani Pontifices Ordini Fratrum Minorum Capuccinorum concesserunt.

ARTICULUS I. — *Indulgentiae, Privilegia et Indulta ipsis Fratribus Ordinis intuitu status religiosi concessa.*

A. — INDULGENTIAE PLENARIAE.

1. Omnibus Christifidelibus die primo eorum ingressus in religionem, si confessi S. Communionem sumpserint (*Paulus V. « Romanus Pontifex »*, 23 Maii 1606).

2. Cuilibet Novitio, qui confessus et S. Communione refectus, post completum probationis annum, professionem emiserit (Idem, ibidem).

3. Cuilibet Religioso, intra claustra monasterii sui viventi, in festo principali sui Ordinis, dummodo confessus et S. Communione refectus ad mentem Summi Pontificis oraverit (Id. ibid.).

4. Cuilibet Religioso in mortis articulo, si uti supra dispositus, vel saltem contritus SSmum Iesu nomen ore, si potuerit, sin minus corde, devote invocaverit (Id. ibid.).

5. Illi, qui legitime ordinatus, praevia confessione, primam Missam celebraverit, et aliis religiosis, qui confessi et S. Synaxi refecti eidem Missae interfuerint (Id. ibid.).

6. Iis, qui per decem dies, vel, aliquo interveniente legitimo impedimento a Superioribus dignoscendo, saltem per tres dies, ab aliorum conversatione separati, SS. Spiritualibus Exercitiis, videlicet piis lectionibus, meditationibus mysteriorum fidei, orationibus vocalibus, saltem per duas horas quotidie operam dederint, dummodo confessi S. Communionem sumpserint (Id. ibid.; *Pius X*, Rescr. S. Congr. Indulg., 14 Decembris 1904).

7. Iis, qui confessi ac S. Synaxi refecti orationi Quadraginta Horarum, tempore visitationum generalium a Superioribus collocatae, spatio saltem duarum horarum diverso tempore interfuerint, et ibi ad mentem Summi Pontificis, necnon pro disciplinae et observantiae regularis augmento pias ad Deum preces fuderint (*Paulus V*, loc. cit.).

8. Iisdem, qui die Commemorationis omnium Defunctorum primi et secundi Ordinis, uti supra dispositi, ecclesiam vel oratorium sive publicum, sive privatum Ordinis visitaverint, et inibi ad mentem Summi Pontificis oraverint (*Pius X*, Breve 10 Februarii 1905).

9. Iisdem, die anniversaria Professionis S. P. Francisci, si uti supra dispositi, eadem pietatis opera praestiterint (Id. ibid.).

10. Cuilibet Religioso recitanti Coronam Franciscanam, scilicet septem gaudiorum B. M. V. (*Paulus V*, 8 Iunii 1608; *Innocentius XI*, Breve 15 Maii 1688).

11. Religiosis, qui die 29 Novembris, qua S. P. Franciscus S. Regulae confirmationem ab Honorio III reportavit, confessi ac S. Communione refecti professionem renovaverint et ad mentem Summi Pontificis, necnon pro spirituali Ordinis profectu pias ad Deum preces fuderint (*Clem. XII*, *« Cum sicut »*, 2 Maii 1736).

12. Iisdem, in festo Epiphaniae, die anniversaria consecrationis totius Ordinis SSmo Cordi Iesu, si confessi ac S. Synaxi refecti solemnem professionem renovaverint (*Pius IX*, 7 Octobris 1873).

13. Iisdem semel in anno, die quo cuique libuerit, dummodo confessi et S. Communione refecti ad intentionem

Summi Pontificis oraverint, tempore, quo infrascripta exercitia peregerint: eundi per claustrum septem vicibus et visitandi in fine SSmum Sacramentum (loco visitandi septem Ecclesias Urbis); eundi ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem B. M. V. (loco visitandi Sanctuarium Lauretanum); eundi ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem SSmi Crucifixi (loco visitandi Sanctuarium Montis Varalli); et demum eundi similiter ter per claustrum et visitandi altare aut imaginem S. P. N. Francisci (loco visitandi Sanctuarium Assisii et Alverniae) *(Pius VII*, 25 Septembris 1779).

14. Iisdem Religiosis, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, *Absolutionem Generalem*, sub formula « Ne reminiscaris », a Superioribus Ordinis vel ab aliis Religiosis ab ipsis deputatis, et, relate ad Moniales, ab earum confessario vel ab alio sacerdote, licet ad audiendas earum confessiones non approbato, ab Ordinario tamen delegato, impertiendam, acceperint et iuxta mentem Summi Pontificis oraverint, sequentibus diebus festis:

Nativitatis, Circumcisionis, Epiphaniae, Paschatis Resurrectionis, Adscensionis — D. N. Iesu Christi;
Pentecostes;
SSmae Trinitatis;
Corporis Christi;
Purificationis, Annunciationis, Visitationis, Assumptionis, Nativitatis, Immaculatae Conceptionis, Praesentationis — B. V. M.;
SS. Apostolorum Petri et Pauli;
S. P. Francisci;
S. Clarae Virg. Assisiensis;
S. Catharinae Virg. et Mart;
Omnium Sanctorum;
Singulis diebus Hebdomadae maioris;

Semel in anno, die, quo in singulis monasteriis peragitur canonica visitatio.

(Pius X, Breve 10 Februarii 1905).

15. Iisdem, in festis — S. Fidelis a Sigmaringa et — S. Francisci Xaverii, dummodo confessi ad S. Synaxim accesserint et quotidie per annum precationem « *Misericordiarum Pater* » recitaverint *(Leo XIII*, Rescr. S. Congr. Indulg., 19 Novembris 1895).

16. Quilibet ex Religiosis toties indulgentias Stationum Urbis, Portiunculae, Hierosolymitanorum locorum, Aedis S. Iacobi Ap. Compostellanae, lucrari valent, quoties in quocumque loco *Pater*, *Ave* et *Gloria* quinquies pro incolumitate rei christianae et semel ad mentem Summi Pontificis recitaverint *(Leo X*, 1 Septembris 1518).

B. — Indulgentiae Stationum Urbis.

Omnes et singuli Religiosi inter claustra viventes, qui suam ecclesiam devote visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, consequuntur easdem indulgentias quas visitantes ecclesias Urbis et extra eam, diebus Stationum a Missali Romano designatis, consequerentur, dummodo caetera opera iniuncta praestiterint *(Paulus V*, « *Romanus Pontifex* », 23 Maii 1606).

Easdem indulgentias Religiosi in coenobiis degentes lucrari valent, si confessi ac S. Communione refecti, diebus stationalibus fixis, Psalmum « *Exaudiat te Dominus* » cum versiculis et orationibus statutis pro Romano Pontifice et S. Matre Ecclesia recitaverint; et si illum recitare ignoraverint, eius loco ter Orationem Dominicam et Salutationem Angelicam dixerint et ad mentem Summi Pontificis oraverint *(Pius IX*, Breve 7 Augusti 1868).

C. — Indulgentiae Partiales.

1. *Sexaginta annorum totidemque quadragenarum* cuilibet Religioso, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediae horae orationi mentali vacaverit, dummodo confessus ultima dominica huiusmodi mensis ad S. Synaxim accesserit *(Paulus V*, « *Romanus Pontifex* », 23 Maii 1606).

2. *Septem annorum* prima feria sexta cuiuslibet mensis singulis religiosis, qui professionem renovaverint *(Pius IX*, 7 Octobris 1873).

3. *Quinque annorum totidemque quadragenarum* in qualibet die, omnibus Religiosis intra claustra viventibus, qui quinquies *Pater* et *Ave* ante altare propriae ecclesiae, vel, si de suorum Superiorum licentia in itinere existant, aut tamquam praedicatores aut lectores extra claustra degant, ante quodlibet altare recitaverint *(Paulus V*, « *Romanus Pontifex* », 23 Maii 1606).

4. *Trium annorum totidemque quadragenarum* Religiosis, qui corde saltem contriti eorum culpas et peccata ac imperfectiones in capitulis culparum accusaverint, necnon spiritualiter communicaverint et exercitium virtutum fecerint (Id., ibid.).

5. *Trecentorum dierum* ab iis Religiosis semel in die lucrandam, si precationem « *Misericordiarum Pater* » cum *Pater*, *Ave* et *Gloria* devote recitaverint *(Leo XIII*, Rescr. S. Congr. Indulg. 19 Novembris 1895).

D. — Privilegia et Indulta.

1. Religiosi, qui, violentia dispersi, in domibus peculiaribus, ubi quatuor saltem commorantur sacerdotes, de licentia Superiorum degunt, in privato oratorio earundem domorum omnes et singulas indulgentias lucrari valent, quibus gaudebant Ecclesiae aut domus, e quibus exturbati fuerunt, caeteris servatis de iure servandis *(Pius IX*, Decr. S. Poenit. 28 Iulii 1866 et 18 Aprilis 1867).

2. Religiosi infirmi et convalescentes in valetudinario, visitando sacellum infirmorum, aliaque opera praescripta peragendo, lucrari possunt omnes indulgentias, quae visitando Ordinis Ecclesias consequerentur *(Benedictus XIII*, 24 Aprilis 1725).

3. Religiosi, qui ita graviter recumbant ut e lecto surgere et ad ecclesiam se conferre non valeant, easdem indulgentias lucrari possunt, peragendo opera iniuncta pro ipsorum statu possibilia, vel ea supplendo per alia, in quae a Superiore vel a confessario commutabuntur (Id., 30 Ian. 1726).

4. Religiosi accipere possunt *Absolutionem generalem* etiam privatim in pervigilio festorum, quibus ipsae sunt adnexae; nec non ii, qui legitimo detinentur impedimento, a Superiore dignoscendo, quominus in die assignata illam recipere possint, uno ex septem diebus festum assignatum

immediate sequentibus, accipere valent (*Pius X*, Rescr. S. Congr. Indulg. 14 Decembris 1904).

5. Altare maius omnium ecclesiarum Ordinis gaudet privilegio quotidiano pro Missis, quae in eodem celebrabuntur a quocumque Sacerdote, sive regulari, sive saeculari in suffragium animae alicuius defuncti (*Clemens XIV*, Rescr. S. Cong. Indulg. 30 Iulii 1770).

6. Eodem privilegio gaudet altare sacelli valetudinariorum in conventibus Ordinis, pro Missis, quae inibi celebrantur a Religiosis senibus et infirmis, qui se ad Ecclesiam conferre nequeunt (*Benedictus XIV*, 15 Septembris 1750 et Breve 1 Aprilis 1754).

7. Item privilegiatae sunt, ad quodlibet altare Ecclesiarum Ordinis celebrentur, tres Missae, quae a Sacerdotibus Ordinis pro anima cuiusque defuncti Summi Pontificis et Cardinalis Protectoris, ac Imperatoris vel Regis applicentur (*Benedictus XIV*, 19 Septembris 1742).

8. Pariter privilegio gaudet Missa una quae a Religiosis Ordinis in suffragium animae suorum respective parentum defunctorum celebrabitur (Id., 10 Aprilis 1745).

9. Missae omnes, quae in suffragium animae Fratrum vel Monialium Ordinis a quocumque sacerdote, sive regulari, sive saeculari, celebrantur, sunt semper et ubique privilegiatae (*Pius X*, Breve 10 Februarii 1905).

10. Omnibus Ministris Provincialibus Ordinis concessa est facultas erigendi in Ecclesiis sui Ordinis, necnon et in adnexis oratoriis Stationes *Viae Crucis*, quarum indulgentiae lucrifieri valent ab universis Christifidelibus: insuper iidem Ministri facultate pollent ad eumdem effectum delegandi Superiores locales pro tempore existentes (*Pius IX*, 5 Martii 1874).

11. R.mo P. Ministro Generali pro tempore concessa est facultas benedicendi atque fidelibus imponendi Scapulare S. Iosephi Sp. B. M. V., cum potestate ad huiusmodi Scapularis benedictionem et impositionem Sacerdotes sive regulares, sive saeculares delegandi (*Leo XIII*, Rescr. S. R. C. 18 Aprilis 1893).

12. Superioribus Ordinis facta est potestas erigendi, de consensu Ordinariorum, Confraternitatem Chordigerorum S. Francisci, cum adnexis indulgentiis et privilegiis, in Ecclesiis illorum locorum, in quibus Ecclesiae aut Conventus Fratrum Minorum Conventualium non existunt, servatis servandis, et praesertim Constitutionibus Sixti V « *Ex supremae dispositionis* », diei 19 novembris 1585, et Pauli V « *Nuper Archiconfraternitati* », diei 11 Martii 1607 (*Pius X*, Rescr. S. Cong. Indulg. 14 Decemb. 1904).

13. Iidem Superiores, legitimo detenti impedimento, Ordinis Religiosum ad excipiendas Sacramentales confessiones approbatum subdelegare valent ad benedicendas Chordas S. Francisci necnon ad impertiendum Chordigeris Papalem Benedictionem in festo Immaculatae Conceptionis B. M. V. (Id., ibid.).

14. R.mo P. Ministro Generali indultum collatum est, ut Sacerdotibus Ordinis facultatem elargiri possit recitandi *Exorcismum in Satanam et angelos apostaticos*, iussu Leonis XIII editum, cum acquisitione indulgentiarum praefatae recitationi adnexarum (*Leo XIII*, 15 Novembris 1890).

15. Moniales Ordinis in clausura degentes, quae infirmitate impediuntur, quominus ad chorum vel tribunal confessionis accedant, *Absolutionem generalem* recipere valent a proprio Confessore, in die infra octavam festorum cui ipsa est assignata, quando ipse Confessarius clausuram ingreditur ad audiendam aegrotantium Sororum confessionem, caeteris servatis de iure servandis (*Leo XIII*, Rescr. S. Cong. Indulg. 21 Maii 1892).

Articulus II. — *Indulgentiae, Privilegia et Indulta pro ministeriis Ordinis Capuccinorum concessa.*

A. — Indultum favore Religiosorum Ordinis qui in Xenodochiis infirmis assistunt.

Religiosi, qui, debitis cum licentiis, in Xenodochiis ad infirmorum adsistentiam degunt, omnibus et singulis spiritualibus gratiis gaudent, ac si in respectivis conventibus moram traherent (*Benedictus XIV*, 31 Iul. 1754 et 28 Novembris 1756).

B. — Pro Missionibus exteris.

1. Religiosi, qui, debitis cum licentiis, in ditiones ac terras infidelium aut haereticorum ad sacrum ministerium exercendum missi fuerint, quando itineri se accingunt et quando ad locum Missionis sibi adsignatae ingressi fuerint, *plenariam* indulgentiam consequi valent praemissis confessione et S. Communione (*Paulus V*, « *Romanus Pontifex* », 23 Maii 1606).

2. Unicuique eorum, qui in Collegiis sive Seminariis, Evangelii praecones mox futuri, educati fuerint, indulgentia *plenaria* concessa est, non modo cum iuramentum, quo se obstringunt cooperandi Deo in salutem animarum, primo emiserint, verum etiam cum illud statuta die renovaverint, dummodo in utroque casu confessi S. Communionem susceperint (*Pius VI*, 7 Maii 1775).

3. In residentiis Missionum Ordinis Ecclesiae et oratoria publica, dummodo sint fixa, et ad ea fideles, ad Sacrum audiendum et ad recipienda Sacramenta, accedant, gaudent indulgentiis, quae Ecclesiis Ordinis concessae sunt (*Clemens XII*, Decr. S. Cong. Ind., 11 Iunii 1732).

4. In locis Missionum provinciarum ultra montes, ubi Fratres Ordinis proprias Ecclesias non habent, Ecclesiae saecularium, in quibus Religiosi Ordinis Missionariorum functiones peragunt, indulgentiis Ecclesiarum Ordinis gaudent (*Benedictus XIV*, « *Coelestes Ecclesiae* », 14 Februarii 1742).

5. Omnibus Religiosis missionariis et aliis Christifidelibus virilis sexus tantum, qui in domibus et hospitiis Missionum per quinque saltem dies continuos exercitia spiritualia quandocumque peregerint, *plenaria* indulgentia semel in anno concessa est, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint (Id., « *Cum sicut* », 27 Iulii 1751).

6. In Ecclesiis Missionum Ordinis altaria maiora sunt privilegiata aeque ac altaria maiora in Ecclesiis conventuum (*Clemens XIII*, 20 Novembris 1763).

7. Religiosi missionarii in infidelium vel haereticorum regionibus degentes, facultatem habent impertiendi, de licentia Ordinariorum, quatenus adsint, Christifidelibus in articulo mortis constitutis Apostolicam Benedictionem cum adnexa *plenaria* indulgentia, servata forma a Benedicto XIV praescripta (*Benedictus XIV*, 24 Augusti 1751).

8. Religiosi in Missionibus degentes, qui infra duas saltem hebdomadas sacramentalem confessionem peragere solent, omnes et singulas indulgentias eo temporis intervallo occurrentes, lucrari valent, absque confessione pro singulis

indulgentiis praescripta, caeteris servatis de iure servandis (*Pius X*, Rescr. S. C. Ind., 14 Decemb. 1904).

9. Indulgentia *plenaria* concessa est Religiosis missionariis scholarum popularium fundatoribus earumque directoribus, lucranda a fundatoribus die prima earumdem aperitionis, et a directoribus die quo directionem assumunt, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti Ecclesiam seu oratorium suae domus visitaverint, et inibi pro Sanctae Fidei propagatione et iuxta Summi Pontificis intentionem pias ad Deum preces fuderint (*Leo XIII*, 13 Februarii 1887).

C. — Pro Missionibus quas Religiosi Ordinis habent ad populum.

A) — *Indulgentiae et Privilegia.*

1. Omnes Christifideles, qui quinque saltem e concionibus tempore Missionum a Religiosis Ordinis datarum corde saltem contriti audierint, indulgentiam *septem annorum totidemque quadragenarum* consequi valent (*Pius X*, Breve 10 Februarii 1905).

2. Iidem, si praefato tempore quinque concionibus uti supra adstiterint, atque insuper confessi ac S. Communione refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint, *plenariam* indulgentiam lucrari possunt (Id., ibid.).

3. Religiosi Ordinis, qui S. Missiones ad populum dederint, facultatem habent benedicendi, de consensu tamen Ordinariorum, Crucem erigendam in loco Missionis, eique adnectendi infrascriptas indulgentias:

a) *plenariam:* 1° die erectionis; 2° quotannis die anniversaria eiusdem erectionis; 3° in festis Inventionis et Exaltationis S. Crucis: lucrandam a fidelibus, qui confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint;

b) *trecentorum dierum* Christifidelibus, qui coram Cruce uti supra erecta quinquies *Pater, Ave* et *Gloria* corde saltem contriti ac devote recitaverint (*Pius X*, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 Decembris 1904, et Br. 10 Februarii 1905).

4. Omnes Christifideles, qui per tres saltem dies continuos exercitiis spiritualibus a Religiosis Ordinis datis interfuerint, *plenariam* indulgentiam consequuntur, dummodo confessi ac S. Synaxi refecti ad mentem Summi Pontificis oraverint (*Pius X*, Br. cit.).

5. Religiosi Ordinis, qui S. Missiones aut spiritualia exercitia dederint, in postrema concione Papalem Benedictionem impertiri valent, cum adnexa *plenaria* indulgentia, ab iis tantummodo Christifidelibus lucranda, qui confessi ac S. Communione refecti eamdem Benedictionem acceperint et ad mentem Summi Pontificis oraverint, dummodo tamen concionibus, dictis temporibus habitis, saltem per dimidium earum numeri adstiterint (*Pius X*, Rescr. cit.).

B) — *Indulta.*

1. Tempore missionum et spiritualium exercitiorum Religiosi Ordinis, qui facultate pollent benedicendi S. Scapularia eaque imponendi, hanc benedictionem e suggestu peragere valent, formula in numero plurali, praetermissa impositione Scapularium, quae sibi quisque fidelium imponet, necnon nominum inscriptione atque eorumdem ad respectivam Confraternitatem transmissione (*Pius X*, Rescr. S. Cong. Indulg., 14 Decembris 1904).

2. Si fines paroeciae, in qua S. Missiones locum habent, sint nimis ampli, Religiosi Ordinis, qui illas Missiones dederint, non unam tantum, sed plures Cruces erigere ac benedicere cum enunciatis indulgentiis valent, ita tamen ut unaquaeque Crux a viciniori saltem unius kilometri spatio distet (Id., ibid.).

3. Infirmi, qui concionibus tempore Missionum a Religiosis Ordinis datarum, adsistere nequeunt, plenariam indulgentiam iis concessam, qui quinque saltem conciones audierint, lucrari valent aliud pium opus a Confessario impositum peragendo (*Pius X*, Br. 10 Februarii 1905).

4. Eamdem indulgentiam acquirere possunt pueri ad S. Communionem nondum admissi, si confessi ad mentem Summi Pontificis oraverint, dummodo et ipsi quinque saltem concionibus adstiterint (Ib., ibid.).

5. Christifideles, qui commorantur procul a loco ubi Missiones habentur, confessionem et S. Communionem, quae ad lucrifaciendam praefatam indulgentiam praescriptae sunt, etiam infra spatium quindecim dierum post expletas Missiones peragere valent, dummodo caetera opera iniuncta praestiterint (Id., ibid.).

Articulus III. — *Indulgentiae quas universi Christifideles in Ecclesiis Ordinis lucrari valent.*

A. — Indulgentiae Plenariae.

Universis Christifidelibus, qui, confessi ac S. Synaxi refecti, quamlibet Ordinis Ecclesiam seu publicum oratorium visitaverint ibique ad mentem Summi Pontificis oraverint, diebus festis infrascriptis:

1. Titularis cuiuslibet ex dictis Ecclesiis vel oratoriis;
2. SS.mi Nominis Jesu (Dom. 2 post Epiph.).
3. B. Bernardi a Corleone Conf. (14 Ian.);
4. SS. Berardi et Soc. Mart. (16 Ian.);
5. B. Andreae de Tomit. Conf. (1 Febr.);
6. S. Iosephi a Leonissa Conf. (4 Febr.);
7. SS. Petri Bapt. et Soc. Mart. Iapon. (5 Febr.);
8. S. Margaritae Cortonen. Poenit. 3. Ord. (23 Febr.);
9. S. Ioannis Iosephi a Cruce Conf. (5 Mart.);
10. S. Catharinae Bononien. Virg. (9 Mart.);
11. S. Iosephi Sp. B. M. V. (19 Mart.);
12. Patrocinii eiusdem Sancti (Dom. III post Pascha);
13. S. Fidelis a Sigmaringa Mart. (24 Apr.);
14. S. Pauli a Cruce Conf. (28 Apr.);
15. S. Petri Regalati Conf. (13 Maii);
16. S. Paschalis Baylon Conf. (17 Maii);
17. S. Felicis a Cantalicio Conf. (18 Maii);
18. S. Bernardini Senen. Conf. (20 Maii);
19. B. Crispini a Viterbio Conf. (23 Maii);
20. S. Antonii Patav. Conf. (13 Iun.);
21. S. Laurentii a Brundusio Conf. (7 Iul.);
22. S. Veronicae de Iulianis Virg. (9 Iul.);
23. SS. Nicolai et Soc. Mart. Gorcom. (11 Iul.);
24. S. Bonaventurae Ep. Conf. et Eccl. Doct. (14 Iul.);
25. S. Francisci Solani Conf. (24 Iul.);
26. S. Clarae Assis. Virg. (12 Aug.);
27. S. Rochi Conf. 3. Ord. (16 Aug.);
28. S. Ludovici Ep. Conf. (19 Aug.);
29. S. Ludovici Reg. Conf. 3. Ord. (25 vel 26 Aug.);
30. S. Rosae Viterbien. Virg. 3. Ord. (4 Sept.);
31. Commemorationis Impressionis SS. Stigmatum S. P. N. Francisci (17 Sept.);
32. S. Iosephi a Cupertino (18 Sept.);
33. S. Pacifici a S. Severino (25 Sept.);

34. Seraphici S. P. N. Francisci (4 Oct.);
35. Commemorationis omnium Defunctorum O. N. (5 Oct. vel alia die infra octavam festi S. P. N. Francisci);
36. S. Mariae Franciscae a Quinque Vulneribus Virg. 3. Ord. (7 Oct.);
37. S. Seraphini a Monte Granario Conf. (12 Oct.);
38. SS. Danielis et Soc. Mart. (13 Oct.);
39. S. Petri de Alcantara Conf. (19 Oct.);
40. S. Ioannis a Capistrano Conf. (23 Oct.);
41. S. Didaci Conf. (12 Nov.);
42. S. Elisabeth Reg. Hung. Vid. 3. Ord. (19 Nov.);
43. S. Leonardi a Portu Mauritio Conf. (26 Nov.);
44. S. Iacobi Piceni Conf. (28 Nov.);
45. Omnium Sanctorum universi Ordinis Seraphici (29 Nov.);
46. Immaculatae Conceptionis B. M. V. (8 Dec.);
47. S. Iosaphat Ep. et Mart. (14 Dec.);
48. Una die ad libitum ex tribus, quibus expositio SS.mi Sacramenti locum habet in Ecclesiis Ordinis, ad instar XL Horarum, quamvis nocturno tempore interrupta;
49. Prima feria III, cuiusvis mensis, dummodo peragatur visitatio SS.mi Sacramenti pariter in Ecclesiis Ordinis expositi.

(*Clemens IX*, 2 Oct. 1669; *Innocentius XI*, 26 Aug. 1680; *Clemens XI*, 11 Oct. 1713, 27 Aug. et 15 Sept. 1714; *Benedictus XIII*, 17 Iul. et 22 Dec. 1728; *Clemens XII*, 30 Aug. 1731, 12 Dec. 1735; *Benedictus XIV*, 23 Aug. 1746, 24 Nov. 1755; *Clemens XIII*, 17 Ian. 1769; *Clemens XIV*, 6 Iul. 1773; *Pius VI*, 10 Mart. 27 Iun. et 9 Aug. 1781; *Pius VII*, 18 Ian. 1820; *Gregorius XVI*, 27 Mart. 1840; *Pius IX*, 30 Sept. 1852, 16 Ian. 1868, *Pius X*, 10 Feb. 1905).

50. Omnes Christifideles confessi ac S. Communione refecti, quoties quamcumque Ordinis ecclesiam vel publicum sacellum a primis vesperis usque ad occasum solis diei secundi Augusti devote visitaverint et inibi ad mentem Summi Pontificis oraverint, toties plenariam indulgentiam consequi valent (*Gregorius XV*, Br. 12 Octobris 1622).

B. — Indulgentiae Partiales.

Christifideles universi, qui corde saltem contriti ac devote quamcumque ex Ordinis ecclesiis visitaverint, indulgentiam *decem annorum totidemque quadragenarum* lucrari possunt sequentibus diebus festis necnon singulis diebus octavarum eorumdem festorum:

1. Immaculatae Conceptionis
2. Nativitatis
3. Annuntiationis — B. M. V.;
4. Purificationis
5. Assumptionis
6. S. P. N. Francisci;
7. S. Clarae Assisiensis;
8. Die anniversaria dedicationis uniuscuiusque ex praedictis Ecclesiis;
9. Tandem quoties tempore expositionis triduanae SS. Sacramenti ad instar XL Horarum, uti supra, Ecclesiam Ordinis visitaverint.

(*Pius X*, Br. 10 Februarii 1905).

C. — Indultum.

Omnes Christifideles visitantes aliquam ex Ecclesiis Provinciarum Italiae, in quibus a Religiosis Ordinis divina officia seu sacramenta administrantur, inibi lucrari valent omnes et singulas indulgentias, quas consequerentur, si Ecclesias Ordinis visitarent, caeteris servatis de iure servandis (*Clemens XIV*, Rescr. S. Congr. Indulg. 6 Martii 1770).

Omnes et singulae indulgentiae in praesenti Summario recensitae, excepta tamen plenaria in mortis articulo lucranda, *applicari possunt etiam animabus in igne Purgatorii degentibus* (*Pius X*, Rescr. S. Congr. Indulg. 7 Iun. 1905).

DECRETUM.

Quum Minister Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum huic S. Congregationi Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae praesens Summarium omnium Indulgentiarum, Privilegiorum et Indultorum praefato Ordini concessorum approbandum exhibuerit, et eadem S. Congregatio illud duobus ex suis Consultoribus examinandum dederit, qui, denuo perpensis documentis concessionum apostolicarum, testati sunt omnes Indulgentias, Privilegia et Indulta inibi relata esse authentica; hoc attento testimonio, S. Congregatio illud approbavit typisque mandari permisit.

Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Congregationis die 23 Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro R. P. D. Diomede Panici, Archiep. Laodic., *Secr.*
Iosephus M. Can. Coselli, *Substitutus.*

E SACRA CONGREGATIONE
SUPER NEGOTIIS ECCL. EXTR.

I.

Variae facultates conceduntur ad quinquennium pro Religiosis Ord. Fratrum Minorum in America Latina S. Ministerium exercentibus.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Procurator Generalis totius Ordinis Fratrum Minorum, se ad pedes Sanctitatis Tuae humillime provolvit, enixe implorans sequentes facultates in favorem Religiosorum, qui in regularibus ipsiusmet Ordinis Provinciis apud Americam Latinam in sacro Praedicationum et Missionum exercitiorumque spiritualium ministerio salubriter occupantur; nempe:

I. Ut in fine Missionum Crucem solemniter benedicere valeant ac erigere, [cum Indulgentia Plenaria etiam defunctis applicabili in gratiam fidelium, qui coram ipsa Cruce in die erectionis, in Anniversario aut Dominica proxime insequenti, insuper in Festis Inventionis et Exaltationis eiusdem Sanctae Crucis vel Dominica respective insequenti, iuxta consuetas intentiones oraverint, et Ecclesiam Parochialem loci, ubi Crux erecta est, devote visitaverint; ac denique cum Indulgentia partiali tercentorum

dierum in eorumdem fidelium favore, qui ante praefatam Crucem septies Salutationem Angelicam, vel in honorem Vulnerum Domini quinquies Orationem Dominicam et salutationem Angelicam pie recitaverint, pro defunctis item applicabili.

II. Ut fideles, qui ter saltem Concionibus Missionum ab iisdem religiosis habendarum interfuerint, et vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti parochialem loci Ecclesiam, ubi Missio habita est, devote visitaverint, ibique iuxta consuetas intentiones oraverint, Plenariam Indulgentiam pro defunctis pariter valituram assequi possint; quam quidem extraneis, etiamsi alibi, idest extra Paroeciam in qua Missio habetur, Sacramentalem Confessionem et Communionem peragant, intra quindecim dies post expletam Missionem liceat promereri.

III. Ut iidem Sacerdotes Ordinis Minorum tam publice quam privatim benedicere Cruces et Coronas ac Numismata caeteraque piae devotionis obiecta, eisque Apostolicas aliasque de more Indulgentias applicare valeant.

IV. Ut laudati Religiosi Benedictionem Apostolicam in fine Concionum possint Fideli populo impertire, eamque sibi dum impertiunt lucrari.

V. Ut denique ipsi Fratres, benedicere etiam sub unica formula quatuor Scapularia necnon caetera possint ac fidelibus imponere, eosque in respectivam Confraternitatem aggregare, quin eorum nomina in Regesto describantur: facta insuper iisdem fidelibus potestate, Scapularia sibi imponendi, dum Sacerdos consuetas preces persolvit; idque magni concursus tempore, uti Exercitiorum ac Missionum necnon functionum praecipuarumque anni solemnitatum, quum in hisce casibus absolute impossibile sit, sive ob deficientiam Sacerdotum tunc audiendis confessionibus laboribusque aliis intentorum, sive ob reliquas passim occurrentes difficultates, et iteratis fidelium votis occurrere, atque iniunctas simul formalitates implere.

Has porro facultates humillimus Orator eo fidentius a Sanctitate Tua se assecuturum confidit, quod et illis iam alii Ordines seu Congregationes Regulares ornentur, ac per eas abundantiorem inter fideles populos fructum e sacro praesertim divini verbi ministerio per Fratres Minores exercendo spes fulgeat obtinere.

Et Deus, etc.

Ex Aud. SS.mi. Die 23 Maii 1905.

SS.mus D.nus Noster Pius, divina Providentia Papa X, referente me infrascripto S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis extraordinariis praepositae Subsecretario, praedictas Indulgentias et facultates benigne concedere dignatus est ad quinquennium proximum. Contrariis quibuscumque minime obfuturis.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis, die mense et anno praedictis.

L. ✠ S.

Ioseph Aversa, *Subsecr.*

II.

Indulgentiae ac privilegia conceduntur Societati Immaculatae Conceptionis a S. Numismate.

Beatissime Pater,

Archiepiscopus et Episcopi Poloniae enixe rogant Sanctitatem Tuam, ut Societati Immaculatae Conceptionis a Sacro Numismate easdem Indulgentias atque eadem privilegia velit concedere, quibus gaudet Societas a Scapulari Immaculatae Conceptionis B. M. Virginis.

Ex Audientia SS.mi die 3 Iunii a. 1905.

Beatissimus Pater preces, quae supra exhibentur, benigne excipiens, petitam gratiam impertire dignatus est, ea tamen lege, ut qui in Societatem Immaculatae Conceptionis a Sacro Numismate cooptantur, eorum nomina in Catalogo inscribantur.

Datum e Secretaria Status, die, mense et anno supradictis.

R. Card. MERRY DEL VAL.

E COMMISSIONE PONTIFICIA
PRO STUDIIS S. SCRIPTURAE PROVEHENDIS

De narrationibus specietenus tantum historicis in S. Scripturae libris qui pro historicis habentur.

Proposito sequenti dubio Consilium Pontificium pro studiis de re biblica provehendis respondendum censuit prout sequitur:

DUBIUM.

« Utrum admitti possit tamquam principium rectae exe- « geseos sententia quae tenet S. Scripturae Libros, qui pro « historicis habentur, sive totaliter, sive ex parte non histo- « riam proprie dictam et obiective veram quandoque nar- « rare sed speciem tantum historiae prae se ferre ad aliquid « significandum a proprie litterali seu historica verborum « significatione alienum? »

Resp.: « *Negative*, excepto tamen casu, non facile nec « temere admittendo, in quo, Ecclesiae sensu non refragante, « eiusque salvo iudicio, solidis argumentis probetur Hagio- « graphum voluisse non veram et proprie dictam historiam « tradere, sed, sub specie et forma historiae, parabolam, « allegoriam, vel sensum aliquem a proprie litterali seu « historica verborum significatione remotum proponere ».

Die autem 23 Iunii a. c., in Audientia ambobus R.mis Consultoribus ab Actis, benigne concessa, Sanctissimus praedictum Responsum ratum habuit ac publici iuris fieri mandavit.

Fr. David Fleming, O. M., *Consultor ab Actis.*

E VICARIATU URBIS

I.

Providetur circa tumulationem ecclesiasticorum, in loco ipsis exclusive reservato, intra commune coemeterium Urbis.

Ai Reverendi Parroci e Cappellani degli Ospedali di Roma,

Per commissione dell'E.mo Sig. Card. Vicario, il sottoscritto si pregia significare alle SS. VV. RR. che, a fine

di meglio provvedere al decoro del clero di questa città, si è ottenuto dalla competente autorità municipale che le salme degli ecclesiastici, i quali saranno per morire in Roma senza avere tomba propria, vengano tumulate non più nel campo comune, ma bensì in una zona particolare del cemetero, riservata esclusivamente agli ecclesiastici e a tale preciso scopo già concessa.

Perchè poi tale provvedimento abbia effetto, questa Segreteria tiene a disposizione delle SS. VV. RR. apposito modulo da servire all'uopo e fin d'ora, unitamente alla presente, ne invia alcune copie.

Le SS. VV. RR. debbono attenersi esattamente a quanto è indicato in calce al modulo suddetto.

Delle SS. VV. RR. con distinta stima

Dalla Segreteria del Vicariato, li 30 giugno 1904.

Dev.mo Servo PIETRO Can. CHECCHI, *Segretario.*

Ai Reverendi Parroci e Cappellani degli Ospedali di Roma.

Si sono dovuti lamentare degli inconvenienti circa la tumulazione delle salme degli ecclesiastici, i quali, per non avere tomba propria, devono seppellirsi nel reparto del Verano destinato ai medesimi. Ad ottenere che per l'avvenire ciò non si ripeta, il sottoscritto Segretario del Vicariato si rivolge alle SS. VV. RR. perchè vogliano attenersi con la maggiore esattezza alle norme date da questo Ufficio con sua circolare del 30 giugno 1904, osservando cioè quanto è prescritto in calce al modulo da fissarsi sopra il feretro. Tali moduli si distribuiscono nella Segreteria del Vicariato, e le Parrocchie nonchè i Cappellani degli Ospedali devono averne sempre a disposizione. — Il sottoscritto si augura che, con l'accurata applicazione di tali norme, verrà d'ora innanzi eliminato ogni inconveniente offensivo del decoro e della pietà con la quale deve essere accompagnata la tumulazione dei fedeli defunti, in ispecie poi di coloro che appartennero al Clero.

Con ossequio e stima

Dalla Segreteria del Vicariato, 15 marzo 1905.

Delle SS. VV. RR. Dev.mo Servo
FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

N.	N. ....
Si partecipa alla Segreteria del Vicariato di Roma, che oggi il sottoscritto ha disposto per il seppellimento, nel riparto riservato agli Ecclesiastici, della Salma del (a)	✝ *Cadavere del* (a) .... pel **riparto cemeteriale riservato** *Roma, li* *190*
Roma, li 190	Il ....
Il	L. S.
L. S.	(a) *Si deve scrivere se è Sacerdote, Diacono o Suddiacono e far seguire il Nome e Cognome del defunto.*
N. B. Il presente, firmato e timbrato, deve essere inviato alla Segreteria del Vicariato, piazza di S. Agostino 7.	N.B. Il presente firmato dal Parroco o dal Cappellano e timbrato, deve essere fissato sopra la cassa del defunto.

II.

NOTIFICAZIONE.

Nullus sacerdos sive saecularis sive regularis praedicare poterit in Ecclesiis Urbis absque speciali licentia prius obtinenda.

Pietro del Tit. de' SS. Quattro Coronati della S. R. C. Prete Cardinale Respighi, della Santità di N. S. Vicario Generale, della Romana Curia e suo Distretto Giudice Ordinario, etc.

In ossequio alle disposizioni contenute nella Lettera della S. C. dei VV. RR. del 31 luglio 1894 (1), il Vicariato di Roma, con notificazione del 24 settembre 1894(2), approvata dal S. Padre, pubblicò alcune norme per regolare la predicazione nelle chiese e negli oratorî di Roma.

Per espresso volere di Sua Santità, richiamiamo in vigore le norme anzidette, con qualche modificazione, praticamente riconosciuta necessaria, ordinando quanto segue:

I. Nessun sacerdote residente in Roma, o secolare o regolare, potrà predicare nella Diocesi Romana, sia in chiese, sia in oratorî, senza esserne autorizzato, mediante pagella da ritirarsi presso gli uffici della Segreteria del Vicariato.

II. Questa autorizzazione verrà concessa in via ordinaria appresso esame, ed in via eccezionale per titoli debitamente riconosciuti.

III. Volendosi invitare per la predicazione qualche sacerdote di altra diocesi, dovrà chiedersi almeno un mese prima la necessaria licenza, che non sarà concessa senza la presentazione del permesso, in iscritto, dell'Ordinario di lui, ed insieme dell'attestato di essere egli approvato per la predicazione nella propria Diocesi. Se il sacerdote è regolare, dovrà presentare la testimoniale d'idoneità insieme con l'assenso del proprio Superiore.

IV. Gli esami, da sostenersi in questo Vicariato con esaminatori da noi specialmente deputati, avranno principio col prossimo novembre, nei giorni che verranno designati con apposita Tabella affissa negli uffici del Vicariato medesimo.

V. A cominciare dal prossimo ottobre, si presentino le domande di ammissione all'esame, ovvero i documenti dei titoli pei quali se ne desidera la dispensa.

VI. Perchè tutti abbiano tempo di uniformarsi a queste disposizioni, esse andranno solamente in vigore il 1° gennaio 1906. Da quel giorno i Rettori o Superiori di chiese o di oratorî, che permetteranno di predicare a chi non è fornito d'autorizzazione in iscritto, incorreranno *ipso facto* la sospensione *a divinis* per otto giorni. Per le Case religiose femminili, viene onerata la coscienza delle rispettive Superiore.

VII. La presente notificazione dovrà tenersi affissa nelle Sacrestie, perchè nessuno possa allegarne ignoranza.

Dal Vicariato, il 10 agosto 1905.

P. CARD. VICARIO.

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. II, p. 381.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. II, p. 492.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XXVI. **Die 21 Maii 1678.**

Dubia super collocutione Regularium cum Monialibus. — R. *Affirmative ad utrumque.*

Romana. — Distributionum. — R. *In decisis sub die 30 Aprilis 1678.*

Neapolitana. — Missarum. — R. *In decisis.*

Minerbinen. seu Canusina. — Iurisdictionis. — R. *Ad iudices suos.*

Dubia de Sacramento Poenitentiae. — R. *Negative ad utrumque.*

Placentina. — Dispensationis. — R. *Ad primum negative; ad secundum posse concedi, servata forma decreti lati per Sacram Congregationem, confirmati per sa. mem. Clementis X.*

Romana. — Nullitatis votorum. — R. *Negative.*

Constantien. — Confirmationis Privilegiorum. — R. *Exhibeant privilegia.*

83. **Dubia super collocutione Regularium cum Monialibus.**

Edita vix lege, statim illam eludere malitia excogitat. Non ita pridem emanavit generale decretum arctissime prohibens colloquia Regularium cum Monialibus, quando iam super eo variae interpretationes configi coeperunt. Aliaeque nunc Bergomi suboriuntur pro quarum resolutione supplicant Confessarii Monialium quaerendo:

1° An Regularibus missis ad crates Monialium pro munere praedicationis obeundo, prohibitum sit sub mortali censuris et poenis et immediate post, cum ipsis Monialibus absque expressa licentia ad colloquendum immiscere sermones super dubiis vel quaestionibus spiritualibus aut materiis ipsius concionis;

2° An talis prohibitio intelligatur tam de collocutione cum aliquibus Monialibus privatim, quam cum una tantum, omnibus tamen aliis audientibus, immediate post concionem.

R. *Affirmative ad utrumque.*

84. **Neapolitana. — Missarum.**

Anno 1602, Carmelitae concesserunt quondam Vincentio de Laurentio, situm pro Capella, et conventione inita se adstrinxerunt ad celebrationem missarum viginti per singulos menses. Et versa vice Vincentius se obligavit ad solvendum qualsivoglia anno (sunt verba contractus), in infinitum et in perpetuum annui ducati venticinque, tari tre e grana cinque.

Anno 1654, haeres Vincentii ad se redimendum a dicta annua praestatione, praevia licentia P. Generalis, persolvit pro una vice tantum ducatos tercentos sexaginta sex fratribus pro extinctione annuorum ducatorum 33 super domo ad eosdem fratres pertinente, quorum creditor erat Conventus, qui d. del Carmine qui ad favorem ipsius haeredis cessit sua iura super dicta domo pro p.ta summa ducatorum 33 et domus ipsa subrogata fuit d. oneri missarum.

Occasione facultatis generalis ad annum duraturae sub 20 Iulii 1665, ab ista Sacra Congregatione concessa P. Generali moderandi onera missarum praed. onus redactum fuit ad annuas 92, eo quia attributa fuit facultas moderandi ad rationem ducatoram 60 in singulis missis quotidianis, et tempore moderationis ex d. domo subrogata non percipiebantur nisi ducati 15 ut resp. prior conventus. Contra haeres documenta exhibuit ex locatione d. subrogatae domus percipi annuos ducatos 48. Et occasione d. subrogationis fratres expresse renovarunt obligationem ferendi integre d. onus.

Posset contra oratorem considerari, quod ipse debeat iugiter continuare annuam praestationem ducatorum 25, tar. trium et gran. 5, et non se ab ea redimere solvendo pro una vice t.m ducatos 366... Sed bona fides ei suffragari forsan posset cum exhibita per fratres fuerit licentia, quae quidem sufficiens non erat P. Generalis pro huiusmodi redemptione facienda. Sed cum ad meliorem conditionem assignatae eleemosynae pro missis id actum fuerit, nam ducati 25 ad ducatos 33 aucti fuerint, pro quibus obtinuit cessionem iurium a Conventu Carminis.

His per summarium relatis 2ª Octobris 1677, ad instantiam haeredis et audita relatione Archiepiscopi, qui Priorem extraiudicialiter audiverat, S. Congregatio censuit reductionem non substineri. Circa quam resolutionem modo regulares considerandum proponunt quod Grippus haeres non exposuit in contractu fuisse praeservatum consensum Generalis, de quo adhibito non constat, item quod assignatio non fuit facta t.m pro missis, sed etiam pro situ Capellae et iure sepeliendi, et necessarii ad celebrationem, et manutentionem Capellae.

Praeterea quod affrancatio fieri non poterat absque beneplacito apostolico, quodque P. Generalis ex post dedit licentiam erogandi pecuniam in extinctionem debiti. Et domus subrogata non gravanda ultra id quod importat capitale, scutor. 366. Ideoque stante insubsistentia oneris et quod facultas reducendi concessa ab Alexandro VII s. m. extendebatur etiam ad onera ex contractu, instant regulares recedi a decisis. Unde monitis partibus ad informandum quaeritur:

An sit standum vel recedendum a decisis.

R. *In decisis.*

85. **Dubia de Sacramento Poenitentiae.**

Quaeritur:

1° An Regularis in una Dioecesi approbatus possit in alia, in qua approbatus non est, audire confessiones habentium Bullam Cruciatae;

2° An Regularis approbatus ab Ordinario loci ,et postea suspensus ab audiendis confessionibus, posset durante suspensione audire confessiones pariter habentium Bullam Cruciatae.

R. *Negative ad utrumque.*

86. **Placentina. — Dispensationis.**

Iam alias declaratum fuit canonicos regulares Lateranen. posse obtinere beneficia saecularia dummodo S. Sedis indultum accedat. Canonicus dictus Ordinis, cum quo super irregularitate ex homicidio perpetrato in speculo per S. Poenitentiariam primo dispensatum fuit cum restrictiva, quod remaneret inhabilis ad beneficia, officia et dignitates d. Ordinis et ad cuius favorem dispensatio ampliata fuit haec verba: Cum autem lator d. beneficia officia sui Ordinis consequi desideret etc Nos. auctoritate Apostolica per quaecumque beneficia officia et dignitates, praeter generalatum, si ad id canonice et iuxta S. Ordinis instituta assumatur obtinere valeat etc. — per libellum a SS.mo remissum supplicat responderi:

1° An pro beneficiis saecularibus p.ta dispensatio suffragetur quoad irregularitatem dummodo pro regularitate obtineret indultum. Et quatenus negative;

2° An concedenda ampliatio.

R. *Ad primum negative; ad secundum posse concedi, servata forma decreti lati per Sram Congregationem, confirmati per sa. me. Clementis X.*

ANALECTA VARIA

FUNDAMENTA AEQUIPROBABILISMI prout probabilismo opponitur.

(Sequitur. Vide p. 311 sq.)

PARS II.

Discusssio critica.

Ostendendum superest interpretationem, quam aequiprobabilistae hodie superstites primae S. Alphonsi regulae rationique annexae adhibent, a mente S. Doctoris fuisse prorsus alienam. Id autem haud aegre conficitur.

I.

Argumentum ex tertia systematis Alphonsiani regula.

In dissertatione de morali systemate, quam in ultimis suae Theologiae editionibus cum plena satisfactione sua divulgavit, postquam primam et secundam regulam (Dico I... Dico II...) enuntiavit brevique annexa ratione probavit, transit ad tertiam proponendam, quae est de dubio stricto positivo ex probabilitate certe solida utrinque aeque subsistente. Qua expressa et brevi ratiocinio confirmata, praecipuas huius ratiocinii praemissas singillatim evolvit et multis intrinsecis rationibus et multorum Sancto Thomae assentientium auctoritate satagit undequaque communire; eas etiam adversus Patutium rigoristam, aliosve, solutis difficultatibus, validissime propugnat.

Porro inter has praemissas, generaliora principia sunt, ibi (1) a S. Doctore vindicata: 1°, legem praecise quatenus obligationem moralem imponit, debere promulgari et promulgari ut certam, id est ita ut non tantum promulgatio sit certa, sed etiam ut obligatio, quae promulgatur, promulgetur uti certa; 2° legem aeternam (1) respectu ho-

(1) S. Alphonsus ab initio suae evolutae probationis assumit verba S. Thomae, 1. 2, q. 90, a. 1, quibus Angelicus probat legem debere esse certam ex *medio termino* quod *ipsa obligare* debeat, ut mensura actuum. Tota ratio igitur cur hic probetur necessitas huius certitudinis, legi ideo convenit quia obligationem inducit, ideoque ex nota communi eiusdem, non ex nota specifica qua a *praecepto* superioris distinguitur. Cf. etiam S. Th., de verit. q. 17, a. 3, a S. Alph. citatum in II corollario. « Lex, scribit Alphonsus ibidem, ut obliget, non tantum promulganda est, sed etiam promulganda uti certa. Et hoc punctum firmiter est hic statuendum.... ». Ubi aperte significatur non sufficere ad *obligationem*, promulgationem *subiective certam*, sed etiam ipsam obligationem promulgatione uti *obiective certam* notificandam esse. Apertius adhuc in solutione II et III obiectionis Patutii, in corollario II. Textus patentes sunt nec possunt hic omnes recitari.

Moneo me prae manibus habere et citare editionem Remondinianam decimam quartam, Bassaui editam anno 1836, quae in dissertatione de systemate conformis est ultimis editionibus a S. Doctore adhuc vivente vulgatis.

(1) Sunt ipsa verba S. Alphonsi in *corollario primo*. — Cf. insuper in corollario sive § II evolutionem et propugnationem *eiusdem principii generalis* contra II Patutii obiectionem ibi relatam: « legis aeternae possessionem, nostrae libertatis possessionem antecedere, etc. ». — In tota ista S. Doctoris disceptatione, distingue accurate *principium generale* a S. Alphonso in sua *generalitate* propugnatum et applicationem eiusdem ad tertiam Alphonsi regulam quam impugnabat Patutius, Alphonsus autem hic ex professo solam vult defendere, ideoque pro ea sola *particulariter* concludit ex praemissa maiori generali.

P. Cathrein instauraverat argumentum ex S. Thoma desumptum a S. Alphonso, et communiter ab omnibus, ex ratione *regulae* et *mensurae*, paucis quidem verbis sed iis quae revocabant in memoriam vim argumenti ab utroque illo sancto Doctore evoluti. Hisce duo respondet P. W., pag. 91 : 1um, regulam *proximam*, conscientiam scilicet debere esse certam; posse autem esse certam, quin regula *remota*, lex nempe sit certa, sed etiam si haec sit ambigua. — 2um, « difficultatem hanc a P. Cathrein motam esse vagam atque ambiguam, neque, ubi subtiliter disputatur, tropicam qua usus est dicendi rationem commendandam videri ». — Atvero tropus iste non fuit a P. Cathrein sed a S. Thoma inventus atque adhibitus in praesenti materia, atque a S. Alphonso in ultima sua dissertatione plene approbatus.

Falsum deinde est quod ad efformandam conscientiam, ultimo practicum nempe iudicium *certum*, probabilistis sufficiat « iudicium remote-practicum *vere etsi minus probabile* »; nam in casibus dubiis, requirunt insuper iudicium *certum* de incertitudine legis et principium reflexum certissimum, *legem incertam vel dubiam non inducere obligationem*. Pro ipsis, iudicium ultimo practicum, iudicium de incertitudine legis, debent esse singula certa saltem moraliter, ut centies explicatum est. Incertitudinem illam legis haberi dicunt quoties certo iudicatur rationem vere probabilem adhuc contra eam militare in quocumque gradu.

Porro distinctio adhibita a P. W. nihil iuvat, quia iudicium ultimo practicum efformari nequit tamquam regula actionis nisi

minum non esse propriam legem; propriam legem quoad ipsos esse legem naturalem, quae licet sit participatio legis aeternae, ipsa tamen est quae proprie homines ligat, cum rationis lumine hominibus applicetur: saltem legem aeternam quamvis in se habuerit vim obligandi in actu primo, attamen non fuisse legem obligantem actualiter et in actu secundo, donec fuerit proposita et per cognitionem creaturis applicata. — 3° Certitudinem illam huic moralis obligationis legis cognitioni sive applicationi necessariam *debere* non tantummodo *de ipsa obligationis existentia non deficere* ut in casu dubii positivi de ea, ex utrinque iudicata eius probabilitate, sed *firmitate sua* superare *opinionem* de eius non existentia.

Hoc ultimum immediate sequitur ex iis, quae S. Doctor in ea dissertatione respondet primae Patutii obiectioni: " Sed nunc accedamus ad obiectiones P. Patutii discutiendas, quibus huius nostri principii (*Lex dubia non obligat*, qui titulus est totius corollarii a S. D. evoluti) certitudo clarius innotescit: P. Lector obiicit I contra hoc principium: ad reddendam legem sat promulgatam satis esse notitiam tantum probabilem, quae ex opinione probabili stante pro lege iam habetur. — Huic obiectioni dico primo: verbum, *notitia* iuxta omnia vocabularia, idem esse ac *cognitio*. Cognitio autem legis et opinio probabilis legis omnino differunt. Praeterea respondeo quod si admitti vellet sub hoc verbo *notitiae* intelligi notitiam probabilem, ad summum id SOLUMMODO ADMITTI POTEST casu quo notitia adesset PROBABILIS TANTUM pro lege, tunc enim legi quaedam MORALIS CERTITUDO assisteret; sed cum adest ex alia parte opinio aeque probabilis pro libertate, tunc ex neutra parte aliqua potest superesse probabilitas seu probabilis ratio apta ad prudentem hominis assensum sibi trahendum: nam ex his aequalibus probabilitatibus aliud quam merum dubium non resultat, an existat vel non existat lex ". Atque appellat ad S. Thomam, recitata eius definitione, *de verit. q. 14, a. 1.* — Eadem strictius adhuc urgentur in § II, sive corollario II ubi agit S. A. de vi legis incertae.

Porro ex isto loco S. Alphonsi, evidenter apparet ipsum non aestimare *opinionem* prout a *certitudine* contradistinguitur, sufficere ad constituendam illam *notitiam* quae necessario ingeri debet promulgatione ut ipsa sit sufficiens ad obligationem gignendam. Certitudo autem ab opinione distinguitur per absentiam formidinis prudentis de opposito, quae opinationem omnis rei concomitatur: idque in praesenti etiam supponit Alphonsus ubi dicit: *praeterea respondeo*, etc. Iuxta ipsum itaque quousque superest haec prudens formido oppositi, lex vel obligatio moralis non resultat, quippe quae notificata sufficienter non est. Equidem ipse conclusionem ex istis praemissis heic non affert nisi de casu non opinionis quidem, sed dubitationis, seu iudicii positive dubii i. e. suspensi de *ipsa legis existentia*, propter certum emissum iudicium de *probabilitate* subsistente tum eius existentiae tum eius non existentiae. Sed cur ita restringit suam conclusionem? Ratio est obvia quia in tota hac parte suae dissertationis, intendit *solum tertiam* suam ab initio enuntiatam regulam probare atque adversus Patutium vindicare. Hoc tamen non impedit quominus in maiori sui syllogismi praesentis principium conclusione hac *particulari generalius* enuntiaverit et propugnaverit, tamquam certissimum ab omnibus admissum, inter quos recenset ipsos rigoristas, Cuniliati, Lorichi atque alios; et quidem admissum et propugnatum in ipsa sua *generalitate*, quae principio convent ratione mediorum terminorum generalium, qui et ab Alphonso atque ab illis aliis adhibentur ad ipsum constituendum. Unde quicumque hoc principium eo modo probat et propugnat de *lege*, eo ipso idem praedicatum agnoscit atque expresse profitetur necessitate inevitabili convenire cuicumque *obligationi morali*.

His praemissis, redeamus ad interpretationem quam primae S. Alphonsi regulae rationique eius tradunt egregii adversarii nostri: haec interpretatio, uti vidimus, supponit obligationem in divino legis aeternae imperio contentam nobis resultare etiamsi *opinati* tantum fuerimus eam in lege aeterna contineri quando et eo solo quod excessu probabilitatis certe iudicato innixi id opinati sumus, ***sive subsistat sive non subsistat probabilitas de opposito certe iudicata.*** Haec autem est flagrans contradictio cum supra relata S. Alphonsi doctrina in eadem eius dissertatione, atque omnium aliorum gravissimorum, quos sibi suffragantes adducit. Equidem pro me, conscientia mea nunquam me incusavit de tanta iniuria, bono et recto sensui S. Doctoris illata. Ecce quo desinit magnus ille zelus superstitum illorum aequiprobabilistarum.

II.

Argumentum desumptum ex secunda systematis Alphonsiani regula.

Ulterius progrediamur. S. Alphonsus, enuntiata prima, subnectit secundam regulam: " Dico II quod si opinio, quae stat pro libertate, est tantum probabilis vel aeque probabilis ac altera, quae stat pro lege, nec etiam ipsam quis sequi potest eo quod sit probabilis: nam ad licite operandum sola non sufficit probabilitas, sed requiritur moralis certitudo de honestate actionis, iuxta illud Pauli ad Rom. 14, 23..... Propterea falsum reputandum est effatum illud commune inter probabilistas... *qui probabiliter agit, prudenter agit* ".

praecesserit iudicium moraliter certum de existentia vel non existentia *imperii* divini ex quo solo resultat obligatio, quod imperium ita notum tamquam obiective et moraliter certum, est lex. Ideo lex est *mensura remota*, sine cuius cognitione nequidem efformari potest regula proxima. Id autem est adeo verum ut in casu conscientiae invincibiliter erroneae ideo habetur vel peccatum *contra conscientiam*, vel honestas *formalis* tantum et non etiam materialis, quia ex errato iudicio de legis existentia vel non existentia, quis erravit in informanda sibi conscientia.

Porro hic non mere reiicitur *ratio probandi* libertatem in casu de quo est tertia regula ab Alphonso nondum enuntiata; secus enim non erat hic locus huiusmodi reiiciendae rationis, sed melius infra vel post enuntiatam tertiam regulam, vel intra difficultates, vel in aliquo scholio: sed omnino enuntiatur principium *generale: ad licite operandum sola non sufficit probabilitas sed requiritur certitudo moralis de honestate actionis;* scilicet, in probabilitate ut sic honestatis actionis prout contradistinguitur a morali eiusdem certitudine, frustra quaeritur ratio adaequata liceitatis actus: requiritur quippe huius liceitatis certitudo saltem moralis, quae nempe, uti paulo ante ab ipso Alphonso audivimus, habeatur ex probabilitate certo iudicata *unica*, quin supersit obiectiva probabilitas ex parte opposita, certe iudicata, atque inde certe deficiat formido prudens in assensu *rei* secundum eius probabilitatem *unicam* praestito. Ecce igitur in hoc principio generalissimo maior sui praesentis ratiocinii constituitur ab Alphonso. In minori applicatur hoc principium casui probabilitatis subsistentis pro libertate, vel aequalis probabilitatis. Et concluditur reiecto illo axiomate in fine recitato, probabilitatem ut sic non posse invocari tamquam *rationem adaequatam* (1) *certae* liceitatis actus.

Iam age: principium illud generale est analyticum atque ut analyticum affertur ab Alphonso: quamvis enim ipse ad fontem revelationis recurrat, id solummodo facit ut ex Apostolo ostendat liceitatem actus exigere certitudinem saltem moralem in ultimo dictamine conscientiae. Sed assumit deinde ut evidens, probabilitatem non parere certitudinem ex supposita utriusque comparatione, ideoque ex discrimine quod intercedit inter statum mentis assentientis rei absque erroris formidine et statum mentis assentientis rei propter rationes probabiles cum formidine erroris; nam absentia vel praesentia huius formidinis de opposito est praecise discrimen, quod ipse in loco superius a me ex eius dissertatione excerpto, profitetur intercedere inter certitudinem moralem et opinionem probabilem; ubi etiam aperte profitetur ideo probabilitatem iuxta quam rem esse opinor, posse pro certitudine morali computari quia est *unica*, neque *obiective supersunt rationes probabiles oppositi: " Praetera respondeo....,* " (in textu supra citato).

Tu nunc, aequiprobabilista, tibi fingis S. Doctorem Alphonsum, qui hoc principium in secunda sua regula adeo aperte producit, idipsum violasse, octo ante lineas, quando *rationem* dedit primae suae regulae: nam tu in huius rationis interpretatione, quam contendis esse S. Alphonsi, formidinem hanc eamdem ex solida oppositi probabilitate ortam, ideo solum contemnis quia certo indicasti *probabilitatem* opinionis tuae illam excedere: plus enim et minus non mutant speciem: in tua nempe interpretatione, sive excedat oppositam, sive non, semper est *probabilitas*, quia dicis excessum *probabilitatis ut sic*, non quia est ipsa veritas de re, sed quia est *maior accessus* ad veritatem de re, nos obligare. Igitur pro te *ratio decisiva* obligationis in casu, est probabilitas ut sic: dum pro S. Alphonso, ratio decisiva obligationis nunquam potest esse probabilitas ut sic.

Neque urgere potes hunc excessum *probabilitatis ut sic* tanti valere ad obligandum, praecise ideo in tua sententia, quia *certe* iudicatur adesse. Id, inquam, ne urgeas: nam haec certitudo formidine oppositi caret in assertione quidem huius probabilitatis excessus, non vero in assensu *rei ipsi* praestito: hic enim est semper *opinio* pro te, in probabilitatis excessu ideoque in probabilitate ut sic fundata. Porro iterum, S. Alphonsus profitetur rationem decisivam obligationis nunquam posse esse probabilitatem ut sic. Conclusio itaque recte fluit quod scilicet valde melius fecisses si interpretationem tuam tibi servavisses, nec S. Doctori per fas et nefas attribuere voluisses.

Mihi tamen obiicies S. Alphonsum aperte significasse, adhibita in secunda regula, negatione NEC ETIAM, se admisisse in paulo ante enuntiata prima, probabilitatem ut sic, quae certe iudicatur excedere pro lege, tamquam *rationem decisivam* obligationis: nam negatio *nec* cum coniunctione *etiam* subauditam supponit praecedentem assertionem eiusdem rei in alio casu, quae in praesenti negatur; perinde ac si dixisset Alphonsus: quamvis in prima regula admiserim probabilitatem ut sic esse rationem decisivam obligationis, *non* potes tamen sustinere *etiam* in praesenti secundae regulae casu etc.

Respondeo: memineris me non ipsam regulam primam diffiteri esse veram, rationemve ab Alphonso ei annexam, sed me interpretationi tuae repugnare. Utique concedo S. Doctorem in prima regula eiusque ratione, *probabilitatis* excessui certe iudicato tribuere vim obligandi, sed cur? Quia ita certe iudicatus *signum* est a posteriori *evanuisse* rationem certe probabilem ex parte opposita; ideoque et *prudentem errandi* in assentiendo legi ipsi *formidinem;* quo in casu, non *evidentiae* veritatis clare inventae, sed *probabilitati* certe ad veritatem accedenti, me uti obligatum subiicio: idipsum quod dixit S. Alphonsus: " ubi *veritas clare* inveniri nequit (ideoque assensus evidentia, formidine expulsa, non necessitatur) tenemur amplecti saltem opinionem, quae propius (ita propius ut formidinem ex opposita certe iudicata probabilitate ortam excludat) ad veritatem accedit, qualis est opinio (certe) probabilis ". — Iamvero in isto casu, non est probabilitas *ut sic*, nec certitudo, qua eam *ut sic* excedere iudico, quae est *ratio decisiva obligationis;* sed *probabilitas* tantum i. e. non evidentia, valet ad obligandum, quia signum habui experimentale causam formidinis ex parte adversa sufficienter evanuisse.

(1) Cf. Crisis pag. 173 sq. et S. Alph. th. mor. in ultima dissert. de syst. in resp. ad obiect. V; *Quapropter iuste censendum.*

Hac porro data interpretatione, bene poterat Alphonsus dicere statim post primam regulam: quamvis in prima regula admiserim probabilitatem in oppositione ad evidentiam quandoque me obligare, tamen *non* potes sustinere eamdem *etiam* in praesenti secundae regulae casu me liberare ex se sola: nam principium generale est: liceitatem actus debere esse moraliter certam. At, dum in prima regula, probabilitas illa certitudini morali aequivalet quia certitudo eius excessus signum mihi est PEREMPTAE CAUSAE PRUDENTIS FORMIDINIS DE OPPOSITO, in secundo casu, praesenti, ipsa certitudini morali non aequivalet, quia causa prudentis huius formidinis perempta non est. Ergo falsum est illud veterum axioma quo in probabilitate *ut sic* ratio *decisiva* ponatur honestatis actus; sed recurrendum est ad aliud principium reflexum quod nunc probabo certissimum. Id autem facit in tertiae regulae demonstratione.

Si haec itaque est vera mens S. Doctoris, ipse sibi in tota dissertatione cohaeret. Secus, si primae eius regulae interpretationem P. W. et sociorum adhibueris, in prima regula ipse implicite deseruit principia generalia quae in secunda et in tertia comprobanda profitetur uti generalia.

Tota Alphonsiani systematis structura.

Totum idcirco Alphonsi systema in citata dissertatione evolutum est sequens: honestas actus debet certitudine morali iudicari certa.

Probabilitas ut sic nunquam ex se tanti valet ut certitudinem hanc moralem pariat, sed saltem requiritur ut sit unica, exclusa formidine prudenti probabilitatis oppositae.

Omnem itaque casum in quo evidentia obligationis non affulget, sed hinc inde probabilitas eius tantum, relate ad efformandum practicum iudicium de eius existentia, quod debet esse moraliter certum, divido in duas classes: vel probabilitas *excedere certe iudicatur* pro obligatione, *vel non:* si primum, obligor, quia certitudo haec signum experimentale est deficientis reapse solidae probabilitatis oppositae; si *non certe iudicatur* excedere, iam non possum iudicare cum certitudine morali obligationem existere et relate *ad hoc iudicium* mentem suspendere debeo: obligatio autem dubia non obligat: ergo certissime non obligor.

Ita nempe intellecta tota dissertationis structura salvat Alphonsum a divisione vitiosa quia non adaequata: plenissime enim reducit omnem casum possibilem in materia dubii positivi in oppositionem ad certitudinem legis vel libertatis evidentem, ad duos casus contradictorie oppositos: *vel sum certus, vel non, de excessu* probabilitatis pro lege. Si primum, obligor, si alterum, non obligor; quia *in statu rerum huius alterius hypothesis,* obligatio promulgatur non certa sed positive dubia.

Ratio autem consequentiae in eo est, quod certitudo haec excessus probabilitatis signum est experimentale rationis decisivae obligationis vel non in casu: quae ratio decisiva est obiectiva solida probabilitas oppositi indeque fundata oppositi formido quacum probabilitas excedens pro obligatione non potest aequivalere certitudini morali pro eadem obligatione.

Eo modo, verba III regulae *aeque probabilibus* ita intelliguntur ut aequalitas praedicetur non tam de gradu positivo, quam de ipsa solida probabilitate, in oppositione exclusiva excessus eius certe iudicati: gradus enim iste maior vel minor dummodo non sit certe iudicatus, non mutat solidam probabilitatem utrinque certe agnitam, potestque ideo negligi. Unde tertia regula comprehendit vere omnem casum, excluso illo de excessu certe iudicato, in subiecto de quo quaestio facta est.

Divisio autem ita explicata in ordine ad obligationem inducendam vel non, etiam a posteriori confirmatur esse adaequata, quia de facto certitudo omnimoda excessus non habetur nisi fuerit notabilis: secus, semper occurrunt DD. graves qui eum negant partique oppositae opinione sua potius suffragantur, indeque fundatum praebent sua auctoritate motivum dubitandi de excessu in altera parte: neuter proinde excessus rationabiliter poterit absque haesitatione iudicari certus.

Norma certe iudicandi de probabilitatis excessu a S. Alphonso servata.

Ex dictis etiam apparet necessitas intelligendi hanc certitudinem iudicati excessus, in *communi aestimatione* scholarum, quae in probatis compendiis relata, omnibus obvia est. Secus enim negarem potius suppositum posse quemquam privatum theologum absque temeritatis ausu contra omnes, ideoque absque maxima imprudentia iudicare omnino *certum* excessum *probabilitatis ut sic,* de quo multi alii aeque graves imo et graviores, omnibus sedulo perpensis, serio dubitare praetulerunt. Equidem imaginari possemus casum in quo ille privatus doctor rationem omnino novam ab aliis non perspectam invenisset, quae sibi omnino evidentem videretur parere certitudinem de excessu *probabilitatis* ex una parte. At donec sistamus in materia *probabilitatis* pro re, nedum in ipsa rei veritate affulgente, puto casum huiusmodi rationis evidentis pro excessu probabilitatis, quae in sua evidentia uni affulserit aliis vero non, casum talem esse fere chimaericum, ideoque consulerem potius fortunato illi inventori ut non properaret assensum adeo firmum, sed aliis etiam suum inventum antea manifestaret: quo posset aliorum, imo brevi omnium suffragium sibi acquirere et tandem sine temeritatis periculo in assertione sua plene quiescere (Cf. *Crisis*, pag. 116-117).

Idipsum autem profitetur ipse S. Alphonsus in ultima sua dissertatione, sub finem, quando

scribit: " Confessarius antequam aliquam opinionem amplexetur, tenetur utique intrinsecas rationes perpendere, et cum ei occurrit RATIO ALIQUA CONVINCENS pro tutiori opinione, cui adaequatam responsionem suppetere non aspicit: tunc oppositam minus tutam amplecti non potest, quamvis plurimorum doctorum auctoritas ipsi faveat: MODO AUTEM NON SIT TANTI PONDERIS, UT VIDERETUR EI MAGIS QUAM RATIONI APPARENTI DEFERENDUM: iuxta id quod docet S. Thomas: *Aliquis parvae scientiae*, etc., 2. 2. q. 9. a. 8. ad 2. Sed iste casus valde rarus est „.

Hic distinguitur: 1) ratio convincens pro *ipsa re* iuxta partem tutiorem quae nempe est pars opinionis legi faventis; 2) haec ipsa ratio convincens (in materia de qua est hypothesis, *non evidentis* demonstrationis rei, sed ex *probabilibus* coniecturis) iterum subdistinguitur in eam quae praevalet pro re ipsa omnibus DD. dissentientium solutionibus, atque eam quae eis non praevalet ideoque adhuc *apparens* vocatur a S. Alphonso, i. e. in oppositione ad *evidentem veritatem*, apparens seu probabilis tantum. Ergo pro ipso S. Alphonso, tunc solum confessarius auctoritatem aliorum dissentientium negligere debet, quando probabilis illa coniectura adeo evidenter solvit probabilitatem ab aliis perpensam in oppositum ut nihil amplius sit respondendum; qui casus est *probabilitatis ex una parte tantum* quam Alphonsus docet certitudini morali aequivalere relate ad obligationem inducendam. Extra hunc casum, auctoritati deferendum. Sed hic casus, pro confessario qui non sit doctor quidam eximius, valde rarus est.

In his itaque S. Doctor spectat excessum *probabilitatis* talem (qualis rarissime occurrit), ut non fuerit a tot aliis magistris animadversus atque simul ideo convincat mentem pro *re ipsa* affirmanda quia adversas solvit rationes ab aliis DD. perpensas. Extra hunc casum ipse vult ut eorum auctoritati deferamus.

Atqui casus de quo disputamus, e contra a P. W. ita explicatur ut excessus probabilitatis praevalere debeat *non quia solvit rationes oppositas*, sed solum quia certe iudicatur esse excessus *probabilitatis ut sic*. Ergo ipse S. Alphonsus docet hunc a P. W. explicatum casum non esse determinandum nisi habita ratione communis aestimationis DD. Haec autem est explicatio quam ego dedi.

Idem confirmatur ex analysi instituta ipsius loci quem P. W., pag. 57, 58, mihi obiicit excerptum e dissertatione, anno 1765 vulgata: " illum qui ex lumine rationis iudicat opinionem pro lege esse notabiliter aut certo probabiliorem, teneri eam observare, quantumvis sit inter DD. controversia, quemadmodum reipsa multas opiniones, a multis auctoribus approbatas equidem in meo opere morali reprobavi, utpote certo minus probabiles „.

Si totus obiectus textus cum contextu sedulius perpendatur, manifestum fit S. Doctorem voluisse tantum a se avertere notam *incohaerentiae* quam Patutius obiiciendo, eius regulae de necessitate promulgationis certae, attribuere voluerat: Patutius enim obiecerat: si lex non obligat nisi certe et publice fuerit promulgata, in casu quo, dum de ea controvertitur inter DD., aliquis vel ex revelatione privata vel ex inventa ratione evidenti fit *privatim certus*, iuxta tuam regulam si vis tibi cohaerere, debes dicere hunc non esse obligatum, quod est absurdum. — Cui respondet S. D. per textum allegatum et prosequitur: " Porro eo magis dico eum teneri lege quam sibi habet quacumque via manifestam. Quid refert deinde utrum privata an publica notitia lex ei manifestetur? Iam supra diximus leges naturales hominibus intimari non actibus externis... sed cognitione interna luminis rationis „.

Duo itaque facit S. D.: *primum:* his ultimis verbis directe solvit casum propositum negando eius suppositum, nempe per hanc novam rationem evidentem existentiae legis, ipsam non promulgari lumine rationis huic homini, nonobstante controversia quae subsistat inter alios: potest enim, uti subiicit ipse alios allegans, contingere ut lex naturalis eo modo habeatur in actu secundo promulgata uni non vero alteri. Per hanc autem responsionem implicite satisfacit etiam alteri hypothesi de revelatione privata qua evidens illa ratio menti unius manifestata fuerit. — *Alterum:* avertit notam incohaerentiae sibi inustam, etiam relate ad regulam de *certe probabiliori:* ut autem eam repelleret, satis erat ut propositionem conditionalem assereret: nempe, si unquam fiat cuidam *evidens omnino* ipse probabilitatis excessus, ex nova ratione quae aliis controversiam adhuc agentibus non affulsit, haec evidentia facit legem huic soli saltem moraliter promulgatam. Quae propositio conditionalis est vera: id autem satis erat ut removeretur incohaerentiae accusatio.

Verum S. Doctor adiungit etiam proprii exempli confirmationem: " Quemadmodum reapse multas, etc. „ uti supra. — Equidem eximio huic Doctori poterat frequentius casus ille occurrere, quem in sua dissertatione dixit postea simplici confessario valde raro accidere. Quidquid tamen sit de hac frequentia, parum nostra refert in praesenti, neque ea eius proprii exempli allegatio contradicit meae superiori assertioni qua negandum dixi potius suppositum quod possit quisquam privatus Doctor absque temeritatis ausu contra alios graves et multo plures, iudicare omnino *certum* excessum probabilitatis ut sic. Nam Alphonsus loquitur de certo excessus probabilitatis iudicio in *materia diversa* ab illa de qua negavi suppositum huius iudicii. Ipse nimirum loquitur de illis controversiis in quibus ipse invenerat rationem ab aliis nondum perspectam vel nondum sub omni aspectu ponderatam, quae esset *convincens pro ipsa re* saltem morali cum certi-

tudine asserenda; dum ego locutus sum de ratione quae convinceret tantum de *probabilitatis excessu:* quae duo iudicia ratione materiae diversae, sunt etiam in firmitatis obtinendae modo valde diversa: haec enim est difficillimae aestimationis quia a subiectivo singulorum criterio praecipue pendet, ut in multis locis profitetur satis aperte ipse Alphonsus (1); illa e contra pendet praecipue e comparatione *obiectiva* motivorum quae minus difficile a viro docto instituitur.

Quod autem reapse loquatur Alphonsus in loco obiecto, de illa materia, non vero de hac de qua ego in mea propositione, alia critica animadversione confirmare possum.

Sane illae controversiae quibus alludit S. Doctor, certo certius ipsissimae sunt in quibus partem a se propugnatam vocat *veriorem*, iuxta monitum praefationi theologiae moralis annexum et responsionem ad scriptorem gallicarum ephemeridum (th. m. I, 67). Praefatio illa ita: " Ceterum, benigne lector, te admonitum volo, ne existimes me opiniones illas approbare ex eo quod non reprobem; eas enim quandoque fideliter exponam cum suis rationibus et patronis ut alii pro sua prudentia, cuius ponderis sint, adiudicent. Deinde advertas quod, cum aliquam opinionem veriorem voco, tunc contrariam non habeo ut probabilem, etsi non expresse ut improbabilem damnem. Insuper quando unam ex sententiis probabiliorem appello, nullo iudicio dato de probabilitate alterius, aut utor hoc verbo, *non audeo damnare*, non propterea intelligo eam probabilem dicere, sed iudicio prudentiorum remittere ".

His porro verbis clarissime manifestantur tum diligentissima Alphonsi circumspectio, tum reverentia qua aliorum non solum auctoritati sed etiam aestimationi discretivi iudicii deferebat ipse, a suo sensu diffidens; nec rationem obiectivam soli subiecit auctoritati, dum e contra, uti paulo supra in eadem praefatione dicit, *ingens cura* ipsi *fuit semper rationem auctoritati praeferre;* nec tamen eam ita praetulit ut in ea *ponderanda* iterum laberetur in defectum quo sui solius sensui crederet, atque aliorum gravium doctorum sensum in eadem ratione ponderanda errasse vel parvipendendum esse decerneret ideo solum quia ab ipsius sensu discrepabat.

Omnino aliter itaque res est explicanda: nimirum, vel praesumendus omnino est tacite in singulis controversiis supposuisse aliorum etiam sensui esse deferendum; vel expresse id monuit; vel si expresse ab eo recessit, id nunquam fecit quin *convincentem* rationem noviter affulgere sibi perspiceret: " Ubi vero, ait l. c., non inveni rationem PRO UNA PARTE CONVINCENTEM, non sum ausus oppositam damnare..... ". Nota verba, *pro una parte convincentem:* in materia enim ubi ipsa res nondum affulget sua *evidenti* veritate, sed tantum *probabilitas* maior minorve rei, haec verba significant probabilitatem non tantum convincere de *sua* existentia sed etiam de *rei* existentia convincere; *pro una parte convincentem: pars* enim hic supponit pro ipsa *rei* existentia secundum alterutrum terminum controversiae.

Atqui ipsa probabilitas vel excessus eius non convincit de *rei* existentia, nisi *obiective* perempta probabilitate solida contrarii, uti ab ipso audivimus Alphonso in sua dissertatione de systemate morali, loco contra Patutium, superius recitato. Ergo tunc tantum atque ideo tantum S. Doctor sententiam aliquam reprobavit ut *minus veram* et *non probabilem*, oppositam qualificando *veriorem*, nisi quando et quia probabilitas relativa huius partis adeo aucta ab intrinseco ipsi *pro re* apparuit ut *illius* partis pondus obiectivum iudicaret esse saltem dubium. Id autem iudicavit vel ex comparatis utriusque partis motivis *intrinsecis* vel ex signo *extrinseco* desumpto ex certitudine subiectiva asserti excessus probabilitatis: Si primum, probabilitas iam facta est *certitudo moralis ipsius rei;* si alterum, vel haec certitudo subiectiva asserentis excessum probabilitatis quae signum sit extrinsecum cessatae solidae probabilitatis ex adverso, respectum habuit ad communem aestimationem DD., et habeo quod volo; vel non habet respectum ad eam aestimationem, et S. Alphonsus oblitus est tunc normae in sua praefatione traditae, quod absit.

Ergo tandem aliquando Alphonsus appellat adversus Patutium ad sententias adhuc controversas quas in uno sensu terminavit propter rationem *convincentem pro re ipsa,* noviter a se inventam. Quo in casu *certitudo moralis* promulgationis *rei ipsius*, ipsi soli affulgens, idem ius sibi vindicat erga eum cui affulget, ac certitudo strictissima ex affulgente evidentia rei ipsius, non obstante controversia Doctores inter adhuc subsistente.

At ego negavi suppositum, non de certitudine morali *ipsius rei*, sed de certitudine *solius excessus probabilitatis ut sic.*

Exinde fit manifestum quomodo potuerit S. Doctor in isto loco adversus Patutium illam conditionem de controversia subsistente annectere.

Hisce complentur ea quae in *Crisi* scripta sunt, pg. 117, 118.

Si autem aliter voluerit P. W. hunc textum explicare, videat ne Sancti sui Patris humilitati ac prudentiae quidquam detrahat, contra etiam apertas eiusdem protestationes.

(*Prosequendum*)

G. ARENDT S. I.

(1) V. g. in epistola CCXVII mens. Nov. 1768; in epistola CCXIX, 8 Aug. 1769, quas relatas et discussas habes etiam in mea *Crisi* pg. 199-203. — In ultima dissertatione de systemate morali, in resp. ad obiect. VI vers. finem: *Ubi stateram inveniet* (Tutiorista) *tam exactam*, etc. — His in locis difficultatem maximam significat S. D. discernendi gradus probabilitatis.

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

V.

De subdito patrante crimen extra territorium superioris statuentis censuram.

Die 13 Martii 1905, hora 16 1/2 (4 1/2 pom.).

Titius Episcopus noscens suae dioecesis presbyteros alearum ludo nimis esse addictos, per statutum generale suspensionem latae sententiae indixit in sacerdotes, qui immoderate aleis luderent. Quoad sacerdotem Caium vero, qui prae aliis ita perdite huiusmodi ludis vacabat, ut simul scandalo esset fidelibus ob blasphemias, quas inter ludendum proferebat, eidem per particulare praeceptum lusum prohibuit sub eadem suspensionis poena, sed sibi reservata.

Censurae metu perculsus Caius primum a prava consuetudine se continet; sed haud multo post actus iterum libidine ludi, ad hunc invitat alium sacerdotem eiusdem dioecesis sibi amicum. Ut autem liberius suae cupiditati satisfaciant, ambo se conferunt in coenobium quoddam, in eadem dioecesi situm, sed ab Episcopi iurisdictione exemptum, in quo tamen Superior alearum iocum et ipse sub eadem poena proscripserat. Sed illi hanc aspernati, integro fere die, simul cum religioso amborum amico, eidem ioco indulgent. Domum revertentes dubitare incipiunt, an ipsorum aliquis in censuram incurrerit. Hinc ad theologum accedunt, et, enarrato casu, ab eo quaerunt:

1° *In quos possit censuras ferre, qui eas infligendi potestatem habet?*

2° *Utrum censura incurratur, si crimen patretur extra proprii Episcopi censuram infligentis dioecesim, vel in loco exempto dioecesis eiusdem?*

3° *Quisnam ex ludentibus in coenobio censuram incurrerit?*

Ad I^{um}. Agitur de subiecto censurarum. Ex ipsa definitione censurae, ex eiusdem auctore atque ex modo eam ferendi subiectum hoc determinatur.

In primis enim requiritur ut sit *homo baptizatus*. Ecclesia sane non iudicat de iis qui foris sunt, cumque censura sit poena ecclesiastica, nequit applicari iis qui extra Ecclesiae iurisdictionem sint.

Secundo necesse est, ut homo baptizatus sit *delinquens et contumax*. Censura enim non fertur nisi ad frangendam contumaciam, ac proinde et delictum et contumaciam in subiecto supponit.

Ad id autem necesse profecto est, ut homo baptizatus sit *viator*, capax nempe sit resipiscentiae, sit *rationis compos* et quidem actu, cum delinquit, secus enim dolus abesset, habitu vero saltem dum poenae subiicitur, imo ut *maturitate quoque* polleat iudicii, quia agitur de poena gravissima et extraordinaria: unde impuberes generatim immunes censentur a censuris a *iure latis*, nisi eorum mentio expresse fiat, sicut in praesenti disciplina valet solum de violantibus clausuram monialium.

Tertio requiritur, ut subiectum sit persona determinata. Quod non excludit censuram pronuntiari posse in personam moralem, seu in integram communitatem, v. g., capitulum, universitatem, si agatur de suspensione vel interdicto, etiamsi aliqui innocentes inter membra communitatis habeantur, quia tunc censura hos tenet solum quoad actus collegiales. At numquam ferri potest *excommunicatio* in communitatem qua talem, nisi omnes et singuli rei sint, in quo tamen casu in eos singillatim et non collegialiter censura infligi potest.

Quarto tandem opus est, ut censurae obnoxius sit *subditus* illius qui potestatem habet censurae infligendae. Iurisdictio enim nonnisi in subditos exercetur.

Ex hoc patet:

a) Summum Pontificem nulli censurae subiacere posse itemque Episcopos non subdi censuris a se latis;

b) vice versa omnes fideles, cuiuscumque dignitatis sunt, subesse censuris papalibus. Cautum tamen est in iure ut Episcopi et Cardinales, dum semper excommunicationibus papalibus a iure latis subsunt, non tamen incurrant suspensiones et interdicta eodem iure communi lata, nisi de iis ibidem specialis mentio facta sit;

c) quoad censuras vero ab Episcopis irrogatas, notandum in primis esse, ex privilegio speciali iamdiu consuetudine legitime praescripto, eas non contrahere reges et reginas, quamvis in reliquis Episcoporum spirituali regimini subsint; sed solum plecti posse censuris quibuscumque sive a iure sive ab homine latis a R. Pontifice.

Ulterius censuris episcopalibus non subiacent regulares exempti. Exceptio facienda est pro casibus, quibus regulares ex sacris canonibus vel apostolicis constitutionibus subduntur auctoritati Episcoporum. In his nempe valent Episcopi eos censuris punire tamquam Sedis Apostolicae Delegati. Praecipuos huiusmodi casus enumerat S. Alfonsus. H. A. Tr. 20, n. 75, 77.

Verum, etiam quoad hos casus, specialis alia viget exemptio pro Ordinibus Mendicantibus et pro Soc. Iesu, ut nempe ne in his quidem casibus tales regulares Episcopis quoad censuras subdantur, licet aliis poenis ab iisdem mulctari possint.

Semper tamen excipiuntur tres casus, qui nempe spectant *praedicationem verbi Dei, saecularium confessiones ac sacrarum imaginum expositionem publico cultui.* In hisce si delinquant regulares, quantumvis speciali exemptione utentes, ab Episcopis innodari censuris possunt.

Utrum vero et quomodo in peregrinos censurae ferri possint, commodius exponetur in sequenti casu. Attamen ut illud non praetermittatur quod necessario inservit praesentis casus solutioni, dicendum est peregrinos, cum *subditi loci non sint*, iuxta opinionem sane probabilem non contrahere censuras particulares per modum legis latas in loco ubi actu versantur — multo minus incurrere in censuras latas ad modum praecepti intimati a Superiore locali.

Qui vero Superioris censuram infligentis *subditus est*, eam, delinquens, incurrit ubique, etiam si crimen committat extra territorium Superiori subiectum, si agatur de censura lata per modum praecepti. Praeceptum enim, ut notum est, personale est, et ut loquuntur DD. ossibus haeret, unde sequitur personam etiam extra territorium, ideoque ubicumque is delinquit, eum censura ligat.

Verum, si sermo sit de censura lata per modum legis vel statuti generalis, requiritur insuper, ut subditus, dum crimen patrat, *maneat* intra limites territorii, in quo Superior iurisdictionem habet. Ratio est, quia lex est territorialis, territorium nempe *directe* afficit, et personas non attingit, ut loquuntur, nisi mediante territorio, quapropter lex eum sequi non potest qui extra territorium deliquerit.

Excipienda sunt delicta quae *physice* quidem extra territorium committuntur, sed *iuridice* censentur patrata intra limites iurisdictionis Superioris, ut v. g. si censura lata sit in *clericos non residentes*, vel in *eos qui ad synodum vocati accedere recusent.*

Quod si agatur de censura ferenda ad modum *sententiae* particularis ob crimen patratum in propria dioecesi,

Episcopus certe procedere potest etiamsi reus absit, quia sententiam ipse fert in subditum et quidem in loco suae iurisdictionis: neque obstat quod reus citari non possit extra dioecesim, cum citatio importet strepitum iudicialem; nihil enim prohibet citationem fieri domi delinquentis vel in loco publico.

Ad 2um. Responsio iam patet ex dictis. Distinguendum nempe est inter censuram latam ad modum praecepti et censuram latam ad modum legis vel statuti generalis. Illa, ut iam indicatum est, incurritur ubicumque crimen patratur, etiam si locus sit extra dioecesim: haec vero per crimen commissum extra territorium ubi iurisdictio Superioris exercetur, non incurritur.

Quod autem de crimine patrato extra dioecesim dictum est, applicandum est et casui, quo delictum committatur in loco exempto dioecesis eiusdem. Locus enim exemptus ab Episcopi iurisdictione, materialiter quidem in eius ditione continetur, sed *iuridice* habendus est velut positus *extra territorium*; quapropter qui ibi delinquit, censetur crimen patrare extra territorium superioris infligentis censuram.

Ad 3um. Iuxta doctrinam huc usque expositam, dicendum est ex ludentibus in coenobio tum *Caium*, tum *virum religiosum* eius amicum in censuram incidisse, licet diverso titulo, minime vero alium sacerdotem a Caio secum invitatum.

Sane, licet Caius delinquens in loco exempto dioecesis censuram non contrahat quatenus lata est ab Episcopo ad modum statuti generalis, quia statutum generale habendum est uti territoriale sicut ipsa lex, neque item incurrat censuram quatenus a Superiore regulari statuta est, quia ipse subditus ipsius non est, ideoque non obligatur lege particulari ab eo lata tamen in eam incidit ob violationem, et quidem in materia gravi, integro fere die ludendo, *praecepti personalis sibi ab Episcopo intimati*, quod quidem sub poena suspensionis ipso facto incurrendae et reservatae ubique eum obligat.

Quod autem attinet ad *virum religiosum*, hic profecto excusari non potest obiective a censura, cum legem cui tenebatur violaverit.

Tandem ille alius *sacerdos Caii amicus* ob rationes favore Caii adductas omnino immunis a censura est, quia scilicet statuto episcopali extra dioecesim non ligabatur neque Praelati regularis subditus erat; ratio vero ob quam Caius censuram incurrit, nempe praecepti personalis violatio, nullatenus in sacerdote eiusdem Caii amico verificatur.

JOSEPHUS PALICA
Epitomator ex officio.

Casus Liturgici propositi et soluti Romae, in Academia Liturgica.

VI.

De interno ornatu Tabernaculi ac Throni.

Die 15 Februarii 1905, hora 4 a meridie.

Nova incipit in quibusdam Ecclesiis consuetudo, quae examine digna videtur, circa modum interius exornandi seu tabernaculum pro recondenda, seu thronum pro exponenda Eucharistia. Et imprimis, quamvis vel ex auro vel ex serico albo statutus ex lege sit interior ornatus tabernaculi, nihilominus in aliquibus Ecclesiis videri incipit tabernaculum serico coloris flavi contectum vel ex laminis argenteis. Quod etiam pro throno alicubi videre est, imo et sericum coloris rubri, quo intima illius pars adornatur. Imo, quod magis praestat, in quibusdam Ecclesiis, cum basis tam tabernaculi quam throni sit inaurata, corporale pro pyxide et palla pro ostensorio in throno collocando, non amplius adhibentur. Quia, dicitur, cum Sacramentum super patena inaurata locari possit ac debeat in Missa, nil impedit, quominus idem comprobari extra Missam valeat. *Quaeritur:*

1. *Qua ratione et materia confici ornarique debeant Tabernaculum et pyxis pro recondenda Eucharistia, Thronus et Ostensorium pro ea exponenda?*

2. *Cur a Rubricis requiratur Corporale in tabernaculo, et palla satis lata in base Throni?*

3. *Quid dicendum de invalescente consuetudine, prout in casu?*

SOLUTIO.

In Conventu Academiae habito die 15 Februarii 1905 super casu proposito disseruit Rev. D. Iosephus Candidori e Pontif. Sem. Romano, atque epitomen egit Rmus D. Aloysius Can. Borgia ex Academiae Censoribus.

Ad Ium. Ciborium dupliciter accipitur: 1°) pro vase quod immediate continet ac tangit Corpus D. N. I. C.; 2°) pro loco in quo sacrum vas Eucharistiam continens adservatur, quique Tabernaculum etiam communiter nuncupatur. Ciborium, hoc altero sensu acceptum, est capsa seu parva domus in qua, vasa SS.mam Eucharistiam continentia, uti iam dictum est, custodiuntur. In genere ligneum conficitur, deauratum extra, intus autem aliquo panno serico omni decentia contectum. Laudabilius certe probandum, si lapidibus pretiosis, auro, argento, vel alia pretiosa materia exstruatur. Semper fixum super Altare esse debet, nunquam mobile i. e. adsportabile. Item, conopaeo semper obductum esse debet, cuius color officio respondeat, vel etiam Missae. Verum si Missa exequialis decantetur, congruum erit conopaeum violaceum Ciborio superimponere. Si Tabernaculum magnae sit molis, conopaeum non praecipitur. Interius semper sit contectum serico albo, vel tela aurea, sive argentea, vel etiam laminis aureis, vel saltem deauratis. In planitie vero Corporale extendatur, super quod Corpus Dominicum deponi debet. Clavis Ostioli saltem sit ex metallo deaurato. Tandem requiritur ut Tabernaculum novum, antequam Sanctissimum primo excipiat, benedicatur.

Ciborium, primo sensu acceptum, i. e. Pyxis, cuppam saltem habere debet argenteam in interiori parte inauratam; toleratur tamen etiam ex alio metallo, auro obducto. Operculum pariter in interiori pariete inauratum esse debet, et in vertice parvam crucem habeat. Totum vero, parvo conopaeo cooperiri debet.

Ostensorium, quod est vas ad exponendum solemniter SS. Sacramentum publicae fidelium venerationi, speciem habet circuli radiis et nubibus ornati, et sustentatur a praealto pede candelabri instar. Ostensorium ex eadem materia constare debet, ac pyxis et calix; circulus vero interior ubi S. Hostia collocatur, et lunula eam sustentans, auro, vel saltem metallo inaurato sint oportet. Supra verticem, prout in Pyxide, Crux parva, visibilis tamen, apponi debet. Ex recenti S. R. C. dispositione, et ipsum benedici debet.

De Throno in quo Ostensorium S. Hostiam continens collocatur pro publica veneratione, pauca sunt dicenda. Constat ex planitie praealta, cum postergali et baldachino. Regulariter conficitur ex ligno affabre elaborato, auro vel argento obducto, vel etiam ex metallo. Quod colorem attinet, potest etiam esse rubeus, cum aureis ornamentis. Verius tamen dicendum quod, sive color, sive forma, non sunt nimio rigore intelligenda.

Ad IIum. Corporale, iuxta S. Germanum Ep. Constantinop., significat Sindonem in qua involutum est Sanctissimum Christi Corpus de Cruce descensum, et in monumento positum. Apud Liturgiam Ambrosianam Corporale Sindon appellatur, et in Missa habetur quotidie Oratio super Sindonem. Ratio ob quam sacra vasa Eucharistiam continentia semper collocari debeant supra Corporale sive pallam, est, ut linum mundum signum sit honoris erga immaculatam Hostiam, et ut fragmentorum dispersioni consulatur.

Ad IIIum. Dicendum 1) colorem flavum esse omnino prohibitum, cum non sit de approbatis; hinc Tabernaculum haud contegi eo licet. 2) Idem dicendum pro ornatu Throni. 3) Palla seu Corporale semper exigitur, et supponi debet vasis sacris Eucharistiam continentibus. Nihil proinde refert, an basis Throni seu Tabernaculi, sit, vel non, inaurata, et neganda prorsus est paritas allata inter patenam et planitiem Throni, seu Tabernaculi, auro obductam. Patena enim

mobilis est, et ad usum ministerii ordinata, non ita vero Thronus. Ceterum etiam patena cum Sanctissimum continet, et ipsa supra Corporale posita esse debet.

P. Elias Maria Coccia, *Ord. Carm.*
S. R. C. Consultor, Academiae Liturgicae Censor.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ
NE PEREANT

Août 1905.

1 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: le T. R. P. Jean Genocchi, Proc. Gén. des Missionnaires du S. Cœur d'Issoudun; — et M. Arthur Campuzano, Chargé d'Affaires de la Colombie près le St-Siège.

— Congr. Préparatoire des S. Rites, tenue au Vatican pour l'examen des quatre miracles qui sont proposés pour la Béatification de la Vén. Serv. de Dieu Julie Billiart, Fondatrice des Sœurs de Notre-Dame.

2 Mercredi.

Le St-Père descend dans la Chapelle Pauline, pour y gagner l'Indulgence de la Portioncule.

— Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean-Gaspard Stork, Ev. de S. Joseph de Costarica; — M. l'Abbé Edouard Spalding, Vic. Gén. d'Altona; — et le T. R. P. Pierre de la Mère de Dieu, Supérieur de la Mission des Carmes de Bagdad.

3 Jeudi.

S. G. Mgr Janvier Granito di Belmonte, Nonce Apost. à Vienne, est reçu en audience.

4 Vendredi.

Le Rme Dom Jean Del Papa, Abbé Ordinaire de S. Paul-hors-les-murs, est reçu en audience.

7 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Morabito, Ev. de Mileto; — Mgr Léopold Ruiz, Ev. de Léon au Mexique; — Mgr Pascal Rubian, Arch. Titulaire d'Amasea du Rite Arménien; — ainsi que M. Edouard Pullwan, Consul Américain à Trébizonde.

8 Mardi.

Le St-Père reçoit en audience S. Exc. M. le Comte Jules de Wagner, Env. Extr. et Min. Plén. du Prince de Monaco près le St-Siège.

— Congr. Ordinaire des S. Rites tenue au Vatican pour y examiner les questions suivantes:

1. Reprise de la cause de canonisation de la bienheureuse Jeanne de Lestonnac, veuve, fondatrice de l'Ordre des Filles de Notre-Dame;

2. Introduction de la cause de béatification et canonisation du serviteur de Dieu Antoine Pennacchi, prêtre séculier à Assise;

3. Introduction de la cause de béatification et canonisation de la servante de Dieu Madeleine, Archiduchesse d'Autriche;

4. Confirmation de l'élection et concession de Notre-Dame de Campoleone, comme Patronne principale de la Commune de Caivano, au Diocèse d'Aversa, et approbation et concession de l'Office et de la Messe propre pour cette fête;

5. Confirmation de l'élection de Notre-Dame du Patronage, comme Patronne de la Ville de Toyos, dans l'Archidiocèse de Valence;

6. Confirmation de l'élection de la Vierge Immaculée comme Patronne principale de la paroisse de Mathuala, au Diocèse de St-Louis de Potosi;

7. Concession et approbation des variantes et des adjonctions à l'Office propre de Notre-Dame de *Monte Vergine*, pour l'Abbaye Bénédictine de *Monte Vergine;*

8. Concession et approbation de l'Office, de la Messe et de la légende pour le Martyrologe de l'Ordre, en l'honneur des Bienheureux Martyrs Agathange et Cassien, Capucins;

9. *Item*, en l'honneur des Bienheureux Martyrs Marc Crisino, Etienne Pongracz et Melchior Grodecz;

10. *Item*, en l'honneur du Bienh. Marc Crisino, pour le Diocèse de Zagabria et le Collège germanique de Rome;

11. Révision des écrits des Vénérables Jérôme Hermosilla et compagnons, de l'Ordre des Frères Prêcheurs, tués au Tonkin en haine de la Foi;

12. Révision des écrits du Vénérable Serviteur de Dieu Pierre Julien Eynard, fondateur de la Congrégation des Prêtres du Saint-Sacrement;

13. Révision des écrits du Serviteur de Dieu Jean-Marie-Robert de Lamennais, fondateur des Frères de l'Instruction chrétienne;

14. Révision des écrits du Serviteur de Dieu Gaspard Bertoni, prêtre séculier de la Congrégation des Prêtres des Saints-Stigmates.

9 Mercredi.

A l'occasion du deuxième anniversaire du Couronnement de Pie X, Sa Sainteté tient une chapelle papale dans la Chapelle Sixtine. La messe est chantée par S. Em. le Card. R. Merry del Val.

12 Samedi.

Le R.me Dom Boniface-Marie Krug, Abbé Ordinaire du Mont Cassin, est reçu en audience.

14 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean-Baptiste Correa Nery, Ev. de Pouso Alegre, au Brésil; — S. Exc. M. le Baron Maximilien d'Erp, Ministre de Belgique près le St Siège; — S. A. S. la Princesse Julie Orsini; — et le Rév. Don Louis Nai, Procureur Général des Maisons Salésiennes en Orient.

16 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: Le R.me P. Hyacinthe-Marie Cormier, Maître Général des Prédicateurs; — Le T. R. P. Joachim Ferrini, Proc. Gén. des Ministres des Infirmes; — et Mgr Joseph Mori, Camérier d'Honneur.

18 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audience M. Vincent Gutierez de Agüera, second Secrétaire de l'Ambassade d'Espagne près le St-Siège.

19 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Antoine-Marie Grasselli, Arch.-Ev. de Viterbe; — et M. Albert Blancas, Chargé d'Affaires de la République Argentine près le Saint-Siège.

21 Lundi.

Le Rme P. Thomas Esser, O. P., Secrétaire de la S. C. de l'Index, est reçu en audience.

24 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audience le Rme P. André Frühwirth, ex-Ministre Général des Dominicains.

25 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audience S. G. Mgr Jules-Victor-Marie Pichon, Arch. Tit. de Cabasa, Coadjuteur avec future succession de l'Arch. de Port-au-Prince.

28 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Janvier Trama, Ev. de Lecce; — et Mgr Tite Cucchi, Ev. de Sinigallia.

29 Mardi.

S. G. Mgr Nicolas Audino, Ev. de Mazzaro del Valle, est reçu en audience.

30 Mercredi.

S. G. Mgr Camille Sorgente, Arch. de Cosenza, est reçu en audience.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

Salvatore Marinelli, *gerente*.

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULI NONUS-DECIMUS - SEPTEMBER-OCTOBER 1905

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Abolentur in Urbe paroeciae S. Thomae « in Parione » et S. Luciae « del Gonfalone », earumque loco eriguntur paroeciae S. Mariae ad Aedem Novam, et S. Ioachimi in Pratis.

Almae Urbis Nostrae conditiones novae, cum necessitatem alias res novandi invexere, tum illud iamdudum postulant, ut praesens paroeciarum distributio, quippe quae multis partibus desierit esse opportuna, commutetur. Harum enim, amplificata magnis cum aedificiorum accessionibus civitate, ingens disparilitas consecuta est: quum quidem interiores quae sunt paroeciae, exiguis circumscriptae finibus, exiguum complectantur incolarum numerum, quae vero in regionibus sunt extremis et latissime pateant et incolis redundent adeo, ut non, quemadmodum oportet, curationi satisfiat animarum. Quapropter Leo XIII fel. rec. decessor Noster, paroecias ipsas aequabilius atque ad sacrorum administrationem accommodatius partiri cogitans, anno MDCCCCII idoneis delectis viris provinciam mandavit excogitandae communiter rationis, qua id effici propositum posset. Mandatum hi nuper exsecuti, repertam a se rationem ad nos detulerunt: quam tamen non uno eam tempore totam, sed partim ac sensim adducere ad effectum decrevimus. Itaque initium rei facientes his Litteris, Nos, de plenitudine Apostolicae potestatis, pa

roecias exstinguimus et abolemus duas, id est Sancti Thomae in vico *Parione* et Sanctae Luciae quae vernacula lingua dicitur *del Gonfalone:* itemque duas earum loco instituimus fundamusque paroecias, id est, Sanctae Mariae ad Aedem Novam et Sancti Ioachimi in Pratis. Ad quas bona, redditus et iura extinctarum paroeciarum omnia et singula transferimus: ita quidem, ut quae fuerunt paroeciae Sanctae Luciae attributa, ea posthac ad paroeciam Sancti Ioachimi, quae autem paroeciae Sancti Thomae, illa ad paroeciam Sanctae Mariae pertineant. Utriusque vero novae paroeciae spatium eis continebitur terminis, qui postea ex auctoritate Nostra definientur.

Praesentes Litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam ex causa, colore et capite, etiam ex eo quod Paroeciarum Patroni sive Ecclesiastici sive Laici vel alii quilibet in praemissis seu in eorum aliquo, ius aut interesse, quamvis ex fundatione, dotatione vel ex alio quovis titulo habentes vel habere praetendentes etiam quomodolibet in futurum, illis non consenserint, seu ad ea vocati et auditi non fuerint, de subreptionis, obreptionis aut nullitatis vitio seu aliquo defectu inexcogitato et substantiali, notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse: sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio, et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae Potestatis plenitudine editas omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae Regulis, Praedecessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus et quarumcumque Ecclesiarum etiam Patriarchalium seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel quavis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, etiam Motu proprio aliisque quibuslibet in contrarium praemissorum concessis, de illis eorumque totis tenoribus praesentibus pro expressis habentes, pari Motu, scientia et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, plenissime et latissime specialiter derogamus.

Praesentium vero Transumptis seu exemplis etiam impressis, manu tamen Notarii Apostolici subscriptis et sigillo Personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eamdem fidem in iudicio et extra haberi volumus quae ipsis praesentibus haberetur si originaliter exhiberentur.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis et extinctionis erectionis et translationis derogationis Indulti, decreti, statuti, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Apostolorum Eius Petri et Pauli se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo quinto. Kalendis Iunii. Pontificatus Nostri anno secundo.

A. Card. DI PIETRO, *Pro-Dat.*
ALOISIUS Card. MACCHI.

Visa: De Curia, I. De Aquila e Vicecomitibus
L. ✠ P. Reg. in Secret. Brevium, V. Cugnonius.

II.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Indulgentiae conceduntur Christifidelibus recitantibus Coronam Franciscanam Septem Gaudiorum B. Mariae Virg.

Dilectus filius Bonaventura Marrani Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis impense cupiens ut erga Deiparam Immaculatam magis magisque Fidelium cultus augeatur, retulit ad Nos inter multiplices cultus ac pietatis significationes in eamdem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum obtinere laudabilem eam praxim, ut peculiari Corona Septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione, Partu, Adoratione Magorum, Inventione Filii, huius Resurrectione et ipsius Divinae Matris in coelum Assumptione in Deo Salutari suo mirabiliter exsultavit. Hinc factum esse, ut decessores Nostri Romani Pontifices, non modo speciale Festum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis cum officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint; verum etiam Fratribus et Sororibus Ordinum Seraphici Patris Francisci Assisiensis, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, Indulgentiam Plenariam, pluries vel eadem die lucrandam, benigne concesserint. Verum idem dilectus filius Procurator Generalis Minorum Fratrum animo perpendens devotionem erga Septem Beatae Mariae Virginis Gaudia nullo adhuc spirituali lucro cunctis Fidelibus communi esse exornatam; probe autem noscens eamdem Gaudiorum Coronam publice in ecclesiis ipsiusmet Ordinis cum aliorum Fidelium interventu recitari, Nos enixis precibus flagitavit, ut huic Septem Gaudiorum Virginis Coronae, prouti iam concessum fuit Coronae Septem Virginis eiusdem Dolorum, Plenarias nonnullas ac partiales Indulgentias vel ab omnibus Fidelibus rite lucrandas adiungere de Apostolica Nostra benignitate dignaremur. Nos autem quibus antiquius nihil est neque magis gratum, quam ut per universum orbem Fidelium pietas erga Virginem Immaculatam latius propagetur, et Divina Mater in Gaudio non minus quam in Dolore admirabilis, pari a christiano populo recolatur obsequio, votis hisce piis ultro libenterque annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, de Omnipotentis Dei misericordia ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus et singulis Fidelibus ex utroque sexu, qui publicae recitationi Coronae Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis apud Ecclesias ubique terrarum exsistentes trium Ordinum Seraphici Patris habendae, adstiterint, easdem tribuimus Indulgentias, quas Fratres et Sorores eiusdem Ordinis, quibuscum sunt in recitatione sociati, promerentur. Insuper iisdem Fidelibus admissorum confessione rite expiatis et Angelorum pane refectis, qui Coronam eamdem quotannis tum Festis cuiusque e Septem Gaudiis, cum potioribus Beatae Mariae Virginis Festivitatibus, vel quovis die intra respectivi Festi octiduum, ad cuiusque eorum lubitum eligendo pie recitent, quo ex iis die id agant, Plenariam; et iis, qui singulis anni Sabbatis Coronam eamdem recitare consueverint uno cuiusque mensis die, ad lubitum pariter eligendo, dummodo vere ut supra poenitentes et confessi ad Sacram Synaxim accedant, etiam Plenariam; tandem iis qui memoratam Coronam retineant, illamque frequenter in vita percurrerint, in cuiuslibet eorum mortis

articulo, si vere poenitentes et confessi ac Sacra Communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, saltem contriti nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo acceperint, similiter Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea ipsis Fidelibus ex utroque sexu, ubique terrarum degentibus, qui contrito saltem corde, aliis per annum Beatae Mariae Virginis festis diebus Coronam eamdem recitent, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita trecentos annos; et iis qui id agant diebus de praecepto festivis, ducentos annos; quoties vero Coronam ipsam quocumque alio anni die persolverint, toties illis septuaginta annos totidemque quadragenas; iis tandem Fidelibus qui Coronam memoratam Septem Virginis Gaudiorum apud se fideliter retinentes, eamque frequenter recitantes, quodvis pietatis opus in Dei honorem, vel in spiritualem aut temporalem proximorum utilitatem item contrito corde exercuerint, sive in honorem Septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint, de numero similiter poenalium in forma Ecclesiae solita, quoties id agant, decem annos expungimus. Porro largimur, ut excepta Plenaria Indulgentia in mortis articulo lucranda, Fidelibus ipsis, si malint, liceat Plenariis supradictis ac partialibus Indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Verum praecipimus, ut in omnibus supradictis pietatis operibus rite exercendis Coronae Gaudiorum Virginis a Fidelibus adhibendae, sint a Ministro Generali pro tempore Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio Sacerdote sive saeculari, sive regulari, per ipsum deputando, in forma Ecclesiae solita, servatisque servandis, benedictae. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium Litterarum authenticum exemplar transmittatur ad Indulgentiarum Congregationis Secretariam, alioquin praesentes nullae sint: utque item praesentium Litterarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die XV Septembris MCMV, Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Pro D.no Card. MACCHI

NICOLAUS MARINI, *Subst.*

Praesentium Litterarum authenticum exemplar transmissum fuit ad hanc Secretariam Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem etc.

Datum Romae ex eadem Secretaria die 18 Septembris 1905.

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

Pius X novum et unicum Catechismum pro tota Provincia Romana imponit.

AL SIGNOR CARD. PIETRO RESPIGHI
Nostro Vicario Generale

Sig. Cardinale,

La necessità di provvedere, per quanto è possibile, alla religiosa istruzione della tenera gioventù Ci ha consigliato la stampa di un Catechismo, che esponga in modo chiaro i rudimenti della santa fede, e quelle divine verità, alle quali deve informarsi la vita d'ogni cristiano. Pertanto fatti esaminare i molti libri di testo già in uso nelle Diocesi d'Italia, Ci parve opportuno di adottare con lievi ritocchi il testo da varii anni approvato dai Vescovi del Piemonte, della Liguria, della Lombardia, della Emilia e della Toscana.

L'uso di questo testo sarà obbligatorio per l'insegnamento pubblico e privato nella Diocesi di Roma e in tutte le altre della Provincia Romana; e confidiamo che anche le altre Diocesi vorranno adottarlo per arrivare così a quel testo unico, almeno per tutta l'Italia, che è nell'universale desiderio.

Con questa dolce speranza impartiamo di tutto cuore a Lei, Signor Cardinale, l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano li 14 giugno 1905.

PIUS PP. X.

IV.

An et sub quibus conditionibus sacerdotes aliarum Dioecesium adire Urbem ibique commorari possint.

AL SIGNOR CARDINALE PIETRO RESPIGHI
Nostro Vicario Generale.

Signor Cardinale,

Il vivissimo desiderio che in questa Nostra Roma il Clero sempre più risplenda per la santità della vita e per la bene ordinata disciplina, Ci ha indotto più di una volta a dirigere la Nostra parola a Lei, Signor Cardinale, affidando al suo zelo e alla sua prudenza quei mezzi che Ci sembravano adatti allo scopo. Ora il medesimo desiderio richiama l'attenzione Nostra su quella parte di Clero che dalle varie Diocesi d'Italia e anche dall'estero affluisce a questa Metropoli. Il Nostro Predecessore Leone XIII di s. m. impartì, riguardo a ciò, sapientissime disposizioni, sopratutto col Decreto che per suo ordine fu emanato dal Cardinal Vicario il 9 luglio 1890 e con l'altro della S. Congregazione del Concilio del 22 Decembre 1894 (1). Siccome poi l'esperienza ha suggerito opportune modificazioni a quelle leggi per renderle più efficaci, Noi, confermando in parte, e in quanto è necessario modificando le accennate disposizioni, stabiliamo quanto segue:

1°) Quei sacerdoti di altra diocesi che desiderano fissare in Roma la loro stabile dimora debbono prima inviare al Cardinal Vicario la domanda, corredata dagli opportuni documenti e sopratutto dall'esplicito consenso dell'Ordinario, il quale dovrà anche esprimere il suo giudizio sui motivi

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. III, p. 24.

che si adducono per ottenere la grazia. Riserviamo però esclusivamente a Noi la facoltà di concedere il permesso richiesto.

2°) Quei sacerdoti di altra diocesi che vengono a Roma per dimorarvi qualche tempo debbono subito presentarsi agli Uffici del Vicariato per esibire il *Discessit* del loro Vescovo, nel quale dovrà essere espressamente dichiarato il motivo della venuta in Roma, e il tempo concesso per rimanervi, che per le diocesi d'Italia non potrà superare i tre mesi e per quelle dell'estero i sei. Qualora poi fosse necessaria una proroga, dovrà questa essere richiesta direttamente dall'Ordinario.

3°) Questi sacerdoti dovranno ottenere dal Vicariato anche l'approvazione del domicilio da essi scelto in Roma.

4°) A quelli che non obbedissero a tali disposizioni dovrà essere assolutamente vietata in quest'Alma Città la celebrazione della S. Messa, informando di ciò i rispettivi Ordinari.

5°) Ad evitare il pericolo che sacerdoti dimoranti provvisoriamente in Roma assumano ufficî che importano una stabile o lunga dimora, vogliamo che, come è stabilito per i sacerdoti appartenenti al Clero Romano, così i forastieri non possano essere ammessi a concorsi di sorta, nè ottenere ufficî, beneficî o qualsiasi altra occupazione, senza l'esplicito consenso del Vicariato.

6°) Qualora mancasse questo consenso, si debbono ritenere come irrite e nulle così le ammissioni a qualunque concorso, come le nomine a beneficî, ufficî od a qualsiasi altro impiego.

7°) Tali disposizioni debbono valere in ogni caso, e per qualunque autorità, anche degna di specialissima menzione, senza eccettuarne alcuna.

8°) Quanto poi ai sacerdoti di altre diocesi, attualmente dimoranti in Roma, Ella, Signor Cardinale, permetterà la permanenza a quelli che hanno qui un beneficio o un ufficio ecclesiastico propriamente detto, o vi dimorano, senza computare gli anni di studio, almeno da dieci anni, col consenso dei loro Ordinari e senza aver dato motivo ad osservazioni sulla loro condotta. Gli altri dovranno ritornare alle loro Diocesi, o procurarsi altrove una occupazione col consenso dei loro Vescovi.

Nella certezza che queste Nostre ingiunzioni verranno esattamente eseguite, impartiamo di tutto cuore a Lei, Signor Cardinale, e a tutto il Clero e Popolo di Roma l'Apostolica Benedizione.

Dal Vaticano, li 6 agosto 1905.

PIUS PP. X.

V.

Pius X commendat Catholicorum germanorum LII Conventum, mox Argentorati cogendum.

Dilecto Filio Burguburn, ac Praesidi coetus Conventui LII Catholicorum Germaniae apparando, Argentoratum.

Dilecte Fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Habiti quotannis coetus catholicorum Germaniae in eam Nos opinionem adduci quotidie magis iusserunt, congressiones easdem, quo plures numero de successione recensentur, eo etiam digniores et prae se ferre apparatus et edere fructus. Huius sane solatium rei communes nunc confirmavere litterae, Nobis a te datae atque a praesidibus caeteris, quum proximo adornando coetui studeretis: vestrarum enim curarum ea potissima fuit, aperire ex ordine omnia quaecumque erunt disceptanda congressui, sensusque declarare simul, quorum ductu convenietis. Neque modica ista est Nobis gaudendi, et gratulandi opportunitas: quid enim quam fecundam Germanorum alacritatem expetere possimus amplius ad inserendam propagandamque religionem? — Causae equidem in disputatione versabuntur graves salubresque, atque eaedem ad multiplicem christianae vitae necessitatem peridoneae. Nam quibus maxime, pro conditione temporum expediat viis fidei nostrae et Apostolicae Sedis cultum provehere, proximorum sententias, catholica praelucente doctrinâ, humane ac rite vereri, expeditiones adiuvare sacras, integritati morum prospicere, tenuium fortunam sublevare, locupletum alere inopumque amicam conspirationem, sacri denique civilisque principatus concordiae consulere, in hisce, quemadmodum nunciasti, maximi momenti rebus vestra debet se prudentia probare. Quod autem decretum vobis sit accedere ad disserendum eo animo, ut hinc Nostra Decessorisque Nostri Leonis XIII fel. rec. prae oculis documenta habeatis, inde hortamenta Pauli deducatis ad usum, qui spiritu actus ac repletus Dei, *omnia* nostra iussit *in charitate* fieri, vehementis haec Nobis origo voluptatis est; compertum namque et exploratum habemus quam multum emolumenti consueverint qui haec sequi lumina et praecepta studeant, e collatis consiliis percipere. Nec minus oblecta coire vos in civitatem nobilem, antiquam et piam; cui gloriae est in Episcopatu Romano Pontificem dedisse insignem, et coelo Sanctissimam peperisse sobolem, et artibus monumenta illustria suppeditasse. Spem ideo firmam fovemus, auspiciis Praesulis Argentinensis vestrâque diligentiâ prosperam apparando felicemque celebrando coetui debere operam impendi. Quoniam vero a summae clementiae Deo, quippe ipse est consilii boni largitor, implorandam censetis in primis opem, eius in vos atque in labores vestros devocamus ardentes gratiam, testemque votorum animi Nostri Apostolicam benedictionem tum vobis praesidibus, tum singulis e conventu sodalibus peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, die 14 Augusti 1905.

PIUS PP. X.

VI.

Pius X hortatur Gallos ut Deo preces fundant ad avertendas imminentes in Religionem calamitates.

Notre très cher Fils,

Les graves événements qui se déroulent en France et qui menacent les intérêts suprêmes de la religion, sont l'objet de Nos préoccupations constantes à l'heure actuelle. Malgré tous Nos efforts pour éloigner de l'Eglise de France les malheurs qui paraissent aujourd'hui inévitables, on persiste à travailler avec acharnement à la destruction des saintes et glorieuses traditions de votre noble et bien-aimé pays. Nous manifesterons en temps et lieu toute Notre pensée et

Nous donnerons au clergé et aux fidèles de France les instructions exigées par une situation douloureuse qui n'est pas Notre œuvre et (comme le reconnaissent tous les esprits honnêtes et éclairés) dont Nous ne sommes en aucune façon responsable.

En attendant, et pour pouvoir affronter sans crainte les difficultés toujours croissantes d'un avenir prochain, Nous sentons très vivement la nécessité pour Nous-même, et pour vous, d'invoquer les lumières et le secours que Dieu seul peut donner. Si, dans sa miséricorde infinie, le Seigneur nous invite à recourir à Lui pour nos besoins particuliers, à plus forte raison devons-nous l'appeler à notre aide dans les nécessités de la vie publique et dans ces moments solennels où la religion et la patrie sont en péril. Notre cause après tout est la cause de Dieu, et la parole que le Seigneur adressait jadis au peuple fidèle prosterné devant Lui au temps de Josaphat, peut bien s'appliquer aux catholiques français: *Nolite timere, nec paveatis hanc multitudinem: non est enim vestra pugna, sed Dei* (II Par., XX, 15). Aussi voudrions-Nous, très cher fils, que dans tous les diocèses de France des prières publiques fussent prescrites pour implorer les bienfaits de la miséricorde divine sur votre patrie, et une protection toute spéciale pour l'Eglise en présence des épreuves qui la menacent à l'heure présente. Nous le savons cependant, Dieu écoute surtout la prière des âmes purifiées par le repentir, car il est écrit: *Non est speciosa laus in ore peccatoris (Eccl.*, XV, 9); aussi serait-il désirable, en ces jours, que tous les fidèles s'approchent plus souvent des sacrements et que leurs prières soient rendues plus efficaces par des pratiques de pénitence.

Dans l'espoir que cette invitation à la prière sera accueillie avec empressement par tous les fidèles de France, et que Dieu daignera exaucer les vœux ardents que Nous formons pour le vrai bonheur de votre bien-aimée patrie, comme gage de Notre affection Nous vous envoyons, très cher fils, la bénédiction apostolique.

Du Vatican, 4 octobre.

PIUS PP. X.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

I.

Territorium « Wackelbeckerfeld » distrahitur ab Archidioecesi Coloniensi et incorporatur dioecesi Monasteriensi.

Decreto regio die 16 Septembris anno 1901 edito portio quaedam, cui nomen Wackelbeckerfeld, loci vulgo Altenessen nuncupati in Borussico Regno, ab oppidi huius territorio distracta fuit, atque territorio adiuncta loci Horst Emscher vulgo dicti. Cum plurima eaque gravissima exinde obvenerint damna spirituali fidelium regimini in portione praedicta degentium, eo quod ipsa spiritualibus in negotiis Archiepiscopi Coloniensis iurisdictioni subsit, atque oppidum Horst Emscher, cui in praesens civiliter adhaeret, intra Monasteriensis dioecesis fines existat, tum viro E.mo Huberto Antonio S. R. Ecclesiae Presbytero Cardinali Fischer Coloniensi Archiepiscopo tum R. P. D. Hermanno Dingelstad Monasteriensis dioecesis Antistiti opportunum visum est, ut memoratum territorium Wackelbeckerfeld ab archidioecesi Coloniensi separaretur, et Monasteriensi dioecesi subiiceretur. Collatis itaque inter se consiliis memorati Antistites litteras ad Apostolicam Sedem die 27 Octobris anno 1904 dederunt, atque iis quae supra relata sunt expositis, SS.mum D.num Nostrum Pium PP. X exorarunt, ut territorium Wackelbeckerfeld a Coloniensi Archiepiscopali ecclesia seiungere et paroeciae loci Horst Emscher dioecesis Monasteriensis aggregare Apostolica auctoritate dignaretur.

Sanctitas Sua ad mei infrascripti Sacrae Congregationis rebus consistorialibus expediendis praepositae Substituti relationem, omnibus mature perpensis, attentis expositis, atque suppleto, quatenus opus sit, quorumcumque in hac re interesse habentium vel habere praesumentium consensu, omnia quae in spirituale fidelium bonum cessura intelliguntur decernere cupiens, oblatis precibus benigne adnuendum censuit, atque de Apostolicae potestatis plenitudine territorium seu portionem Wackelbeckerfeld nomine loci Altenessen nuncupati cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus ab archidioecesi Coloniensi separavit et avulsit, et eamdem pariter ut supra cum omnibus et singulis in ea existentibus et commorantibus parochiali ecclesiae oppidi Horst Emscher dicti Monasteriensis dioecesis univit et aggregavit; ita ut territorium praedictum in posterum iurisdictioni Episcopi Monasteriensis pro tempore sit subiectum, prout hactenus Coloniensibus Archiepiscopis subiectum fuit, cum clausulis necessariis et opportunis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Ad consulendum vero fidelium bono qui in territorio ut supra separato commorantur, praecepit eadem Sanctitas Sua ut documenta omnia ecclesiastica, quae vel fideles ipsos vel loca in eodem territorio existentia respiciunt, a Cancellaria Metropolitanae Coloniensis ecclesiae extrahantur, et Cancellariae Monasteriensis ecclesiae tradantur in eadem in posterum diligentissime servanda. Hisce tandem super rebus Beatitudo Sua praesens edi iussit decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis litterae Apostolicae in forma Brevis vel sub plumbo expeditae fuissent, cuius executionem, cum facultatibus necessariis et opportunis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, iniuncta insuper obligatione intra tres menses ad Sacram hanc Congregationem transmittendi exemplar authentica forma exaratum exsecutionis peractae, commisit viro E.mo Coloniensi Archiepiscopo, et decretum ipsum referri mandavit inter Acta Sacrae huius Congr.nis Consistorialis.

Datum Romae hac die 5 Maii anno D.ni 1905.

Pro R. P. D. *Secretario*
IULIUS GRAZIOLI, *Substitutus*.

L. ✠ S.

II.

Nonnulla insignia ecclesiastica indulgentur Canonicis Ecclesiae Cathed. Calaguritanae, intra limites dictae dioecesis deferenda.

Calaguritanae ecclesiae Cathedralis Canonici, litteris ad Apostolicam Sedem die 18 Ianuarii hoc anno datis exposuerunt, ecclesiam ipsam non uno nomine inter Hispanici Regni Cathedrales ecclesias excellere. Eam siquidem, retulerunt, inter antiquiores antiquissimam haberi, ita sane ut caeterarum omnium Hispanici Regni ecclesiarum mater praedicetur. Calaguritanum vero Capitulum a remotissima aetate catholicae Religionis studio praesertim in fidei christianae veritate adversus haereses strenue vindicanda emicuisse, uti praeclara testantur monumenta. Nihilominus dum plura ex Cathedralibus Capitulis in Hispania insignibus varii generis ecclesiasticis ex Apostolico indulto fruuntur, se quolibet ex ipsis esse destitutos. Hisce itaque expositis, oratores SS.mo D.no Nostro Pio PP. X humiles obtulerunt preces, quas R. P. D. Gregorius Aguirre et Garcia Archiepiscopus Burgensis atque Calaguritanae dioecesis Administrator Apostolicus commendavit, ut usum sibi flocculi viridis coloris in pileo et bireto, simulque facultatem induendi vestem talarem nigram oris et globulis violaceis ornatam cum collari et caligis coloris eiusdem benigne tribuere dignaretur.

Sanctitas Sua, me referente infrascripto Sacrae Cong.nis consistorialibus negotiis expediendis praepositae Substituto, cunctis quae consideranda erant matura deliberatione perpensis, attenta Calaguritanae ecclesiae Cathedralis praestantia, et Burgensis Archiepiscopi commendatione, ad splendorem divini cultus augendum, atque ad stimulos adiiciendos Calaguritani Capituli Canonicis, quo iidem in sacris ministeriis obeundis alacriores in dies fiant, oblatis precibus benigne adnuendum censuit. De Apostolicae itaque potestatis plenitudine Beatitudo Sua omnes et singulos Calaguritanae ecclesiae Cathedralis Canonicos actu existentes a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis poenis, a iure vel ab homine quovis modo vel quavis de causa latis, si quas fortasse incurrerint, huius tantum rei gratia absolvens et absolutus fore censens, iisdem eorumque legitimis successoribus in perpetuum indulsit, ut *intra limites Calaguritanae dioecesis* vestem talarem nigram cum oris, globulis, collaris et caligis coloris violacei licite ac valide gestare possint et valeant, itemque in pileo et bireto flocculum viridis coloris, servatis Apostolicis Constitutionibus, ritualibus dispositionibus, aliisque de iure servandis, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Hisce autem super rebus eadem Sanctitas Sua praesens edi iussit decretum consistoriale, perinde valiturum ac si super praemissis litterae Apostolicae in forma Brevis expeditae fuissent, cuius executionem cum facultatibus opportunis et necessariis etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quamcumque aliam personam in ecclesiastica dignitate constitutam, commisit Burgensi Archiepiscopo, et decretum ipsum inter Acta Sacrae huius Cong.nis referri mandavit.

Datum Romae hac die 15 Maii anno D.ni 1905.

Pro R. P. D. *Secretario*
Iulius Grazioli, *Substitutus*.

L. ✠ S.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 26 Augusti 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda :

A. — Per Summaria precum.

I. Abellinen. — Dispensationis ab irregularitate. — R. *Pro gratia, onerata Episcopi conscientia super necessitate aut utilitate ordinationis Oratoris in bonum dioecesis, facto verbo cum SS.mo.*

II. Licien. — Remotionis impedimenti sponsalium. — R. *Dilata et ad mentem.*

III. Lugdunen. — Irregularitatis. — R. *Modo non expedire.*

B. — In folio.

I. Leodien. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

II. Panormitana. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse infirmandam.*

III. Versalien. — Nullitatis Matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

IV. Feretrana. — Translationis sedis paroecialis. — R. *Ad 1um providebitur in secundo. Ad 2um Affirmative iuxta cap. IV sess. 21 Concil. Trid. de Refor. et Episcopi votum in litteris diei 24 Martii 1905.*

V. Derthonen. — Dismembrationis bonorum. — R. *Dilata.*

VI. Acheruntina seu Ordinis Minorum S. Francisci. — Paroecialis. — R. *Ad mentem.*

VII. Policastren. — Concursus. — R. *In decretis 7 Decembris 1904.* (Reservata).

VIII. Salutiarum. — Remotionis a Paroecia. — R. *Dilata.* (Extra-ordinem).

A. — Per Summaria precum.

2557/5

I.

Abellinen. — Dispensationis ab irregularitate.

Dispensatur cum ordinando super defectu ex amputatione dexteri cruris, cui convenienter suppletur auxilio cruris artificialis.

Clericus Acolythus Ernestus Guerriero tenui investitus beneficio sub titulo SS. Sacramenti et Modestini reverenter exponit, quod usque a mense Iulio 1902 erat promovendus ad S. Subdiaconatus Ordinem. Verum eo tempore acri correptus dolore in genu dextro post varios morbi accessus ex peritorum in arte chirurgica consilio cruris amputationem sufferre debuit. Huic defectui nunc supplet crure artificiali seu authomatico quod est ita affabre elaboratum, ut et nullam praeseferat extrinsecam deformitatem, et peragere queat absque incommodo omnes corporis motus, ipsa inclusa genuflexione.

Quare per supplicem oblatum libellum nunc instat pro

benigna dispensationis concessione super praefata irregularitate ut hoc impedimento non obstante, ad maiores ordines promoveri valeat. Episcopus, cui libellus fuit ablegatus, ut super oratoris qualitatibus tum moralibus tum intellectualibus referret, nec non audiret etiam caeremoniarum magistrum et iudicium exquireret medici periti circa periculum ne morbus ingravescat, litteris diei 27 Iunii mox elapsi haec habet: « Ut mandato Rev.mae Eminentiae Vestrae referam circa preces Ernesti Guerriero acolythi huius dioecesis, quas commendo, eum in aetate annorum vigintiquinque constitutum, bonis moribus ac pietate, communi ingenio scientiaque sufficienti praeditum, in Ecclesia Dei non inutilem ministrum fore, bono exemplo bonisque operibus fideles aedificaturum, non sine rationali motivo et spe, confidenter in Domino reputo et retineo ».

Duo periti medici ab eodem Episcopo deputati testantur (quamvis non interposita iurisiurandi religione) « che dopo « l'operazione subita il Guerriero non ha avute altre mani« festazioni morbose; che attualmente trovasi in buona con« dizione di salute, e che premessi questi fatti si ha certezza « che la malattia non si ripeterà ».

Votum vero magistri caeremoniarum qui Oratorem examini supposuit, est sequentis: « Il Guerriero esegue il tutto « con esattezza e senza alcuna ammirazione e scandalo dei « fedeli. Comodamente col calice fra le mani, esce ed entra « in sagristia, dice il *Dominus vobiscum* e *l'Orate fratres*, « eleva l'Ostia ed il calice dopo la consacrazione, fa la Co« munione e benedice il popolo; soltanto dopo la consacra« zione fino alla comunione *inclusive*, non può liberamente « poggiare il ginocchio destro a terra, sebbene supplisce con « una inchinazione profonda: in altre occasioni può fare la « detta genuflessione, spingendo una molletta, annessa alla « gamba artificiale: tale operazione gli riuscirebbe molto « d'incomodo dopo l'elevazione dell'Ostia e del calice, do« vendo tenere congiunte le dita, cioè il pollice e l'indice « a causa della consacrazione ».

Quod corpore vitiati a ministerio altaris sint arcendi, iam abunde fuit demonstratum in alia coaeva causa *Lugdunen.* (1). Id autem praesertim obtinet quando mutilatio sit insignis, quia uti traditur in Cap. *Presbyterum de cler. aegrotante* « nec secure propter debilitatem, nec sine scandalo propter deformitatem hoc (nempe missae celebrationem) fieri posse confidimus ».

Hinc est quod plura extant exempla denegatae dispensationis in huiusmodi casibus. Ut nonnulla proferam, sufficiat recolere sequentia. In *Patavina* diei 27 Aprilis 1861 dispensatio denegata fuit clerico, qui deformatam habebat dextram manum licet pollex et index essent integri. In *Pampilonen.*, diei 21 Martii 1863 gratia non fuit concessa ob defectum sinistrae manus. Hisce addi potest recentissima resolutio in causa *Bergomen.*, diei 21 Novembris 1903 (2), in qua simile indultum denegatum fuit clerico, cui ob contractum morbum amputati fuerant duo pedes, qui per ligneum instrumentum substituti fuerunt.

Verum ex adverso etiam dari possunt speciales circumstantiae, quae, dicto defectu non obstante, inclinent S. Sedem ad benignius cum hisce clericis agendum. Hae vero circumstantiae in his duobus dici possunt contineri nempe vel quod defectus non impediat congruum ordinis exercitium, vel quod deformitas sit talis quae non pariat scandalum, aut aliquam admirationem eam spectantibus. Talibus porro innixa principiis H. S. C. non semel petitam concessit dispensationem.

Re quidem vera in una *Bergomen.*, diei 13 Iunii 1868 clericus indultum habilitationis ad SS. Ordines (quamvis cum clausula *pro gratia* in exemplum non afferenda) consecutus est, cui amputatus fuerat pes sinister, et facta fuerat substitutio per pedem fictitium authomaticum, licet eo utens paulisper claudicaret. Eadem gratia concessa fuit in *Adrien.*, diei 11 Decembris 1875. Siquidem clerico, cui crus cum parte coxae praecisa fuerat et ligneum pariter instrumentum aptatum, eam enixe imploranti rescriptum fuit: *Attentis peculiaribus circumstantiis, pro gratia arbitrio et conscientiae Episcopi facto, verbo cum SSmo.*

Eamdem benignitatem H. S. C. adhibuit in una *Mediolanen.*, diei 14 Aprilis 1894 (1) cum clerico qui passus caesionem cruris sinistri, quamvis cum subrogato crure ligneo altaris gradus ascendere vel descendere valeret, tamen in genu flectendo aliquam difficultatem experiebatur. Verum concessioni addita fuit mens quae fuit « ut Ordinarius ante gratiae concessionem certior et securus evaderet quod in usu lignei cruris omne periculum irreverentiae in exercitio SS. Ordinum abesset ». Non itaque alienum est a praxi H. S. C. quod eiusmodi gratiae, nonnullis specialibus circumstantiis extantibus, concedantur.

Atqui hae circumstantiae in proposito casu non videntu deesse. Primo iuxta peritorum testimonium abest omne pe riculum quod morbus iteretur. Item ex relato magistri caeremoniarum voto nedum exulat scandalum et admiratio in populo, sed clericus Guerriero insuper exacte peragere valet omnes SS. caeremonias in missae litatione, tantum excepto « che dopo la consacrazione fino alla comunione *inclusive*, « non può liberamente poggiare il ginocchio destro a terra, « sibbene supplisce con una inchinazione profonda ».

Demum expendendum venit quod clericus Guerriero praeter praeclaras morales qualitates est etiam praeditus, uti refert Episcopus, communi ingenio scientiaque sufficienti. Quare eius ordinatio vertet in Ecclesiae bonum et populi utilitatem.

Quin oggeratur contraria resolutio in *Bergomen.*, diei 21 Novembris 1903 superius adducta. Ibi enim agebatur de clerico pollenti ingenio et capacitate, quae vix dici poterat sufficiens. Insuper ille clericus sacras caeremonias explere non poterat, quin aliquam admirationem aut scandalum inter fideles gigneret. Siquidem tunc rogatus caeremoniarum magister de eo sequentia addebat: « il modo di salire e di « scendere i gradini dell'altare, quello di volgersi al popolo « nel dire *Dominus vobiscum, Orate fratres* etc. fa una « certa impressione, quasi che il giovane abbia ad ogni « momento a cadere. Inoltre nell'atto di rivolgersi dall'al« tare verso il popolo, è necessario che esso con una « mano si appoggi all'altare ». Unde merito rescriptum fuit: *Attentis omnibus, non expedire.*

At ista inconvenientia prorsus exulant in proposito casu: hinc gratia videtur posse concedi.

Quare etc.

Responsum fuit: *Pro gratia, onerata Episcopi conscientia super necessitate aut utilitate ordinationis Oratoris in bonum dioecesis, facto verbo cum SS.mo.*

$\frac{1717}{5}$ III.

Lugdunen. — Irregularitatis.

Non conceditur pro nunc dispensatio expetita a Diacono promovendo, qui morbo comitiali laborat, quamvis convulsiones sint admodum rarae,

(1) Vide infra in hac pagina.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XI, p. 44.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. II, p. 169.

et levissimae, et horis plerumque nocturnis accidant.

Ioannes Maria Aloysius Seive, Diaconus Lugdunensis Dioecesis, 26um annum agens, nuper supplici oblato libello exponit: « Qu'ayant été atteint de crises d'épilepsie après son « ordination au diaconat, il n'a pu être ordonné prêtre au « terme de ses études ecclésiastiques. Comme les atteintes « de son mal sont devenues de plus en plus rares, et qu'elles « se produisent surtout la nuit, il supplie respectueusement « Votre Sainteté de daigner lui accorder la dispense dont « il a besoin pour être admis à la prêtrise, selon le désir « très ardent qu'il n'a cessé d'en avoir ».

Suprascriptas vero preces ita commendat Emus Archiepiscopus: « Le Cardinal Coullié, Arch. de Lyon, supplie humblement le Saint-Père d'accueillir avec bienveillance la « présente supplique ».

Heic etiam operae pretium duco referre testimonium medici Tournaire, quod orator suae petitioni adnexuit: « Je soussigné, docteur en médecine de la Faculté de Lyon, médecin « de l'Asile d'épileptiques de la Teppe, certifie que Monsieur l'abbé Seive Jean-Marie-Louis, de Pradines (Loire), « âgé de 26 ans, pensionnaire au dit Asile depuis le mois « de mars 1903, est atteint d'épilepsie.

« Toutefois ce jeune homme est actuellement en voie « d'amélioration; depuis son entrée à l'établissement de la « Teppe en mars 1903 jusqu'au 1er mars 1904 il a eu dix « crises d'épilepsie et depuis le mois de mars 1904 jusqu'à ce « jour (8 février 1905) il n'a eu que cinq crises. Il s'est écoulé « un laps de temps de cinq mois pendant lequel ce jeune « homme n'a pas eu à souffrir de sa névrose.

« En novembre et décembre derniers, sous l'influence d'une « fluxion dentaire, il a eu deux nouvelles crises; depuis lors « il n'a eu aucune manifestation de sa névrose.

« Je dois ajouter que les dernières ont été bien moins « fortes que les crises du début; de plus, Monsieur Seive n'a « ni vertiges, ni fugues, signes pourtant fréquents chez les « épileptiques; et les crises lorsqu'elles se produisent, ont « lieu généralement la nuit.

« Cette névrose n'a nullement atteint les facultés intellectuelles de M. Seive qui jouit d'une vive intelligence.

« En résumé, je constate chez M. l'abbé Seive une grande « amélioration, tant au point de vue de la fréquence « que de l'intensité des crises, et j'estime qu'il est possible « d'espérer la guérison de sa névrose ». Modo nonnulla hinc inde breviter disceptantur.

In primis itaque videretur haud esse concedenda petita gratia dispensationis seu habilitationis, tum quia universaliter et districte conclamant ss. canones ab altaris ministerio arcendos omnino esse eos, qui epileptico morbo corripiuntur; tum quia desunt vel saltem non apparent in casu rationes sufficientes quae semper de praxi requiruntur ad talem elargiendam dispensationem.

Primum evidentissime evincitur sive ex traditis in *cap. 1, 2 et 3 de corp. vitiat.* sive ex *cap. 5 de Cleric. aegrot.* (Cf. Gonzalez in *Comm. ad tit. de corp. vitiat.*); et speciatim ex cap. Maritum *dist. 33*; item ex *can. 1, caus. 7, quaest. 7, in Decreto.* Ubi legitur: « Consulimus igitur ut si frequenter hoc morbo (caduco) tangitur (presbyter) ab oblatione omnimode et missarum celebratione prohibeatur. Indecens enim est et periculosissimum ut hoc ei accidat, quatenus in consecratione Eucharistia morbo victus epileptico cadat. Si vero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa sed infirmitas est in causa, eum sacrificare iam non interdicimus » (Cfr. Ferraris ad *v. Irregularitas*; Reiffenstuel in *lib. 1, Decr. tit. 20, n. 19*).

Neque quoad secundum adsunt in themate causae sufficientes ad dandam dispensationem. Sane constat in huiusmodi impedimentis, S. Sedem non dispensare nisi agatur in primis de evidenti necessitate seu utilitate Ecclesiae, uti eruitur ex praxi H. S. C.; et praesertim quando ille pro quo dispensatio petitur sit moribus valde commendabilis et non communi ingenio praeditus.

Atqui utrumque in casu desideratur; etenim Emi Ordinarii litterae commendatitiae nullum continent verbum de Ecclesiae suae Lugdunensis necessitate seu utilitate, et nihil innuunt de moribus ac ingenii dotibus clerici Ioannis Mariae Seive in eis commendati.

Ad hoc addendum quod vel nihil vel parum fidendum sit attestationi medici quae non est iuramento firmata.

Demum expendi potest, quod morbi comitialis vis in Diacono Seive licet sit imminuta non tamen totaliter evanuit, uti ex excripto superius documento scatet: « Je dois ajouter, « que les dernières crises ont été bien moins fortes que « les crises du début: de plus M. Seive n'a ni vertiges ni « fugues, signes pourtant fréquents chez les épileptiques; « et les crises, lorsqu'elles se produisent, ont lieu généralement la nuit ». Hinc cum diaconus Seive non adhuc convaluerit tutius fortasse foret respondere – *Pro nunc non expedire* – uti primum factum fuit in una *Venetiarum – Irregularitatis* (1), quamvis deinde gratia cum nonnullis cautelis fuerit concessa sub die 12 Sept. 1896, et in alia *Treviren. – Dispensationis ab irregularitate*, in qua primum rescriptum fuit – *pro nunc non expedire* – deinde – *Dilata ad sex menses exhibito etiam documento alterius medici ab Episcopo deputandi* – et tandem indultum elargitum fuit.

Ex altera vero parte non videntur deesse sufficientia motiva, quae gratiae concessionem in themate suadeant. In primis enim adest necessitas vel utilitas ecclesiae, nec non boni mores et ingenium promovendi. De hisce mentionem non facit expressam Emus Archiepiscopus, sed tamen optime ex eius litteris commendatitiis haec requisita praesumi seu deduci possunt. Non enim commendasset preces eius qui vel inutilis absolute foret Ecclesiae, vel omnino inhabilis vel indignus. Accedit quod medicus de dotibus ingenii expresse testatur: « Cette névrose n'a nullement atteint les facultés « intellectuelles de M. Seive, qui *jouit d'une vive intelligence* ».

Insuper compertum est Papam facilius dispensare cum iam promoto, ne afflicto afflictio detur, et maxime si absque culpa accesserit impedimentum (*cap. 2 de Cler. aegrot.*; *c. 1 de corp. vitiat.*; in una *Commen.* 6 Maii 1775 et 11 Iul. 1776; in una *Bajon.* 20 Mart. 1824; in una *Astoric.* 27 Febr. 1869 et in una *Ceriniol.* 20 Decembris 1902). Haec autem circumstantia in casu minime desideratur, cum promovendus iam sit in ordine diaconali constitutus. Quare facilius locus fit indulgentiae.

Praeterea ut notat Schmalzgrueber *tom. 1, part. 3, tit. 20*, hic morbus epilepsiae non inducit semper et absolute per se irregularitatem, sed tunc solum quum iudicio peritorum potest impedire altaris servitium; et tunc solum quis est ratione huius morbi absolute inhabilis, cum *actu* eo laborat. Hinc nec esset dispensationi locus si probabiliter constaret morbum *actu* non adesse.

Quibus sic stantibus eo facilior redditur dispensatio quando tales sint morbi circumstantiae, quae opinionem sat probabilem inducant vel disparuisse morbum vel certo et proxime cessatum iri (Cf. Lega, *De iudiciis, vol. III, p. 371*). Iamvero ex allata medici attestatione tales sunt circumstantiae morbi in diacono Ioanne M. Seive.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. IV, p. 446.

Nam 1.° convulsiones sunt admodum rarae: « Depuis son « entrée à l'établissement de la Teppe en mars 1903 jusqu'au « 1er mars 1904 il a eu dix crises... et depuis le mois de « mars 1904 jusqu'au jour 8 février 1905 il n'a eu que cinq « crises ». Et advertit medicus: « Il s'est écoulé un laps de « temps de cinq mois pendant lequel ce jeune homme n'a « eu à souffrir aucune manifestation de sa névrose ».

2.° Hae convulsiones sunt sub forma levissima: « Je dois « ajouter que les dernières crises ont été bien moins fortes « que les crises du début; de plus, M. Seive n'a ni vertiges ni fugues, signes pourtant fréquents chez les épi- « leptiques ».

3.° Easdem diaconus Seive in genere tantum patitur horis nocturnis: « et les crises, lorsqu'elles se produisent, ont lieu « généralement la nuit ».

4.° Demum adest fundata spes perfectae valetudinis. Ait enim medicus in citata attestatione: « En résumé, je constate « chez Monsieur l'abbé Seive une grande amélioration, tant « au point de vue de la fréquence que de l'intensité des « crises, et j'estime qu'il est possible d'espérer la guérison « de sa névrose ».

Neque profecto desunt exempla harum concessionum. Sic ut plures alias omittam H. S. C. in una *Reatina* et *Nursina* (14 Maii 1831) dispensavit cum quodam clerico qui dum in Seminario moraretur *quater vel quinquies in ultimo domicilii sui anno tali fuit affectus morbo*. Eadem dispensatio sub die 26 Ian. 1828 concessa fuit clerico Paschali Ruffa, uti patet ex una *Tropien. — Dispensationis ab irregularitate*. Casus inibi tractatus erat fere praesenti consimilis.

Nam etiam clericus Ruffa morbo abripiebatur licet interruptim nocturno tempore, atque id asserebatur ex medici testimonio non tamen iurato. Hisce vero non obstantibus S. H. C. attentis praeclaris clerici qualitatibus et necessitate ecclesiae, nec non circumstantia levitatis et horae nocturnae morbi, Oratoris precibus annuit per rescriptum: — Pro gratia dispensationis et habilitationis facto verbo cum SSmo. In themate vero alia gravis etiam concurrit circumstantia nempe quod agitur non de simplici clerico, sed de clerico iam in diaconatus ordine constituto.

Quare etc.

Responsum fuit: *Modo non expedire*.

B. — In folio.

2126/4 I.

Leodien. — Nullitatis matrimonii.

Declaratur constare de nullitate matrimonii in casu ob impedimentum dirimens affinitatis in primo gradu lineae collateralis ex copula illicita.

Robertus ex urbe Mons oriundus, Leodii autem domicilium habens, cum annum 20 suae aetatis ageret, effraena ductus libidine, quadam cum meretrice Maria, illicitas per aliquot menses relationes habere non erubuit. Postea ipsa relicta, eidemque vesanae libidini indulgens, cum illius sorore germana Catharina, perdita itidem foemina, turpiter agere coepit.

Interea Roberti pater eiusmodi relationes abrumpere satagens, mense Martii 1901, ipsum in Canadensem regionem misit. Verum cum et illuc Catharina advenisset, die 15 Iulii eiusdem anni in parochiali ecclesia loci *Duck Lake* ipsius regionis, quin ulla ab impedimento dirimente affinitatis dispensatio petita fuerit, matrimonium adstante parocho inter eos celebratum est.

Haec sane vir de illicitis suis relationibus antea cum Theresia habitis iuratus deposuit.

Percontatus autem: « N'avez-vous pas pris des mesures pour prévenir la conception? — Respondit: « Je n'ai pris aucune mesure ».

Mense insuper Septembri anni 1902 cum sponsi bonis dissipatis Antuerpiam rediissent, Catharina hac illac vagari coepit, adeo ut vir inhonestam ipsam agere vitam suspicans, de dissolvendo tali coniugio cogitaverit; et sane mense Februario an. 1903 a laica potestate petiit obtinuitque sui matrimonii nullitatem. « Cette annulation (ipse asserit) a « été prononcée en 1903 à cause du manque de publicité; « je n'avais pas perdu ma qualité de Belge ».

Dein cum idem Robertus exeunte mense Maio dicti anni professorem P. Alphonsum Fabre Congregationis Oblatorum B. M. V. Immaculatae adiisset, eique percontanti pandidisset se carnale cum sponsae sorore ante nuptias commercium habuissse, detecto tunc primum, ut videtur, eodem affinitatis impedimento, ab ecclesiastica auctoritate petiit ipse ut eiusmodi matrimonium etiam in foro ecclesiae nullum declararetur. « J'ignorais complètement cet empêchement; ce n'est « qu'après avoir parlé avec le père Fabre, qui savait que « cette femme avait des sœurs, que j'ai connu l'existence « de l'empêchement ».

Quare Episcopalis Leodiensis Curia rite tribunali constituto, tum viro tum quinque testibus sub iuramento exceptis, retenta impedimenti affinitatis existentia in primo gradu lineae collateralis ex copula illicita ante matrimonium ab eo cum mulieris sorore habita, nec non eiusdem impedimenti ex parte actoris ignorantia, quin proinde super eodem ulla petita ac concessa fuerit dispensatio, die 8 Aprilis 1904 dictum matrimonium nullum declaravit.

Defensor vero matrimonii ex officio ratus affinitatem antecedentem in casu haud debitis fulciri rationibus, apud Archiepiscopalem Mechliniensem Curiam die 5 Maii appellationem instituit.

Huius tamen Archiepiscopus, cui a Leodiensi Episcopo d. 8 Maii eiusdem anni processus acta transmissa sunt, potius duxit ut causa H. S. C. deferretur. Unde cum illa per ipsum Leodiensem Episcopum die 3 Iunii ad H. S. C. missa fuerint, haec, d. 22 dicti mensis et anni, eidem Episcopo rescripsit ut ea complerentur.

Quare Leodien. Curia iterum tribunali constituto, novos ab oratore testes propositos sub iuramento excussit, inter quos dictam Catharinam, quae relationes inter Robertum suamque sororem Theresiam se penitus ignorasse fassa est. Haec autem licet pluries rite citata comparere noluit, imo nullum citationi responsum dedit.

Cum itaque ex huiusmodi novis testium depositionibus facta confirmata essent, quibus sententia ab eodem delegato iudice, die 8 Aprilis 1904 prolata nitebatur, nulla habita ratione eorum, quae dicta Catharina asseruit, mense Martio 1905 idem denuo matrimonium propter memoratum affinitatis impedimentum nullitate laborare declaratum est.

Ab hac tamen confirmatoria sententia cum vinculi defensor iterum appellasset, Episcopus Leodiensis, die 1 Aprilis currentis anni, nova processus acta ad H. S. C. transmisit, simulque significavit nullam ulteriorem inquisitionem superesse peragendam: sibi videri summa certitudine constare tum de impedimenti affinitatis existentia orti ex copula illicita ac iterata oratoris ante matrimonium putatae suae uxoris, per se apta ad generationem, tum nullam petitam ac proinde datam fuisse super eodem impedimento dispensationem ante putatum matrimonium. Item bonam ipse ora-

toris fidem commendavit, addens eum honestae familiae esse, stultitiae suae poenitere, simulque exoptare bonam in posterum vitam ducere. E contra Catharinam iam plures amasios post suam a Roberto separationem habuisse, ideoque eorum reconciliationem haud tentandam esse declaravit.

Testes pariter omnes fide digni omnino sibi visi sunt, adeo ut periurium ipsis tribui nequeat. Quapropter ne orator diaboli laqueis irretitus remaneat, H. S. C. rogat ut edita ab Episcopali Leodiensi Curia sententia supremo iudicio confirmetur.

Viri patronus tribus partibus orationem suam dividit, in quarum prima disserit de testibus ac personis quae versantur in causa et de non concessa dispensatione ab impedimento; – in secunda recolit quid in iure de hoc impedimento statuatur; – in tertia denique demonstrat matrimonium in casu nullum esse ob publicum impedimentum.

Ac *primo* agens de testibus, praemittit eos septem esse...

De iisdem denique haec Episcopum testatum fuisse memorat: « Testes mihi videntur omnes fide digni. Omnes enim sub iuramenti fide testati sunt et periurium illis tribui non potest ».

Quoad insuper personas, quae versantur in causa, animadvertit testes omnes excussos unanimiter asserere oratorem fide dignum esse.

E contra de actoribus uxore huiusque sorore haec idem Episcopus retulit: « Audita fuit Helena uxor Roberti, quae asserere ausa est, se ignorasse relationes inter coniugem suum et sororem Theresiam. Haec mulier nullam videtur mereri fidem. Res patet ex contradictione huius assertionis cum omnibus testibus, et inde deduci tantum potest, nec illam cogitasse ante matrimonium de dispensatione obtinenda. Citata fuit pluries Theresia et ipsa noluit comparere, imo nullum responsum dedit citationi, et invitata cum sorore sua iterum non comparuit ».

Ex duplici demum capite eruit patronus nullam ab hoc impedimento dispensationem petitam fuisse ante matrimonii celebrationem, videlicet tum ex eo quod sponsi penitus ignorabant se hoc impedimento detineri; tum ex duorum presbyterorum testimonio.

His, praeter testimonium parochi asserentis: « sur la pro« duction d'une licence légale et n'ayant pas trouvé d'empê« chement plausible au mariage de Robert », addit ipsius Episcopi relationem: « Constat eadem certitudine (nempe ac illa de impedimenti existentia) nullam datam fuisse dispensationem super hoc impedimento ante putatum matrimonium ».

Ad *secundum* suae orationis caput gradum faciens patronus, recolit notum esse in iure affinitatem ex illicita copula provenientem, matrimonium dirimere usque ad alterum inclusive gradum cuiuslibet lineae, uti in *sess. 24, cap. 4, Conc. Trid. de reform. matrim.* statutum est: « Praeterea S. Synodus, eisdem et aliis gravissimis de causis adducta, impedimentum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractum inducitur, et matrimonium postea factum dirimit, ad eos tantum, qui in primo et secundo gradu coniunguntur, restringit ».

Et quidem, cum id nequeat testibus de visu probari, factum est ut ad constituendam carnalis commercii probationem, violentam iura requirerent praesumptionem, iuxta illud: « Per violentam praesumptionem probatur carnis copula »; prout in noto *cap. 12, Litteris, lib. 2, tit. 23 de Praesumpt.* legitur, ubi de matrimonio iam inito agebatur, dum uxor cum consanguineo viri adulterium patraverat; itemque uti in capite 13 eiusdem tituli habetur, ubi de sponsalibus sermo erat ac de incestu inter sponsum et neptem sponsae, ex quo concubitu impedimentum affinitatis ortum erat. Iamvero memorat advocatus in utroque casu Sum. Pontificem tum adulterium tum incestum admisisse, licet eadem a testibus tantummodo de credulitate probata fuissent, quin exegerit quod testes in actu copulae amasios reperissent. Imo cum Genuen. Archiepiscopus putaret haud sufficienter incestum probatum fuisse, Sum. Pontificem haec eidem respondisse adnotat: « Nos autem quae dicta sunt intelligentes, praesertim cum hoc non dicatur occultum; sed quasi praedicetur a pluribus manifestum, consultius esse credimus, ut matrimonialiter non coniungantur, sed solutis sponsalibus separentur ».

Ex quibus patet, ait orator, Sum. Pontificem affinitatis impedimenti existentiam pro certo retinuisse, secus enim matrimonium haud prohibere potuisset. Unde cum huiusmodi impedimentum testibus probari debeat, eo ipso non occultum sed publicum esse deducit.

Hinc aliqua expendit quoad idem impedimentum occultum et publicum iuxta auctorum doctrinam et praxim ipsius S. Poenitentiariae.

Ad hunc finem in medium affert quae habet Benedictus XIV in *Inst. eccl. 87, n. 43, et seq.* « Ut occultum impedimentum dignoscatur, parum conferre putamus, si illorum sententiae tantum investigentur, qui, nulla experientia praediti S. Poenitentiariae, de hac re temere scripserunt; sed necessarium ducimus perscrutari, quid hoc vocabulo occulti impedimenti ab eodem Sacro Tribunali intelligatur. Haec autem cognitio ab illis solum comparari potest, qui munus aliquod in ipso tribunali gesserunt. Prosper Fagnanus.... de occulto impedimento sapienter sermonen instituit *(Comm. cap. 7, n. 45 et seq. de cohabit. cleric. et mul.)*. Et primum ostendit illud occultum impedimentum dici, quod nullo pacto demonstrari potest et Dei solum iudicio permittitur; impedimentum vero quasi occultum illud esse, quod solum duobus, tribus aut quinque testibus comprobatur ».

Eadem habet Syrus, *Adnotat. Constit. Innocentii XII;* et Henricus Ioannes Feye, *de impedimentis et dispensationibus matrimonialibus n. 80*, haec scribens: « Imprimis quidem certum est, nunquam esse occultum illud, in quo est una ex triplici illa specie publici, quae vocantur, famosum, manifestum, notorium. Has cum Pauwels aliisque sic exponit Carr. *De matrim. n. 1127;* famosum dicitur, quando est fama in maiori parte civitatis, viciniae, vel collegii, orta, non ex scientia, sed ex indiciis et praesumptionibus; unde ratio famosi in eo proprie sita est, quod non exigat scientiam sive ipsius communitatis, sive magnae huius partis, sive etiam unius individui hominis ».

Sic etiam Marcus Paulus Leo, *Praxis ad litt. et bullas Maior. Poenitentiarii et S. Poenitentiariae officii part. 2, cap. 1, nn. 55 et seqq.*, haec tradit de fama: « Proprie fama procedit ex incerto auctore et ex sola suspicione.... Dicitur ex suspicione proveniens ad differentiam manifesti: nam si proveniret ex scientia, non esset fama, sed esset manifestum notorium. Magis placet sequens famae descriptio, quod sit communis locutio de aliqua re ex verisimilibus coniecturis surgens.... hoc est talibus coniecturis, quae videantur rei veritati consentire ».

Unde liquet, concludit advocatus, non posse dici occultum nec quasi occultum impedimentum quod plusquam tribus aut quinque testibus comprobatur, iuxta Benedict. XIV et Fagnanum, eoque minus, iuxta omnes, prout in casu, si sit famosum, seu illud de quo est fama in sensu superius explicato.

Hinc in *tertia* suae orationis parte demonstrare satagit idem matrimonium nullum esse, eo quod affinitatis impedimentum publicum revera extitit.

Et huius quidem existentiam ipse primo evincit ex iurata actoris depositione...

Cum insuper rogatus fuisset qua de causa primam mulierem reliquerit, haec respondit: « Je n'avais pas de quoi « l'entretenir; puis elle s'est collée à un autre jeune homme, « dont elle est devenue la maîtresse. Pendant quelques mois « ma conduite a été bonne; puis je suis tombé sur l'autre, « ignorant même qu'elle était sœur de la première. Elle cependant savait que j'avais eu antérieurement des relations « avec sa sœur. Celle-ci lui avait conseillé de faire ma con« naissance.... Les Pères ne m'ont rien demandé du tout « (nempe si quod impedimentum intercederet); ils ne soup« çonnaient pas l'existence d'un empêchement. J'ai été trou« ver le Père P. le samedi, et il nous a mariés le lundi. Ce « Père était le Curé de la Paroisse que nous habitions. J'en « suis séparé depuis le mardi-gras de l'année dernière, fin « février (1903) ».

Ipse denique in alio examine confirmavit carnalem copulam fuisse completam, aptam scilicet ad mulieris praegnantiam habendam.

Praeterea eiusdem viri pater de illicitis filii relationibus deponens haec habet: « De science personnelle, je ne les « connais pas, mais postérieurement à son retour d'Amérique « et avant qu'il ne connût l'empêchement qui en résultait « mon fils m'a parlé des relations qu'il avait eues avec al « sœur de celle qu'il a épousée ».

Postremo advocatus animadvertit dictum impedimentum uti publice notum pro certo habendum, tum quia de publica meretrice agitur, tum quia aliqui ex allatis testibus id explicite innuunt. Revera Albertus P. ait: « Thérèse l'aimait et « il était un de ses préférés: car elle avait plusieurs amants « et se livrait facilement ». Rogatus autem: « Le fait des « relations, était-ce un fait connu dans le cercle des jeunes « gens? » reposuit: « Oui, ce fait était connu ».

Iacobus postquam retulit A. Verdin publice in quodam thermopolio, ubi Robertus aderat, de huius relationibus cum Theresia narrasse, percontatus; « M. Robert n'a-t-il pas pro« testé? » respondit: « Non, il parlait de cela comme d'une « affaire connue et comme de vieux souvenirs ».

De eadem notorietate loquuntur supra dicti testes.

Quapropter cum ex his omnibus testium depositionibus constet tum illicitas relationes inter actorem et Theresiam per aliquot menses prosequutas fuisse, tum carnalem copulam completam intercessisse, adeo ut de eiusdem impedimenti existentia et quidem notorii dubium haberi nequeat, spem fovet patronus ut Leodiensis Curiae sententia, quae huius matrimonii nullitatem declaravit, ab H. S. O. confirmetur.

E contra sacri vinculi Defensor animadvertit, quod quamvis ad probandum affinitatis impedimentum non requirantur ex. gr. testes de visu, ad declarandum tamen nullum ex hoc capite matrimonium, certae requiri debeant probationes, quae prorsus quodlibet dubium in contrarium excludant. Iamvero hanc plenam probationem in casu haud existere contendit Vindex.

Siquidem cum in huiusmodi causis valde actoris et rei depositiones attendendae sint, eo quod de copula seu de facto per se directe occulto agatur, quomodo in casu, ait, certa praesto esse poterunt nobis argumenta, cum vir minime honestus ac fide dignus appareat, quippe qui suam turpitudinem ex corruptione animi, ut videtur, dimanantem potiusquam incuset eam e contra extollat? Sane memorat Iacobum cum retulisset Antonietta publice in thermopolio de illicitis Roberti relationibus cum Theresia, eo adstante, narrasse, percontatum: « Mr Robert n'a-t-il pas protesté? », haec respondisse: « Non, il parlait de cela comme d'une « affaire connue et comme de vieux souvenirs ». Pariter refert quae alius testis Iulianus hac super re deposuit: « Il « ne s'en cachait pas et il avouait avec fanfaronnade et « hautement ses relations avec elle ». Et Adrianus: « C'était « de notoriété publique, que Mr Robert était l'amant de « Thérèse.... Il invitait souvent ses amis chez elle ».

Et haec quidem difficultas, iuxta ipsum, augetur ex eo quod Helena sponsa turpes huius relationes cum Theresia sua sorore ignorasse deposuerit. Quin opponatur ipsam non mereri fidem ob contradictionem cum caeteris testibus, prout Leodiensis Curia affirmat; cum aliud sit has relationes ignorare, uti eidem Helenae contingere potuit, aliud eas denegare; proinde quousque non probetur eam esse fide indignam, quisque videt eius auctoritatem aliquatenus caeterorum testium dicta infirmare; eo vel magis quod ipsa utpote Theresiae soror, eius relationes cum Roberto noscere debuisset.

Ulterius animadvertit Vindex in casu unum ex validioribus probationis elementis deficere, scilicet ipsius amasiae Theresiae testimonium.

Recolit enim notum esse ad contrahendum affinitatis impedimentum non quamcumque copulam requiri sed perfectam et consummatam, quae sit nempe ad generationem apta, iuxta certissima consectaria: « *a)* minime oriri vinculum affinitatis cum consequenti impedimento dirimenti ex turpissimis quibusve actibus citra naturalem copulam, ut vg. ex copula sodomita, onanistica etc. etc.: *b)* hodie ob morum perversionem facillime esse ambigendum de existentia impedimenti, quum notissimum sit perplures esse, qui vel ad morbos vitandos, vel ad declinandam prolem venere utuntur contra naturam ».

Equidem non inficiatur Vindex sponsum haec deponere: « Les relations ont été complètes et la conception aurait pu « suivre ». Verum cum unus sponsus haec testetur, deficiente depositione alterius seu Theresiae, qui nos certiorabit, quaerit ipse, Robertum et Theresiam copulam perfectam revera explevisse, qualis pro affinitate contrahenda requiritur, vel potius onanistice, condonistice, sodomitice etc. ipsos usos esse? Eo vel magis quod tempore quo idem Robertus eadem testatus est, iam edoctus esse potuit ab aliquo de necessitate copulae carnalis completae pro dicta scilicet affinitate habenda.

Neque pariter officere, observat sacramenti adsertor testes adesse, qui de carnalibus inter Robertum et Theresiam relationibus loquuntur; nam cum de re per se valde occulta agatur, quis de earumdem relationum qualitate docere nos poterit?

Nec denique in casu invocari potest, ait, notum adagium « omne factum, recte seu secundum suam naturam factum praesumitur », adeo ut concludere liceat revera inter ipsos perfectam intercessisse copulam. Certum siquidem ac notorium est multos hodie in palaestra venerea contra naturam procedere, unde necessitas uberiores exigendi probationes, quae omne prudens dubium contrario excludant.

Quapropter si nulla in casu extarent dubia, tum quoad sponsi credibilitatem, tum quoad naturam relationum carnalium, profecto concludi posset et copulam carnalem perfectam locum habuisse, et affinitatis proinde impedimentum fuisse exortum. Verum, scribit vinculi Defensor, « tum sponsus non est quoad credibilitatem omni exceptione maior, tum ipse unus, silente Theresia de natura intima relationum carnalium deponit.... Unde, quum vel ipsorum testium dicta sint satis incerta, quum nonnisi in genere de relationibus carnalibus loquantur, non videtur donec Theresia audita fuerit, iuridice satis probata existentia impedimenti et consequens nullitas coniugii ». Ideoque, concludit, licet ipsa comparere renuerit, tamen cum eius testimonium sit prorsus necessarium, vir iuvenilibus suis erroribus imputet, si eo posthabito nequeat in causa procedi.

His interim ex utraque parte perpensis, rogantur EE. PP. sequens dirimere

DUBIUM

An sententia Curiae Leodiensis sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Responsum fuit: *Sententiam esse confirmandam.*

1749/4 II.

Panormitana — Nullitatis matrimonii.

Decernitur constare de nullitate matrimonii in casu ex capite vis et metus.

Panormi in parochiali S. Iacobi ecclesia die 27 Novembris 1884 Maria tunc in aetate 17 annorum constituta, atque Albertus rite matrimoniali iuncti sunt foedere.

Idem tamen coniugium, utpote adversante muliere initum, infauste cessit. Haec siquidem quae iam a septem annis patre orbata fuerat, sub ditione matris coepit esse ac praesertim fratris Iosephi, qui natu maior cum esset, suaque opera eamdem familiam sustentaret, illam ad invisum coniugium potissimum adegisse videtur, ea, uti ferunt, ratione ductus ut Alberti sororem ipse facilius in uxorem duceret.

Unde eius annuente matre, cui valde intererat filium suum Iosephum vitae necessaria ipsis comparantem haud a se abalienare, cum primum eidem Mariae nuptiae propositae sunt, haec contrarium suum animum ipsis pandere haud dubitavit: imo talem erga Albertum illico aversionem concepit, ut eo praesente saepe se subducere secretaque petere loca solita fuerit. Hinc ex parte matris ac Iosephi fratris vexationes minasque experiri coepit; imo ad eam flectendam nec verbera defuisse ferunt.

Haec sane ipsa fassa est: « Ero ben lontana dal pensiero « di contrarre matrimonio, e mi mostrai contraria..... la vista « (dell'Alberto) mi confermò nella negativa, perchè sentiva « una grande ripugnanza personale per lui..... mi mostrai « sempre resistente al propostomi matrimonio. E quando si « avvidero che non valsero a rimuovermi, ricorsero alle « dure minacce, trascesero alle più aperte privazioni, pri- « vandomi degli abiti e sacrificandomi a non uscir di casa, « lasciandomi digiuna, chiudendomi, non risparmiandomi le « più gravi minacce, trascorrendo financo a percuotermi. « Ciò non valse a che io avessi mutato consiglio persistendo « nella mia negativa....; solo per finzione in un eccesso di « disperazione feci loro promessa meramente labiale ».

Huiusmodi igitur vexationibus per quinque fere menses ab oblato coniugio defatigata ac deterrita, ad ecclesiam tandem perrexit, ibique, ut eadem fatetur, adstantibus matre ac fratre, horumque ideo minas pertimescens, invitum suum consensum expressit: « Mi era proposta financo di rispondere « *no* quando il sacerdote nel momento solenne mi avesse « richiesto, ma nol potei fare per le gravi minacce: chè se « tanto avessi io osato, tornata a casa avrei potuto passare « maggiori guai ».

Tali modo nuptiis celebratis, in domum viri deducta est mulier. Verum duobus transactis diebus etsi haud libens matrimonium consummaverit, virum fastidiens, coniugalem ipsa domum reliquit, atque ad matrem, absque animo ad illum redeundi, divertit.

Interim in domum mariti iterum redire coacta, post quatuor vel quinque dies denuo ex ea discessit, atque ne ab eadem obstinata matre ad virum iterum perduceretur, apud quamdam Franciscam quae eiusdem familiae consuetudine devincta erat, se recepit, non amplius ad Albertum reversura.

Hic itaque ab uxore derelictus, cum satis sibi comperta esset constans sponsae erga eum repugnantia, Panormum reliquit atque alio profectus est, quin adhuc ipsius domicilium dignoscatur.

Duobus transactis annis Maria a laico tribunali appellationis Panormi petiit obtinuitque die 14 octobris an. 1896 vinculi civilis nullitatem.

Postea sui matrimonii nullitatem ex capite vis et metus etiam in foro ecclesiastico obtinere cupiens, supplicem ad hunc finem Panormitano Archiepiscopo die 4 Augusti 1897 libellum misit.

Tribunali rite constituto die 14 Septembris eiusdem anni iuratum ipsius oratricis testimonium exceptum est, dieque 10 Novembris octo iurati testes excussi sunt. Insuper cum idem Archiepiscopus causam distulisset, novamque peragere instructionem iussisset, die 22 Iunii insequentis anni alii quinque ab eadem actrice inducti testes praestito iuramento auditi sunt. Quibus expletis, frustraque citato viro, eadem Archiepiscopalis Curia die 3 Augusti 1898 dictum matrimonium nullum declaravit.

Appellatione prout de iure a vinculi defensore apud Curiam Mazariensem interposita, haec die 9 Octobris 1902 eidem oratrici adversam tulit sententiam.

Serius, id est die 28 Aprilis 1904, dicta actrix ab hac contraria sententia ad S. Sedem appellationem instituit, animadvertens eam tribuendam esse tum eiusdem Curiae officialium negligentiae in examinandis scilicet quae sedulo examinanda erant; tum quia tempus valde longum intercessit a receptione actuum processualium iam in prima instantia peractorum, usque dum ab ipsamet Mazarien. Curia sententia lata fuit; tum denique ex non amplius revisis et consideratis rationum momentis typis et voce ab eadem allatis.

Quapropter S. H. C. die 30 Maii 1904 eidem Panormitano Archiepiscopo rescripsit ut praeter causae adiuncta etiam referret, cur statim a sententia secundae instantiae statim appellatum haud fuerit.

Unde ipse rursum expensis processualibus actis, die 15 Septembris eiusdem anni, postquam recensuit Mariam testimoniis iuratis probasse se nondum aetate maiorem a genitrice atque a fratre coactam Alberto nupsisse, de appellatione sero ab ipsa interposita, die 15 Sept. elapsi anni ista retulit: « Haec interrogata et iurata respondit, quod, tempore disceptationis causae apud Curiam Mazarien., aegrotavit frater eius Ioannes qui causae patrocinium susceperat, qua de re causa absque patrocinio in contumacia fuit iudicata. Post sententiam negativam, perdurante infirmitate fratris, actrix variis infortuniis exanimata, appellandi propositum reliquit, ex eo speciatim quod consilio nubendi renuntiaverat.

« Verum initio huius anni, mense Februario, honesti et utilis matrimonii propositio Mariae facta est; unde causam resumendam decrevit, et die XXVIII Aprilis h. a. ad istam S. C. appellavit. Hoc idem confirmat sub iuramento confessarius oratricis.

« Hisce habitis, Eminentissimos Patres Cardinales enixe rogo ut, qua maiori possint sollicitudine, sententiam Curiae Archiepiscopalis confirment, ut oratrix ad novas nuptias libere transire valeat ».

Cum insuper die 19 Ianuarii currentis anni iterum Archiepiscopo rescriptum esset ut acta compleret servatis de iure servandis, inducendo scilicet ex officio testes qui viri contumaciam quodammodo supplerent, nec non formiter interrogando Iosephum actricis fratrem, qui una cum matre metum ac vim Mariae incussit, eadem Curia die 2 elapsi mensis

Martii, quinque sub iuramento excussis ex officio testibus, processualia acta die 10 Maii ad H. S. C. transmisit.

Quare iisdem perlectis actis, perpensisque tum a Consultore tum a vinculi Defensore ex officio allatis argumentis, dignentur EE. PP. sequens dirimere

DUBIUM

An sententia Curiae Mazariensis die 9 Octobris 1902 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Emi Patres rescripserunt: *Sententiam esse infirmandam.*

1540/5 III.

Versalien. — Nullitatis matrimonii.

Decernitur matrimonium fuisse nullum in casu, ob impedimentum clandestinitatis.

Petrus annorum 45 et Paulina 24 annos agens Parisiis in parochiali ecclesia S. Michaëlis die 5 Augusti 1897 matrimonium inierunt.

Idem vir ex loco S. oriundus, domicilium autem in dioecesi Versaliensi habens, anno, ut videtur, 1893 inhoneste cum dicta Paulina consuescere coepit, quae tunc in parochia SS. Trinitatis domicilium habebat, libidineque ducta usque ab anno 1890, prout eius mater refert, paternam reliquerat domum in parochia S. Augustini eiusdem civitatis sitam.

Haec insuper cuncta sua supellectili divendita, quam antea e materna domo abstraxerat, concubinariam in domo amasii vitam simul instituit, qui, ut fatetur, ab exeunte anno 1889 usque ad initium anni 1894 in parochia S. Laurentii domicilium habuit, postea cum dicta Paulina in locum V. pervenit.

Ineunte anno 1897, cum iam scilicet per quatuor annos huiusmodi contubernium perduraret, Paulina se praegnantem esse contendit, instanterque proinde a viro postulavit ut matrimoniali vinculo iidem firmius unirentur, Petrus, utpote de Paulinae veracitate dubitans, quamvis initio haesitans, illius tandem precibus pressus ei assentitus est.

Verum cum ipsi in memorato loco V. putarentur prout legitimi coniuncti, ut adversos ideo rumores vitarent, Lutetiam Parisiorum petierunt, atque in parochia S. Laurentii matrimonium vir inire statuit. Attamen cum ibi de futurae sponsae domicilio percontatus a parocho esset, nollens pandere se V. cum ea contubernium fovere, huius matris domicilium indicare cogitavit, quod per id temporis ipsa, S. Augustini parochia relicta, in parochia S. Michaëlis habebat.

Sane ibi nullo, ut videtur, adversante, nullaque habita delegatione a parocho loci V. ubi ipsi domicilium acquisierant, tribus praemissis denuntiationibus tum in ecclesia S. Michaëlis tum in ecclesia S. Laurentii, adstante eiusdem S. Michaëlis ecclesiae parochi vicario, matrimonium inter ipsos celebratum est.

Haec quidem vir deposuit: « Mon dernier domicile avant « mon installation à V. a été celui de la paroisse St-Lau« rent..... Je n'ai jamais habité à un moment quelconque sur « la paroisse St-Michel ». Iterum percontatus, respondit: « Je « n'ai jamais eu sur la paroisse St-Michel ni bureau, ni « dépôt de meubles, ni chambre louée, ni pied-à-terre ».

Ipse parochus fatetur se nescisse Paulinae matrem in dicta parochia S. Michaëlis domicilium habere, haec addens: « On m'a présenté Mlle Pauline comme majeure, domiciliée « sur la paroisse; j'ai accepté cette déclaration.... Nous « n'avons reçu aucune délégation... A Paris, dans toutes les « paroisses, il est impossible de faire une enquête afin de « savoir si les futurs font de fausses déclarations au sujet « de leur domicile, parce que dans des paroisses très popu« leuses, qui comptent, comme à St-Michel 70.000 habitants, « les mariages sont trop nombreux, et le personnel trop « restreint ».

Vir insuper asserit mulierem quatuor illis annis quibus concubinarie cum eo vixit nunquam matrem invisisse, imo alienum invicem eas animum habuisse, adeo ut nec domicilium nec quasi-domicilium apud ipsam per id temporis unquam retinuerit, prout etiam eadem fassa est: « Depuis « ce départ (1890), jusqu'au moment de son mariage, je ne « l'ai pas revue. Je n'ai jamais correspondu par lettres avec « elle, ni autrement; et elle n'a pas cherché à correspondre « avec moi..... J'affirme même que ma fille ne serait pas « revenue habiter chez moi en aucun cas, après ce qui « s'était passé entre nous; elle n'aurait pas eu cette idée, « et je ne l'aurais pas reçue ».

Tantum cum actum est de matrimonio celebrando asserit vir ipsam nonnisi iterum iterumque ab eo per epistolas rogatam, consensum praestitisse.

Paullo post celebratum matrimonium cum mulier erga alium virum amore capta Petrum reliquisset, eo instante sententia divortii a laica potestate edita fuit: illa autem cum dicto amasio civili ritu iuncta, alio profecta est.

Interea idem Petrus die 15 Novembris 1904 Versaliensem adiit Curiam, expetens ut sui matrimonii cum Paulina contracti ex capite clandestinitatis nullitas declararetur, haud omittens se iisdem nuptiis consensum tantum sub conditione praebuisse, prout in supplici libello asseruit: « Le soussigné « n'entendait vraiment consentir, que si la future était « réellement enceinte. Or elle ne l'était pas ».

Eadem Curia die 5 Dec. dicti anni rite tribunali constituto, tum actorem tum sex alios sub iuramento testes excussit, quibus accessit iuratum vicarii parochiae S. Michaëlis testimonium, nec non scripta declaratio parochi loci V.; Cum mulieris domicilium ignoretur, ipsa proinde audiri non potuit; iuratum tamen testimonium tum matris tum fratris ipsius exceptum est.

Die insuper 21 Februarii currentis anni iudex Versaliensis cum perpendisset sponsos neque domicilium neque quasi-domicilium in parochia S. Michaëlis servare, itemque Paulinam domicilii paterni affectum haud retinere; nec non considerato quod nec vicarius qui consensum contrahentium recepit, nec parochus ecclesiae S Michaëlis delegationem a parocho loci V. habuerunt, declaravit constare de nullitate eiusdem matrimonii ex Tridentinae formae defectu.

Ab hac sententia cum vinculi defensor prout de iure appellasset, H. S. C. cui eadem acta transmissa sunt, visum est non satis constare de defectu domicilii viri in paroecia ubi matrimonium celebratum fuit. Quare d. 12 elapsi mensis Maii dictae Curiae rescriptum est ut complerentur acta, referendo scilicet quibus in parochiis vir commoratus fuerit tempore quo Parisiis degit, ab an. scilicet 1883 ad annum fere 1896; sin minus ubi commoratus sit ultimis annis antequam peteret: V. pariter si vir praedicto hoc tempore in paroecia S. Michaëlis habitavit, ediceretur quomodo ipse reliquerit illud domicilium quando V. petiit.

His mandatis eadem Curia parens, die 6 Iunii actorem iterum sub iuramento excussit, aliosque pariter iuratos quatuor testes excepit, ac demum die 16 eiusdem mensis suppletoria acta ad H. S. C. transmisit, haec adnotans. « Ex responsionibus cum iuramento actoris et testium mihi constat ne momento quidem Petrum habitasse ac proinde acquisiisse in paroecia Sancti Michaëlis domicilium vel quasi-domicilium relative ad matrimonium. In prioribus actibus processualibus, ipse iam declaraverat se nunquam habuisse domicilium vel quasi-domicilium in dicta paroecia; ad quaesitum iudicis

adiuncti D. Risler testis ipse responderat: « sponsos nunquam habitasse in paroecia Sancti Michaëlis »; ex noviter dictis manifestius constabit de defectu domicilii viri in paroecia ubi matrimonium in casu celebratum fuit ».

Istis itaque perpensis actis una cum Consultoris voto ac Defensoris vinculi ex officio animadversionibus, EE. PP. erit sequens dirimere

DUBIUM

An sententia Curiae Versaliensis diei 21 Februarii 1905 sit confirmanda vel infirmanda in casu?

Responsum fuit: *Sententiam esse confirmandam.*

1246/5 IV.

Feretrana. — Translationis sedis paroecialis.

Translatio sedis paroecialis non conceditur in casu, sed parocho imponitur onus deputandi suis expensis Vicarium coadiutorem in pago in quo translatio expostulabatur.

In cacumine montis S. Pauli prope oppidum Montegrimano exurgit antiqua ecclesia paroecialis S. M. Apollinari dicata, quae sub sua ditione plures complectitur vicos huc illucque dispersos. Paroecia sese protendit a vertice usque ad radices montis in plaga orientali, et in hac ima parte in planitie est praecipuus territorii curatialis pagus nuncupatus *Mercatino Conca* a fluvio Conca qui eius incolas alluit a sinistra ripa.

Hic vicus qui anteactis temporibus paucis conflabatur familiis, nunc ita incolis accrevit ut in praesentiarum plusquam 700 personas recenseat et spectari possit fere uti centrum totius paroeciae. E converso accidit in superiori parte paroeciae; nam ibi paroecianorum numerus sensim sine sensu ob eorum immigrationem in inferiorem partem decrescere coepit, et nunc vix 200 fidelibus continetur. In hoc pago adest ecclesia et cappellanus a parocho deputatus pro spiritualibus necessitatibus fidelium. Sed non omnia quae praestat parochus, praebere potest cappellanus. Aliunde oppidanis est valde incommodum praesertim hiemali tempore ob vias difficiles et fere impervias sive etiam ob nimiam distantiam 4000 nempe passuum ascendere dorsum praerupti montis ad petendam ecclesiam paroecialem et parochum.

Hisce moti difficultatibus mense nuper elapso Februarii Mercatinenses recursum obtulerunt H. S. C. expostulantes, ut decernatur translatio sedis paroecialis S. Apollinaris in pagum *Mercatino Conca.*

Verum huic petitioni totis viribus refragantur, qui partem superiorem paroeciae incolunt. Rogatus super hoc recursu Episcopus, ipse ita favorabilem sui animi sensum petitae translationi exhibet in litteris responsivis diei 24 Martii p. p. « Sul conto poi della residenza parrocchiale se, cioè questa « debba mantenersi in S. Apollinare, ovvero debba trasfe« rirsi a Mercatino Conca, ella è cosa certa che il maggior « numero delle anime, il bene delle medesime, l'importanza « del luogo ed ogni altra migliore ragione la reclamerebbero « a Mercatino Conca, quando per altro gli abitanti, che si « dichiararono a ciò disposti, avessero provveduto alla siste« mazione della chiesa e della canonica ». Insuper addit, quod cum modo paroecia sit vacans eiusque collatio S. Sedi ratione mensium Papalium reservata, in hypothesi conservationis primitivae Sedis paroecialis in Bulla collationis aequum foret novo parocho imponi onus suis expensis manutenendi cappellanum in pago *Mercatino Conca*, et assentiendi eventuali inibi erectioni novae paroeciae.

Cum partes contendentes sibi respectivos patronos elegerint, et lis contestata etiam fuerit quoad onus manutentionis Cappellani a novo parocho, modo summatim contexam deductiones ab his mihi exhibitas, advertens quod Mercatinensium defensor disceptationem coarctat tantum ad primum dubium nempe ad translationem sedis paroecialis, licet etiam in secundi dubii propositione convenerit.

Qui iura parochianorum superioris partis paroeciae defendit, praemittit controversiam de translatione sedis paroecialis S. Apollinaris in pagum *Mercatino Conca* esse pervetustam. Sane an. 1781 iam diruta ecclesia paroeciali, occasione aedificationis novae ecclesiae, nonnulli Mercatinenses praetenderunt, ut dicta ecclesia in eorum oppido erigeretur. Quaestio delata fuit ad S. C. Episc. et Regular. quae, attento contrario voto Episcopi illius temporis nec non relatione Cardinalis Ponentis Altieri, illorum praetensionem reiecit, quamvis tunc, ut notat defensor, facilior esset translatio sedis paroecialis, ob iam collapsam ecclesiam.

Postea non semel eadem controversia excitata est, praesertim occasione vacationis paroeciae: et recenter efferbuit sub Episcopo fel. mem. Bonaiuti coram H. S. C. an. 1890. Verum quamvis Vicarii Generalis votum esset *pro optata et sane perutili translatione*, tamen Eadem S. C. primum eius resolutionem distulit, et deinde sub die 29 Ian. 1891 rescripsit: « *Auditis interesse habentibus statuat Ordinarius, quidquid bono animarum magis utile in Domino iudicaverit* ».

At hanc utilitatem Curia Feretrana nunquam recognovit, quoad usque iterum recursus huic Supremo Tribunali fuit oblatus: et contra hanc novam iurium aggressionem paroeciani vicorum superiorum protestationem sub die 15 Martii currentis anni coram Curia Episcopali emittere rati sunt.

Hisce historice praemissis circa praesentem controversiam. Orator aggreditur disceptationem primi dubii, et in primis subiicit praetensam translationem esse odiosam utpote iurium laesivam sive res spectetur in petitorio sive in possessorio. Translatio est laesiva in petitorio, quia concursum aedificationi et dotationi ecclesiae et constructioni domus paroecialis proprio aere praestiterunt tantum vicani partis superioris paroeciae; quin imo an. 1781 cum actum fuit de instauranda paroeciali ecclesia iuxta instrumentum rogatum sub die 9 Iulii 1782 a tabellione Marco Cardellini: « essi « principalmente a loro spese riedificavano la chiesa e si « obbligavano a conservarla per lasso di 50 anni ». Petita translatio est item laesiva in possessorio, quia vicani praedicti sunt in possessione plusquam saeculari loci sedis paroecialis: unde se tueri possunt interdicto *Uti possidetis*, quod nedum fuit receptum a iure canonico et ampliatum ad iura spiritualia, sed etiam additum aliud remedium possessorium nempe exceptio spolii: ex quo principium — Spoliatus ante omnia est restituendus — uti docet Savigny in opere *De iure possessionis.*

Et iure merito huiusmodi translationes sunt improbatae, tum quia non debet unum altare nudari ut aliud vestiatur iuxta *cap. 36, de praebendis*, tum quia recte ordinata non debent contrariis ordinationibus everti, iuxta *Conc. Trid. sess. 25, c. 5 de reform.* Hinc ephemeris *Monitore ecclesiastico v. 5, p. 1, n. 50* monet has translationes in iure odiosas reputari.

Expositam doctrinam defensor firmat iurisprudentia H. S. C. et plures affert resolutiones ex quibus erui dicit in huiusmodi controversiis semper rationem habitam fuisse possessionis, quae causa extitit decernendi vel non translationem sedis paroecialis, uti videre est in *Lucana — parochialis* diei 2 Aprilis 1887, in *Firmana — translationis* diei 26 Iunii 1779, in *Fulginaten. — translationis paroch.* 16 Martii

1782, in *Amerina* 5 Maii 1706 et signanter in *Feretrana – residentiae* 30 Augusti 1817. Species huius causae erat sequens. Ad ripas fluminis Marecchia extabat vicus nuncupatus Mercatino Marecchia nunc pluribus incolis frequens, sed tunc temporis paucis conflatus familiis. Prope eumdem in altitudine collis alter aderat pagus cui nomen Talamello et in qua parochus utriusque vici residebat, cum hic eo temporis esset centrum paroeciae ob plures inibi extantes familias.

Parochus vero sese conferebat ad ecclesiam S. Petri in Cultu extantem in pago Mercatino Marecchia tantum nonnullis anni diebus, licet haec esset ab immemorabili paroecialis, et plebani soliti essent in ea sui beneficii possessionem recipere. Ratio erat paucitas incolarum inibi incolentium.

Hisce tamen non obstantibus, ad recursum Mercatinensium disceptato dubio: « *An Archipresbyter Gambetti cogendus sit ad residentiam in ecclesia sancti Petri in Cultu* », rescriptum prodiit sub die 30 Augusti 1818 « *Affirmative* »: et quamvis deinde pluries obtentum fuerit beneficium novae audientiae, decisio tamen eadem firmata mansit. Ex hac resolutione advocatus infert, quod in hisce causis diiudicandis non tantum prae oculis haberi debet maior vel minor numerus paroecianorum, sed potius inspiciendum quinam sint in possessione sedis parochialis et pro his standum est, aliis posthabitis rationibus.

Idque eo fortius tenendum adurget in themate, quia uti scatere ait ex iconographico exhibito schemate, ecclesia S. Apollinaris moraliter est posita in centro paroeciae; nam huius pars superior conflatur 12 pagis cum 4 domibus, et pars inferior 6 vicis et 7 domibus; et dum illa numerat circiter 403 fideles, in parte inferiori vix 542 paroeciani habentur, qui pro maiore parte degunt in pago Mercatino Conca. Insuper expendendum esse ait quod in parte superiori paroeciae paroeciale ministerium difficilius exercetur, eo quia fideles per agros et vicos sunt sparsi et hinc necesse est ut sedes paroeciae sit vicina; dum in alia inferiori parte ab coadunationem populi pro maiore parte in pago Mercatino cappellanus coadiutor facile occurrere valet spiritualibus populi necessitatibus.

Hucusque allata roborat testimonio trium finitimorum decurionum. Hisce testimoniis chorum agunt Municipes oppidi Montegrimano cuius partem efformat paroeciae S. Apollinaris, qui declarant indubium esse, quod proposita paroeciae translatione magnum imminet damnum vicis circumstantibus ecclesiam S. Apollinaris et praesertim vico Tassona, ob nimiam eius a nova sede paroeciali distantiam.

Insuper, pergit defensor, dicta translatio ad actum redigi non potest, tum quia in pago Mercatino Conca congrua deest ecclesia; nam existens oratorium est nimis angustum, unico constans altari, iacens super fossam molendini et destitutum convenienti S. suppellectili; dein non adest domus paroecialis in qua parochus residere valeat. Neque fidendum quod his necessitatibus Mercatinenses sint obviam ituri.

Nam si hi detrectant stipendium solvere actuali cappellano, multo magis sese abstinebunt ab ulterioribus expensis. E contra si sedes paroecialis relinquatur ubi nunc extat, nullum aderit inconveniens, et nulla expensa opus erit, cum tum quoad SS. Suppellectiles, tum quoad domum paroecialem, in ecclesia S. Apollinaris nihil desideretur.

Neque valeret opponere parochos nunquam resedisse prope ecclesiam S. Apollinaris, ut videtur contendere parochus Bucci in quadam epistola. Reponit id falsum esse relate ad parochos usque ad an. 1854. Ex eo tempore primum parochus Bernardini per aliquod tempus coactus fuit residere apud suam familiam in Mercatino Conca, eo quia domus paroecialis conciderat; sed hac instaurata, illico primitivam sedem repetiit. Alter casus est de eius successore Dominici, qui residebat in Monteliciano pago valde propinquo ecclesiae S. Apollinaris, ad quam accedebat ter vel quater in hebdomada. Caeterum ait ex hoc nihil aliud argui vel deduci posse, nisi Curiae Feretranae negligentiam in parochos non reprehendendo, et eos ad residentiam cogendo in propria sede: neque praeterit animadvertere quod dicta translatio est invisa nedum vicis partis superioris paroeciae, sed etiam vicis positis in parte media eiusdem seu dorso montis, ut probant protestationes emissae in Curia et coram H. S. C., sed etiam est reprobata ab omnibus finitimis parochis, qui exoptant rem in primitivo statu relinqui.

Quin ex adverso obiiciatur votum actualis Episcopi translationi paroeciae favorabile. In primis enim observat, quod hoc votum pugnat cum mente eius praedecessorum, qui translationi semper obstiterunt, sive Mercatinenses pro ea institerint apud Curiam sive apud S. Sedem, uti contigisse comperitur an. 1781, an. 1844, et 1847, et aliis temporibus quibus haec lis excitata fuit. Deinde subiicit quod SS. Romanae Congregationes, resolvere solemne habent controversias potius ex causae intrinseco merito, quam ex Episcopi voto, uti factum refert in una *Feretrana – Iurium* acta coram S. C. EE. et RR. mense Augusti 1902, in qua non obstante informatione favorabili Episcopi, parochus loci Maciano Ioannes Gavelli causa cecidit in quadam lite ab eo intentata contra Fratres Minores Franciscales illius loci.

Hisce expositis, nec non animadverso quod huiusmodi translatio dissidiorum et iurgiorum fomes esse potest inter paroecianos, ceu parochi finitimi, et ipsi Municipes oppidi Montegrimano adstipulantur, defensor digreditur ad disceptationem alterius dubii nempe de obligatione imponenda novo parocho suis expensis manutenendi cappellanum coadiutorialem in pago Mercatino Conca in casu decisionis propositae translationi adversae. Praemittit quod licet ipse nullum mandatum habeat nec habere possit a novo parocho, ad quem se refert quaestio, quia hucusque paroeciae possessionem adhuc non obtinuit, tamen quia controversia indirecte etiam paroecianos tangit partis superioris S. Apollinaris quos tuetur, ideo etiam de ea pauca disserit. Notat itaque quod novi oneris impositio in themate fieri nequit, praesertim quia redditus paroeciales impares sunt ad sustinendam pensionem annuam libellar. 300, in qua summa iuxta Episcopum definienda esset retributio favore cappellani.

Neque aliquid ponderis tribui potest rationi ab Episcopo adductae, quod facta assignatio in computum duceretur a gubernio in liquidatione congruae: quandoquidem, uti docet Calandruccio in opere *Congrue parochiali pag. 8*, haec assignatio sive ex Bulla erectionis, sive ex decreto praecedere debet legem eversivam assis ecclesiastici diei 7 Iulii 1866, vel saltem demonstrari debet eam vigere ex antiquissima consuetudine legi dictae anteriori, quae extrema in casu deficiunt.

Caeterum, subdit defensor, si neque parochus hoc onus supportare valeat ob defectum reddituum, neque paroeciani efficaciter ad dictam obligationem assumendam cogi possint, cautum est a SS. Canonibus, ut onerata maneat mensa Episcopalis « si paupertas (vel aliud impedimentum) excuset paroecianos, provideat Episcopus ex mensa sua »; uti tenet Fagnan. *ex cap. Inter caetera de offic. Ordinarii*, et Sebastianelli in suis *Praelec. can. in lib. de Rebus, tit. 8*. Age vero conditio mensae Episcopalis Feretranae huiusmodi est ut hoc leve onus assumere possit, cum eius redditus ad 15 millia libellarum exurgat.

Ex adverso qui tuetur paroecianos partis inferioris, contendit sedem paroecialem in pagum *Mercatino Conca* esse transferendam. Recolit sive ex fine institutionis parochorum sive ex spiritu SS. Canonum et praesertim Tridentinae legi

parochos ita vocari ad regendam paroeciam, ut vitae quadam communione cum suis subditis conversentur, eos tutentur a spiritualium hostium incursu, exemplis ac praeceptis eos aedificantes: hinc stricta lex residentiae parochis imposita. Ex quo sequi ait, quod si paroecia pluribus vicis constet, parochus residere debeat in vico omnium frequentissimo.

Hoc praestituto principio, iuxta patronum quaestio dici potest fere esse dirempta. Nam ex mille circiter parochianis, quibus paroecia constat, septingenti, unum corpus efformantes in Mercatino degunt, reliqui per agros sparsi in parte superiore paroeciae. Mercatini insuper sunt omnia aedificia usibus publicis destinata, uti officium epistolarum diribitorium, scholae pro pueris utriusque sexus, statio militum excubitorum securitati publicae; inibi tantum inveniuntur quae ad vitae necessitates conducunt; adest officina medicamentaria vulgo *farmacia*, taberna pro foliis nicotianis divendendis vulgo *spaccio di sali e tabacchi;* adsunt societates sive ad animi recreationem sive ad mutuam opem exhibendam, ibi semel in hebdomada nundinae celebrantur cum singulari frequentia incolarum ex vicinis oppidis: et ad Mercatinum etiam commeare oportet paroecianos partis superioris, si vitae necessitatibus consulere, vel commercium inire cupiunt. Profecto unusquisque videt, ait advocatus, haec adiuncta et loci conditionem maxime reclamare, ut inibi etiam sedes paroecialis transferatur, ut parochus suae missioni penitus respondere queat.

Secundum argumentum advocatus desumit ex loco in quo invenitur actualis sedes. Sane ecclesia paroecialis est in fastigio praerupti montis: e contra Mercatini pagus iacet in planitie et ab ea distat per 4 circiter millia passuum. Accessus ad ecclesiam paroecialem praesertim hiemali tempore difficilis evadit ob viarum asperitatem. Qui enim paroeciam petunt utique habent per duo vel tria milliaria viam satis amplam ducentem ad oppidum Montegrimano, at postea coguntur colles percurrere fere inaccessos, uti demonstrat exhibitum folium planimetricum.

Ex quo fit ut plures paroeciani nonnullis anni temporibus prohibeantur a functionibus paroecialibus et a communicatione cum proprio parocho. Haec autem incommoda facile arcentur translatione sedis paroecialis inter Mercatinenses, et obtinetur scopus menti SS. Canonum respondens, quae ex supra iam dictis est, ut parochus in medio parochianorum resideat cum iisque conversetur.

Nec satis. Qui extremis temporibus paroeciam rexerunt, sede paroeciali relicta, alibi moras fixerunt curam animarum delegantes vicario. Insuper in Mercatino fere omnes exercentur functiones, quae in paroecia essent explendae: ibi matrimonia benedicuntur fere omnium parochianorum, puerperae post partum aqua lustrantur, singulis annis, statis mensibus 4 menstruae habentur functiones, inibi tridua, novenae celebrantur, et etiam peragitur quadragesimalis concio, quando ei locus fit, ne forte concionator in ecclesia paroeciali esset sine auditorio. Iam vero si haec omnium fidelium placito eveniunt, consentaneum etiam ipsorum sententiae debet esse, ut inibi sedes paroeciae transferatur.

Firmata necessitate translationis paroeciae in pagum Mercatino Conca advocatus properat ad nonnullas difficultates, quae ex adverso moveri possent. Prima ita enunciatur. Sedes parochi in ecclesia S. Apollinaris est antiquissima. Ergo inibi est conservanda. Utique notat advocatus haec ratio valere poterat antiquis temporibus, quando fere omnes paroeciani in fastigio montis degebant, et Mercatino Conca paucis constabat incolis. At volventibus annis haec ratio desiit: nam incolae partis montanae paroeciae, in partem planam et inferiorem descenderunt: unde sensim sine sensu Mercatini pagus factus est prae omnibus populo creberrimus. Hinc eadem ratio quae primis temporibus suaserat institutionem sedis paroecialis in parte montana paroeciae, eadem nunc urget, ut ea tranferatur in partem inferiorem. Hanc conclusionem vallat nonnullis resolutionibus H. S. C.

Sane in una *Nicien. translationis paroeciae* diei 12 Decembris 1705, paulatim paroecianis recedentibus ab oppido Rocca Sparviera et domicilium Duravi figentibus, qui pagus per tria millia passuum ab ecclesia paroeciali distabat, in nova inibi aedificata ecclesia concessa est translatio paroeciae ad petitionem parochianorum qui ab antiqua ecclesia abierant. Eadem resolutio prodiit in *Mediolanen.*, diei 3 Aprilis 1734, et in pluribus aliis causis, quarum acta in regesto H. S. C. asservantur.

Neque, pergit advocatus, recipi potest argumentum adversariorum praetendentium impedire translationem paroeciae, ex eo quod paroeciani partis superioris paroeciam dotarunt et ecclesiam iterum aedificarunt. Primo reponit quod haec non fuerunt praestita sub conditione et pacto, quod sedes paroecialis nunquam alibi etiam ex iustis motivis transferri posset. Deinde subiicit quod Mercatini pagus qui tempore factae dotationis vel restitutionis ecclesiae, vix extabat, postea accrevit praesertim ex familiis quae relicto alpestri loco partis superioris paroeciae, partem inferiorem planam et commodiorem contendere duxerunt. Unde asseri iure potest, quod etiam maiores Mercatinensium proprium aes in paroeciae dotationem et ecclesiae refectionem impenderint.

Tertium demum adversariorum perfugium est, quod facta paroeciae translatione, paroeciani montanae partis permagnam in spiritualibus iacturam persentiunt ob difficultatem accedendi ad novam sedem et experiendi proprii pastoris ministerium. Sed hisce incommodis facile occurretur deputatione Vicarii paroecialis in veteri sede paroeciali qui diu noctuque eorum necessitatibus invigilet.

Hisce utrimque breviter excerptis modo sequentia proponuntur enodanda

DUBIA

I. *An et quomodo sit locus translationi sedis paroecialis ecclesiae S. Apollinaris, vel potius conservanda sit sedes paroecialis actualis in casu?*

Et quatenus *negative* ad 1am partem et *affirmative* ad 2am:

II. *An et quomodo parochus S. Apollinaris cogendus sit ad statuendum suis expensis Vicarium Coadiutorem in pago* Mercatino Conca *in casu?*

Emi Patres rescripserunt: *Ad Ium providebitur in 2°. Ad IIum Affirmative iuxta cap. IV sess. 21 Conc. Trid. de Reform. et Episcopi votum in litteris diei 24 Martii 1905.*

VRATISLAVIEN. ET ALIARUM

De Parocho proprio quoad matrimonium.

(Sequitur vide p. 339).

§ 2. — *Perpenditur intrinseca notio quasi-domicilii.*

17. Superius adnotata fuit paritas, a pluribus AA. adducta, domicilium inter et quasi-domicilium, videlicet: Sicut domicilium acquiritur per commorationem cum animo ibi perpetuo habitandi; ita quasi-domicilium acquiritur per commorationem cum animo per maiorem anni partem habitandi. Paritas illa non plene quietat mentem: etenim, si domicilium importat factum commorationis et animum *perpetuo* commorandi; quasi-domicilium, vi logicae correlationis, importare deberet pariter factum commorationis et animum *quasi perpetuo* commorandi, non autem commorandi per maiorem anni partem: nam, specifice non opponuntur, in

definitione, hinc *perpetuo*, illinc *maior anni pars*, bene vero, respectu domicilii et quasi-domicilii, correlative opponuntur et utrumque specificant hinc *perpetuo*, illinc *quasi perpetuo*. Age vero: si definitionem assumere velimus logicam et specificativam, id est: Quasi-domicilium est commoratio cum animo ibi *quasi perpetuo* commorandi, eo ipso quasi-domicilii notio, prout nunc obtinet et auctoritative praefinita fuit, misere corrueret. Hac in re, strictae logicae rigor commodiori interpretationi cedere debuit. Et hinc illatio sequens: Non obstante nominum et utriusque definitionis similitudine, quasi-domicilium nequit haberi tamquam intrinseca reductio notionis veri domicilii, sed rectius tamquam extrinseca determinatio conditionum quibus, primum iuxta iurisprudentiae dictamina, deinque iuxta competentis Auctoritatis decisionem, Parochus non vere proprius fit, respectu matrimoniorum, sufficienter proprius, ut iam insinuatum est. Quodsi, propter anteactorum temporum exigentias, et matrimoniorum irritorum pericula, competens Auctoritas notionem Parochi proprii prudentissime ampliaverit, nullatenus perspicitur curnam eadem Auctoritas, eadem de causa, scilicet propter easdem et frequentiores et graviores temporis nostri necessitates, eamdem notionem, quoad iuridicos effectus respectu matrimonii, rursus ampliare, legemve clandestinitatis moderare non posset. « Nonnullae (leges) ob immutata temporum adiuncta, prout legitur in *Motu Proprio* SS.mi D.ni Nostri, diei 19 Martii h. a. (1), aut difficiles ad exequendum evaserunt, aut communi animarum bono minus utiles ».

18. Item, quidam AA. domicilium a quasi-domicilio contradistinguere videntur ex alio capite, nempe ex eo quod domicilium, denuo acquisitum, importet animum non redeundi ad locum anterioris commorationis; dum e contra quasi-domicilium importet animum revertendi. Quod domicilium acquisitum importet necne animum non revertendi (quod, meo iudicio, gratis asseritur) quaestio est praesenti themati prorsus aliena: quantum vero ad quasi-domicilium, non inficior animum redeundi nequaquam excludi a notione quasi-domicilii, prout reapse non excluditur a quotidiana praxi; sed animus ille revertendi non includitur nisi implicite et consequenter, ac proinde nequit intrare in ipsa notione quasi-domicilii; secus, quasi-domicilium definiri deberet: Commoratio in loco cum animo commorandi per maiorem anni partem necnon cum animo postea discedendi; Parochus vero, quasi-domiciliatos explorans, de utroque animo, aequali sedulitate, perquirere deberet. Et haec praevie dicta sint ut paulo praecisiori limitatione determinentur elementa quasi-domicilii vera genuinaque, videlicet: *a)* factum commorationis, – *b)* animus commorandi, – *c)* per maiorem anni partem, – *d)* in eodem loco.

19. *Factum commorationis.* Amovenda est liminaliter assertio sat singularis eorum qui, finem legis cum ipsa lege confundentes, requirunt commorationem aliquandiu protractam, priusquam nupturientes in loco quasi-domicilium acquisivisse reputentur, quia necesse est, inquiunt, ut Parochus loci aut indigenae prius eosdem noverint (*Pezzani*, Codex S. R. Eccl. canon. 129, nota 5, vol. 1, pag. 214. *Santi*, IV Decr. Tit. III, num. 79 etc.). E contra, non tantum quasi-domicilium sed etiam ipsummet domicilium acquiritur, eo solo quod advena suam reapse fixerit sedem in loco, cum animo ibi perpetuo vel per maiorem anni partem permanendi, quamquam a nemine loci dignoscitur: siquidem, in sensu iuris, Parochus est proprius non quia nupturientes plus minusve moverit, sed quia isti, per domicilium vel quasi-domicilium, iurisdictioni parochiali subsunt; ad quod sufficit quantulacumque, vel breviuscula, commoratio de facto (1). Immo factum commorationis, post brevissimum tempus cessare potest, quin advenae quasi-domicilii acquisiti iura amittant. Ex. g. Titius et Bertha, iam ritu mere civili copulati, Romam adveniunt, ut ibi Titius munere, v. g. professoris supplentis, usque ad proximas vacationes fungatur. *Biduo* post, parochum paroeciae in qua sedem fixerunt, adeunt et coram eo, quum in promptu iam habeant necessaria documenta (sine tamen delegatione proprii parochi), matrimonium rite ineunt. Sed, hac eadem die, Bertha propter festivales exagitationes, febri corripitur, quam edicunt Periti fore perniciosissimam ni cito citius febricitans ad natales convolet auras. Abeunt igitur neosponsi, v. g. Venetiam, et in Urbem, hac illave de causa, amplius non redeunt. Huiusmodi matrimonium vi commorationis fere umbratilis, quis censeret invalidum? Si validum, ergo quasi-domicilium acquisitum fuit in casu per animum commorandi cum tantilla, ita si dici possit, commoratione de facto, quae cessavit quin ideo cessarent aut infirmarentur huius quasi-domicilii effectus: quod caeterum, aequivalenter exprimitur penes plures Auctores per superadditam clausulam: «... commorandi, *si nihil inde avocet* ».

20. *Animus commorandi.* Quid sibi velit animus, seu intentio, seu voluntas habitandi, prout libentius loquuti sunt antiqui Iuristae, meridiana luce clarescit; et pariter liquet necessaria (respectu domicilii vel quasi-domicilii rite acquirendi) *facti voluntatisque copulatio*, ita proinde ut factum sine animo, vicissimque animus sine facto, nihil prorsus efficiant, ut si quis, v. g. Romam veniat piae brevisque peregrinationis causa, ac deinde commorationem per mensem mensesque et forte annos ibi protrahat continuos, quin unquam sedem in Urbe figere intendat; aut vicissim domum in Urbe conducat, suppellectilem transmittat, ac deinde, variis irretitus repagulis venire nequeat. Quae adeo perspicua sunt ac trita, quod otiosum foret in his immorari. Hoc tantum videtur addendum, quod, respectu domicilii vel quasi-domicilii constituendi, factum commorationis sese habeat tamquam *materia*, animus vero commorandi tanquam *forma*, cui proinde potiores adscribendae sunt partes, prout scholastici loquuntur.

21. Potiores, inquam, partes adscribendae, sed etiam potissimae difficultates, si quis hunc *animum* commorandi paulo pressius stringere pertentet. Re quidem vera, constare debet, iuxta praelaudatam Instructionem, de animo permanendi. Sed quonam modo constabit? Per declarationem interesse habentium aut alterutrius? Esto; verum, quibus conditionibus et cautelis emittenda erit huiusmodi declaratio? Nulla, ni fallor, emanavit adhuc, ea de re, competens decisio seu directio. Per indicia quae forte satis revelent animum, « moralemque certitudinem pariant »? Atvero, quam arduum et salebrosum sit, ex indiciis maxime variabilibus, arguere quod abfuerit vel adfuerit animus permanendi, nemo est qui non videat. Titius advenit Urbem, cameram conducit, ibique suam adsportat suppellectilem consuetam: ex talibus indiciis, nonne argues eum ibi sedem figere voluisse? Porro Titius nullum habuit animum, nisi

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XII, p. 146.

(1) Quidam antiqui Canonistae, penes moderniores, insimulantur laxismi, perinde ac si statuere voluissent per brevem, imo brevissimam commorationem, *eamque solam*, adquiri parochialitatem; dum e contra, ni fallor, hi Canonistae loquuntur de commoratione *praesupponendo* caeteras conditiones esse vel fore commorationi brevissimae connexas; aut ex commoratione dictas conditiones esse praesumendas autumant; aut, demum, commorationem aliquam requirunt, ut v. g. Natalis Alexander (*De Matrim.* II, art. 2) ad hoc ut in loco dignoscantur, non autem ut ibidem parochialitate gaudeant.

res suas et suppellectilem tute collocandi, deindeque suas, post aliquot dies vel hebdomadas, iterare cursitationes, Romam non reversurus nisi post menses et forte annos, ut res suas iterum recipiat. Si deficit igitur probatio ex ipsis momentosis indiciis, qualem ex levioribus poterimus habere illationem (1)? Et haec de animo pro nunc, satis, quum de eo fusius infra dicendum sit.

22. *Per maiorem anni partem:* Heic augescit difficultas et scatent discrepantiae. Quo vero, quantum fas erit, ordinatius clariusque procedatur, sententias distinctim partibor, prout Auctores formulam Instructionis supralaudatae retinent, aut ad eam propinquius accedunt, aut ab ea longius recedunt, aut tandem flaccidam nutantemque formulam usurpant. Igitur:

A) – Formulam Instructionis, id est: cum animo commorandi *per maiorem anni partem*, adamussim retinent (praeter Pirhing, Reiffenstuel, Ferraris, Bened. XIV aliosque supracitatos); S. Alphonsus (De Matrim. n. 1091) – Zitelli (Appar. pag. 387; sed in opere posteriori: De Dispens. Matrim., idem Auctor habet tantum: per *notabilem* anni partem) – Scavini (De Matr. n. 799, qui tamen citat absque ulla rectificatione sententiam sat singularem cuiusdam Pavone, ut infra) – D'Annibale (III, n. 457 [38]) – Aichner (Compend. n. 164) – Bucceroni (Inst. De Matrim. numer. 1026) – Deshayes (Memento n. 1503) – Ojetti (V. Clandest.) – Bousquet (Thes. Conf. n. 505, II) – De Luca Mar. (In IV, Tit. III, n. 228) – Wernz (in Voto praelaud., n. 16 necnon in Opere canonico: Vol. IV, *Ius matrimoniale*, n. 177 et nota [189] ubi etiam *diremptae* et *antiquatae* dicuntur omnes anteriores controversiae de modo quasi-domicilium acquirendi) – Janssens Laur. (Casus Consc. anni 1903: n. 48, pag. 511) – Card. Vives y Tuto (Theol. Mor., n. 61) – E.mus Auctor operis cui *Consultationi*... (Cons. LXVI, Vol. 2, pag. 328) – Ferreres (El Imped. de clandest. art. IV, § II, pag. 11) – et inter technicas Ephemerides: *Monitore eccles.* (Vol. XI, p. 98 et aliis) – *Le Canoniste contemporain* (Vol. X, p. 257 et plenius XXII, p. 283, pluriesque in collectione) – *La Nouvelle Revue Théol.*, (vol. XXIV, p. 220, ubi rectificat quae paulo aliter, vol. XII et III dicta fuerant) – item, inter alias, Synodus Mantuana an. 1888 sub DD. I. Sarto nunc SS.mo D.no Nostro (Q. D. D. S.) Cap. XIV, n. 29 ubi tamen non tam animus commorandi quam factum commorationis attendi videtur – et, pro coronide, Concil. Plenar. Amer. Lat., n. 916 – etc. etc.

B) – Formulam retinent cum aliquali ampliatione: DD. Gasparri: « per maiorem *aut aliquot annorum* partem... » (De Matrim., n. 916) Emil. Berardi: « *saltem* per maiorem... » Theol. pastor., n. 441: sed idem Auctor in alio opere, *Praxis Confess.*, post prolixas adnotationes, bifariam concludit, scilicet: unum mensem requiri pro his qui se conferunt in loca Tridentino non subiecta, iuxta indultum S. O. an. 1886 pro Stat. Foeder.; maiorem vero anni partem, pro aliis iuxta praefatam Instructionem) – Alsina (n. 720: « pro quasi-domicilio, si ex facto deduci debet, pro externo foro (??) requiritur saltem unus mensis habitationis cum animo... ad maiorem anni partem). – Mach, hispanico sermone; eodem sensu ac praecedens (Tesoro del Sacerdote, n. 671) – Melatá (Manuale Theol. Mor., n. 41): « *saltem* per maiorem » – De Becker « *saltem* per maiorem.... » (De Spons. et Matrim. Edit. II, p. 94), item et Gasparri iunior (Thesis de Domic. et Quasi-dom., n. 48) – Hilarius a Sexten: « *ultra dimidium* anni » (Theol. Mor., n. 83) – Lega: « saltem per fere septem menses » (De Iudic. eccl. P. I, n. 366), etc. etc.

C) – Formulam retinent, cum aliquali reductione: – Gousset qui requirit habitationem de facto per semestre « depuis six mois ou un an » (Théol. Mor., n. 831) – Grand-Claude: « per maiorem... aut saltem per semestre » (Libr. IV, Decr. V, p. 61) – Marc, iisdem verbis, (n. 2074), – Génicot « per maiorem... seu sex menses » (Vol. I, n. 100, II) – Feije: « commorationem per maiorem vel dimidiam anni partem, *vel cum huius intentione* » (n. 227, Edit. 4^{ae}) – Lombardi (Car.): « animo tamen... non perpetuo, nam secus haberetur verum domicilium, sed per aliquam *notabilem* anni partem consistendi... Consulto nos *notabilem* anni partem dixisse non vero *maiorem*, prout sat communiter fit, idque ad vitandam gravissimam quaestionem, hucusque quod sciamus nondum authentice definitam, an reapse absolute necessaria sit huiusmodi commoratio, quamvis non diffiteamur longe magis Ecclesiae sensui cohaerere videri, qui eam revera necessariam dicunt » (Iur. can. privati, Vol. III, pag. 187), etc. etc.

D) – A formula recedunt: Ballerini-Palmieri: « conformius iuri videntur sentire qui dicunt sufficere propositum habitandi per *aliquot* menses » (Opus theol. De matrim. n. 1186) « Mansella (p. 248) qui praecedenti consonat – Alberti probabile censet « sex menses integros aut etiam quinque cum dimidio non autem minus, sufficere... » (n. 104) – Fr. Santi: acquiritur quasi-domicilium « in genere per diuturnam moram (n. 75), et deinde « per moram unius mensis dummodo commoratio non facta fuerit rusticationis causa, vel ob alium precarium finem » (IV Decr. Tit. III, n. 75 et seqq.) – André, in suo Dictionn., textum Francisci Santi simpliciter forficat, V° *Mariage*; ast V° *Domicile*: « avec l'intention d'y rester pendant une grande partie de « l'année, par ex. pendant six mois ». Et insuper, validum erit matrimonium, etiam « sans l'intention d'y résider pen- « dant une grande partie de l'année, pourvu qu'on y réside « déjà depuis au moins un mois, publiquement et sans « fraude » – Lehmkhul: « per magnam anni partem » – « per notabilem » – « probabile est spatium quatuor mensium pro notabili anni parte sumi » (De matr., n. 775) – Sabetti: « per maiorem vel, ut aliqui volunt, per notabilem » (n. 913).

E) – Nonnullis Auctoribus praeplacuit responsio quaedam fugax et gossypina, quam quisque valet sensu proprio detorquere: Schmalzgrueber: « non perpetuo sed per annum, vel maiorem, vel saltem notabilem anni partem » (De foro comp. II, n. 16) – Billuart-Lequette, praeter parochum domicilii et quasi-dom., etiam idoneus est ille « qui est prius loci in quo habent (nupturientes) simplicem habita- « tionem, *quamvis non intendant diu ibi habitare*, modo « tamen non sint ibi solius recreationis, vel alia brevi causa » (Vol. VII, p. 498) – Moser: « notabili tempore, vel maiore parte anni; quod saepe, pro magna parte, moraliter ex circumstantiis, erit colligendum » (De Imped. c. VII, n. VII) Nardi: « tale previa dimora che basti a far noti gli sposi « nel paese » (Diritto matr. cattol., p. 147) – Cardini « per « la maggior parte dell'anno, o almeno per una parte no- « tabile » (Dei Supremi princip., Vol. V. P. II, p. 289) – Frassinetti: « per una notevole parte dell'anno » (Delle Leggi, Cap. IV, n. 31) – Bouvier: « communiter docent theologi

(1) Leges civiles, etsi pariter hac de re satis indecisae, tamen animum commorandi declarationibus aut factis comprobandum edicunt: « Art. 16. Il domicilio civile di una persona è nel luogo « in cui essa ha *la sede principale dei proprii affari ed inte- « ressi (??)*. La residenza è nel luogo in cui la persona ha la di- « mora abituale. – Art. 17. Il trasferimento della residenza in un « altro luogo, *coll'intenzione* di fissarvi la sede principale, produce « cangiamento di domicilio. Tale intenzione si prova colla doppia « dichiarazione fatta all'ufficio dello stato civile che si abbandona « ed a quello del comune in cui si fissa il domicilio, o con altri « fatti (?) che valgano a dimostrarla ». Consonat italico codex gallicus.

« matrimonium celebrari posse coram parocho simplicis « habitationis, post unum mensem elapsum et nituntur au« ctoritate Bened. XIV » (Theol. mor. T. IV, p. 358) – Carrière, iisdem fere verbis docet, praeter parochum quasi-domicilii, proprium pariter esse parochum simplicis habitationis « per tempus sat notabile, idest per spatium saltem unius mensis » – Pavone, citatus apud Scavini (Vol. III adnotat p. 801) singularissima exegesi : « Quando poi vi è « della vera volontà (permanendi) si contrae il necessario « domicilio, ancorchè si abbia nel tempo istesso la volontà « di abitarvi per un solo mese e poi congiungersi in ma« trimonio, e dopo cambiare abitazione ». – Rosset : « cum animo ibi permanendi toto tempore a iure requisito » (De matr., n. 2154) – Pezzani : « cum animo ibi diu manendi » (Codex S. R. E. canon 129) – Pillet : « per aliquod tempus, v. g. per sex menses » (Ius. in articulos distrib., n. 44) etc, etc. – et tandem Instructio Austriaca : « Ubi quis duraturam figere sedem haud quidem intendit, verumtamen talem habitat in finem, ad quem asserendum longior commoratio requiritur, ibi quasi-domicilium habet » (§ 40 penes *Collect. Lacen.*, Vol. V, col. 1292).

23. Ad quid autem prolixa illa fastidiosissimaque variarum sententiarum nomenclatura, mox dicetur ; unum heic venit advertendum quod scilicet, etiamsi omnes de re theologica canonicave scriptores unius labii forent, id est unam eamdemque, nempe praelaudatae Instructionis, formulam usurparent, perstaret nihilominus difficultas interpretandi clausulam « per maiorem anni partem » : Utrum, v. g. requiratur *maioritas* unius mensis aut bimestris ? Vel e contra sufficiat unius hebdomadis vel unius diei ? Nec mirum esset si quis Casuista de maioritate disceptaret quoad annos unisextiles aut bissextiles ! Revera, iam non defuit qui computaret arithmetice minorem esse anni partem a die 1ª Ianuarii ad 30ᵐ Iunii quam a 1ª Iulii ad 31ᵐ Decembris.

24. Insuper, fatendum est cum egregio De Becker et aliis (quos inter R. Boudinhon in accuratissima disceptatione : *Quelques Réflexions sur le Domicile et le Quasi-Domicile)*, vi textus Instructionis, « reiiciendam prorsus esse nonnullorum opinionem de sufficientia habitationis per sex menses in aliquo loco *sine ulla intentione* ibidem per tale tempus manendi » ; quae proinde commoratio per sex et decem et amplius menses, mere fortuita seu casualis dicenda foret ; sed pariter cavendum a deductionibus nimium extensis. Equidem Instructio praefinit quasi-domicilium adquiri effectiva commoratione et animo commorandi per maiorem anni partem, ideoque aequivalenter excludit, ni fallor, exegeses iuridicas quae factum quidem commorationis admittunt, sed intentionem commorandi taxative reducunt ad spatium *infra* maiorem anni partem ; atvero non excluduntur, vi solius Instructionis, exegeses quae praetermittunt (sed non negant) animum commorandi potiusque stant in ipso facto commorationis plus minusve protractae, v. g. semestris, quadrimestris, etc. vel etiam exegeses quae, ex solo facto commorationis per sex, quinque aliquotve menses, ponunt oriri iuris imo ex natura rei, praesumptionem quasi-domicilii sufficienter acquisiti. Revera, quis vellet oppositionem invenire *contradictionis* aut *contrarietatis* in istis propositionibus : *Per factum commorationis vix positum cum animo commorandi sex ultra menses, acquisitum censetur quasi-domicilium* – et altera : *Per factum commorationis a sex vel quinque, vel quatuor mensibus iam perdurantis, acquisitum censetur quasi-domicilium ?* In illa, factum attenditur cuiuspiam commorationis et copulatim animus ulterioris commorationis ; in ista, factum solummodo commorationis *anterioris* non autem animus commorationis *ulterioris* : et idcirco quum ambae propositiones non sint de eodem ac circa idem, nec contradictoriae nec etiam vere contrariae dici queunt, sed tantum variae. Quare, non is ego forem qui vellem, uno tractu calami, falsas et vi textus Instructionis reprobatas edicere sententias Auctorum superius recensitorum, qui scilicet nonobstante Instructione, commorationem autumant iam effectivam a sex quinqueve mensibus, esse sufficientem ad comparandum in loco quasi-domicilium. Reprobantur forte (saltem theoretice loquendo) ex praxi iudiciali quae, ne fluctuetur hinc inde, consistere nunc videtur in axiomate regulativo, quod penes E.mum Gennari sic invenies formulatum : « Quando non si ha l'animo di rimanere nella « nuova dimora la maggior parte dell'anno, il matrimonio « sarà nullamente celebrato, benchè siano trascorsi più mesi « dall'arrivo in quel luogo » *(Consultaz.*, vol. II, p. 328). Sed quis primo non videt oculo verbum consulto usurpatum « *più mesi* », sensum habere fluctuantem inter tres et sex menses ? Et E.mus Auctor usus est verbo vigilanti, praecise quia controversiam dirimere noluerit. Profecto si res perpendatur in concreto, durum videtur admittere quod Parochus istius loci sit sufficienter proprius respectu Titii qui vix triduum habet in parochia cum animo protrahendi permanentiam ad semestre, minime vero respectu Caii qui, in eadem paroecia, iam a sex vel quinque mensibus commoratur.

25. Praestat, hac de re, *privilegium* Parisiense supracitatum paulo penitius scrutari, quippe quod a nonnullis obtruditur tamquam apodicticum argumentum contra commorationis effectivae, vel semestralis, sufficientiam. Officialis Curiae casum exposuerat peculiarissimum, et occasione dicti casus a Suprema Congregatione, normam efflagitaverat in similibus casibus deinceps asservandam, nullatenus vero dispensationem generalem expetiverat super exploratione animi nupturientium, multo minus delimitationem praecisam ad sex menses ut nupturientes in civitate Parisiensi sufficienter quasi-domiciliati censerentur. Sacra vero Congregatio abstraxit a casu particulari (cui medendo non amplius erat in re) et proprio spontaneoque motu superaddidit textum suprarelatum : « Se conferentes... » etc. Apposita fuit utique clausula « facto verbo cum SS.mo » ; sed dicta clausula, quamquam stricto iure non apponatur nisi novis concessionibus aut novis anterioris concessionis extensionibus, usurpatur etiam, et quidem haud semel, in simplicibus declarationibus et interpretationibus decretorum quae variis et contrariis sententiis ac dubietatibus obnoxia remanent. Prostat in documentis tenuitati meae commissis responsio, diei 26 Ianuarii 1903, DD. Assessoris S. O. ad DD. Secretarium Huius S. C. Concilii qui de genuino sensu Responsi Parisiensis ex officio sciscitatus fuerat : « Presso questo Supremo « Tribunale, ait DD. Assessor, non è stata mai accolta la « massima che coloro i quali hanno dimorato sei mesi in « una parrocchia possano unirsi validamente in matrimonio « senza la esplorazione dell'*animo permanendi* ; e le dispo« sizioni emanate per un caso di Parigi furono e devono « ritenersi come disposizioni particolari ». Supremum Tribunal igitur normam de commoratione semestrali nunquam excepit, ut testatur oculatissimus Adsessor, qui tamen nequaquam asserit praefatam normam fuisse unquam a Supremo Tribunali reiectam. Verissimum pariter est quod dispositiones praelaudatae sint prorsus peculiares, quum ipse textus Responsi praeseferat clausulam localiter determinativam : « Se conferentes in civitatem *Parisiensem* » ; sed pronum est, ex ista peculiari responsione (quae formam habet, ut liquet, directivae declarationis) pronum est, inquam, arguere quod Supremum Tribunal eamdem dispositionem, pro locis in quibus eaedem forte concurrerint causae, ratam haberet. Nihil igitur, ex Parisiensi responso, deduci

potest contra sententiam commorationis semestralis: « Da « questa risposta, inquit *Il Monitore Eccl.* (cuius Director « munere Adsessoris S. Officii tunc fungebatur) si fa chiaro « come la S. C. non ha creduto di definire la questione se « basti, ovvero no, al matrimonio, dimorare materialmente « in una parrocchia per sei mesi, senza animo di starvi « tanto tempo. Nessuno perciò creda che dal rescritto *Ac-« quiescat* per l'Officiale che opinava in senso negativo, e « per essersi concessa come grazia in quella città di poter « bastare la dimora materiale, debba ricavarsene che da ciò « non basti per nulla altrove cotal dimora pel matrimonio ». Et haec quam caute et ponderate dicta sint, nemo est qui non videat.

26. Quid vero de commoratione in loco *per unum mensem?* Extat ad rem, ut cuique notum est, celeberrima Bened. XIV ad Goanum Praesulem: « *Paucis abhinc* » diei 19 Martii 1758, responsio, cuius comma sequens directe thema nostrum attingit: « Post haec, necessarium fore censemus « nonnihil adiungere, ut in propatulo sit quidnam requiratur « ad quasidomicilium adipiscendum. Verum hac in re, non alio « pacto responderi potest, nisi quod, antequam matrimonium « contrahatur, spatio saltem unius mensis ille qui contrahit « habitaverit in loco ubi matrimonium celebratur » *(Collectan.* 1391, pag. 498, A). Porro satis superque insudant Auctores in explicandis, quisque suo sensu, praecitatis verbis. Hi siquidem, sententiam suam de sufficientia mensilis commorationis ante matrimonium firme solidatam autumant super auctoritate Benedicti XIV, ut superius adnotatum est; eo magis quod eruditissimus Pontifex resolutionem invocat, inter alia, S. Cong.nis Conc. quae, per modum normae, statuerat, in una *Traiectensi*, quam pariter citat Fagnanus, aliique multi, « dandam esse decisionem pro validitate », si commoratio sponsorum in alio loco fuisset saltem unius mensis ante matrimonium. Isti vero animose propugnant mentem Pontificis aliam non fuisse nisi statuendi quod commoratio mensilis habenda sit, respectu matrimonii contracti, tamquam praesumptio, iuridicumve indicium animi diutius permanendi, proindeque quasi-domicilium adipiscendi.

Mei certe non est inter tantos componere litem: attamen, cuique textum integrum pacato animo conferenti, tertia, ni fallor, sponte prosilit interpretatio forsan planior et fundatior nempe, unius mensis commorationem in loco *ante* matrimonium et fortassis aliqualem moram *post* matrimonium, fuisse, in mente Benedicti XIV, probationem de nulla fraude in transitu ad alium locum aut saltem de fraude sufficienter purgata. Etenim agitur ibi de Goanensibus sponsis, tridentinae formae certe subiectis, qui pergebant in loco *Sunda* « ubi neque receptum neque promulgatum fuit Tridentinum », ibidem matrimonium fraudulenter contracturi. Porro, doctissimus Pontifex, in paragrapho secunda, tertia et quarta praefatae Responsionis, resolutiones Huius Sacrae Congr. commemorat (praesertim in una *Coloniensi* ab Urb. VIII confirmatam, ut supra) quibus evincitur matrimonium, cum fraude celebratum, invalidum esse, deinde, in paragrapho quinta et sexta, « ex sententia communiter hodie recepta atque observata » subnectit, huic decisioni generali de nullitate talium matrimoniorum, quamdam maximi momenti limitationem practicam et concretam videlicet: « dummodo « tamen ille qui contrahit (in fraudem utique proprii Pa-« rochi) antequam matrimonio iungatur, legitimum domi-« cilium vel quasi-domicilium revera in hoc altero loco « adeptus non fuisset, atque inibi fortassis post matrimonium « contractum ad aliquod tempus commoratus non esset. « Consulantur Salmanticenses... ». Age vero: quis supponere vellet Benedictum XIV se sibimetipsi posuisse discordem, in themate praesertim quod saepe pertractaverat, adeo ut praeviam unius mensis in loco moram, imo aliqualem etiam post contractum matrimonium commorationem, requisiverit tamquam adipiscendi domicilii vel quasidomicilii conditionem necessariam? Secundo, Pontifex allegat Salmanticenses De Matrim. Cap. 8, Punct. 11, n. 21. Porro, Salmanticenses, loco citato (Edit. Venetae 1684, Tom. II, p. 143) praecise concludunt, circa transitum nupturientium a loco non exempto ad exemptum, hisce verbis: « Nisi mavis dicere in dicto casu fraudem aut dolum non adesse, quia utitur (nupturiens) iure suo, qui eo animo ad alium locum transiit ubi Tridentinum non obligat ». Atvero, fraus in dicto transitu semper adest, saltem obiective seu materialiter, respectu proprii Parochi qui sic matrimonio parochiani sui non adstat; sed non semper adest fraus subiectiva seu dolus, quando scilicet nupturientes transeunt non ut clandestine iungantur, sed ut alibi aliquamdiu commorentur (1). Et hinc est quod Bened. XIV responderit irritum habendum esse matrimonium « in fraudem proprii Parochi », *nisi* commoratio mensilis praemissa fuerit, quia videlicet, per dictam commorationem, praesumptio fraudulenti transitus sufficienter purgata censetur aut censeri potest. Confirmatur insuper, haec exegesis, ipsamet Instructione saepelaudata S. Officii ad Episcopos Angliae et Amer. Sept., ad cuius tenorem, nupturientes, ut supra transeuntes, « nequeunt valide matrimonium « inire in loco non subdito Tridentinae formae), nisi ibi « nedum habitationem sed etiam vere domicilium fixerint, *quo fraudem, si quae intercesserit, purgare omnino debeant* ». Et ad dignoscendum utrum necne nupturientes sufficiens domicilium (ad purgandam fraudem, id est ad infirmandam fraudis praesumptionem) ibi figere voluerint, adhibenda est, inquit Instructio, regula a Summo Pontifice Bened. XIV confirmata, praecise in ista, de qua agimus, responsione ad Archiepiscopum Goanum.

27. Caeterum, si iuxta responsionem seu rectius constitutionem benedictinam, commoratio mensilis sufficiens agnoscatur sive ad quasi-domicilium adipiscendum, ut plures opinantur, sive ad ministrandum indicium efficax animi commorandi ut aliis praeplacet, sive tandem, ad praesumptionem fraudulenti transitus satis purgandam, si talis commoratio, inquam, sit per se et ex se sola, theoretice saltem sufficiens, respectu nupturientium qui transeunt e loco subdito ad non subditum, non clare perspicitur, in ultima analysi, curnam commoratio eadem eamdem non haberet sufficientiam, respectu eorum qui de loco subdito transeunt ad locum aeque subditum, quique proinde a praevia fraudulenti transitus suspicione plenius immunes censeri debent.

28. Et haec, circa commorationem semestralem, quadrimestrem aut mensilem, dicta sint non ad hanc vel illam propugnandam aut impugnandam exegesim, sed tantum ad ostendendum quod iurisprudentia nondum videtur adeo firma perspicuaque, circa nupturientium commorationem, ut cito

(1) Vix, ac ne vix quidem, probabilis videtur sententia eorum qui negant in transitu fraudem quampiam adfuisse, si transeuntes non ipsam legem ecclesiasticam sed aliam, puta, legem militarem aut civilem eludere voluerint. Revera, quum lex tridentina sit territorialis simul et personalis, aegre percipitur fraudem deesse quando personae sese dictae legi de facto subtrahunt et eo pergunt, quo lex non viget, contrahendi causa. Matrimonium huiusmodi S. C. S. O., in una *Parisiensi*, 3 Apr. 1895, edixit nullam et quidem nullitatis adeo clarae et constantis, quod Curia facti-speciei recte applicare potuerat notissimum decretum 6 Iunii 1889 (de solemnitatibus iuris non semper necessariis). E contra, de plano currit fraudem esse tantum materialem non autem formalem nec culpabilem in his qui transeunt non animo contrahendi sed alia qualibet de causa, etsi forte postea contigerit eosdem ibi praeter tridentinam formam contrahere: et hinc necessitas praesumptam fraudem purgandi.

citius hanc aut istam ore rotundo damnemus opinionem. Dissentiones inter optimae notae rectique spiritus theologos et canonistas, in praecedenti nomenclatura (illa praecipue de causa) compendiatas, libentius autumo, non vanis cavillationibus, non obstinatis praeiudiciis aut inscitiae, sed intrinsecis gravibusque ipsius thematis dubietatibus esse adscribendas. Sane, tantorum auctorum dissentio correspondet, necessario nexu, ni fallor, ipsius iurisprudentiae indecisionibus et obscuritatibus hodiedum perdurantibus, et per eam luculenter explicatur.

29. *In loco:* Circa clausulam istam una est omnium Auctorum, paucis demptis, interpretatio, videlicet: quasi-domicilium adquiritur non in urbe, non in municipio, non in districtu seu provincia, sed in paroecia seu quasi-paroecia, nempe in ultima divisione territoriali dioeceseos, aut Vicariatus seu Praefecturae Apostolicae, si tamen paroecias aut quasi-paroecias habeat. Quare, si possumus ac debemus, quoad sacras ordinationes, domicilium admittere dioecesanum, non debemus nec possumus, *stante hodierna legislatione,* quoad matrimonium, aliud agnoscere domicilium vel quasidom. nisi parochiale, non autem dioecesanum, nec municipale (quamquam a lege civili statutum) nec etiam urbanum, etsi quis in variis eiusdem urbis paroeciis, per plures annos, successive commoratus fuerit.

30. Dixi supra: paucis demptis; siquidem, assertio Sanchezii (1), ab omnibus vel fere omnibus pedetentim derelicta, non ita pridem renovata fuit, sive per modum theseos absolutae, sive per modum hypotheseos exoptabilis, scilicet de domicilio vel quasi-domicilio *dioecesano* aut urbano respectu matrimonii tutius contrahendi.

Laurentius quasi-domicilium urbanum potiusquam parochiale videtur admittere; nam scribit incunctanter: « Animus manendi, de integra urbe vel communitate civili intelligitur, etiamsi ipsa in plures parochias divisa fuerit, et *parochus habitationis* deinde ad assistendum competens fit » (Inst. Iur. ecc. n. 584, Friburg. Brisg. 1903). Paulo moderatius quoad formam sed, ni fallor, non fundatius quoad substantiam, egregius Deschamps (nunc Officialis Curiae Parisiensis) penes *Le Canoniste contemporain* (1900, vol. XXIII, p. 385 et seqq.) retinet, in hisce casibus, matrimonium rite celebrari, posse, non coram Parocho actualis habitationis (et in hoc assertionem Sanchezii praelibatam reiicit) sed coram Ordinario dioecesano vel eius delegato; et rationem affert quia: *a)* « le mot *locus* est un terme canonique, qui a une « valeur juridique, qui n'est nullement synonyme de paroisse, « qui même ne se réfère pas à une conscription territoriale « déterminée *a priori*, mais seulement déterminable *a po-* « *steriori* ». *b)* Porro talis determinatio fit tum intentione incolae seu advenae, qui vult utique commorari *in loco* id est in toto loci vel urbis ambitu non vero in tali talive loci paroecia vel puncto peculiari: tum etiam et maxime determinatur domicilium et quasidom., per relationem ad iurisdictionem auctoritatis istius loci: si volo Parisios, v. g. habitare, eo ipso pariter volo subditus esse Auctoritati quae Parisiis praeest, id est Ordinario, non autem huic illive Parocho. Quare, concludit praelaudatus canonista, « quiconque a un domicile ou quasi-domicile suffisant quant à « la durée et à l'intention requises par les canons, partout « où s'étend la juridiction de l'évêque, c'est-à-dire dans « les limites du diocèse, est sujet de cet évêque, tant pour « la compétence judiciaire que pour l'ordination et le ma- « riage. Ainsi, celui qui s'établit *dans un diocèse* avec « l'intention d'y rester toujours, bien qu'il n'ait pas égard à « telle ou telle paroisse, ou celui qui vient *dans ce diocèse* « pour y passer la plus grande partie de l'année, *mais* « *pendant ce temps réside dans diverses paroisses*, pourra « validement et licitement contracter mariage *devant l'Or-* « *dinaire du lieu* ou son délégué, *comme ayant* domicile « ou quasi-dom. *dans le diocèse* » (loc. cit. p. 401).

31. Plura, fateor, praecaverentur incommoda respectu matrimoniorum, si legislatio canonica domicilium aut quasi-dom. agnosceret in dioecesi, sed reapse, secundum iurisprudentiam hodiernam, domicilium huiusmodi, nedum admissum, e contra reprobatum existimari debet. Habemus ad rem peremptorium argumentum: ea ipsissima die (9 nov. 1898) qua Curia Parisiensis privilegium, de quo supra, reportavit, S. C. S. Officii, eidem Curiae sciscitanti: « *An Ordinarius parochis licentiam concedere possit assistendi matrimoniis eorum, qui diu in dioecesi versati sunt, sed in nulla paroecia domicilium vel quasi-dom. acquisierunt?* respondit: *Negative; nisi diligenti inquisitione facta constet eos, de quibus est quaestio, neque in civivate N...* (Id est Parisiensi) *neque alibi, in nulla paroecia verum vel quasi-domicilium canonicum habere, sed esse vagos* ». Haec responsio S. Officii iurisprudentiam magis ac magis firmavit, ita ut nunc domicilium vel quasi-domicilium dioecesanum, exoptabile certe appareat, non amplius probabile censeatur. De quo rursus infra.

32. Item, disputant Auctores quoad Indultum Baltimorense, id est indultum quod Suprema, flagitantibus Concilii plenarii (III) Baltimorensis Patribus, die 6 Maii 1886 (*Collectan. P. F.* n. 1413 et plenius *Act. et Decr. Conc. Baltim. III*, p. CIX) concessit, videlicet « in Statibus Amer. Foed., se transfe- « rentes a loco ubi viget *Tametsi* in alium locum, dum- « modo ibi continuo commorati fuerint per spatium saltem « unius integri mensis et status sui libertatem.... *censendos* « *ibidem habere quasi-domicilium* in ordine ad matrimo- « nium, *quin inquisitio facienda sit* de animo ibi perma- « nendi per maiorem anni partem ». Quidam autumant hocce indulto quasi-domicilium *dioecesanum* pro Statibus Americae Foederatis, aequivalenter saltem, ratihabitum fuisse. Ast, ni me mei decipiant ocelli, satis arbitraria videtur huiusmodi deductio. Patres Baltimorenses utique postulaverant ut, pro Foed. A. S., Sedes Ap. dignaretur « decernere « eos qui e *sua dioecesi* ad aliam transeunt, modo in hac, « per spatium unius saltem mensis commorati sint, eo ipso, « nulla facta inquisitione de animo manendi per maiorem « anni partem, censendos esse acquisivisse quasi-domicilium « quod sufficiat ad matrimonium contrahendum, eosque sub- « ditos constituendos Episcopi in ordine ad dispensationes « ab impedimentis, si quae obstent, obtinendas ». Heic, certe et perspicue petitur quasi-domicilium dioecesanum. Quid vero Suprema? Nedum decernat *iuxta preces*, textum e contra, pro sueta prudentia, seligit quo primum limitatur coetus futurorum indultariorum per clausulam: *Se transferentes a loco ubi viget...;* deinde, dispensatio conceditur super exploratione animi, propter praeviam unius mensis in loco commorationem; et nil aliud. Unde, tenuitati meae persuasum est praefatum indultum apprime, quamquam adverso respectu, correspondere documento Goano Bened. XIV: hic, unus mensis requiritur ad iudicandum pro validitate matrimonii *contracti*, ratione quasi-domicilii praesumptive adepti;

(1) Sanchez expresse tenet: « Si quis autem habet animum habitandi maiori anni parte in oppido, quum iam respectu illius fit parochianus, licet *eo tempore varias mutet parochias et ita in nulla habeat animum habitandi tempore requisito, recipere poterit sacramenta omnia, ab eo parocho cui actu tunc subditur*, quia non habet alium in oppido ». In hisce verbis Sanchezii, quidam reperiunt, haud improbabiliter, parochialitatem acquisitam ratione domicilii urbani non vero parochialis: nisi Sanchezius - quod mihi videtur verius incolas huiusmodi censuerit vagos esse aut vagis aequiparandos (*De Matrim. I*, III. Disp. 22, n. 14).

illic, unus, pariter mensis ad permittendum matrimonium *contrahendum*, ratione quasi-domicilii (in loco non in dioecesi), propter indultum sufficienter adepti.

33. Nec praetereunda videtur ultima consideratio, de quasi-domicilio sufficienter in *paroecia* acquisito *propter locum.* Evolvo mentem: Titius Romam advenit cum intentione commorandi per septem octove menses et amplius, sedemque figit intra paroeciam v. g. S. Andreae, quin unquam de ista paroecia aut de alia cogitaverit. Eo ipso, propter factum commorationis in paroecia et intentionem genericam habitandi Romam, quasi-domicilium adquirit in ipsa paroecia, ut patet; sed, post mensem elapsum, transit in paroeciam S. Petri, proindeque quasi-dom. amittit penes S. Andream et adquirit in S. Petri, vi praefatae generalis intentionis Urbem habitandi per septem adhuc menses; et sic pro successivis aliis per varias Urbis paroecias commorationibus quoadusque perduraverit, cum facto commorationis in determinata paroecia, intentio Romam habitandi per maiorem anni partem. Econtra, Titius post quinque menses commorationis in paroecia S. Andreae, transit in paroeciam SS. Vincentii et Anastasii cum animo per quatuor alios menses ibi commorandi: tunc, nullum amplius habet in Urbe quasi-domicilium; huic ultimae commorationi quadrimestrali nullatenus prodest anterior sive in eadem sive in variis eiusdem Urbis paroeciis, vel per plures menses et annos, permanentia.

34. Ut finis tandem apponatur huic primae parti, verba transcribo S. Augustini: « Quaestionem tamen de coniugiis « obscurissimam et implicatissimam esse non nescio, nec « audeo profiteri omnes sinus eius, vel in hoc opere vel in « alio, me adhuc explicasse, vel iam posse, si urgear, expli- « care » *(De Coniug. adulter. I*, c. XXV). Obscurissima pariter et implicatissima est, ut ex hucusque praelibatis abunde patet, peculiaris quaestio de quasi-domicilio seu de iurisprudentia seu de parocho proprio propter quasi-domicilium, quam proinde penitus explicare nequaquam praesumpsi, sed ea tantum praelibare conatus sum quae satis esse videntur ad conclusiones practicas inferius deducendas.

(Continuabitur).

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

8801/15 I.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali SEBASTIANO MARTINELLI

Die 26 Iunii 1903

Alben. Pompeien. — Iurium.

Sustinetur in casu immemorabilis consuetudo, vi cuius in una tantum ecclesia parochiali aqua baptismalis benedicitur Sabbato Sancto, eamque aliae paroeciae Vicariae ab illa recipere debent.

Ex allegationibus partium apprime constat immemorialem viguisse consuetudinem, a Rev.mis Episcopis recognitam et compulsatam in S. Visitatione, ut in Vicaria foranea Cherasci, dioecesis Albae Pompeiensis, ex duodecim paroeciis in comitatu et viciniis, in una earum, in Praepositura scilicet commendataria S. Petri in Manzaro, aqua baptismalis Sabbato Sancto, benediceretur, atque aliae ab illa recipere deberent. Quinimo, ne tales benedictiones peragerentur in aliis paroeciis, usus invaluit ut uti mos erat in caeteris dioeceseos locis, ipsis distribuerentur nova Olea Sabbato Sancto pro feria VI in Parasceve.

Porro nonnulli ex parochis aegre hanc duplicem consuetudinem ferebant, quae sua laedebat iura. Quin imo ex his unus, parochus loci Narzole appellati, a pluribus iam annis suo arbitrio per se peragebat benedictionem aquae in proprio fonte, Olea praecedentis anni adhibendo. Re ad Episcopum delata, Praepositus S. Petri invitatus fuit ut iuri cederet. At quum Praepositus immotus in denegando persisteret, ne praeiudicium successoribus inferret, tunc episcopus ad S. Sedem recursum habuit ut controversia componeretur.

Praepositus S. Petri ut sua iura tueretur pro virili parte contendit Praeposituram S. Petri in Manzano a remotissimis temporibus possidere ius benedicendi aquam baptismalem pro omnibus Vicariae paroeciis etiam regularibus, necnon iisdem distribuendi Olea sacra ab Episcopo quotannis benedicta. Huius autem inveteratae consuetudinis fundamentum reponit, praeter quam in matricitate, in praeeminentia propriae paroeciae prae aliis. Et revera in ea tantum peraguntur omnes functiones sic dictae generales, uti sunt, ex. gr., Processiones Rogationum, quibus omnes civitatis parochi convenire solent; item ad *Gloria* in Sabbato Sancto tintinnabula solum in parochia S. Petri pulsantur; ad illius parochum, absente Episcopo, pertinet etiam ius coronandi effigiem B. M. Virginis a SS.mo Rosario, quamvis functio in alia ecclesia foret persolvenda, etc.

Insuper addit duplicem praefatum morem fuisse firmatum atque sancitum a pluribus Decretis Episcoporum S. Visitationem peragentium, quemadmodum liquet ex relationibus SS. Visitationum a. 1588, 1743 et 1828, cuius postremae verba haec sunt: « In eodem Baptisterio per D. Praepositum Sabbato Sancto cuiuslibet anni iuxta Ecclesiae ritum fit solemnis benedictio Fontis privative ad alios Parochos huius civitatis et Vicariae, qui omnes huiusmodi benedictioni non assistunt, sed ab immemorabili ad hoc Baptisterium accedunt pro aqua accipienda baptismali, una cum Sanctis Oleis ad usum suarum paroeciarum.... ».

Insuper animadvertit quod, facta dismembratione paroeciae loci Narzole ab illa S. Petri, transactio inita fuit, ab H. S. C. die 9 Decembris 1833 approbata, vi cuius Rector ecclesiae filialis tenebatur una simul cum aliis parochis territorii Cherasci accedere ad Praeposituram S. Petri pro accipienda aqua baptismali et Oleis Sanctis Sabbato Sancto vel die successivo. Tandem concludit nihil obstare responsum S. C. Rituum in una *Utinen.*, 13 Ianuarii 1899, n. 4005 (1), quae etiam ecclesiis filialibus recognoscit ius benedicendi aquam baptismalem; quum in casu praesenti, praeter matricitatem, adsit etiam contraria consuetudo legitime praescripta.

Nunc praestat adversariorum parochorum allegationes referre. Ex adverso enim sex parochi Vicariae Cherasci, admissa invocata consuetudine, petunt ut nihilominus ius naturale benedicendi aquam baptismi sibi concedatur. Quod imprimis ar-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VII, p. 76.

guunt ex iure communi, praesertim vero ex decreto S. Congr. Rituum in una *Utinen.*, 13 Ianuarii 1899, n. 4005, ubi etiam ecclesiis filialibus, quae sacrum fontem legitime habent, recognoscitur ius benedicendi aquam baptismalem in Sabbato Sancto. Eo vel magis, aiunt, quod Praepositura S. Petri, quamvis prima inter pares, si excipias paroeciam loci Narzole, non est ecclesia matrix respectu aliarum parochiarum; hinc nulla invenitur sufficiens ratio cur aliarum ecclesiarum libertas et independentia laedatur. Et incuriae parochorum, qui anteactis temporibus etiam pueros mittebant ad ecclesiam S. Petri ut in doctrina christiana instituerentur, originem tribuunt illius consuetudinis, quae exinde in communis iuris corruptelam conversa est.

Praeterea addunt, saepissime in paroeciis extra civitatem Cherasci occurrere quod ad baptismum infans deferatur, quando aqua baptismalis et Olea Sacra nondum ad paroeciam delata sunt, et tunc differendam esse affirmant collationem baptismatis cum gravi infantis periculo et questibus parentum. Vel etiam quod sit ministranda morienti Extrema Unctio et sacramentum confici nequeat, Oleis Sacris deficientibus usque ad meridiem Sabbati Sancti. Quibus in casibus gravem oratores inconvenientiam ex praedicta consuetudine oriri asserunt.

Praeterea animadvertunt baptismalem benedictionem atque Sacrorum Oleorum infusionem integre se absolvere in Vigilia Pentecostes; cur igitur, arguunt, in Sabbato Sancto idem non licebit?

Hinc proposita fuerant sequentia

DUBIA

I. *Utrum et quomodo sustineatur consuetudo inolita in Vicaria Foranea Cherasci, Dioecesis Albae Pompeiensis, vi cuius unus Praepositus Commendatarius S. Petri in Manzaro aquam baptismalem in Sabbato Sancto benedicit, dum omnes alii undecim parochi Vicariae debent se conferre ad ecclesiam parochialem S. Petri ad praedictam aquam recipiendam.*

Et quatenus affirmative:

II. *An sustineatur consuetudo a Praeposito S. Petri inducta, non distribuendi Olea Sancta noviter benedicta parochis Vicariae, nisi absoluto Gloria Missae Sabbati Sancti.*

Responsum fuit: *Affirmative ad utrumque.*

7531
15
II.

PONENTE E.MO AC R.MO
Cardinali FELICE CAVAGNIS
Die 26 Iunii 1903

Sancti Iacobi de Chile — Iurispatronatus.

Quamvis dispositiones testamentariae in beneficiis quoque iurispatronatus stricte sint adimplendae, tamen, superveniente aliquo obice, mens testatoris ex aequa interpretatione deduci debet, prout factum fuit in casu.

Quum Franciscus Ruiz Tagle y Portales, iam reipublicae de Chile Praeses, suarum possessionum legitimam partem, quae ad filiam suam sanctimonialem monasterii S. Rosae pertinere debuisset, testamento diei 20 Martii 1860 suae uxori in usumfructum legavisset, et post eius mortem filio suo sacerdoti Ioachimo; utrique tamen obligationem fecit ut, quae ad honestam vitam necessaria sunt, filiae suae moniali suppeditarent, quotiescumque ista e monasterio egredi voluisset. Quorum morte sequuta, ex praedictis bonis scholam atque capellaniam erigendam statuit, cuius capellanus clericus esset qui pauper et ex eius progenie, ad ordinationem illa indigeret; ad Archiepiscopum autem pro tempore transituram, qui patronus simul et capellanus esset, si nullus clericus recensitas conditiones praeseferret.

Porro post testatoris mortem uxor eius et filia sanctimonialis pariter ad coelum migrarunt; tunc sacerdoti Ioachimo iuxta fundationis tabulas ususfructus cedere debebat. Sed, quum successivorum ususfructuum constitutio a Chilena lege irritetur, tribunal civile, ab usufructu reiecit praedictum sacerdotem, atque decrevit immediatam scholae et capellaniae erectionem.

Sacerdos itaque Franciscus Xaverius Ruiz Tagle, cum pauper et fundatoris descendens esset, Archiepiscopo S. Iacobi instantiam detulit ut ad fundatam capellaniam nominaretur. Verum eius precibus obstitit Curia dioecesana, quae sententia 27 Septembris 1901 beneficium illi denegavit, quia capellania pro clericis ad sacros ordines promovendos, non autem pro ordinatis esset instituta. Praefatus sacerdos ab hac sententia huic Sacrae Cong.ni appellavit, iuspatronatus passivum expostulans controversae capellaniae, necnon administrationem bonorum, quae ad capellaniam eique adnexae operae piae pertinent.

Actor pluribus argumentis ius suum vindicare satagit. Et primo quidem asserit testatorem pro scholae et capellaniae erectione statuisse partem legitimam sanctimonialis filiae eamque unam et indivisam voluisse, cuius fructuum dimidia pars scholae cederet, altera vero capellaniae. Constat enim, pergit ipse, ex tabulis fundationis, sequuta designatorum morte « illa bona pro medietate fructuum ad scholam, et pro altera parte ad capellaniam erigendam designari ». Hinc testator statuere non intendit duo entia ab invicem independentia et separata quoad patrimonii administrationem, sed duas fundationes ex fructibus unius patrimonii existentes et uni administratori subiectas. Praeterea, cum in dispositione testamentaria habeatur, quod « capellani legitime ex testatore descendentes invigilare debeant super conservationem et prosperitatem scholae, et applicationem Missarum in perpetuum curare », sequitur ad curam etiam et administrationem bonorum ad scholam pertinentium de iure spectare capellanum rite institutum.

Secundo, sacerdos Tagle animadvertit fundationes, de quibus in casu, a testatore decretas esse nunc pro tunc, secuturas nempe post suae uxoris ac liberorum mortem, putans quod post mortem uxoris filius suus Ioachim fructibus bonorum libere uti valeret. Ideoque, cum civiles leges successivum usumfructum irritent atque sacerdoti Ioachimo illud denegaverint, nihil obstat quominus Ioachimo vivente, legitimi descendentes a pio testatore, qui requisitis conditionibus polleant, ius habeant ut patroni, capellani et administratores nominentur peractarum fundationum, quin Ioachimi mors iuxta Archiepiscopum sit expectanda.

Tertio, orator verba testatoris ad trutinam revocans contendit capellaniae fundationem in beneficium sacerdotum fuisse institutam qui legitime essent de gente fundatoris,

quique illa indigerent ex iudicio Archiepiscopi, tamquam congrua canonica ad sacros ordines suscipiendos. Quare nullum ius oritur Praesulibus nominandi quem ipsi idoneum ad beneficium putent, sed tantum illis onus incumbit invigilandi, an inter sibi contendentes capellaniam verificentur conditiones requisitae. Atqui sacerdos Tagle, Archiepiscopo consentiente, statutas conditiones praesefert, hinc nonnisi per iniuriam excluditur a beneficio.

Neque objiciatur quod actor, utpote iam ordinatus sit, congrua canonica minime indigere ad ordinationem, et per capellaniam illi tributam testatoris voluntatem pessumdari. Recta enim interpretatio fundatoris mentis ex consultatione cum caeteris testamenti partibus est facienda; secus nulli unquam sacerdoti beneficium esset conferendum, cum semper vacare deberet usque dum ex fundatoris stirpe non habeatur qui congrua canonica indigeat ut ad sacerdotium valeat promoveri.

Porro, ex facto quod actor iam ordinatus sit, destrui nequit ius ad capellaniam obtinendam. Quamvis enim evidens sit mens testatoris, tamen non est negligenda interpretatio eius. Iamvero, quomodo in testatore voluntas concipi potest illos tantummodo ex sua progenie beneficio afficere, qui possint ipso quo ordinantur tempore, capellaniae institutionem consequi? Si res ita se haberet, frustra testator beneficium instituisset; perraro enim evenire solet, quod quis ad sacros ordines promoveatur, quando contingit capellaniam vacare. Ex alia vero parte clericus ordinatus cum titulo insufficienti ad honestam sustentationem evidenter manet, in ipsa qua erat ante ordinationem conditione nempe in necessitate beneficium acquirendi, ut congruam sustentationem habeat. Quod praecise de sacerdote Tagle verificatur cuius titulus non solum est insufficiens sed etiam precarius utpote ab actoris avunculo precarie constitutus, videlicet usque dum capellaniam erectam assequeretur.

Notandum quod tempore quo sacerdos Tagle sacros ordines suscepit, capellania adhuc erecta non erat; ideoque ex causis a sua prorsus voluntate alienis, ius illud, quod ipsi competit, perperam disputatur. Et cum nullus alius ex gente testatoris ad statum clericalem tendere videatur, nullus omnino contradictor occurrit sacerdoti Tagle, nisi ipse Archiepiscopus.

Tandem, quarto actor animadvertit possessionem et administrationem bonorum capellaniae et scholae, ad Ordinarium pro tempore tantummodo transire, in casu quo nemo habeatur ex fundatoris familia, qui statutas conditiones praeseferat et capellaniam expostulet. Hoc etiam, praeter explicitas testatoris declarationes, ab ipsa lege civili confirmatur, iuxta quam cum bona capellaniae adsignata partem excedant, quae *disponibilis* dicitur, cedere debent legitimis testatoris successoribus, potiusquam Archiepiscopo. Quare sacerdos Tagle, impugnans adiudicatam esse Ordinario per sententiam tribunalis civilis possessionem et administrationem operae piae, et animadvertens sacerdotem Ioachimum capellaniam obtinere non posse, quia dives; sibi omnem possessionem et administrationem bonorum, prouti in casu, debitam esse contendit, qua fundatoris nepos, quum sine alio contradictore instet, et utpote congrua canonica praeditus praecaria et insufficienti ad honestam sibi sustentationem procurandam.

Ex adverso, Curia Archiepiscopalis suas protulit rationes. In primis Ordinarius S. Iacobi se refert ad clausulas ipsas testamentarias, ex quibus constat capellaniam erigendam esse non ex bonis filiae moniali spectantibus, sed ex dimidia tantum parte fructuum eorumdem bonorum. Sic enim fundatoris verba sonant: « haec bona pro medietate fructuum ad scholam instituendam designantur, pro altera vero parte ad Missarum celebrationem in perpetuum ». Idcirco testator non ipsa bona ad capellaniae erectionem assignavit, sed bonorum fructus, quos proinde capellanus vel patronus lucrare equidem potest, minime vero ius habet ad bona ipsa adipiscenda.

Insuper animadvertit Rmus Archiepiscopus testatorem personas nominatim designasse, quibus possessio fructusque bonorum cedere deberent, filium nempe sacerdotem filiamque sanctimonialem; quocirca nonnisi post amborum mortem capellano vel patrono ius aliquod competere posse ad capellaniam acquirendam. Revera voluit testator quod erectio capellaniae quamprimum post suam mortem fieret, ex quo videretur non esse expectanda Ioachimi mors; sed cum alibi disposuerit filium suum Ioachimum fructibus bonorum capellaniae frui debere usquedum viveret, sequitur testatorem filium suum designasse primum patronum et capellanum. Hinc actoris instantia hac ratione praematura apparet, nulloque innixa iuridico fundamento; ac proinde reiicienda.

Quinimo, sac. Tagle, prosequitur orator, neque post Ioachimi decessum ius aliquod habet ad controversam capellaniam; nam essentiali conditione caret a testatore imposita, videlicet quod optans concurrens sit in egestate constitutus, illoque indigeat beneficio ad ordinationem obtinendam. Attentis igitur verbis ac mente testatoris et nisi cuilibet alio de testatoris progenie ius adimatur, qui pauper et egenus capellaniam expostulet ut sacerdotium ascendere possit, actoris instantia repelli debet. Accedit quod testator dum Praelatos ecclesiasticos constituit iudices de vera capellaniae necessitate in clerico illam petente, quamcumque voluit praecavere contentionis possibilitatem circa beneficii collationem. Unde cum nullus ex descendentibus testatoris reperiatur, qui necessariis conditionibus praeditus sit, iure meritoque Archiepiscopalis Curia in possessione mansit praefatae capellaniae, quia ipse sacerdos Ioachimus, Chilena lege fructus successivos irritante, per civile tribunal reiectus fuit ab usufructu capessendo.

Denique Ordinarius recolit frustra sibi denegari administrationem bonorum capellaniae spectantium. Quamvis enim in prima dispositionis testamentariae parte conditio apponatur ad hoc ut Archiepiscopo transeant ususfructus beneficii, tamen in secunda eiusdem articuli parte, quae Ordinarium constituit patronum et capellanum, quando testatoris descendentes capellania non indigeant ut ordinentur, nulli conditioni obnoxia est. Porro tale ius, a fundatore concessum Archiepiscopo, a civili etiam tribunali eidem confirmatur, quippe quod Ordinarius vocatus fuit ad fundationem et fruitionem operae piae, praecise iuxta tenorem secundae partis clausulae testamentariae, quamvis iuxta primam partem ille ab omni usufructu reiectus fuisset. Neque praeterit Ordinarius adnotare quod, cum sententia iam in rem iudicatam transierit, quodcumque superveniens iudicium contrarium nullius roboris esset, iuxta civiles leges Chilenas et irritum proinde evaderet quidquid a sac. Tagle ulterius perageretur.

Quibus ab utraque parte sic enucleatis, propositum fuit solvendum sequens

DUBIUM

An Sacerdoti Francisco Xaverio Ruiz Tagle competat iuspatronatus passivum in cappellaniam Tagle necnon ius

administrandi bona eidem necnon et operae piae pertinentia in casu.

Porro E.mi Patres rescripserunt: *Ad 1am partem affirmative; ad secundam affirmative sub prudenti vigilantia Episcopi.*

5849/15 III.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali CASIMIRO GENNARI

Die 11 Dec. 1903

Parisien. — Exemptionis.

SS.mus ad cautelam probavit quod alumni Congregationis Missionis valide confiteri possint penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum. An vero illorum exemptio vel dependentia a iurisdictione Ordinariorum extendatur quoque ad alias materias fori interni: S. Congr. nil respondit.

Iam a pluribus annis, in Congregatione Missionariorum S. Vincentii a Paulo agitabatur quaestio, utrum ipsorum Institutum, quamvis votorum simplicium, quoad approbationem confessariorum pro alumnis internis exemptum esset a iurisdictione Ordinariorum. Anno 1878, Rev.mus P. Fiat Superior Generalis, H. S. C. sequens dubium proposuit « Utrum presbyteri Cong.nis Missionis, a Visitatore in unaquaque domo designati ad audiendas confessiones suorum confratrum, iurisdictionem accipiant immediate a Superioribus vi exemptionis ab Ordinariis, Brevibus Apostolicis concessae; vel necesse sit ut approbati sint ab Ordinario iuxta praescriptionem Regularum et fere omnium italorum Missionariorum sententiam »? Et S. C. die 23 Sept. 1881 reformato dubio ex officio: « *Utrum membrum Cong.nis Missionis possit, absque licentia Superioris, confessionem sacramentalem valide peragere apud sacerdotem externum approbatum, dum facile habere posset confessarium etiam in Cong.ne* », respondere censuit: « *Negative* ».

Contra hanc sententiam plures eiusdem Sodalitatis presbyteri aliter opinarunt contendentes H. S. C. quaestionem generalem dirimere noluisse, et ideo beneficium novae audientiae petierunt et tandem obtinuerunt, ut controversia sub infrascriptis dubiis reproponeretur.

Rationes in favorem exemptionis ita compendiatur. Orator, qui exemptionem etiam quoad confessarios approbandos tuetur, imprimis argumentum sumit ex vi *rei iudicatae*, quae maximi ponderis est, eo vel magis quod a. 1894 ex responsione ab H. S. C. data Sodalitati SS.mi Redemptoris in casu analogo confirmationem veluti habuit.

Deinde advocatus thesim suam probare nititur ex ipso facto totalis exemptionis ab Ordinariorum potestate, nempe:

1°) ex erectionis Bulla *Salvatoris Nostri* Urbani VIII d. 12 Ian. 1632, in qua Pontifex, postquam statuerit quod socii illius Cong.nis Superioribus « *quoad disciplinam et directionem subsint* », addit: « Quo vero ad Missiones tantum, etiam Ordinariis locorum.... subesse debeant, adeo ut in reliquis dictus Superior Generalis in omnes domos.... et *personas omnimodam superioritatem et auctoritatem habeat* ». Porro, iuxta advocatum hic non agitur de potestate oeconomica et administrativa sed iurisdictionali, quum certe praesumendum sit Urbanum VIII exemptionem concessisse iuxta instantiam a S. Vincentio oblatam, quae sequentis tenoris est: « Dictosque Praepositum, presbyteros et quascumque personas.... *a iurisdictione suorum Ordinariorum liberare, a S. Sede Apostolica dependere placeat* ».

2°) ex Brevi *Ex commissa Nobis* Alexandri VII d. 22 Septembris 1655, ubi legitur: « *Statuentes ut dicta Congregatio Missionis exempta sit a subiectione locorum Ordinariorum in omnibus*, excepto quod.... subsint ipsis Ordinariis tantum quoad Missiones et ea quae illas concernunt, utque dicta Congregatio.... sit de corpore cleri saecularis ». Iamvero, iuxta patronum, sermo hic habetur de vera exemptione in sensu iuris quia subiectio et iurisdictio, veluti emptio et venditio, sunt voces correlativae, quarum una alteram supponit et includit. Nec dicatur quod in iure praescribitur taxativa formula pro exemptione concedenda, quum sufficiant quaelibet verba, quae voluntatem Pontificis clare ostendant, declarante Bonifacio VIII *(Lib. V, tit. 7, cap. 10 in 6°)*: « Si autem ecclesiae vel monasterio exemptionis privilegio concedendo... asserat *(Pontifex)* ipsam ecclesiam fore exemptam... aut *si dicat indefinite...* per hoc plene debet exempta huiusmodi ecclesia iudicari... ». Quod plene confirmatur subsequenti Brevi *Pastoralis Officii* eiusdem Pontificis, diei 5 Oct. 1662.

3°) ex Brevi *Exponi Nobis* Benedicti XIII d. 17 Februarii 1725, in quo confirmata fuit facultas et praxis: « Superioribus praedictae Cong.nis Missionis concedendi litteras dimissorias suis subditis... *in vim Const. Apost. fel. rec. Urbani VIII et Alexandri VII... per quas dicta Congregatio ab Ordinariorum iurisdictione*, exceptis pertinentibus ad Missiones dumtaxat, *exempta reperitur* ». Hoc iterum firmatur a Brevi *Aequa Apostolicae*, Benedicti XIV d. 5 Apr. 1744, ubi fere eadem verba leguntur. Facultas autem Missionariis iter peragentibus confessiones suas excipiendi, absque Ordinariorum approbatione per Breve *Apostolici muneris* Clementis X concessa fuit tantum « *abundantioris cautelae gratia* », uti ibidem innuitur, attentis nempe nonnullorum dubitationibus. De caetero non raro accidit, ut a S. Sede facultates concedantur, quae per se necessariae non essent; ita exemplum typicum habetur in *Decretalibus (Lib. V, tit. 28, cap. 16)*: « Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus Episcopis et aliis Superioribus necnon minoribus Praelatis exemptis, ut, etiam praeter sui Superioris licentiam, providum et discretum sibi possint eligere confessarium ».

Deinde patrocinator recurrit ad plenae exemptionis usum, qui in Cong.ne Missionis a tempore S. Fundatoris invaluit. Etenim ipse exemptionem petiit ab Urbano VIII, et saltem ab Alexandro VII obtinuit, uti ex dictis constat. Quinimo illam pure ac simpliciter acceptavit; sive quia in Brevi Alexandrino invenitur dispositio praeceptiva « *Statuentes...* »; sive quia S. Vincentius illam habuit uti donum Dei, prouti liquet ex ipsius epistolis ad D.nos Joly et Platiron; sive quia de facto eamdem exercuit confessores internos approbando, testante Regula Visitatorum statim post Breve Alexandri VII edita: « Penes ipsum *(Visitatorem)* est in qualibet domo... duos nostrorum confessarios ordinarios constituere et destituere. Designabit etiam externorum confessarios, praevia tamen approbatione Ordinariorum ». Porro,

uti ibi liquet, nulla fit mentio de approbatione Ordinariorum quoad confessiones internorum. Quod si S. Fundator in Regula communi statuerit: « Non licet ulli ex nostris, nisi ab Ordinario sit approbatus, confessiones tam nostrorum quam externorum audire », id iussit antequam obtenta plena fuisset exemptio; idque postea non mutavit ut concordiae praesertim cum Archiepiscopo Parisiensi consuleret; eo vel magis quod approbatio Ordinariorum proprie importat declarationem idoneitatis ad confessiones audiendas, nec semper cum iurisdictionis collatione coniungitur.

Insuper acceptatio totalis exemptionis, quamvis ne necessaria quidem dici posset, habita fuit in Conventu Generali a. 1668, ubi « Lecta sunt Brevia quaedam Apost... praesertim... circa subiectionem nostram iurisdictioni Ordinariorum...; *dictaque Brevia acceptata fuere* ». Hanc praxim, approbandi nimirum confessarios, successores S. Fundatoris, praesertim D.ni Almeras et Joly respective secundus et tertius Generalis, fideliter custodierunt, et, quoties necessarium fuerit, defenderunt. In Conventu autem a. 1890 nulla acceptatio fieri debebat de sententia H. S. C. d. 23 Sept. 1881, quia haec sententia referebat interpretationem non extensivam sed declarativam tantum.

Ultimo, iuxta advocatum, usus contrarius confessionem peragendi etiam apud extraneos sacerdotes non potuit canonicam inducere praescriptionem contra Superiores, tum quia innititur tacito ac prudenti ipsorum consensu, tum quia obstat Regula communis statuens: « Sacerdotes bis aut saltem semel in hebdomada uni ex confessariis domus ad hoc deputatis, *et non aliis sine Superioris facultate confessionem facient* ».

Ex adverso, haec militare videntur contra assertam exemptionem. Patronus exemptionis tantum partialis animadvertit quod hoc Institutum, utpote « *de corpore cleri saecularis* » iuxta Alexandrum VII, ac votorum simplicium, in vim Const. *Emanavit* Benedicti XIV Ordinariorum iurisdictioni in foro interno subiacet, nisi speciali S. Sedis privilegio fruatur. Unquam autem constat hoc privilegium concessum fuisse. Non 1°) a Bulla Urbaniana, in qua conceditur dumtaxat quod S. Vincentius petiit, nempe subiectionem Superioribus « *quoad directionem et disciplinam* », et Ordinariis locorum « *quoad Missiones tantum* »; quae omnia nonnisi externum forum respiciunt. Nec obiiciantur, iuxta patrocinatorem, eiusdem Const. verba, quae Superioribus « *omnimodam superioritatem* » in suos subditos tribuant; haec enim non absolute sed relative sunt accipienda; quemadmodum inferius explicatur, nempe: « eos amovendi, transferendi, mutandi, etc. ».

Neque 2°) ex Brevibus Alexandrinis, in quibus adduntur tantum vota simplicia, dum quoad exemptionem nihil immutatur; quod vel innotescit ex ipsa *subiectionis* voce, qua utitur Pontifex, quaeque differt a *iurisdictione: subiectio* enim animi dispositio ad parendum Superioribus, e contra *iurisdictio* est potestas subditos regendi; posterior actus externos, prior etiam internos respicit. Et hanc in foro tantum externo exemptionem S. Vincentius a Papa petiit adversus Archiepiscopum Parisiensem, qui « omnimodam iurisdictionem et auctoritatem tam in spiritualibus quam *in temporalibus* » in Regularum approbatione sibi vindicavit. De caetero, iuxta patrocinatorem teste Schmalzgrueber *(Parte III, tit. 33, n. 8)* id etiam, quod est de iure communi, esse potest materia privilegii, quando nempe aliquid speciale in casu conceditur, in quo bene privilegii ratio reperitur.

Iamvero, ait patronus, non-exemptio clare constat ex Brevi *Apostolici muneris* Clementis X, qui precibus annuens a D.no Almeras, successore immediato S. Vincentii exhibitis, largitus est ut soli itinerantes sibi invicem confiteri possint: « Qui tamen in dioecesibus ubi residere soliti sint, seu unde discesserint, ad confessiones approbati reperiantur...; tametsi in ipsis dioecesibus, in quibus iter agendo reperiuntur, approbati non fuerint ». Cumque itaque itinerantibus dumtaxat illa facultas concessa fuerit, necessario sequitur omnes alios nulla gaudere in foro interno exemptione vigore huius Brevis.

Insuper plena exemptio, iuxta ipsum, opponitur Regulis communibus quae ita se habent: « Sicut non licet ulli ex nostris, *nisi ab Ordinario sit approbatus*, confessiones tam nostrorum quam externorum audire ». Nec valet interpretatio adversariorum dicentium hic agi de liceitate, non vero de validitate; in Regulis enim eadem omnino apponitur conditio pro utraque confessione; atqui confessio externorum invalida est absque Ordinarii approbatione, ergo et internorum.

Quin imo, dato etiam totali exemptionis privilegio, obstaret tamen consuetudo trium ferme saeculorum in contrarium inducta. Certum est enim, ait ipse, S. Vincentium nunquam illud acceptasse, imo contra exemptionem Regulas communes tradidisse, quas ad observandas « *tales quales sunt* » voluit ut quilibet Superior Generalis iurare teneretur. Voluntatem S. Fundatoris religiose observatam fuisse, constat ex Statutis a. 1849 in quibus legitur: « Ne *minimam* quidem in Const. aut Regulis communibus *mutationem* admittendam esse ». Et praxis dependentiae ab Ordinariis quoad confessiones semper invaluit et etiam hodie obtinet in omnibus Provinciis, non exclusa Gallia; de hoc enim fidem faciunt D.nus Almeras, necnon ipse Bonnet, qui quamvis erronee admittat Cong.nem Missionis frui privilegiis approbandi confessarios internos et concedendi dimissorias, tamen addit: « *Quibus (privilegiis) in Gallia non utimur,* ne offensam incurramus Ordinariorum ». A Praeposito Etienne subsignatus quidem fuit a. 1861 libellus, in quo prima vice affirmatur plena exemptio, sed in eiusdem redactione intercessit aliqua mutatio necnon plures errores, ita ut ipse Etienne illum non proposuerit approbandum in Generali Conventu a. 1863, et actualis Praepositus Fiat per Litteras circulares a. 1884 datas, denuntiationem errorum inibi contentorum sibi faciendam esse postulaverit. Item, iuxta patronum, non obstat Regula Visitatorum, quia caeteris omissis, verbum *constituere* ibi adhibitum non significat approbare aut iurisdictionem conferre, sed tantum eligere et deputare.

Rmus P. Palmieri S. I. rogatus ut Votum exararet, ipse, utriusque partis rationibus ad examen adductis, praeferendam esse sententiam contra exemptionem in foro interno censet, quia altera sententia fundatur in satis incerta interpretatione privilegii Alexandrini, dum ipsa, praeterquamquod exhibet rationabilissimam privilegii Alexandrini interpretationem, Regulae communi, quae est Fundatoris voluntas, necnon consuetudini innititur. Hinc concludit: Cong.nem Missionis esse Institutum presbyterorum saecularium, idemque semper manere quaecumque sint privilegia ei concessa; posse quidem Superiori Cong.nis saecularis competere potestatem dominativam sed non iurisdictionem ecclesiasticam, quae tota residet penes Episcopum. Hinc infrapositis dubiis respondit: « Praevia recessione a decisis, servandam esse regulam, secundum quam confes-

sarii quoque alumnorum Cong.nis Missionis approbandi sunt ab Ordinario loci ut confessio sit valida, eosdemque valide confiteri posse penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum ».

Re mature perpensa proposita sunt solvenda duo

DUBIA

I. *An sit confirmanda vel revocanda decisio S. C. Ep. et Reg. diei 13 Sept. 1881 in casu.* — *Et quatenus Negative ad primum et Affirmative ad secundum:*

II. *An Missionariorum dependentia a iurisdictione Ordinariorum extendatur quoque ad alias materias fori interni.*

Emi Patres rescripserunt: *Ad I et II, ad mentem. Mens est quod alumni Congregationis Missionis valide confiteri possint penes quemlibet confessarium ab Ordinario loci approbatum, facto ad cautelam verbo cum Sanctissimo.*

Hanc sententiam SS.mus probavit die 24 Dec. eiusdem anni 1905.

IV.

PONENTE E.MO AC R.MO

Die 20 Februarii 1904.

Derthonen. — Iurisdictionis parochialis.

Immemorabilis consuetudo exercendi privative parochialem iurisdictionem super quodam nosocomio in favorem plurium paroeciarum erecto, non extinguitur per praedicti hospitalis materialem derelictionem, ac per alterius iuridice et formaliter identici in eiusdem paroeciae territorio aedificationem. Ius parochi aliquo modo restrictum fuit in casu quoad funera divitum ibi decedentium.

Ab immemorabili, in civitate Novi Ligure, Derthonensis dioeceseos, extabat hospitale S. Iacobi, cuius maxima pars intra fines paroeciae S. Petri, reliqua vero in ambitu paroeciae S. Nicolai sita erat. Pariter ab immemorabili parochus S. Petri in valetudinarii parte sibi subiecta ius funerandi super defunctos sive propriae sive alienae paroeciae exercebat, in alia vero parte idem ius a parocho S. Nicolai exercebatur.

At paucis abhinc annis, Comes Raggion novum extruxit nosocomium, quod praefatae civitati liberaliter cessit; proinde, veteri derelicto, a. 1902 novum sub eodem S. Iacobi titulo fuit inauguratum. Ex hac vero domus mutatione quaestio exorta est inter tres civitatis parochos, nempe inter parochum S. Petri ex una parte et inter parochos S. Nicolai et S. Andreae ex altera. Ille sibi vindicat ius exclusivum funerandi omnes defunctos in novo hospitio nunc in proprio districtu totaliter extante; e contra isti asserunt ob derelictionem veteris nosocomii atque novi erectionem, extinctum esse antiquum funerandi ius, ad parochum S. Petri privilegio consuetudinario pertinens, ideoque hodie ad tramites iuris communis cuique parocho ius inesse funerandi proprios filianos demortuos in novo xenodochio.

Hac de causa parochi Sancti Nicolai et S. Andreae hoc sensu supplicem libellum obtulerunt Ordinario Derthonen., qui « attento quod iura et privilegia a parocho S. Petri asserta ad summum valere poterant pro veteri valetudinario non autem pro novo nondum canonice erecto; attento quod parochus S. Petri super vetus hospitale minime fruebatur parochiali iurisdictione, quum ibidem suam exerceret etiam parochus S. Nicolai: attentis denique Decisionibus praesertim S. C. Concilii in *Apuana-Funerum*, diei 19 Maii 1888, necnon S. R. Rotae *(Pars XI, dec. 348, recent.) etc.* »; die 24 Augusti 1903 inter alia decrevit: « *quemlibet ex tribus parochis administrandi Sacramenta propriis parochianis in novo hospitali degentibus eosque funerandi ius habere...* ». Quum autem huic decreto non acquiesceret parochus S. Petri apud H. S. C. appellationem interposuit.

Hae sunt deductiones parochorum S. Nicolae et S. Andreae. Defendunt Decretum Ordinarii, ipsumque neque nullum ex defectu solemnitatum, neque iniustum, utpote laesivum iurium parochi S. Petri, dici posse sustinent.

Et quoad primum, nihil obstat quod parocho S. Petri ostensae non fuerint rationes partis adversae, quum hoc non necessarium imo impossibile esset, quia hae complectebantur in ipsa petitione Episcopo exhibita et parocho S. Petri nota; qui ex adverso proprias deductiones adducere tenebatur ad allegatam exclusivam iurisdictionem in novo valetudinario probandam, utpote quae contra ius commune sit ac aliorum laesiva iurium. Nec officit quod parochus S. Petri ad suas deducendas rationes in forma valida et de iure vocatus non fuerit; nam, praeterquamquod formalis invitatio non est absolute necessaria, ipse falso innititur supposito de legitima possessione exclusivae iurisdictionis in novo hospitali. De caetero parocho S. Petri, licet fortasse forma externa destitutam, quamdam invitationem Curia tradidit.

Quo vero ad secundum, nempe circa meritum causae, praedicti parochi, praetermisso Episcopi argumento de erectione nondum canonica novi hospitalis, duo advertunt nempe quod non solum eiusdem physica sed nec iuridica existentia minime identica invenitur cum illa veteris, quae ob huius totalem interitum est extincta. Sane iurisprudentia classica logice docebat per extinctionem rei, omnia iura eidem inhaerentia omnino extingui, nec reviviscì etiamsi res in sua primaeva forma restitueretur, quam Iustinianus temperavit iurisprudentiam ita ut vetera iura tantum reviviscerent si antiqua forma in re nova restitui posset. Hanc Iustinianaeam doctrinam, ius canonicum suam fecit quia iuxta *cap. 42 de Regul. iuris in 6* « Accessorium naturam sequi congruit principalis ». Unde Ferraris *(Bib. Can., v. privilegium, art. III, n. 6)* habet quod « Privilegium reale cessat et extinguitur extincta re, cui inhaeret, si ipsa res privilegiata extinguatur sine spe restitutionis ». In casu autem cum habeatur totalis extinctio rei, quin res possit ad primaevam formam restitui, nec eiusdem quoque iura reviviscere nequeunt. Ad hoc enim requireretur ut res nova si non physice, saltem moraliter eadem esset cum veteri; porro novum nosocomium nec moraliter idem est ac vetus, quum sit idem in genere nosocomii, non autem in determinata specie veteris nosocomii quod ob derelictionem non amplius existit.

Minime parochus S. Petri probare valet ipsum privilegiata iurisdictione gavisum fuisse in vetus hospitale tamquam in genere hospitalis, secus eadem gaudere debuisset in aliis hospitalibus, quae forte in civitate Novi Ligure aedificarentur; quod est absonum. Porro in dubio an privilegium parochi S. Petri extendatur etiam ad novum nosocomium, negative respondendum est, quia « privilegium est ius singulare contra tenorem iuris communis » ac proinde valet

principium quod « *odia sunt restringenda* », quin huic alterum opponatur principium « *favores sunt ampliandi* », in casu enim privilegium est iuris alterius laesivum. Cfr. Maschat. *(Inst. IV, 155 et 160)* necnon Ferraris *(Bibl. Can. v. privilegium, art. II, n. 18)*.

Neque iuxta oratores, sustineri potest, privilegium parochi S. Petri adhuc perseverare, quia novum xenodochium totaliter erectum est in eiusdem parochia, nam privilegium ex consuetudine acquisitum adhaerere nequiverat territorio parochiali et eo mediante hospitali, sed immediate aedificio hospitalis praefati.

Hoc praeterea confirmatur ex eiusdem privilegii origine, quae in Relatione quadam S. Visitationis diei 15 Martii 1645 peractae exhibetur; ibi enim legitur: « In hoc hospitali (S. Iacobi) recipiuntur infirmi expositi et peregrini, etsi sit fundatum solummodo pro recipiendis peregrinis... ». Unde deducere licet huiusmodi xenodochium ab initio pro solis peregrinis fuisse fundatum, sicut ex veteri titulo S. Iacobi peregrinorum liquet; hinc nil mirum quod peregrini ad iuris communis tramitem subiicerentur iurisdictioni parochi S. Petri. At tractu temporis, quum dicti hospitii conditio fuerit mutata per admissionem expositorum, parochus S. Petri, nemine reclamante, etiam in alios extendit suam iurisdictionem.

Tandem praefati parochi concludunt, super quamdam veteris hospitalis partem etiam parochum S. Nicolai suam exercuisse iurisdictionem; ideoque hospitale a Comite Raggio nuper extructum vel uti vetus vel uti novum habendum est. Si primum, cur parochus S. Petri modo excludere vult parochum S. Nicolai? Si secundum, tunc servandum est ius commune ab episcopali Decreto restitutum. Imo haec secunda hypothesis firmatur ex eo quod soluta mercede, etiam divites infirmi admittuntur, qui ob maiorem utilitatem et commodum, cupiunt in hospitali curari potiusquam in propria domo, quique proinde si ibidem fortuito decesserint, nulla est ratio cur a parocho S. Petri sint sepeliendi. Quibus omnibus accedunt testimonia tum Syndici civitatis, qui deponit Episcopi Decretum omnibus acceptum fuisse, eo vel magis quod etiam divites in hospitali ingrediuntur valetudinis curandae causa quin timeant in casu decessus se funeribus propriae paroeciae privatos esse; tum Praesidis Administrationis hospitalis, qui testatur indolem novi xenodochii radicaliter fuisse mutatam, quia ibi dum prius tantum pauperes recipiebantur, nunc vero etiam admittuntur divites.

Parochus S. Petri allegationibus Adversariorum ita reponit. Eiusdem patronus imprimis probare nititur parochum S. Petri ab immemorabili plenam iurisdictionem parochialem in veteri hospitali S. Iacobi exercuisse. Hoc testantur undecim testes, inter quos quatuor presbyteri; quibus accedit Praeses Commissionis hospitii, qui praeterea addit parochum S. Petri de iure omnia sacramenta praesertim vero Eucharistiam in Paschate ibi administrasse, atque novum nosocomium iuridice identicum esse ac vetus sub eodem nomine, administratione et statuto. Eadem habet hodiernus Syndicus localis, qui addit populum nunquam reclamasse ut suorum funera ab aliis fierent quam a parocho S. Petri.

Quin, a. 1813 Syndicus tunc temporis Episcopum rogavit, qui ab imperatore Napoleone obtineret ut sacellum in hospitali existens in commodum parochi S. Petri pro sacramentis infirmis administrandis conservaretur. Idem confirmat statutum hospitalis a. 1864 approbatum, in quo praecipitur ut capellanus informet parochum S. Petri, sub cuius iurisdictione extat nosocomium, pro administrando infirmis S. Viatico, et in casu decessus, praeter eumdem parochum, etiam Syndico. Hinc pergit advocatus, consuetudo 40 annorum ad praescribendum favore parochi S. Petri certo valet quum idem tempus sufficiat ad praescribendum contra ecclesiam, iura episcopalia et decimas. Decretales *(lib. II, tit. 26 de Praescriptionibus, c. 9)*. Reiffenstuel *(lib. I Decret., tit. 4, n. 105)*.

Addendum in quodam manuscripto a. 1801 de statu paroeciae S. Petri legitur quod « omnes ibi commorantes statim fiunt eiusdem parochiani, uti constat ex eo quod infirmi ad alias civitatis paroecias etiam pertinentes statim ac hospitale ingrediuntur fiunt filiani paroeciae S. Petri; hinc idem parochus illico acquirit ius eos funerandi ac sepeliendi in propria paroecia ». In altero documento vetustissimo omnia parochialia iura parocho S. Petri attribuuntur super defunctos hospitalis, ita ut, si aliquis eorum eligat sepeliri in diversa paroecia, dimidia emolumentorum pars sit ei tradenda ut quarta funeraria.

Iamvero consuetudo centenaria eiusdemque relativa praescriptio, arguit advocatus, aequivalet privilegio et meliorem titulum de mundo praebet, nullum requirit titulum et locum habet etsi ius resistat, iuxta *cap. I De Praescriptionibus in 6*. Et Benedictus XIV (*De Syn. dioec., Lib. 12, c. 8, n. 8)*, ita se exprimit: « Nihil magis tritum quam legem quamlibet humanam, etiam canonicam, posse contraria consuetudine, quae sit rationalis et legitime praescripta, abrogari, iuxta textum in *cap. fin. de consuetudine* ». Schmalzgrueber *(Ius Can., part. I, tit. 4, n. 20)*; Pignatellus *(Cons. Can. 25, n. 2, tom. 10)*. Caeterum alii duo parochi usque ad hodiernum tempus nunquam reclamarunt contra iurisdictionem a parocho S. Petri in hospitali exercitam.

Deinde patrocinator descendit ad refutandas rationes adversariorum. Et sane, ait, Decreto episcopali, edicenti novum hospitale non esse canonice erectum ac proinde retinere non posse veteris iura ac privilegia, opponuntur omnes citati testes, qui deponunt de identitate utriusque nosocomii, muris tantummodo mutatis. Ens igitur morale, quod unice spectare debemus, quodque per plura saecula existentiam canonicam saltem ex consuetudine habuit, a dioecesanis Episcopis recognitam, certe alia canonica erectione non indiget. Revera, Pitonius *(Pars I, discept. 8, nn. 17 et 18)* observat: « ... Civitas, Collegia, Ecclesia... possunt destrui auctoritate superioris causa cognita, et tunc perdunt omnia privilegia... ». Unde ens tunc tantum amittit iura quando supprimitur « *auctoritate superioris causa cognita* », minime vero quando destruitur per causam violentam vel etiam voluntariam sed ob maius commodum et bonum, non autem in detrimentum.

Neque dicatur, clamat advocatus, quod parochus S. Nicolai ius funerandi exercuit in quibusdam hospitii cubiculis; nam ipse hoc fecit de consensu parochi S. Petri, qui praeterea absque ecclesiasticae auctoritatis interventu ius suum parochiale invalide cessit. Insuper, excepto iure funerandi, parochus S. Petri etiam in dictis cubiculis integram iurisdictionem quoad sacramenta, functiones etc. exercere solebat. Nunc autem illud funerandi ius a parocho S. Nicolai iam pridem exercitum omnino peremptum est, quia praefata cubicula non amplius extant in territorio propriae paroeciae.

De caetero Resolutio S. C. Concilii in *Apuana-Funerum* ab episcopali Decreto citata non facit ad rem. Facti species enim in eo est quod a. 1747 Episcopus dioecesanus asservandi

SS.mum Sacramentum in capella Nosocomii S. Antonii Ab. facultatem concessit, ea tamen declaratione « ut nunquam intelligatur inducta praescriptio ». Quum autem Capellanus a. 1888 a parocho locali exemptum se dictitasset, hic ex ipsa clausula exemptionem illum habere non posse probavit et S. C. eidem fuit favorabilis. Quod verificatur et in casu, quia existit immemorabilis consuetudo favore parochi S. Petri. Sic in *Auxitana-Funerum* diei 9 Iulii 1881, quum ab anno 1824 usus invectus fuerit quod canonicus hebdomadarius funerabat canonicos Cathedralis ad quamvis paroeciam pertinerent, et a. 1881 Archipresbyter Cathedralis ipsius reputans sibi spectare hanc potestatem vi iuris communis, causam instituerit apud S. C. C. hoc dubio proposito: « An et cui competat ius peragendi exequias canonicorum in paroecia ecclesiae metropolitanae obeuntium in casu », reposuit: « Affirmative favore hebdomadarii et amplius ». Huius decidendi ratio fundabatur super consuetudine 57 annorum; in themate autem etiam immemorabilis consuetudo invocari potest.

Insuper quod a S. Rota traditur *(Par. XI, dec. 348, recent.)* praesertim n. 41 potius favet parocho S. Petri, quia « nec ex eo quod in hospitali Sacramenta administrantur, aut quod in eo ius sepeliendi sit, ius parochiae concluditur; cum ex praescriptione seu privilegio haec omnia competere possint ».

Deinde ex Decreto episcopali non solum laeditur statutum ipsius hospitalis, quod praescribit ut in casu decessus alicuius infirmi Capellanus monere teneatur Syndicum et parochum S. Petri, sed etiam ius commune subvertitur, quum facultatem tribuat tribus civitatis parochis ius per turnum administrandi Sacramenta infirmis hospitalis. Iamvero mixta haec iurisdictio vetatur a Conc. Trid. *(Sess. 24, c. 13, de Reform.)*, quod mandat Episcopis ut « in iis locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, et earum Rectores... promiscue petentibus Sacramenta administrant... distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum, peculiarem parochum assignent ». Quo igitur iure poterunt alii duo parochi suam exercere iurisdictionem etiam super infirmos paroeciae S. Petri? Quinam erit parochus proprius pro ineundis matrimoniis eorum, qui in hospitali commorantur?

Ex his concludit advocatus quod parochus S. Petri fuit iniuste expoliatus de possessione suae iurisdictionis in nosocomio S. Iacobi, ac proinde petit ut funera peracta ab aliis duobus parochis abusiva declarentur ac emolumenta ab ipsis percepta restituantur parocho loci hospitalis, id est S. Petri.

Hisce delibatis proponitur

DUBIUM

An decretum diei 24 Augusti 1904 sit confirmandum vel infirmandum in casu.

Emi Patres rescripserunt: *Ad mentem: Mens est quod iurisdictio exclusiva super novo hospitali S. Iacobi in civitate Novi Ligure, dioecesis Derthonensis, pertinet ad parochum S. Petri; nihilominus, pro illis omnibus ad alias duas eiusdem civitatis paroecias pertinentibus, qui in praedicto nosocomio, soluta mercede admittuntur, atque ibidem absque gentilitia vel electiva sepultura decedunt, parochus S. Petri dimidiam emolumentorum funerum partem proprio defuncti parocho solvere teneatur.*

9073/45 V.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali J. CALASANCTIO VIVES Y TUTO

Die 12 Martii 1904.

Matriten. — Crediti.

Quamvis incorporatio Communitatis Clarissarum N. D. Angelorum cum alia N. D. Constantinopolitanae, ab initio invalida fuerit ob defectum beneplaciti Aplici, postea tamen fuit convalidata a Concordato inito a. 1851 S. Sedem inter et Gubernium Hispanum. Ac proinde iura, credita et fenora Conventus N. D. Angelorum, quae in duabus Clarissis superstitibus fuerant consolidata, a Monasterio incorporante, non autem ab Ordinario Matriten. fuerunt acquisita.

Propter iniquitatem legum, quae initio elapsi saeculi novas in Hispania alumnarum receptiones monialibus vetabant, communitas claustralium clarissarum vulgo *de Nuestra Señora de los Angeles* ad duas tantum sorores, Abbatissâ quoque defunctâ, reducta fuit. Quapropter quum ipsae incorporationem alicui eiusdem Ordinis monasterio a proprio Provinciali franciscano P. Espinosa postulassent, ille litteris a. 1847 decrevit ut subiicerentur obedientiae Abbatissae conventus vulgo *de N. S. de Costantinopla.*

Brevi post, Concordatum inter S. Sedem et Gubernium Hispanum a. 1851 initum fuit in quo, statuebatur quod Gubernium illas tantum communitates Religiosarum approbaturum esset, quas Ordinarii dioecesani attenta propriae dioecesis necessitate proposuissent; hinc, postea anno 1852 ephemeris officialis Regni sanxit a dictis monasteriis N. D. Angelorum et N. D. Constantinopolitanae, necnon S. Clarae unicam in posterum communitatem esse efformandam.

Iam vero quum conventui N. D. Angelorum quaedam credita a Municipio Matriti essent praestanda, et Praelatissa N. D. Constantinopolitanae eadem repetiisset, restitit Archiepiscopus Matriten., communitatem Angelorum veluti extinctam habens, ad tramitem Instructionis inter S. Sedem et Gubernium Hispanicum a. 1867 habitae, qua Acervo pio dioecesano bona vacantia extinctarum communitatum adiudicata sunt, et ideo ipsamet credita a Municipio Matritensi obtinuit. Instante Abbatissa ut ab ipso Archiepiscopo sua iura recognoscerentur, dioecesana Curia pronuntiavit credita, in casu, non esse restituenda. Quare Praelatissa N. D. Constantinopolitanae recursum obtulit ad H. S. C. contra hanc praetensionem.

Archiepiscopus pro suo bono iure tuendo sic arguit. Eiusdem procurator fiscalis imprimis contendit duas superstites moniales N. D. Angelorum nunquam fuisse incorporatas monasterio N. D. Constantinopolitanae. Sane ius canonicum statuit ut in quolibet monasterio numerus monialium esset saltem duodenarius, ut nempe cultus divinus in eorum ecclesiis non destituatur atque regularis disciplina conservari valeat: prouti constat ex Constitutionibus Gregorii XV *Cum alias*, Urbani VIII *Romanus Pontifex*, Pii V *Circa pastoralis officii*, Gregorii XIII *Deo sacris*, Clementis VIII *Nullus omnino*, Pauli V *Sanctissimus*, Innocentii XII *Nuper*, Innocentii X *Instaurandae*; necnon ex Conc. Trid. *(Sess. 25, c. 3 de Regularibus)*. Porro communitas N. D. Angelorum

non possidebat numerum canonicum monialium, unde extincta censenda est, ac proinde quomodo alteri communitati aggregari aut incorporari potuerit?

Praeterea, prosequitur fiscalis Curiae, P. Provincialis franciscanus nullam habebat auctoritatem pro incorporatione peragenda, quia ipse erat Praelatus regularis, nec ullum mandatum accepit ab Episcopo Tolosano, cui soli hoc ius pertinebat iuxta Conc. Trid. *(Sess. 25, c. 3, 5, 9 de Regul.)* dispositiones.

Habetur quidem relatio a Praelatissa N. D. Constantinopolitanae subscripta, quae de praefata incorporatione verbum facit, sed illius authenticitas minime comprobatur; imo omnia suadent illam ab ipsis interesse habentibus confectam fuisse, ut ius haberent ad pensionem a Gubernio percipiendam.

Nec opponatur quod instante Episcopo Tolosano tres praedictae communitates in unicam a Gubernio a. 1852 unitae fuerint; hac enim dispositione Episcopus personas ex communitatibus extinctis provenientes tantummodo ordinare intendebat; quae ordinatio inutilis foret, si vera iam adesset incorporatio.

Tandem concludit fiscalis, quod quum ex dictis constet incorporationem in casu peractam non fuisse, legitimus haeres et repraesentans extinctae communitatis N. D. Angelorum est Ordinarius Matriten., intra cuius dioecesim extabant illius bona et credita. Instructio enim S. Sedem inter et Gubernium Hispanum a. 1867 inita attribuit extinctarum corporationum bona Ordinariis dioecesanis.

Abbatissa per adlectum Advocatum ita argumentatur. Advocatus, ante omnia, observat quod procurator fiscalis confundit conceptum communitatis religiosae perfectae in ordine ad quasdam eius functiones cum conceptu entis iuridici quoad iura Instituto inhaerentia transmittenda. Plene concedit, quod Innocentius X Bulla *Instaurandae* suppressit monasteria minus quam 12 personas continentia, sed virorum tantum et pro Italia, ac insulis adiacentibus non autem pro Hispania; Cfr. Ferraris *(Bibl. can., v. conventus, art. 2, n. 13)*. Quin imo reductio communitatis ad sex tantum membra, iuxta aliam Decretalem Innocentii X *Ut in parvis* subiectionem Ordinario importat, non autem conventus extinctionem.

Porro communitas prouti ens iuridicum accepta repraesentari valet etiam ab unico superstite, in quo omnia Collegii iura consolidantur; Cfr. Ferraris *(Bibl. can., v. Collegium n. 5)*, Bouix *(De iure Regularium, vol. I, p. 359)*, et omnes unanimiter doctores. Hinc, concludit advocatus, iura monasterii N. D. Angelorum, in duobus superstitibus membris consolidata, per legitimum incorporationis actum alteri conventui transferri potuisset. Qui actus in themate intercessit. Nam duae superstites religiosae N. D. Angelorum a. 1847 a P. Espinosa poposcerunt incorporationem alicui eiusdem Ordinis Instituto et idem rescripsit eas subiici debere obedientiae Praelatissae conventus N. D. Constantinopolitanae.

Nec dicatur in P. Espinosa defuisse legitimam potestatem. Monasterium enim N. D. Angelorum erat proprie dictus Ordo gaudens votis solemnibus, ac proinde ab Ordinarii dioecesani iurisdictione exemptum et Praelatis Regularibus subiectum. Porro sub nomine Praelati Regularis non solum venit Superior Generalis, sed etiam Provincialis qui iurisdictione quasi episcopali pollet; Cfr. Piat *(Praelectiones iuris regul. vol. I, p. 493)*. Horum autem Praelatorum potestas in sanctimonialibus subditis, uti docet Pellizzarius *(De Monialibus, c. X, sect. 1, n. 38)*, se extendit: « ad ea omnia, ad quae se extendit potestas Praelati regularis in viros religiosos sibi subiectos ».

Praeterea Praelati Regulares possunt monasteria sibi subiecta incorporare, quia incorporatio non est nisi unionis species, uti omnes tradunt Doctores; Cfr. Wernz *(Ius Decr., vol. 2, p. 359)*. Porro certum est quod uniones pleno iure vel quasi pleno iure fieri possunt a Praelatis Regularibus; quia ut ait Barbosa *(Ius eccl. univ., vol. 2, n. 59, p. 30)*: « hi Praelati possunt in suis dioecesibus *(seu in personis rebusque sibi subiectis)* omnia ad iurisdictionem spectantia, quae possunt in suis Episcopi ».

Frustra opponitur Conventum N. D. Angelorum, utpote duobus tantum membris constans, in iurisdictionem Ordinarii dioecesani fuisse relapsum; nam huiusmodi iurisdictio non est exclusiva Episcopi sed cumulativa cum Praelato Regulari, uti a. 1655 S. C. super Statu Regularium decrevit. In competentia autem cumulativa praeventioni datur locus.

Postea patronus demonstrare aggreditur decretum Patris Espinosa veram incorporationem importare, uti ex ipsis decreti verbis eruitur, et confirmatur ex eo quod duae superstites moniales induunt habitum proprium communitatis incorporantis; imo quoad retinendam veterem habitus formam petitur dispensatio ab eodem P. Provinciali. Accedit quaedam communitatis relatio, quae narrat incorporationem; accedit quoque votum favorabile communitatis incorporantis, quod de Praelatorum Regularium consensu, ad maiorem conscientiae tranquillitatem a. 1851 fuit emissum.

Insuper, pergit advocatus, ephemeris officialis Gubernii, approbante Archiepiscopo Tolosano, statuit a tribus conventibus N. D. Angelorum, D. N. Constantinopolitanae et S. Clarae unam tantum communitatem efformandam esse. Proinde etiamsi defuisset vera incorporatio, haec convalidata fuit a praedicto Ordinario, iuxta regulam X iuris: « Ratihabitionem retrotrahi et mandato non est dubium comparari ».

Nec satis, patrocinator probare satagit quod, etiamsi canonica incorporatio non intercessisset, haereditas bonorum conventus Angelorum non Episcopo Matriten., sed conventui N. D. Constantinopolitanae tribui deberet; nam caeteris omissis, Conventio a. 1867 attribuit Episcopis omnia bona Corporationum extinctarum, seu illarum quae ab Ordinariis pro nova approbatione propositae non fuerunt; iam vero communitas N. D. Angelorum, prouti ex dictis constat, extincta non fuit, imo ab ipso Gubernio, Episcopo consentiente, alteri communitati fuit unita. Ergo...

Tandem, concludit patronus, quidquid sit de incorporatione, attento iure communi, bona N. D. Angelorum transire debuissent in potestatem non Ordinarii, sed Sedis Apostolicae, quae datis specialibus circumstantiis, certo certius illa applicavisset monasterio N. D. Constantinopolitanae; iuxta doctrinam traditam a Barbosa *(Ius eccl. univ., vol. 2, n. 67, p. 100)*.

Unde ad propositum

DUBIUM

An R.mus Episcopus Matriten., teneatur tradere, in casu, Abbatissae Conventus N. D. Constantinopolitanae, credita et relativa fenora quae a Municipio Matritensi ipse percepit?

Responsum fuit: *Affirmative.*

7311
15

VI.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali FELICE CAVAGNIS

Die 13 Maii 1904.

Tusculana. — Exemptionis ac Iurium.

Movetur controversia circa possessionem et exemptionem cuiusdam Oratorii publici extra Carmelitarum claustra extantis; circa translationem Imaginis B. M. Virg. de Castaneo; necnon et circa missam exequialem et solemnem benedictionem animalium in festo S. Antonii Abbatis.

Prope oppidum vulgo Monte Compatri, Tusculanae dioecesis, Carmelitae Excalceati praeter coenobium et ecclesiam S. Silvestri, habent extra claustra publicum Oratorium, in quo prodigiosa imago sub titulo B. M. V. *del Castagno* veneratur, quae in nonnullis solemnitatibus ad loci paroeciam transferri et publicae fidelium venerationi exponi solet. Duplex hac in re exorta est quaestio. Prima agitatur inter Curiam dioecesanam et PP. Carmelitas, qui contendunt Oratorium de Castaneo esse ipsorum proprium imo et exemptum ab Ordinarii dioecesani iurisdictione, ideoque pro dictae iconis translatione etiam temporanea, consensum Religiosorum requiri. Altera a locali parocho movetur adversus eosdem Carmelitas, quippe qui, eius inimicis nimium indulgentes, tum solemne funus cuiusdam filiani in die tertia a morte, persolutis dumtaxat iustis funebriis in coemeterio, omissa exequiali Missa, celebrarunt, tum in die festo S. Antonii Abbatis solemnem quorumdam animalium benedictionem publice peragere non dubitarunt.

Nunc praestat contendentium rationes compendiatim referre. Procurator Generalis imprimis sustinet proprietatem Capellae B. M. V. de Castaneo ad Carmelitas pertinere ex Bulla *Inter curas multiplices* Clementis VIII a. 1603, qui iisdem Abbatiam S. Silvestri concessit « cum suis bonis mobilibus et immobilibus, necnon sacra et profana suppellectili... » Porro praedicta Aedicula non tantum in proprio Carmelitarum fundo continetur, sed etiam ab iisdem extructa et semper possessa fuit, et usque ad a. 1900 stemma Ordinis super fores exterius conspiciebatur.

Praeterea idem Procurator contendit sacellum de Castaneo ab Episcopi Visitatione exemptum esse. Ex pluribus Pontificiis Bullis, quas recenset, constat Ordinem Carmeliticum plena ac perfecta exemptione frui, quum « personae, ecclesiae, *Oratoria*, domus, res aliae et loca, ac spectantia ad eadem... a cuiuscumque locorum Ordinarii... iurisdictione et dominio omnimodo et prorsus in perpetuo exempta sint...; et quidquam in contrarium fuerit attentatum, illud omnino sit irritum et inane ». Quoniam vero huiusmodi Capella in solo exempto extat, atque coenobio et ecclesiae adnexa est, hoc ipso dicenda est eodem exemptionis privilegio gaudere.

Ex Conc. Trid. *(Sess. 7, cap. 8, de Reform.)* praescribitur quidem ut « locorum Ordinarii ecclesias quascumque quomodolibet exemptas auctoritate Apostolica singulis annis visitare teneantur »; attamen, teste Fagnano *(lib. 3, tit. De parochiis, cap.* Nullus, *n. 34)* per hoc Decretum « S. Congregatio *(Concilii)* censuit vindicare sibi locum in ecclesiis saecularibus dumtaxat, non autem regularibus; *et regulares censeri etiam monasterio unitas vel ab eo dependentes, si eis a Regularibus deserviatur* »; prouti eadem S. C. pluries decrevit. Quapropter, arguit Procurator, Oratorium in casu dici debet exemptum quamvis extra claustra nunc inveniatur; secus enim omnes Regularium ecclesiae non essent exemptae. Hinc ad rem potius facit responsum S. C. Ep. et Reg. in *Nolana Visitationis* 27 Martii 1664, relatam a Bizzarri *(Collectanea, pag. 29)*.

Neque exemptioni opponitur valide praescriptio contraria; tum quia haec vel immemorialis contra Regularium privilegia, praesertim cum clausulis irritantibus uti in themate, non procedit, uti traditur in Thesauro-Giraldi *(De poenis eccles., part. 2, cap. 19, pag. 249)*; tum quia heic desunt conditiones ad praescribendum necessariae, plures enim allegatae S. Visitationes iuridice probari nequeunt et insuper constat nonnullas vel auctoritate Apostolica, vel in forma privata, vel Religiosis saltem reclamantibus fuisse peractas.

Tandem procurator ostendere nititur quod Episcopus nequaquam potest, licet ad breve tempus, transferre iconem B. M. V. de Castaneo absque Carmelitarum licentia. Eiusdem enim proprietatem penes Religiosos esse, constat sive ex citata Bulla Clementis VIII quum et imago B. M. V. inter sacra supellectilia recenseatur, sive a diuturna Patrum possessione, sive denique a duobus documentis a. 1686 et 1703, ex quibus innotescit PP. Carmelitas, sacram iconem, ex claustris transtulisse eamque ad arborem castanearum appendisse ut fidelium pietati satisfieret.

Ex adverso, Curia Episcopalis Tusculana ita arguit: Primo episcopus suffraganeus adducta a Carmelitis argumenta solido destitui fundamento contendit, tum quia privilegium exemptionis a Bulla Clementina concessum, dumtaxat Conventum S. Silvestri non autem Oratorium de Castaneo respicit, tum quia hoc intra clausurae ambitum non continetur, quum e coenobio centum fere passuum distet, tum quia semper habitum fuit uti auctoritati dioecesanae subiectum. Oratorium aedificatum instauratumque quidem fuit a PP. Carmelitis, sed cum fidelium oblationibus; nec eius custodia ac procuratio exemptionem inducere valent. Inscriptio demum a. 1797 in Capella posita, in qua Carmelitae eiusdem patroni appellantur, nihil valet, utpote a privato auctore confecta; et de cetero E.mus Pamphili a. 1801 in S. Visitationis actu de ea conquestus est tamquam auctoritatem episcopalem laedente.

Postea idem Suffraganeus ostendere conatur subiici Oratorium iurisdictioni Ordinarii. Exemptio enim non praesumitur, sed expresse probari debet, teste Benedicto XIV *(De Syn. dioec., lib. 13, cap. 9, n. 3)*, quia Episcopus intentionem in iure fundatam habet. Adsunt praeterea praesumptiones contrariae ex eo desumptae quod sacellum est publicum et rurale et extra claustra situm. Iamvero oratoria huiusce generis, uti iam pluries decisum est, licet ad Regulares pertineant, subsunt tamen Episcopi auctoritati. Eo vel magis quod Tusculani Praesules plus quam a duobus saeculis iurisdictionem exercuerunt in dictam Capellam, quod liquet ex actis S. Visitationis a Card. Cybo a. 1680 peractae, qui « visitavit Oratorium de Castanea... et in libera episcopali iurisdictione extare » declaravit; quique eam a. 1682 solemniter benedicendam mandavit. Anno sequenti Capellam visitavit E.mus Ottoboni, et a. 1703 Card. De Aste; idem fecerunt Episcopi successores anni 1765, 74, 78, 80, 87, 91, 94, 1823, 24, 30, 54 usque ad recentiora tempora.

Suffraganeus, non praeterit quod Carmelitae exemptionem

obtrudere pluries tentarunt. Sane a. 1761 E.mo de York exemptionem Oratorii opposuerunt, sed adductis utrinque rationibus « ipsi Religiosi, re melius considerata, fieri posse *(Visitationem)* ab Tusculanis Episcopis affirmarunt », et ideo idem E.mus illam perfecit, quinimo in posterum claves Capellae parocho loci tradendas esse decrevit. Alia formalis querela locum habuit a. 1834 post absolutam Visitationem canonicam, at illius iuridicam actionem Carmelitae dereliquerunt, et imposterum caeteras S. Visitationes pacifice permiserunt. Hinc etiam apparet Tusculanos Praesules non more peregrinorum Aediculam invisisse, sed specie potestatis episcopalis et suetis solemnitatibus dum approbarunt librum Missarum, altare inspexerunt, absolutionem impertierunt, decreta emiserunt, etc., prouti in S. Visitatione fieri solet.

Nunc praestat rationes a parocho allatas referre. Ipse quoad primam quaestionem observat non licere Regularibus funus persolvere in die tertia a defuncti morte, quando in propria paroecia exequialis Missa, praesente cadavere, celebrata non fuit. Ratio est quia illud funus locum Missae exequialis tenet, quae privative ad parochum spectat. Sane Card. D'Annibale *(Summ. theol., part. 3, n. 176)* docet quod « ius funerandi cohaeret, tamquam accessorium, iuri sepeliendi... »; et Rituale Rom. *(tit. 6, cap. 1, n. 4)* vult ut « quantum fieri poterit *(idest,* iuxta parochum, *nisi maiori vi impediatur v. g. a lege civili ob contagiosum morbum)* Missa praesente corpore defuncti celebretur »; item S. R. C. in *Caietana* 13 Sept. 1670, n. 1409 ad 1, et in *Pitilianen. et Soanen.* 22 Iulii 1848, n. 2971 ad 2, declarat spectare ad parochum agere officium super parochianis et Missam exequialem canere, etiam praesente Capitulo Cathedralis. Hoc Statutis Cleri Rom. a. 1862 *(cap. 3, §§ 15 et 17)* plene confirmatur.

Dein parochus subdit in casu, aptari non posse decretum S. R. C. in una *Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci* 13 Maii 1879, n. 3494 ad 1, quia ibi speciales aderant decidendi circumstantiae; quum enim ageretur de pauperibus, qui non habebant « unde solvere valerent stipendium nimis onerosum Missae exequialis in ecclesia parochiali », hinc « ne defuncti anima privaretur augustissimi Missae sacrificii solatio » absque sua culpa, S. C. potius praeiudicium iurium parochialium toleravit, in hoc particulari casu.

Relate ad alteram quaestionem quoad solemnem animalium benedictionem in die S. Antonii parochus Montis Compatrum autumat Carmelitas peragere non potuisse; quum enim, in solo Rituali Rom. illa inveniatur, ad ius parochiale pertinet. Sane Gavantus *(Thesaurus SS. RR. tom. 1, part. 4, tit. 19, nn. 1 et 20)* hanc regulam tradit: « Benedictiones quae sunt in Missali a quocumque sacerdote citra praeiudicium iurium parochialium fieri possunt; quae vero sunt in Rituali ad parochos proprie pertinent », quemadmodum eam refert Pignatelli *(tom. 5, cons. 76, n. 11)*. Cfr. quoque Clericatus *(De sacram. Euchar. dec. 8, n. 45)* et Baruffaldus *(Comm. ad Rit. Rom., tit. 44, n. 24)*.

Insuper, iuxta parochum, in benedictionibus parocho reservatis determinandis, praecipue attendendus est modus eas administrandi. Ita ad tramitem decreti S. R. C. in una *Dubiorum* 13 Iunii 1893, n. 3801 ad 6, benedictiones aliquae per se reservatae, v. g. agrorum, animalium et similium a quolibet sacerdote *privato ritu* persolvi possunt; sed e contra ex resolutionibus S. C. C. 19 Nov. 1662 et S. C. Visitationis A. 15 Sept. 1695 et 23 Ian. 1698 benedictiones puerperarum ad solum parochum spectant, quia ut habet Monacelli *(Form. leg., tit. 10, form. 18, n. 10)* fiunt « publice cum superpelliceo, stola et aqua benedicta ac cum oblatione candelae, quae sunt signa iurisdictionis ». Cfr. Pignatelli *(tom. 5, cons. 76, nn. 3 et 9)*, qui praeterea *(loc. cit., cons. 54, n. 2)* docet: « Non licere Regularibus benedicere domibus, navibus, cymbis... quia istac functiones pertinent ad parochum ratione muneris... ». Porro in causa benedictio animalium non modo facta fuit a Carmelitis ritu publico, sed etiam cum omnibus iurisdictionis signis et candelarum oblationibus. De caetero in materia benedictionum multum valet consuetudo, uti habet Wernz *(Ius Decr., tom. 2, n. 829)*, hanc vero in casu favore parochi ab immemorabili vigere in comperto est.

Denique quoad factum parochus addit Carmelitas in utraque quaestione eidem iniuriam affecisse, quia scienter et volenter cum parochi adversariis cooperarunt, qui in ipsius odium tum funus tum benedictionem animalium petierunt et obtinuerunt. Hinc etiam ab E.mo Episcopo et Ex.mo Suffraganeo minus recta agendi ratio Religiosorum reprobata fuit.

His allegationibus ita PP. Carmelitae sese opponunt. In primo loco sustinent quod ex iure communi parochis competit tantum ius cadavera associandi ad ecclesiam parochialem ibique peragendi exequias, et etiam Missam de requie sed praesente cadavere. Parochis vero ius non esse eamdem Missam celebrandi absente cadavere, eamdem litandam neque fideles tenentur parocho committere, veluti constat ex contraria praxi, ex Rit. Rom. *(loc. cit.)*, quod inculcat ut « quantum fieri poterit, Missa praesente corpore defuncti celebretur », necnon ex citato S. R. C. decreto in una *Ordinis Minorum* etc. 13 Maii 1879, ubi edicitur: « Licere in aliena ecclesia et *apud Regulares* cantare Missam de requie... postquam funeralia in ecclesia parochiali persoluta fuerunt, *etiamsi Missa exequialis in ecclesia parochiali non celebretur* ».

Quo vero ad benedictionem animalium in festo S. Antonii, Carmelitae non reservatam sed communem esse contendunt. Dum enim ipsa non invenitur inter benedictiones reservatas Ritualis, praeterea S. C. Ep. et Reg. in *Fulginaten.* 25 Maii 1685, et in *Tudertina* 18 Nov. 1695, et S. C. C. in *Ravennaten.* 12 Novemb. 1695 decrevit « benedictiones animalium in die festo S. Antonii... inter functiones parochiales non connumerari ». Cfr. Ferraris *(Bibl. can., v. Benedictio, art. 5, nn. 21 et 22)*.

Invocari potest, iuxta Carmelitas, decretum S. R. C. *Urbis et Orbis* 10 Dec. 1703, n. 2123 ad 6, ubi dubio: « An benedictiones mulierum post partum, fontis baptismalis, ignis, seminis, ovorum, et *similium* sint de iuribus mere parochialibus », responsum fuit: « Negative; sed *benedictiones mulierum* et fontis baptismalis fieri debere a parochis ». Iamvero sub verbo *similium* etiam animalium benedictio iure merito subintelligi potest. Caeterum non satis est ut exclusivum ius asseratur, sed illud probandum est ex iure vel ex consuetudine; quod in casu adhuc desideratur.

Tandem quoad factum, PP. Carmelitae asserunt in proprio agendi modo nullam iniuriam parocho attulisse, tum quia ipsi pravam parochianorum intentionem ignorabant, tum quia iure proprio utentes, iniuriose non egerunt.

Hinc ad

DUBIA:

I. *An constet de proprietate Capellae seu Oratorii B. V. de Castaneo in favorem Fratrum Carmelitarum Excalceatorum Conventus S. Silvestri ad Tusculum?*

Et quatenus affirmative:

II. *Utrum dictum Oratorium reputandum sit exemptum a iurisdictione seu visitatione Emi Epi Tusculani, favore pariter praedictorum Fratrum Carmelitarum Excalceatorum, seu Conventus S. Silvestri, necne.*

III. *An Emus Episcopus dioecesanus, absque consensu praedictorum Fratrum Carmelitarum Discalceatorum possit transferre vel dare licentiam transferendi alio uti v. gr. in parochiam Montis Compatrum, etiam ad breve tempus, Imaginem B. M. V. de Castaneo, in dicto Oratorio exstantem.*

IV. *Utrum tam in iure quam in facto sit probandus, necne, modus agendi Rmi P. Prioris Conventus S. Silvestri prope Montem Compatrum, quoad celebrationem Missae exequialis in casu.*

V. *Num in iure et in facto sit probandus, vel non, modus agendi eiusdem Rmi P. Prioris quoad benedictionem animalium in festo S. Antonii Abbatis, in casu.*

Sacra porro Congregatio perpensis hinc inde rationibus allatis respondere censuit:

Ad I reformato dubio: *An constet de legitima possessione Capellae seu Oratorii B. V. de Castaneo, favore Fratrum Carmelitarum Discalceatorum Conventus S. Silvestri ad Tusculum? — Affirmative.*

Ad II. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ad III. *Negative.*

Ad IV et V. *Quoad ius affirmative, et ad mentem; mens est quod P. Prior Conventus S. Silvestri in similibus casibus prudentius agat.*

9073/45 VII.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali ANDREA STEINHUBER

Die 13 Maii 1904

Bambergen. — Translationis.

Confirmatur remotio oeconomica cuiusdam parochi inamovibilis, ob illius gravissima dissidia cum magistratibus civilibus, necnon et populi scandalum, illiusque translatio ad aliud beneficium simplex.

In dioecesi Herbipolensi, Ioannes N.... a. 1897 renuntiatus est parochus cuiusdam loci, sed anno insequenti cum auctoritatibus civilibus gravia habere coepit dissidia, quae in dies magis excreverunt hac etiam de causa, quod, iuxta leges Bavariae, parochiali muneri officium est adnexum regendi et inspiciendi publicas scholas Gubernii nomine et mandato. Res itaque eo processerunt ut Ordinarius dioecesanus postquam pluries parochum graviter admonuerit, tandem decreto praesertim 29 Febr. 1901 renuntiationem paroeciae et optionem ad simplex beneficium imposuit. Sed quum parochus parum curaret de episcopali decreto, gravioresque dissensiones cum civili potestate imprudenter foveret, Episcopus iterum decreto 15 Martii 1901 praescriptam translationem illi intra tres dies sub poena remotionis a paroecia implendam iussit; addita insuper prima monitione canonica ob neglectum praeceptum petendi aliud beneficium simplex.

Parochus Ioannes N.... ad Archiepiscopum Bambergensem ab hoc decreto appellavit, qui tamen die 31 Octobris 1901 sententiam Episcopi Herbipolensis plene confirmavit. Tunc parochus, posthabito iure provocandi in tertia instantia apud tertium Bavariae Episcopum a Nuntio Apostolico eligendum vigore privilegii a Pio IX per Breve *Nemo ignorat* concessi, maluit supremo Sedis Apostolicae iudicio sistere.

Ad sustinenda iura sua, praedictus parochus Ioannes N. contendit iniuste canonicam monitionem ab Ordinario sibi fuisse inflictam. In decreto enim 29 Febr. 1901 nullum praeceptum continebatur, sed merum Episcopi desiderium quoad paroeciae renuntiationem. Hinc, quum nemo teneatur propriis iuribus valedicere ad votum superioris implendum, parochiali beneficio non valedixit; eo vel magis quod in Episcopi decreto nulla suae decisionis ratio afferebatur. Insuper addit contra canonicas sanctiones et praecipue contra Conc. Trid. *(Sess. 21, c. 6 de Reform.)* militare impositam sibi a paroecia amotionem; utpote quod Episcopus veram rerum cognitionem nec habuit, nec habere voluit, quum et testes audire et inquisitionem peragere neglexisset. De caetero dissidium cum laica auctoritate, de quo ipsa tantum est iudex competens, non est ratio sufficiens ut Episcopus parochum inamovibilem destituere possit.

At ex adverso, Archiepiscopus Bambergensis animadvertit Episcopum Herbipolensem, nec in procedendo, nec in iudicando minime errasse. Non erravit in procedendo: tum quia Episcopus est incompetens in iudicandis dissidiis exortis parochum tamquam Inspectorem scholasticum inter et civiles magistratus, quod ad Gubernium pertinet; tum quia accusationes adversus parochum prolatae et per ipsius rei confessionem et per publicam notorietatem satis in propatulo erant, quin opus esset testes audiendi atque inquisitionem instituendi canonicam. Sed neque Episcopus erravit in iudicando: tum quia parochus in morali impossibilitate versabatur absque gravi fidelium scandalo, fungendi munere parochiali ob notissima dissidia, tum quia in potestate Ordinarii est ut decreta vim rei iudicatae habentia monitione canonica urgeat, et tandem executioni tradat. Hinc ad

DUBIUM

An et quomodo sit confirmandum decretum R.mi Archiepiscopi Bambergen. in casu?

Responsum fuit: *Decretum esse confirmandum.*

5108/15 VIII.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali RAPHAELE PIEROTTI

Die 13 Maii 1904.

Ordinis S. Benedicti. — Dimissionis.

Emi Patres noluerunt, per normam generalem, statuere in quibus casibus infirmitates habendae

sint tamquam votorum simplicium impedimentum, et quando non; sed rescripserunt solam infirmitatem in casu non fuisse causam sufficientem dimissionis ab Ordine S. Benedicti, alicuius alumni professi votorum simplicium, quia dicta infirmitas in dispositione tantum remota, non autem in dispositione proxima, ante professionem existebat.

Postquam iuvenis Petrus Salmon, experimentum postulati a. 1897 et novitiatus a. 1898 in Ordine S. Benedicti apud Solesmense Coenobium explevisset, votorum simplicium professionem a. 1899 emisit. Tamen ob quamdam infirmitatem, quae neurastenia vulgo nuncupatur, quaeque in veram dementiam degenerare poterat, Salmon non fuit ad vota solemnia explenda admissus, quinimo a. 1901 ex Ordine dimissus fuit. Contra quam dimissionem ipse ad H. S. Congregationem Episcoporum et Regularium appellationem interiecit.

Recurrens Salmon praemittit quod a Consilio generali Ordinis Benedictini propter solam infirmitatem ab Ordine fuit dimissus, quemadmodum ex quadam epistola Magistri Novitiorum diei 13 Februarii 1902 liquet. At obstant *Declarationes* S. C. super Statu Regularium diei 12 Iunii 1858, post editam Const. *Ad Universalis* 7 Febr. 1862 cunctos Ordines Regulares afficientes, quae relate ad dimissionem professi votorum simplicium haec statuunt sub articulo V: « Licet ad decernendam dimissionem neque processus neque iudicii forma requiratur, sed ad eam procedi possit sola facti veritate inspecta, tamen Superiores procedere debent summa charitate, prudentia, et ex iustis et rationabilibus causis, quacumque humana affectione remota, secus eorum conscientia graviter onerata remaneat. *Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit* ». Porro in casu infirmitas non antecedens sed subsequens votorum simplicium professionem censenda omnino est; ideoque nequit esse ratio sufficiens ipsius dimissionis. Unde iuvenis dimissus concludit se in Ordine Benedictino, ubi professionem simplicem emisit, semper vivere et mori velle.

Ex adverso, Abbas Primas Ordinis S. Benedicti, ad dimissionem tuendam, sustinet quod Salmon, antequam ad postulati experimentum reciperetur, iam afficiebatur aliqua corporis debilitate seu aegritudine, quae anemia communiter dicitur, et quae grave periculum dementiae superventurae inducebat. Quod adeo verum est ut Consilium generale Ordinis, priusquam praefatum iuvenem dimitteret, ne de nimia severitate argueretur, plurimum resolutionem suam distulit, dies meliores expectans; sed quum inutiliter omnia adhibita fuissent media, ante votorum solemnium professionem tandem decernere debuit dimissionem.

Neque, iuxta Abbatem, in themate invocari possunt *Declarationes* S. C. super Statu Regularium, diei 12 Iunii 1858, quia ipsae loquuntur de infirmitate post professionem votorum simplicium superventa, non autem de infirmitate in antecessum contracta. Potius heic applicandum videtur rescriptum S. H. C. diei 15 Septembris 1873. Nam ad dubium a Minoribus Franciscanis propositum: « An iusta sit et rationabilis causa idem motivum, quod fuisset sufficiens ad novitium a professione arcendum, v. g. aptitudinis defectus ad Ordinis officia, quamvis minora et respective communia, obeunda, sicut praedicationis aut confessionis, vel etiam ineptitudo ad obligationes proprii status adimplendas, sive id oriatur ex animi levitate vel iudicii defectu etc., ita ut ob huiusmodi causas, a Superioribus immediatis recognitas et pro certo affirmatas, professus votorum simplicium potius oneri et perturbationi quam utilitati et aedificationi futurus esset propriae religioni, exclusa semper infirmitate post professionem superventa, ob quam professus dimitti nequit », responsum fuit: « Non esse interloquendum, cum agatur de re ab Apostolica Sede commissa iudicio et conscientiae Superiorum ». A fortiori concludit Abbas hoc valet in casu, nam agitur non tantum de mentis debilitate, de ineptitudine ad officia Ordinis communia obeunda, deque inutilitate pro Ordine, bene vero de vera amentia, de absoluta impotentia ac de damno morali et materiali contra Communitatem.

Praeter quaestionem facti circa professi Salmon dimissionem, Rmus Primas a Sacra Congregatione petiit ut ad omnes in posterum controversias hac in re vitandas latior interpretatio daretur *Declarationi* S. C. diei 12 Iunii 1858, praesertim vero art. V ita se habenti: *Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.* Aliis verbis, praefatus Abbas in votis habebat ut S. Sedes definiret casus in quibus infirmitates habendae sint tamquam votorum simplicium impedimentum, quando vero non. Sed hanc generalem responsionem Emi Patres noluerunt tradere, potius inhaerendo deductionibus alterius Consultoris, tum quoad facti, tum quoad iuris conclusiones.

Praeclari Consultoris Votum sic sonat:

« Ho letto il voto intorno alle malattie de' professi di voti semplici, e dovendo dire il mio parere per debole che sia, dico che non trovo ragione per modificare la legge. La legge è precisa: *Nemo in causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superventae dimitti poterit.* (Declarationes litterarum encyclicar. datae 12 Iun. 1858, presso Lucidi vol. 2, n. 114). La legge parla solo di malattia sopravvenuta dopo la professione di voti semplici; se esisteva prima, non si legano le mani ai Superiori. Stando alle parole della legge, benchè la malattia si palesi dopo la detta professione, se tuttavia esisteva prima, così che si verifichi, che sopravvenga alla professione, non si nega ai Superiori la facoltà di rimandare cosifatti ammalati. E così i primi due punti della proposta, cui in fine del voto fa l'oratore, sono fuori di questione. Sol che si rimette alla prudenza spassionata de' Superiori l'assicurarsi col giudizio di medici bravi e conscenziosi, che veramente la malattia esisteva prima non in qualche disposizione remota, che così si potrebbero escludere tutti i figli d'Eva, ma in disposizione prossima.

« Messo ciò da parte, la questione cade su malattie, le quali sopravvengano fatti i voti semplici. Chi ha scritto il voto pare che s'interessi di due specialmente, della tisi e della neurastenia (foglio 2 retro, capoverso 3 e 6 foglio 6 cap. 1 in fine). Per quel che spetta alla tisi, mi sembra affatto irragionevole, che si licenzi un tale ammalato, quand'egli non voglia uscire. *Non est addenda afflictio afflicto:* poi probabilmente la malattia si è contratta per gli esercizi, le penitenze religiose, e finalmente un tale malato non dà disturbo alla comunità, vegetando tranquillo nell'infermeria.

« Maggiore difficoltà offre la neurastenia, malattia oggi tanto comune, la quale, quando ha preso possesso della

persona e divenuta abituale, fa che il soggetto sia inabile a parecchi officî della religione e spesso resti un serio disturbo alla comunità. Un neurastenico non patisce di vedersi legato giorno e notte ad una serie successiva d'azioni fisse, quelle e non altre, egli sente bisogno di libertà, d'essere padrone di sè. V'ha tuttavia fra costoro differenza di gradi, chi più chi meno è in preda alla malattia, alcuni sanno contenersi e rendere nel loro stato morboso utili servizî alla comunità. Non può quindi stabilirsi un principio generale: un neurastenico, dichiarato tale dai medici, può licenziarsi dall'ordine, anche contro sua voglia.

« Ma potrà ciò farsi se la neurastenia sia completa, se il neurastenico divenga inetto a quasi tutti gli ufficî dell'Ordine, se il medesimo colle sue stravaganze inquieti quelli con cui vive? Osservo, in primo luogo, che l'Oratore non bene reca in mezzo una risposta di questa Sacra Congregazione, data il 15 Sett. 1873, ai Frati Minori (foglio 5 retro). Lì si trattava di religiosi inetti per ragion di carattere, per mancanza di giudizio, d'ingegno ecc.; or questi difetti, se si scoprono fatti i voti, esistevano certo anche prima, ed oltrechè per tali difetti è lasciato libero il giudizio ai Superiori, se debba o no ritenersi il religioso, non possono essi paragonarsi a quello, di cui parliamo; perchè, come si suppone, questo è nato dopo la professione, quelli esistevano anche prima.

« Osservo in secondo luogo, che la legge direttamente è stata fatta in favore del povero religioso affetto di morbo: quindi se esso consente ed accetta di essere licenziato; poichè v'ha ragione sufficiente di farlo, i Superiori lo potranno rimandare. Ma se egli si ostina a non volere uscire?

« Osservo in terzo luogo, poter darsi il caso ch'egli abbia per questo delle buone ragioni, p. e. perchè non trova più come vivere e mantenersi al secolo: ma prescindendo ancora da ciò,

« Osservo in quarto ed ultimo luogo: O la neurastenia non è tanto forte, sì che l'ammalato può impiegarsi in qualche ufficio dell'Ordine e non è grande il fastidio che reca alla comunità, e allora non v'è motivo di costringerlo ad uscire: la legge resta nel suo vigore; ovvero la neurastenia ha toccato il suo alto grado, il convento dell'ammalato non può servirsi in nulla, non può viversi con lui in pace, e in tal caso, generalmente parlando, sarà primo il neurastenico a volere uscire, a domandar la licenza, o almeno l'accetterà di buon grado, se gli venga offerta. Sarà un caso straordinario, che un tale ammalato si ostini a volere restare: ma per casi straordinarî non si muta nè si modifica la legge; basta una dispensa data, quando una necessità la richiegga. Del resto, se un religioso rifiuta la dimissione, ciò farà credendo d'aver diritto di restare, diritto fondato sulla legge citata, e venendo in collisione due diritti, del suddito e del Superiore, sarà bene che ad altri se ne lasci la decisione, cioè a questa S. Congregazione.

« Direi dunque, che in caso tale i Superiori ricorrano alla Congregazione, il quale ricorso sarà opportuno anche per questo motivo, perchè la Congregazione decida, se e quanto i Superiori debbano amministrare al dimesso pel suo mantenimento al di fuori.

« Risponderei:

« *Legem, prout lata est, immutatam permanere: si quando autem casu occurrat, in quo Superioribus videatur talis esse exorta infirmitas ut professus etiam invitus sit dimittendus, recurrendum esse ad S. Congregationem.*

« Tutto sottomettendo all'illuminato giudizio delle Eminenze Vostre

« Dom. Palmieri, S. I., *S. Congr. Cons.* ».

Quibus ex utraque parte deductis, proposita fuerunt solvenda sequentia

DUBIA

I. *An et qualis latior interpretatio danda sit articulo V Declarationum 12 Iunii 1858: « Nemo autem ex causa infirmitatis post professionem votorum simplicium superveniente dimitti poterit ».*

II. *An decretum quo alumnus Salmon professus votorum simplicium fuit ab Ordine Benedictino dimissus, sustineatur in casu.*

Porro Emi Patres rescribi mandarunt: Ad 1um *Non proposita.* Ad 2um *In casu solam infirmitatem non esse causam sufficientem dimissionis.*

IX.

Ponente E.mo ac R.mo

Die 29 Iulii 1904.

Savonen. — Funerum.

In casu, designatio ecclesiae pro absolutione cadaveris, importat electionem sepulturae, prout eruitur ex testamento defuncti a pluribus testibus aliisque adminiculis eo sensu interpretati.

Vertente anno 1904, in propria paroecia Cathedrali Savonensi, decessit Antonius Oxilla, qui testamento disposuit ut suum corpus ad ecclesiam N. D. de Consolatione pro sacerdotis absolutione et dein immediate ad coemeterium deferatur, hisce verbis: « *Ordino la più modesta forma di funerali alla mia salma e che la stessa, chiusa in semplice cassa di abete, venga trasportata in carro di infima classe, senza fiori di sorta, nella chiesa di N. S. della Consolazione per avere l'assoluzione del sacerdote e di là immediatamente al camposanto* ».

Porro quum haeredes defuncti praescripsissent ut in dicta ecclesia, a PP. S. Augustini custodita, funeralia celebrarentur, ipsi Augustiniani, censentes testatorem ibidem propriam elegisse sepulturam, absque parochi Cathedralis interventu funus et exequias peregerunt, et ad coemeterium cadaver associarunt. Deinde parocho quartam funerariam obtulerunt, quam ipse, ne suis iuribus praeiudicaret, recusavit. Capitulum autem Cathedrale votum Religiosis contrarium emisit, et statim ad H. S. C. recursum interposuit pro iuridica quaestionis solutione.

Ad roborandas in themate suas allegationes canonici sustinent defunctum in ecclesia Cathedrali, tamquam in propria paroecia, sepeliendum esse, quum non constet de eiusdem sepultura gentilitia aut electiva in ecclesia de Consolatione. Testamentum enim loquitur dumtaxat de cadaveris absolutione, non autem de sepultura in dicta ecclesia peragenda. Hoc confirmant tum ex iurata deposi-

tione cuiusdam defuncti famulae, tum ex consuetudine Savonen. inducta vi cuius corpora eorum, pro quibus non persolvuntur funeralia, deferuntur ad ecclesiam de Consolatione, loco dissitae Cathedralis, pro absolutione et deinde ad coemeterium comitantur.

Iamvero parentes aut haeredes eligere nequeunt sepulturam defuncti, uti decrevit S. C. Concilii, quae proposito dubio: « An parentibus et haeredibus ius sit eligendi proprio arbitrio ecclesiam pro funere suorum defunctorum », respondit: « Negative ». Caeterum, concludunt ipsi, titulus ex quo oritur ius funerandi et percipiendi emolumenta, iuridice constare debet; quod in casu non verificatur, ac proinde laedi nequit ius parochiale, quia iuxta regulam iuris 65 in 6°: *potior est conditio possidentis.*

Ex adverso, Patres Augustiniani N. D. de Consolatione contendunt testatorem, quum eorum ecclesiam pro absolutione designasset, eo ipso eam pro sepultura eligere voluisse; ideoque ad ipsos pertinere ius funera celebrandi. Hanc suam assertionem multiplici ex capite probare nituntur, sive quia testator vir religiosus erat et Augustinianis optime affectus; sive quia haeredes, edocti de voluntate defuncti, praesente cadavere funeralia disposuerunt; sive quia congruit depositio novem testium; sive demum quia ex iure canonico ecclesia, quae associationem et absolutionem peragit, etiam ad funera, tamquam ad accessorium, ius habet. Cfr. Bargilliat *(Prael. iuris can., tom. 2, tract. 7, cap. 5, art. 3).* Consuetudinem praeterea a Capitulo allatam, uti talem non admittunt Religiosi. De cetero illa respicit tantum pauperes, qui funera in Cathedrali habere nequeunt; in themate autem de defuncto divite agitur.

DUBIA

I. *An constet de electione sepulturae in casu.*

II. *An Rev. P. Prior violaverit iura parochialia in casu.*

Responsum fuit: Ad I. *Affirmative.* Ad II. *Negative.*

X.

PONENTE E.MO AC R.MO

Die 29 Iulii 1904.

Meliten. — Translationis Confraternitatis.

Aequitate suadente, decernitur translatio Confraternitatis B. M. V. de Carmine, ab Ecclesia Collegiata, ad ecclesiam PP. Carmelitarum nuper erectam, salvo iure PP. Calceatorum aliam confraternitatem erigendi pro lubitu in propria ecclesia.

Sub anno 1806 Carmelitae Calceati permiserunt erectionem confraternitatis B. M. V. de Monte Carmelo in ecclesia Collegiata civitatis Birchircarae, Melitensis Dioeceseos, sub ea tamen conditione ut Confraternitas non modo sese non opponeret, sub poena nullitatis erectionis ipso facto incurrenda, novi Conventus fundationi ibidem vel intra tria milliaria in posterum peragendae, sed etiam cum omnibus suis bonis in eorum ecclesiam transferri quoque deberet. De facto a. 1892 iidem Carmelitani aedificarunt coenobium in oppido S. Iuliani minus quam tribus milliariis a Birchircara dissito, quin consociationis translationem nunquam reclamarent. Interim quum post quatuor annos Carmelitae Excalceati monasterium erexissent in ipsa Birchircara, anno 1899 praefatum sodalitium in propriam ecclesiam ab Episcopo transferri petierunt; at tum Capitulum Collegiatae tum Carmelitae Calceati sese opposuerunt.

Primitus huiusmodi controversia delata fuit ad S. C. Indulgentiarum, quae deinde eam ad S. C. Ep. et Reg. dirimendam remisit.

Hae sunt rationes a Patribus Calceatis allatae. Carmelitae antiquae Observantiae sibi vindicant ius transferendi confraternitatem B. M. V. de Carmine in propriam ecclesiam, quum per aedificationem novi Conventus in oppido S. Iuliani, intra tria milliaria a Birchircara sito, adimpleta fuerit conditio in erectionis diplomate apposita, iuxta quam: « sodalitas... nullo modo... novi Conventus fundationi se opponeret..., secus cassa erit et nulla ipso facto erectio...; sed ad ecclesiam, a Religione de novo acquisitam, cum omnibus suis bonis mobilibus et immobilibus... statim transferetur.... ». Hoc confirmant ex peculiari conventione a. 1616 inter ipsos et Theresianos inita, vi cuius: « ubi PP. Carmelitani *(nempe calceati)* erectam iam habent confraternitatem, possint Discalceati sanctum scapulare petentibus concedere sodalesque ita admittere ut eo ipso confraternitati PP. Carmelitarum adscripti censeantur et sint... »; ac vice versa. Ex quibus deducunt erectas a Calceatis sodalitates minime impedire quominus iisdem in locis Discalceati monasterium fundare possint, quin tamen confraternitates ob novam fundationem ullo modo mutari debeant. Et concludunt in casu non valere regula 25 iuris in 6°: *mora sua cuilibet est nociva*, sed potius altera 54 in 6°: *qui prior est tempore, potior est iure;* eo vel magis quod ipsi, quotiescumque daretur occasio, huic iuri suo renuntiare nolle semper protestati sunt.

Ex altera parte Capitulum Collegiatae censet confraternitatem extantem esse relinquendam in ipsa Collegiata, aliamque eiusdem nominis a Discalceatis erigendam esse in propria ipsorum ecclesia, eo quod urbs Birchircara ob suam amplitudinem utramque libere continere possit. Quinimo, addit, translatio sodalitii ad ecclesiam Discalceatorum in spirituale fidelium damnum vergeret eo quod ecclesia sit angusta nec parum a Collegiata distet.

Ex adverso Theresiani contendunt quod sodalitas Carminis in propria ecclesia sit transferenda vi ipsius rescripti erectionis a Calceatis concessi, quum utraque Observantia unicam constituat Religionem; idque confirmant rescripto S. C. Indulgentiarum in *Gaditana* 20 Sept. 1760, n. 208. Quod ad praelationis ius attinet, notant citatam conventionem a. 1616 respicere confraternitates in ipsis Carmelitarum domibus erectas, prouti liquet ex sequenti paragrapho: « Ubi confraternitates in domibus PP. Discalceatorum fuerint erectae nolintque ipsi facere solemnes Processiones, possint PP. Carmelitani eas celebrare »; et vice versa. Huius pactae conventionis occasio fuit Const. *Quaecumque* Clementis VIII, quae duas sodalitates eiusdem nominis et instituti in eodem loco erigendas prohibuit. Assertio proinde Calceatorum nequit, sustineri, secus enim scopus dictae pactionis fuisset violatio iurium Ordinis.

Praeterea Excalceati sodalitium de Carmelo in ecclesiam Calceatorum non esse transferendum ex eo arguunt, quod

oppidum S. Iuliani habet proprium nomen, territorium et paroeciam. Clausula enim « quod si Ordo noster in illis locis vel in aliis ad tria milliaria propinquis aliquam ecclesiam, vel Conventum fundaverit, ad praedictam ecclesiam erectam confraternitatem... transferri debere », tunc temporis, quando nempe in confraternitatum erectione adhuc vigebat lex distantiae, ideo in diplomatum concessione adiiciebatur, quia si Carmelitani novum monasterium in loco vel intra tria milliaria fundassent, iure ac privilegio confraternitatis Carminis non privarentur. Sed postquam S. Sedes per decreta S. C. Indulgentiarum in *Lauden.* 31 Ian. 1893 ad 4 (1), et in una *Ordinis Praedicatorum* 20 Maii 1896 ad 3 (2) statuerit plures sodalitates eiusdem generis, nulla habita ratione distantiae, erigit posse in unoquoque loco, dummodo sit distinctus ratione nominis, territorii et paroeciae, consequenter etiam dicta clausula temperari debuit per suppressionem verborum: « vel in aliis ad tria milliaria propinquis locis ». Quum igitur constet oppidum S. Iuliani possidere proprium nomen, territorium et paroeciam, opus non est ut illuc transferatur confraternitas Birchircarae erecta, sed potius alia nova institui valet, eo magis quod bona confraternitatis separari aut alienari nequeunt absque beneplacito Apostolico.

Ordinarius Melitensis favorabilem se praebet Theresianis, nullo fundamento niti rationes Capituli affirmans, sive quia uterque Carmelitarum Ordo iisdem iuribus gaudet, sive quia in uno eodemque loco duae confraternitates eiusdem nominis fundari vetantur, sive demum quia Discalceatorum ecclesia sufficiens videtur pro consociatis nec distet ultra dimidium milliarium a Collegiata.

Hinc proposita fuere sequentia

DUBIA

I. *An Confraternitas D. N. de Carmine erecta in ecclesia parochiali Bischircarae debeat remanere in statu quo.*

II. *An transferri debeat in ecclesiam Theresianorum Birchircarae, vel potius in ecclesiam Carmelitarum S. Iuliani.*

III. *Num supprimenda sit, salvo iure pro utraque Familia Ordinis Carmelitici erigendi in propria cuiusque ecclesia novas Confraternitates de Carmine.*

Responsum fuit: *Ad I, II et III. Attentis omnibus, transferendam esse Confraternitatem ab insigni ecclesia parochiali Collegiata ad Ecclesiam Patrum Carmelitarum Excalceatorum, salvo iure Patrum Calceatorum erigendi in propria ecclesia confraternitatem.*

13690/15

XI.

PONENTE E.MO AC R.MO
Cardinali FRANCISCO CASSETTA
Die 27 Ianuarii 1905

Caietana. — Iurisdictionis.

Quum alumni Institutorum non exemptorum, proprio Episcopo subesse propriaeque dioecesi pertinere non desinant, nec in casu accusationes contra sacerdotem recurrentem sustineantur, poenae ab Archie.po in illum inflictae nequeunt sustineri.

Quum Rev. Augustus Lauretti e Congr. Missionariorum a Pretiosissimo Sanguine, infirma laboraret valetudine, de Superiorum licentia, se in propriam familiam restituit in oppido Valliscursae commorantem, dioecesis Caietanae, quin cessaret ad suam Congregationem pertinere, quae illuc ecclesiam domumque habet. Ab Archiepiscopis dioecesanis, plura munera commissa eidem fuerant; sed a. 1903 per aliquot menses ei denegata est renovatio schedulae pro sacramentalibus confessionibus excipiendis, et a. 1904 prohibita quoque celebratio missae per totam dioecesim, dein vero permissa in sola ecclesia Missionariorum P. S., praemissis tamen tribus spiritualium exercitiorum diebus. Verum sacerdos Lauretti, huic impositioni obtemperare renuens, ad H. S. C. confugit, enixe rogans ut sicut in pristinum ita ei in posterum tractaretur.

Ordinarius ita suam agendi rationem erga recurrentem explicat. Praemittit se nullimode suspensionem tulisse contra sacerdotem Lauretti, sed ei dumtaxat facultatem celebrandi in dioecesi denegasse, eo quod ille non ad Caietanam dioecesim, sed ad Institutum Pretiosissimi Sanguinis pertineat, ad quod proinde redire debet, cum Ordinarius nulla detineatur obligatione recipiendi in sua dioecesi Religiosos extra Ordinem degentes. Affirmat deinde praedictum sacerdotem aere alieno gravatum esse atque pluribus familiis magna detrimenta fraudibus attulisse. Denique eumdem arguit tamquam discordiarum excitatorem inter dioecesanum clerum, praesertim vero in oppido Valliscursae.

Ex adverso, Lauretti animadvertit imprimis suam commemorationem in patria legitimam esse, quia Missionarii P. S. haudquaquam propriae dioecesi renuntiant, quinimo ordinantur cum dimissoriis Ordinariorum et titulo sacri patrimonii, prout et ipse fecit. Cumque ob adversam valetudinem, suum reliquerit Institutum, Valliscursae commorari ibique ecclesiae ac domui Congregationis suae inservire optime valet. Insuper, addit se iam per 40 annos, scientibus et annuentibus Ordinariis, in sua familia vixisse, atque ab ipsis munia haud levis momenti sibi concredita habuisse, uti coadiutoria cuiusdam paroeciae et officium oeconomi in spiritualibus, nec non negotiorum tractatio. Hinc erga propriam famam discrimen pateretur ex Archiepiscopi ordinatione; vulgus enim, minime distinguens suspensionem inter et denegationem facultatis missae celebrandae, statim praesumeret gravissimas culpas in illo adfuisse.

Relate vero ad aes alienum, ipse affirmat quod uni solae personae quamdam pecuniae summam debet, et quidem non personaliter sed tamquam suae familiae sponsor. Caeterum hoc debitum esse nequit sufficiens causa eidem comminandi suspensionem, quando fideles pro missa audienda ad ecclesiam iam convenerant. Tandem accusationem discordiarum excitatoris in dioecesi repellit tamquam meram assertionem nullo fundamento innixam, cui e contra nonnullas opponit epistolas praesertim ipsius Vicarii Generalis, in quibus de sua prudentia laudatur in negotiis sibi commissis per tantum temporis intervallum.

Hinc fuit de more propositum

DUBIUM

An Sac. Augustus Lauretti restituendus sit in pristino statu in Caietana dioecesi in casu.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. I, p. 132.

(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. IV, p. 359.

Emi Patres ita rescripserunt: *Reformato dubio ut sequitur: An praescriptio facta a R.mo Archie.po Sacerdoti Lauretti non celebrandi missam nisi in ecclesia Missionariorum a Pretiosissimo Sanguine, peractis prius tribus diebus spiritualium exercitiorum, sustineatur in casu: Negative et amplius.*

XII.

Dilata professione solemni post Capituli Conventualis votum, superior non tenetur illud iterum exquirere.

Beatissime Pater,

D. Maurus M. Serafini O. S. B. Abbas Generalis Congregationis Cassinen. a primitiva observantia, pedibus Sanctitatis Tuae provolutus, sequentia exponit:

Ex decretis Apostolicis *Neminem latet* et *Perpensis*, et ex declarationibus super iisdem, a S. Congr. de Statu Regularium emissis, tam pro religiosis quam pro monialibus post vota simplicia ad professionem solemnem admittendis, requiritur votum Capituli Conventualis, quod quidem votum non deliberativum sed mere consultivum est, ad instructionem animi Superioris. Qui Superiores, iustis de causis, professionem solemnem differre possunt ultra statutum triennium, non tamen ultra aetatis annum vigesimum quintum. Hinc saepe contingit ut Superior, post auditum Capitulum Conventuale, dilationem decernat. Quapropter quaeritur:

I. An dilata professione solemni post Capituli votum, Superior teneatur iterum exquirere votum Capituli, cum tempus advenerit admittendi candidatum ad professionem solemnem? — Et quatenus *affirmative:*

II. Quaenam temporis dilatio talis censeri debeat, ut Capitulum Conventuale iterandum sit?

Sacra Congregatio E.morum ac R.morum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praeposita, re sedulo perpensa, respondendum censuit prout respondet:

Ad I. *Negative.*

Ad II. *Provisum in primo.*

Romae, die 18 Augusti 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

XIII.

Circa designationem confessarii pro monasteriis Monialium et Sororum.

Petrus Gonzales et Estrada Episcopus S. Christophori de Habana, omne illicitum vitare cupiens, a Sacra Episcoporum et Regularium Congregatione sequentium dubiorum solutionem humillime postulat; nimirum:

I. An Episcopus licite valeat confessarium ordinarium monialium unius Monasterii pro alius Monasterii monialium ordinario confessario designare? — Et quatenus *negative,*

II. An Episcopus confessarium ordinarium monialium unius Monasterii ad munus ordinarii confessarii sororum votorum simplicium eligere queat? — Et quatenus *negative,*

III. Utrum Episcopus unum confessarium ordinarium pro duabus Communitatibus Sororum possit licite deputare?

IV. An prohibitum sit Regularibus confessarios ordinarios sororum votorum simplicium esse, sicut pro monialibus eis vetitum est?

Et Sacra Congregatio E.rum ac R.rum S. R. E. Cardinalium Negotiis et Consultationibus Episcoporum et Regularium praepositae, omnibus sedulo perpensis, respondendum esse censuit, prout respondet:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II et III. Provisum in primo.

Ad IV. *Affirmative.*

Romae, die 1 Septembris 1905.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

L. ✠ S.

PHILIPPUS GIUSTINI, *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORD. MIN. CAPUCC. PROVINCIAE RHEGINENSIS.

Circa festum Patroni localis a regularibus celebrandum.

Hodiernus Redactor Kalendarii pro Rheginensi Provincia Ordinis Minorum Capuccinorum, de consensu sui R.mi Procuratoris Generalis, Sacrorum Rituum Congregationi humillime exposuit, in Decreto Sa. Me. Leonis Pp. XIII, sub die 4 Decembris 1904, inserto in Breviario eiusdem Ordinis novissimae Editionis, ac incipiente « Qui primo », inveniri haec verba: « dimissis quibuscumque aliis Officiis, sive Dioecesanis, praeter Officia Patroni praecipui Loci, Titularis ac Dedicationis Ecclesiae Cathedralis, etc. ». Hinc idem Orator sequentia Dubia solvenda proposuit:

I. Utrum in illis locis ubi deest Patronus praecipuus Loci, Fratres Capuccini teneantur ad Officium Patroni praecipui Dioecesis, et quidem cum onere audiendi Sacrum et abstinendi ab operibus servilibus?

II. Utrum per praefatum Decretum abrogatum fuit Officium S. Ianuarii Episcopi et Martyris ac Patroni principalis totius regionis Neapolitanae, cuius festum sub duplici praecepto celebratur?

III. Utrum adhuc censeatur vigere privilegium iam obtentum celebrandi supradicta Officia prout extant in Propriis respectivarum Dioecesium?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti

Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, respondendum censuit:

Ad I. *Affirmative ad utramque partem.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Atque ita rescripsit die 22 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

II.

CONGREGATIONIS CC. RR. INFIRMIS MINISTRANTIUM.

De privilegio altaris portatilis concesso sacerdotibus Congregationis Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis.

R.mus P. Franciscus Vido CC. RR. Infirmis Ministrantium universae familiae Praefectus, probe noscens quantum auxilii morbis animi medendis vel ipsis aegrotis morti proximis disponendis Sacrosanctum Missae Sacrificium conferre soleat: a Sanctissimo D.no N.tro Pio PP. X privilegium altaris portatilis pro cunctis ipsius Regularis familiae sacerdotibus humillime flagitavit: ut, nimirum, iisdem Clericis Regularibus, venia habita a respectivo Moderatore vel Provinciae suae Praefecto in privatis fidelium domibus sive prope cubiculum, sive in aegroti cubiculo ad animae solamen bonumque illius Sacrum litare liceat: in publicis vero Nosocomiis aliisque piis locis vulgo « Lazzaretti » nuncupatis, necnon in domibus uti aiunt « Case di salute », singuli iidem Clerici Regulares in Altari portatili Missam celebrare valeant. Sanctitas porro Sua, huiusmodi supplicia vota ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relata clementer excipiens, de specialissima gratia nunquam in exemplum afferenda, expetitum privilegium, absque ulla Apostolici Brevis expeditione, pro Nocosomiis caeterisque enuntiatis locis benigne tribuere dignata est singulis Sacerdotibus praedictae Regularis familiae, quoadusque ibidem commorentur. Pro aegrotantium vero privatis domibus potestatem fecit tum supremo Moderatori, tum singulis pro tempore Praefectis unicuique Provinciae CC. RR. memoratae Congregationis ut pro suo quisque prudenti arbitrio et conscientia, praevio tamen Ordinarii loci consensu, permittat Missae Sacrificium in Altari portatili celebrari, dummodo loci decentiae, meliori quo fieri potest modo, provideatur. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 26 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

ORDINIS FRATRUM MINORUM.

De modo tegendi caput a Fratribus Minoribus in Missa aliisque divinis Officiis.

A Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit:

Utrum Fratres Minores in Missa aliisque divinis Officiis amictum super nudum caput imponere debeant, an etiam possint ipsum amictum caputio superimponere?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito prius R.mo P. Procuratore Generali praefati Ordinis, qui, annuente R.mo P. Ministro Generali, rationes pro utraque sententia adductas collegit et retulit, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, omnibusque ad rem pertinentibus et consuetudinibus diligenter discussis et perpensis, rescribendum censuit: Ad R.mum P. Ministrum Generalem Ordinis Fratrum Minorum pro uniformitate servanda iuxta Rubricas et Decreta antea edita ab eadem Sacra Congregatione, ita ut Fratres Minores caput tegant cum solo amictu. Quod vero ad illas Ordinis Provincias seu partes attinet, quae ob peculiares difficultates et gravia timenda incommoda, aliud tegendi caput modum, cum caputio scilicet, amicto cooperto, sua consuetudine servaverint et adhuc servent, ut ipsis ab observantia praesentis Decreti circumstantiis perdurantibus, dispensatio concedi possit, eadem Sacra Congregatio rem prudenti arbitrio et conscientiae R.mi Ministri Generalis remittendam benigne existimavit.

Atque ita rescripsit, die 23 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

URBIS EIUSQUE DISTRICTUS.

Assignatur dies XXIII Iunii pro festo B. Gasparis del Bufalo

Cum dies natalis pretiosi obitus Beati Gasparis del Bufalo, Confessoris, obtigerit die XXVIII Dec. a. MDCCCXXXVII, atque haec dies Sanctorum Martyrum Innocentium triumpho quotannis recolendo sit reservata, a Sacrorum Rituum Congregatione expostulatum fuit: Quaenam dies iuxta Rubricas libera assignanda sit festo quod in honorem praedicti Beati cum Officio et Missa propriis et approbatis, sub ritu duplici minori in Urbe eiusque Districtu, ex Apostolicae Sedis indulto singulis annis celebrandum est?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito etiam voto Commissionis Liturgicae, rescribendum censuit: Pro Urbe eiusque Districtu assignetur dies vigesima tertia mensis Iunii, servatis Rubricis.

Atque ita rescripsit ac indulsit. Die 4 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

V.

CONGREGATIONIS CLERICORUM REGULARIUM INFIRMIS MINISTRANTIUM.

Privilegium persolvendi Officium votivum cum Missa Immac. Concept. non est de praecepto, sed ad libitum.

R.mus P. Ioachim Ferrini Clericorum Regularium infirmis Ministrantium Procurator Generalis Sacrorum Rituum Congregationi ea, quae sequuntur, humillime exposuit; nimirum:

In Indulto anni 1765 ampliatum per recens decretum diei 10 Iunii 1904 concessum fuit Congregationi Clericorum Regularium Infirmis Ministrantium privilegium persolvendi Officium votivum cum Missa Immaculatae B. Mariae Virginis Conceptionis primo cuiusvis mensis Sabbato sub quibusdam limitationibus. R.mus Praefectus Generalis eiusdem Congregationis cum suo Consilio nunquam intendit onus imponere suis subditis, qui ad chorum non tenentur et privatim Officium recitant, huiusmodi Officium votivum cum Missa persolvendi, sed tantum praescripsit, ut in singulis domibus Religiosae Familiae una Missa votiva, praedicta die Sabbati, iuxta privilegium celebretur, liberum de caetero relinquens suis alumnis, quoties uti possint privilegio, Officium cum Missa diei currentis vel Officium votivum cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione recitare. Quum vero nuper exorta sit quaestio circa usum enunciati privilegii, quaeritur: An huiusmodi privilegium sit de praecepto vel ad libitum?

Et Sacra Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis Liturgicae, omnibus sedulo perpensis, rescribendum censuit: In casu ad libitum singulorum, adnotato in Kalendario tum Officio cum Missa diei currentis tum Officio votivo cum Missa de Immaculata B. M. V. Conceptione iuxta decretum n. 3594 *Aquen.* 19 Septembris 1883 ad 1 et 2.

Atque ita rescripsit. Die 31 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VI.

BASILICAE SUB TITULO SS. ROSARII B. M. V. IN VALLE POMPEIANA.

Missa votiva SS.mi Rosarii celebrari nequit in dicto Sanctuario infra Octavas festorum B. Mariae Virg.

Rev. P. Fr. Alanus Maria Foy, sacerdos ex Ordine Praedicatorum, Basilicae B. M. V. Reginae SS.mi Rosarii in Valle Pompeiana Sacrario Praefectus, Sacrorum Rituum Congregationi sequens dubium pro opportuna solutione humiliter subiecit:

In Brevi Apostolico diei 29 Martii 1887, quo privilegium conceditur cuique sacerdoti in ea Basilica Sacrum facturo Missam votivam B. M. V. de tempore (postmodum indulta fuit Missa votiva de SS.mo Rosario B. M. V.) celebrandi excipiuntur dies quibus occurrit duplex primae vel secundae classis, quodlibet ipsius B. M. V. festum, nec non Dominica, Feria, Vigilia vel Octava, quae sit ex privilegiatis, servatisque Rubricis. Quum de Octavis festorum B. M. V. nulla fiat mentio, usuvenit ut fere omnes sacerdotes intra Octavas ex. gr. Nativitatis, Assumptionis atque Immaculatae Conceptionis B. M. V. Missam votivam de SS. Rosario celebrent addita Commemoratione currentis Octavae. At vero e postremis verbis illius Brevis *servatis Rubricis* coniiciendum videtur perperam id fieri et contra earumden praescripta. Quaeritur ad uniformitatem plenamque liturgicarum praescriptionum observantiam habendam: An memorata Missa votiva SS.mi Rosarii B. M. V. in templo Pompeiano ipsius Deiparae iuxta Apostolicam concessionem factam per enunciatum Breve, celebrari valeat infra Octavas festorum eiusdem B. M. Virginis?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita sententia Commissionis Liturgicae respondendum censuit: *Negative*, et Missa erit de die infra Octavas absque Commemoratione SS.mi Rosarii; et dentur Decreta n. 2542 *Ordinis Minorum Provinciae S. Antonii Bahien. in Brasilia* 26 Ianuarii 1793 ad 2, et n. 1739 diei 23 Septembris 1684.

Atque ita rescripsit, die 30 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

VII.

DUBIORUM.

Restringitur in casu facultas cuilibet sacerdoti competens celebrandi Missam de Requie in Oratoriis privatorum praesente cadavere.

Ab annis nonnullis in civitate N. consuetudo invaluit apud fideles coetus praesertim superioris, in privatis eorum Oratoriis adveniente morte alicuius e familia, Missam de Requie praesente cadavere celebrandam postulandi, quod non sine imminutione funeralium solemnitatum in ecclesiis praesertim parochialibus, imo non sine iurium parochialium et spiritus parochialis detrimento fieri compertum est.

Ad huiusmodi abusus eliminandos Rev.mus Ordinarius prohibendam censuit celebrationem Missae, praesente cadavere, in praefatis Oratoriis privatorum, id quod non sine animarum utilitate et populi aedificatione factum est. Verum non semel accidit quod fideles huiusmodi quasi molesti evadant Episcopo vel Auxiliari vel alienae dioecesis casu per eamdem civitatem transeunti, a quo instanter postulant ut ipse, vigore indulti quo singuli Episcopi fruuntur Missam scilicet etiam in Altari portatili celebrandi aliamque coram ipsis celebrari faciendi, Missam alias ab Ordinario prohibitam, praesente cadavere, in Oratoriis privatorum celebret vel per se et per suum Capellanum, vel per suum Capellanum tantum, ipso Episcopo seu Auxiliari seu alienae dioecesis praesente, celebrari faciat: sicque salutare prohibitionis remedium non raro evanescit.

Quaerit igitur Rev.mus Ordinarius Orator a S. Rituum Congregatione: An petitionibus licet instantissimis, de quibus agitur, praefati Episcopi annuere possint virtute indulti singulis Episcopis proprii quoad Missae celebrationis locum, adstante generali prohibitione eiusdem Ordinarii ut supra; ideoque an liceat praefatis Episcopis, non obstante dicta prohibitione, Missam in Oratoriis privatorum per se vel per proprium Capellanum, vel etiam per solum Capellanum, Episcopo Missam audiente tantum, celebrare praesente cadavere?

Et Sacra eadem Congregatio propositis dubiis respondendum censuit: « Attentis peculiaribus adiunctis in casu

concurrentibus, *Negative* ad utrumque ». Quam resolutionem Sanctissimus Dominus Noster Pius, PP. X probavit et confirmavit, die 8 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VIII.

POLICASTREN. — DECRETUM

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Dominici Lentini, Sacerdotis saecularis.

Ad gloriam Dei et fidelium pietatem augendam valde confert series illa in Ecclesia catholica nunquam interrupta Christi Famulorum cuiusvis sexus, aetatis et conditionis quorum vitae sanctimonia etiam prodigiis confirmata, populorum fama, laude et veneratione celebratur. Huc etiam spectant Causae beatificationis et canonizationis quae apud Apostolicam Sedem aguntur. Inter caetera nuper disceptatum est de signanda commissione introductionis Causae Servi Dei Dominici Lentini, Sacerdotis, qui non in claustro sed in saeculo commoratus, haud obstante gravi rerum perturbatione temporumque acerbitate, sacrum ministerium Verbi Dei praedicatione clarisque virtutibus decoravit. Laureae in Lucanis et Policastrensi dioecesi, die 20 Novembris anno 1770 ex piis honestisque parentibus Macario et Rosalia Vitarella ortus, statim regenerationis lavacrum recepit in Paroecia Sancti Nicolai. Succrescente aetate christianae Fidei rudimenta ediscere curans, alios quoque ea docere satagebat. Sacro chrismate roboratus atque Angelorum pane refectus egregiae indolis et eximiae pietatis indicia portendere visus est. Egenos et pauperes singulari charitate complectens, subsidia in eorum lavamen comparabat. Domi et in templo orationi assiduus suavissimos ex hac devotione et mentis elevatione in Deum et in Sanctos Eius percipiebat fructus. Annum aetatis quartum decimum ingressus quum se ad sacra vocatum sentiret, annuentibus parentibus et consentiente praesule, clericales vestes induit. Humanioribus litteris atque philosophicis sacrisque disciplinis sedulam operam dedit, Curione Ecclesiae S. Nicolai Dominico Cosentini praeceptore. In episcopalem urbem Policastren. deinceps se contulit, ibique in dioecesano seminario incoepta theologiae studia una cum iure canonico diligenter prosequutus est. Rei familiaris inopia proposito consilio suscipiendi ordines aliquantulum obstitit; verum sedulitate atque industria adhibita, Deo adiuvante, voti compos factus, per minores gradus ad superiores ascendit; atque, de Apostolica venia super defectu aetatis, sacerdotali dignitate insignitus est. Novensilis presbyter mox in patriam reversus ad pueros adolescentesque instruendos omnem curam impendit, ut in Ecclesiae civilisque societatis spem accrescerent. Latinas graecasque litteras, et philosophicas theologicasque scientias discipulis tradidit. Animarum lucro praecipue intentus curare studebat, ut ipsi frequenter ad synaxim accederent, sacris interessent, sanctissimam Eucharistiam visitarent atque indulgentiarum thesauros acquirerent. Neque id satis fuit Servo Dei; qui alteram sui muneris partem esse duxit falsas impiasque opiniones impugnare simulque audientium animos ad poenitentiam et ad vitam gratiae excitare. Quod fidelis Christi minister non modo e suggestu per publicas sapientesque conciones, sed etiam in exedra confessionum per consilia, admonitiones et sacramentalem absolutionem salutariter perfecit. Charitate in Deum et in proximum incensus Beatissimam quoque Virginem aliosque caelites peculiari pietatis studio prosequebatur. Sibi austerus et parvo contentus, tenui victu cultuque utebatur; caeteris vero mitis, suavis et liberalis erat, adeo ut in patria finitimisque regionibus veluti Angelus divinitus missus haberetur. Verum Christi Famulus sacerdotalibus muneribus rite peractis, quum quartum supra quinquagesimum aetatis annum attingeret, lethali morbo affectus est. Divinae acquiescens voluntati, de Deo eiusque attributis deque catholica religione loqui delectabatur. Deficientibus viribus, omnibus Ecclesiae Sacramentis rite susceptis preces psalmosque ingeminans, die 25 Februarii anno 1828, brachiis in crucem supra pectus conformatis, in pace quievit. Statim ad invisendas Servi Dei exuvias, cuiusvis ordinis cives etiam ex dissitis locis confluxerunt. Iusta funebria bis solemniter persoluta sunt quamdiu corpus in parochiali Ecclesia S. Nicolai, in qua etiam tumulatum fuit, expositum mansit. Fama autem sanctitatis qua ipse vivens floruerat, post obitum etiam assertis prodigiis aucta, illustrior evasit. Hinc super ea, Auctoritate Ordinaria, in Curia Policastrensi inquiri coepit; sed variis de causis Processus acta intermissa, dein reassumpta et absoluta ad Sacram Rituum Congregationem tandem delata sunt. Scriptorum Servi Dei revisione peracta, quum nihil obstet quominus ad ulteriora procedi possit, instante Ill.mo D.no Cajo Firrao, equite romano, et Causae postulatore, attentisque litteris postulatoriis quorumdam E.morum S. R. E. Cardinalium, plurium Sacrorum Antistitum aliorumque ecclesiastica vel civili dignitate praestantium, E.mus et R.mus D.nus Cardinalis Vincentius Vannutelli, Episcopus Praenestinus et eiusdem Causae Relator, in Ordinariis Sacrorum Rituum Congregationis Comitiis subsignata die ad Vaticanum habitis sequens dubium discutiendum proposuit: « *An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?* » Porro E.mi et R.mi Patres Sacris tuendis Ritibus praepositi, post relationem ipsius E.mi Cardinalis Ponentis, audito voce et scripto R. P. D. Alexandro Verde, Sanctae Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuerunt: *Affirmative seu signandam esse Commissionem, si Sanctissimo placuerit.* Die 11 Aprilis anno 1905.

Facta postmodum de his Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per infrascriptum Cardinalem, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectum, relatione, Sanctitas Sua Rescriptum eiusdem Sacrae Congregationis ratum habens, Commissionem Introductionis Causae Ven. Servi Dei Dominici Lentini, sacerdotis saecularis, propria manu signare dignata est, die 12, eisdem mense et anno.

ALOYSIUS Card. TRIPEPI, *S. R. C. Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† DIOMEDES PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

INFORMATIO

Super dubio

An signanda sit Commissio Introductionis Causae in casu et ad effectum de quo agitur?

Eme ac Rme Domine,

1. Volupe sane est per haec tam infensa christiano nomini tempora, dum filii Belial nefaria inter se societate coniuncti, nihil timentes neminique cedentes, acrius audent in Sacerdotale ministerium instaurare bellum, illius viri causam huic Sacro Ordini exhibere, qui inter Christi administros cooptatus, eiusque vestigiis insistens pertransiit benefaciendo, omnibus omnia factus, ut praecipuo singulorum bono prospiceret. Totam enim ipse vitam suam ab ineunte aetate ad supremum usque diem uni negotio addictam voluit, nempe ut patriae ac religioni illata a philosophorum deliramentis consanaret vulnera. Nulla ei fuit laborum mora vel quies, nec ulli molestiae aut vigiliae pepercit, ut pravas aboleret doctrinas, abusus et vitia convelleret, peccatores in Dei amplexum et gratiam reduceret, confirmaret instabiles, iustos ad maius perfectionis studium incenderet.

2. Quod verbo docebat, eloquentius firmabat exemplo, atque eloquii vi morumque suavitate omnium sibi devinciebat animos. Nil mirum igitur si, quamdiu vixit, in opinione sanctitatis longe lateque floruerit. Quae quidem post eius obitum nec imminuit vel deferbuit unquam, sed praesenti prodigiorum ope adaucta magis magisque inclarescit in dies. Quamobrem optimam partem certo certius elegisse dicendum est, qui non multo post Dei Famuli obitum sategerunt, ut adornando processui super eius sanctimoniae fama, virtutibus ac miraculis Policastrensis Antistes manus admoveret, in quo plures rogati sunt testes, qui illius consuetudine diu usi sunt, eiusque apostolici zeli ac laborum testes et praecones exstiterunt.

3. In hisce vero testimoniis tanta rerum factorumque suppellex continetur, ut nedum demonstretur invicte nihil admisisse Servum Dei, quod Causae introductioni obesset, et splendidam lateque pervagatam famam sibi comparasse laboribus in animarum praecipue emolumentum exantlatis, et miraculis divinitus, eo suffragante, patratis; verum etiam patefiat apertissime, ita fuisse virtutibus heroicis praeditum et donis supernaturalibus insignem, ut iure meritoque Superum honoribus dignus censeri queat.

4. Hoc demonstrandum aggredior; atque uti planior et luculentior procedat disquisitio, praestat antea breve commentarium vitae Dei Famuli descriptum exhibere.

CAPUT I.

Synopsis vitae Servi Dei.

5. Piis honestisque parentibus, Macario Lentini et Rosalia Vitarella, XII Kalendas Decembres anno MDCCLXX Dei Servus natus est Laureae, quod est oppidum haud ignobile in Lucanis et Petiliana Dioecesi situm. Statim lavacro regenerationis ablutus et, opportuniori tempore, almo Confirmationis chrismate inunctus, iam inde a pueris futurae sanctitatis quaedam haud obscura signa portendit. Illico enim tenellum animum ad pietatem, ductu parentum, effingere coepit: idque impensius quo ex eorum vita et moribus uberiora peti poterant exempla virtutum. Vivida, festivaque indoles in puero erat, verumtamen mirum in modum egregia, quum non solum a virtutis tramite nunquam, vel quidem minime, deflexerit, sed etiam, prudentia antegressus aetatem, omnibus pueritiae muneribus fuerit nitide perfunctus. A iocis et crepundiis alienus modestia, obedientia et morum candore praestitit, societatem pravorum aufugiens, atque silentio, recessu precibusque maxime gaudens. Pietatis studio ita efferebatur, ut nihil supra. Pauperes singulari charitate complecti coepit, eosque levare prouti per aetatem licebat. Fidei christianaeque doctrinae rudimenta tum domi, tum in templis ediscere in deliciis habuit: nec satis erat, puer enim ipse aequales ad eadem caelestis sapientiae praecepta erudire solebat. Atque ita uberioribus operis evangelici proventibus proludens, iam inde ab ephebis sacerdotale ministerium egregie auspicabatur.

6. Vix quartum decimum aetatis annum attigerat, quum sentiens se in sortem Domini et ad provehenda animarum lucra vocari, clericales vestes sumit. Exinde vero animo et cogitatione complectens quid deceat ephebos in spem Ecclesiae adolescentes, quantumque oneris sacerdotali munere contineatur, ad gravitatem et ad quaedam solidiora et perfectiora studia festivum ingenium ita composuit, eamque vitae rationem iniit, ut angelicus iuvenis haberetur ac diceretur.

7. Qui Sacerdotis officia aliquando sibi obeunda cogitabat in eo sistere non poterat, ut cor ad pietatem virtutemque informaret; mentem quoque optimis disciplinis imbuendam esse agnoscebat. Idcirco diligentia effusisque precibus, almae Dei Parenti adhibitis, aciem retusi ingenii exacuit optimus adolescens, mentemque studiorum contentione subegit sic vero, ut par primis in litteraria palaestra extiterit, cumque illis de palma perpetuo dimicarit. Neque minori sedulitate et profectu enituit in philosophicis addiscendis disciplinis penes Curionem Ecclesiae S. Nicolai, Dominicum Cosentini, a quo scientias theologicas haurire etiam coeperat; sed quum tempus iam adforet quo sacris initiaretur, a patria domo abscedere coactus est.

8. Res enim ita exigebat ut se in urbem Petelliam, quae episcopalis sedes erat, conferret, ibique, in dioecesano ephebeo divinarum scientiarum curriculo rite perfungens, ad sacros ordines suscipiendos animum impensioribus studiis excoleret. At obstabat rei familiaris inopia, unde magna Dominico difficultas ad susceptum consilium perficiendum afferebatur. Angebantur parentes eius, qui, quum sibi nihil optatius accidere posset quam Deo liberum in famulatum addicere, uti is voti compos fieret, omni animi contentione operam dabant, atque vix quantum pecuniae ad opus suppeditaret mutuari valuerunt. Compos itaque factus desiderii ardentissimi Servus Dei, ad uberem rerum divinarum suppellectilem sibi comparandam naviter incubuit, seque adeo ecclesiasticarum disciplinarum studiosum praebuit, ut, ceu edocet Testis LVI: « Si portò sempre bene, sia nell'esercizio delle « virtù, e sia in quanto allo studio, onde si rese caro a tutti « i Superiori ».

9. Interim per minores ad maiores Ordines gradatim conscendit, atque, praevia Pontificia dispensatione super aetatis defectu, sacerdotali dignitate insignitus est. Haud facile dictu est quam alacri erectaque mente ad ea coelestia munera suscipienda contenderit, quantisque modis in se devocarit e coelo Divini Spiritus afflatum. Id satis aperte declarat nox illa faustissima, quam, quum postera die sacerdotali honore foret augendus, precibus divinisque commentationibus vacans traduxit, quin vel minimum corporis quieti indulgeret. Idipsum asserit nox alia auspicatissima, quae diem sacri alterius Ordinis suscipiendi allatura erat, quamque solidam Dei Famulus egit inter effusas preces praeruptis acutisque lapidibus insidens.

10. Novus presbyter mox in patriam reversus, nulla interiecta mora, sacerdotali muneris fecit initia, eiusque laborum et zeli inexplebilis fructus ac emolumenta cives et advenae uberrime persenserunt. Nullum enim fuit hominum genus quod is curis omnibus non excoluerit; nulla divini

ministerii pars exstat, nullum officium quibus non sit ipse sancte perfunctus. Tempora, in quae eius incidit aetas, perditissima quum essent ac religioni maxime obnoxia, uberem zeli exercendi materiem ei praebuerunt, atque animum in primis ipsi pueris christiane instituendis adiecit. Philosophorum deliramenta, quae per Galliae fines debacchabantur, Italiam superiecta misere invaserant, atque simulata fraude serpentia, christianae sapientiae placita, quibus tenelli puerorum animi imbuuntur, vel intervertere omnino, vel veneno inficere, aut penitus delere coniunctis viribus contendebant. Hoc miserrimo statu rerum, quo nihil nunquam sol vidit indignius, summa aegritudine novensilis sacerdos afficiebatur, nullique duxit parcendum labori, nulli industriae aut molestiae, ut moles fluctibus opponeretur.

11. Optimo itaque consilio ad erudiendos adolescentes suas convertit curas, eosque exemplo non minus quam praeceptis et hortatibus ad meliora incitare sategit, ut ipsi in spem Ecclesiae civilisque hominum coetus veluti in plantario succrescerent. Primum latinas, graecasque litteras docuit: deinde vero abdita et penitus retrusa philosophiae principia illorum mentibus reclusit, quas denique ad sublimiora theologiae dogmata alacri cursu evexit. In quo praeclare ostendit quantum praesidii ab humanis divinisque litteris homines, qui in magisterio versantur, mutuari possint. Saepe enim, occasione arrepta, pietatem in animis refovere, fidei mysteria explanare delectabatur, et instabat assidue, ut discipuli frequenter ad caeleste convivium accederent, sacris interressent, Sacramentum Augustissimum adorarent. Et quamquam Dei Famulo tenues essent opes, longe semper ipse abfuit quin magisterium quaestui habuerit. Quum omnia referret ad Deum, et animarum lucro summopere delectaretur, nullam pecuniam exigere consueverat ab iis, qui inopem sustentarent vitam.

12. Dum haec gereret Servus Dei, quae ad optimos cives novosque operarios in vinea Domini comparandos pertinebant, minime censendus ea neglexisse consanare vulnera, quae religioni bonisque moribus novae opiniones in vulgus editae intulerant. Alteram enim potioremque sui muneris partem duxit, falsas et impias doctrinas in populum serpentes publicis concionibus oppugnare, morum puritatem restituere, religionis studio audientium animos perfundere. Quae hominum mentes a vitiis avocant, ad caelestia erigunt, ad virtutem inflammant, ea insigniora ad corda permovenda selegit. In sacris eius orationibus nescio quid festivi candidique nitoris eluceret, quod, quum ex interiori charitatis sensu dimanaret, eo plus virium habere solebat, quo maior adesset audientium numerus. Saepe enim tanto ardoris impetu rapiebatur, ut, quum e suggestu concionaretur, vultus eius igne succensus videretur, et ex audientium oculis lacrymas exprimeret.

13. Sed alia quoque instrumenta ac subsidia saepe in concionibus solebat adhibere, ut auditores suos ad poenitentiam perduceret, et Deo reconciliaret. Vim enim lacrymarum profundens flagris humeros palam caedebat, atque haud raro hisce corporis afflictationibus ita ob aestuantem charitatem efferebatur, ut iis nullum poneret modum, nisi, abstractis flagellis, sibi parcere esset iussus. Nec modo Lauria eum concionantem demirata est, sed et alia oppida non pauca, quae sacro potissimum quadragesimali tempore zelo indefesso excoluit, et ad Dominicae redemptionis mysteria digne recolenda optime comparavit.

14. Vix post haec, est opus ut sermonem convertamus ad fructus uberrimos, qui laboriosas Dei Famuli conciones sequebantur. Eius sanctitatis et doctrinae fama illuc brevi processerat, ut populos turmatim exciret; qui missa rerum suarum cura ad eum concionantem audiendum confluebant. Demirabantur omnes ferventissimum eius zelum, qui invitos etiam alliciebat homines, optatisque carere non poterat effectibus; a quovis enim fucato artificio aliena, eius sermocinatio semper fuit. Nil proinde mirum si peccatores ad bonam frugem reversi, mysteria divina frequentius obita, supplicationes per vias ad deprecandas calamitates deductae, piorum fervor auctus, omnia in melius conversa visa sunt. Mira quaedam et arcana vis erat in Dei Famuli ore, quae audientium animos abripiebat, et corda expugnabat.

15. Neque hisce finibus eius ministerii sollicitudines continebantur: quum nullum animabus lucrandis tempus Dominico intercidit, nullum periit. Altera enim, et quidem non modica eius laborum pars in homologesibus excipiendis versabatur. Nam quos e suggestu disserendo permoverat et ad saniora consilia converterat, eos in exedra confessionum ad vitam gratiae restitutos Christo penitus lucrifaciebat. Paratum semper inveniebant ii, qui per eum cum Deo reconciliari voluissent. Nulla apud ipsum erat personarum acceptio, et amplissimo quo peccatores omnes complectebatur charitatis affectu, eodem timidos erigebat, iuvabat haesitantes, tepentes inflammabat, dubitantes edocebat, angustiis pressos solabatur, nutantes confirmabat, versantes in tenebris lumine caelesti perfundebat. Ita cunctis carus et ab omnibus quaesitus, dignum se Christi Iesu administrum exhibebat, qui « *pertransiit benefaciendo et sanando omnes* ».

16. Aestuantem charitatem, qua rapiebatur in Deum, quaque omnes succendi voluisset, etiam in privatis sermonibus referebat. Interiores animi motus vox ipsa videbatur procedere, dum is omnibus contremiscebat artubus, et verborum impetus ac ubertas, quibus alios ad virtutem excitare consueverat, ex eius ore maxime enitebat. Charitatis flammae per vultum eliciebantur, ita ut rubro ardentique igne suffusus haud facile ardorem comprimere aut sane dissimulare valeret. Patriam, tamquam colendum agrum, sibi commissam reputavit, ibique iugiter quantum viribus cavere, cogitatione praevidere poterat, nihil antiquius habuit quam aeternae aliorum saluti prospicere, ita vero ut, si res postularent, vitam profudisset ultro.

17. Nec virtute singulari, qua in civium conspectu, forisque praeluxit, minus praestitit intus domique. Assidua enim cum Deo consuetudo erat: Virginem Beatissimam caeterosque Caelites inflammato studio est prosequutus: et si quid otii ab animorum cultura vacaret, in solitudinem sese subducebat ut rerum divinarum contemplatione reintegrarentur vires, quo acrius susceptorum laborum pergeret iter. Ciliciis pectus devinxit, multisque cruciatibus corpus exercuit: collectam famem modo pauculis leguminibus explere consueverat: pauperes pauper ipse tanta charitate complexus est, ut ne suis quidem pepercerit vestibus. Diu noctuque omnibus praesto fuit, ubique aderat, quocumque arcessitus esset, ad ministerium exercendum. Et uti nullum unquam adeundi intempestivum tempus, ita nullum fuit officium, quo ipse sacerdos, non fuerit religiose perfunctus. Quapropter mirabitur nemo si maximo in honore apud omnes foret, sanctique nomine compelleretur. Summum proinde erat omnium obsequium in eum.

18. Sic itaque in sacerdotum exemplum longe lateque praeluxit, Angelo potius, quam homini similis. Nihil enim Dominico modestius fuit, nihil eius virtute praestantius. Atque mentis candor, animique integritas in eius oculis, ore, habituque corporis eminebat. Multi erant, qui in eius conspectu tanta corripiebantur veneratione, ut coram coelesti spiritu in terris degente sibi viderentur adesse. Eximio ac benefico Viro quasi munere divinitus dato eius patria finitimaeque regiones fruebantur, cum potius quam morbo, ferventissima Dei charitate, quae fractis naturae viribus eum a corporeis vinculis dissolvit, sublatus est, caeloque receptus

V Kalendas Martias anno MDCCCXXVIII, aetatis suae octavo supra quinquagesimum.

19. Quam Deo et hominibus carus foret, dolor funeris et haud intermissa prodigiorum copia satis luculenter declarant, prout inferius fuse videbimus.

CAPUT II.

DE VIRTUTIBUS IN GENERE.

20. Qui ab ineunte aetate ad virilitatem plenam vixerit constanter servans Dei et Ecclesiae mandata, naviterque perfungens Sacerdotis officiis, vulgari profecto et communi probitate longe praecellit, siquidem haec si absolutissime impleantur, evangelicam magis quam humanam virtutem exigunt. Et S. Luca Baptistae parentes describens non communi virtute praeditos, sed insigni sanctitate spectatissimos, haec ait: « *Erant iusti ambo ante Deum incedentes in* « *omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine que-* « *rela* » (1). Atqui id fecisse Dei Famulum testes edocent apertissime: eius proinde vitam sanctimonia illustrem iam praedicare possemus. Adeo vero in hisce omnibus adlaboravit, ut alter ex testibus nullum ei parem in hoc virtutis genere extitisse putet, alter vero ullum parem extiturum fore desperet.

21. At non minus praeclara et relatu digna sunt, quae testes referunt de singulari ac praecellenti ratione, qua Dei Famulus ad extremum usque diem christianarum omnium virtutum munere perfunctus est. Ita Testis XLVIII, cui LIII apprime respondet.

22. Nempe illud in iugi virtutum exercitatione fastigium, quo sanctiores viri evecti sunt, is attigit, prouti Testis XLIX tradit. Idipsum confirmat Testis LXX, cuius verbis nil gravius et luculentius posset afferri. Quid plura? Fuit etiam qui nunquam viderat « un uomo così pieno di viva fede, « ferma speranza ed amore ardente verso Dio ed il pros- « simo »: dum contra de cardinalibus virtutibus illud per omnium ora ferebatur; « che queste virtù erano solamente « sue proprie, poichè gli altri fedeli non le praticavano « come lui ».

23. Quoniam vero ita natura nos effinxit ut suis quisque in diversa trahatur studiis, et ii, qui maxima sanctitate florent, quamquam omnibus praecellant virtutibus, tamen alii aliis, pro rerum adiunctis, satis longe praefulgeant, etiam Dei Famulus « specialmente praticò la carità verso Iddio e « verso il prossimo in modo da citarsi su questa virtù come « un tipo proprio della vera carità, che si era personifi- « cata in lui ». Divina haec virtus angelicam alteram arctissime consociatam habuit, quae sacerdotalis dignitatis praecipuum est ornamentum ac decus: nempe in Servo Dei, uti loquitur Testis LXX, « come regina vi regnava la castità, « perchè questa aveva un non so che di celeste, che si rive- « lava in tutti i suoi atti e si trasfondeva anche negli altri ».

24. Quae cum ita sint, mirabitur nemo si et alia signa extrinseca virtutis luculentissima Dei Famulus praeseferret; nimirum quod penes cuiusvis ordinis cives praecipuo in honore esset; quod tamquam christianae perfectionis exemplar imitandum proponeretur; quod solus eius adspectus venerationem ingereret. At haec quae conglobatim dicta sunt, per partes explicare praestat.

CAPUT III.

DE HEROICA FIDE.

25. Quum iuxta Tridentinam Synodum fides sit « *humanae* « *salutis initium, fundamentum et radix omnis iustifica-* « *tionis, sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum* « *eius consortium pervenire* » (1), evidentissime patet ab hac virtute in caeteris expendendis sumenda esse exordia. Eam porro in corde Dei Famuli tam altas egisse radices, ut heroicam in ipso fuisse, sive consideretur in firma adhaesione intellectus, sive in externa confessione et in operibus, quae ab eadem proficiscuntur, testes in actis rogati tam invicte ostendunt, ut tuto quisque id affirmare valeat. Atqui, docente Card. de Lauraea, « *firma animi praeparatio ac* « *dispositio se exponendi si occasio urgeret, sufficit ad* « *arguendam heroicam fidem* » (2).

26. Nec satis ei fuit ut ipse crederet, et pro fide tuenda libenter sanguinem esset daturus; sed vel a pueris christianae professionis rudimenta aequalibus tradere, fideique mysteria explanare coepit; atque vix adolescentiam est ingressus ecclesiasticae militiae nomen dedit, sacrisque studiis sedulam navavit operam, ut necessaria scientia instructus fidem prolataret remque christianam augeret. Quas partes, ubi primum sacerdotio est auctus, ad ultimum usque vitae diem impigre executus est, adlaborando assidue, praesertim e suggestu disserendo, ut errores, qui in odium catholicae fidei longe lateque erant diffusi, radicitus evelleret, religionisque studium in omnium animis excitaret ac proveheret. Iamvero concionatoris officium summo cum zelo gestum ad fidem arguendam plurimum valere passim tradunt nostrae disciplinae doctores; imo in pluribus Auditorum S. Rotae relationibus, prout scite notavit Benedictus XIV (3), quorumdam Dei Servorum fides heroica ideo extollitur « quod longam, eximiam et « laboriosam curam in tradenda doctrina christiana et rudibus « in fide instruendis praestiterint ».

27. Praeterea cuinam rei, nisi eximiae fidei sensibus diuturnos, gravissimosque labores verteres a Servo Dei susceptos, quum integros fere dies in sacra confessionum exedra sedens admissa confitentibus benignissimas praebebat aures? Iure quidem suo fides fructus uberrimos assumere et vindicare videtur, si qui in tutela versabantur erroris ad veritatis tramitem, Dei Famuli opera, deducti sunt; si nefanda in Deum obticuerunt dicta; si suus festis diebus revixit honos, si recaluit pietas in civibus.

28. Tam perite ac perspicue fidei mysteria explanabat nedum in concionibus, sed et in familiaribus colloquiis, ut ab omnibus plane intelligeretur, et mentes simul illustraret, atque corda vehementer moveret; unde saepius auditores lacrymas tenere non poterant.

29. Si quando vero in sacris concionibus argumenta afferret, quibus animos immortales esse demonstratur, ac in eos oratione incitatius exurgeret, qui Dei opinionem radicitus evellentes divinam hominis mentem tum ipsum cum corpore interimi autumant, tanto dolore corripiebatur ut, amissis viribus, saepe prae languore deficeret. Quandoque etiam, quum Christi Iesu acerbissimos cruciatus commemoraret, divino quodam instinctu raptus, in forum e suggestu discessit et divini Servatoris effigiem e cruce pendentis manu tenens, suavissimos fidei sensus in omnibus, qui aderant, excitavit. Hinc patet quam merito Testis LXX dixerit: « quando egli predicava sembrava un San Vincenzo Ferreri ». Uti enim ad illum, sic ad Dei Servum concionantem in templis confluebant populi, qui eius verborum concitatione et vi commoti in lacrymas sese effundebant. Saepe autem ipse, Vir vere apostolicus, ne verbis quidem continebatur, sed corporis cruciatus addebat, quibus, uti iam innuimus in vitae synopsi, nisi demptis flagellis, haud parcere sueverat.

30. Ita errores perosus, mendacia et insanias falsas, Deum unum assidua contemplatione intuebatur. Et quo magis

(1) Luc. I, 6.

(1) Sess. IV, cap. 8.

(2) In 3 Sent. Tom. 2, pag. 745.

(3) Lib. III, cap. 23, n. 9.

defixa mente Ipsi adhaerere studebat, eo praestantius firmiusque erat obsequium, quo divina mysteria obibat. Id maxime est assecutus quum Sacra de altari litavit. Loca magis abdita ad ea peragenda quaerebat, quo divinis rebus intentiorem applicaret animum. Adeo certus in iis sacris divinam Hostiam offerri, ut quum Eam attolleret, quasi a sensibus eius mens revocaretur, vultusque rubro colore suffundebatur; dumque divinas absumebat species, haud facile labia ab iis seiungi poterant; tam avide caelestia libamina degustabant. Singulos verborum sensus, quae in sacris peragendis adhiberi solent, cogitatione menteque complectebatur, et sacrificii maiestate deprehensus, saepe in lacrymas sese effundebat. Prodibat extrinsecus fidei ardor, et Angelis quam hominibus proprior Dei Famulus videbatur. Corpore quoque ad caelum niti, siquidem saepe ex humo mirum in modum erigebatur: atque illud insuper divinitus accessit, ut caelesti luce aliquando circumfusus appareret.

31. Hinc illa fides item manare visa est, qua augustissimum Eucharistiae sacramentum est prosequutus. Pluries in die Illud veneraturus in templis adire solebat, vel praesertim ubi Eius benedictione impertita frui posset, vel ubi Illud palam ac solemniter fidelium venerationi proponeretur. Heic Servum Dei vidisses genibus humillime pervolutum, defixis oculis in Sacramentum, quod fidei mysterium antonomastice dicitur. Mirabantur fideles totum in Deo absorptum spectantes; universi fidem suam vehementer excitari, foveri, teneros ali sensus pietatis experiebantur; ille enim videbatur « un « Serafino ripieno di celeste amore ».

32. Exinde facile est intelligi quo devotionis affectu cetera quoque Redemptionis nostrae mysteria coluerit. Cum natalis humani generis Reparatoris quotannis solemnitas adventaret, se aliosque peculiaribus precibus huic festo celebrando parabat. Continua meditatione Dominicae passionis ac mortis mysteria recolebat, neve ab iis mentem unquam averteret, effigies, quae ea referrent domi asservabat piamque exercitationem, quae *Via Crucis* vocitatur, devotissime recolebat. Neque defuit, quacumque posset ope, caeteros pietate ac veneratione erga eadem mysteria imbuere et excitare. Quam ob rem merito applicari possent Dei Famulo verba quibus S. Rotae Auditorium S. Petri Regalati fidem in causae relatione commendavit: « *Devotionis ardor erga Christi vitae « ac passionis mysteria abunde testatur delitescentem in « corde animoque vividae fornacem fidei* ».

33. Sic splendidissimo fidei lumine illustratus, quoniam « *Deo credit qui Sanctis suis credit, in quibus loquitur « Deus* » (1), impense coluit etiam eos, qui, aeternae gloriae participes facti, cum Christo regnant in caelis, iisque semper meritos habuit honores. Atque in primis, uti maxime decet, incensissimo prosecutus est affectu Virginem Deiparam, cui omni obsequii genere servire studuit. Peculiari vero devotionis sensu ad Eius recolendos dolores ferebatur, piumque sodalitium in Virginis Perdolentis honorem instituit, quo ex triginta sodalibus quisque pro die cruciatus Illius meditaretur. Eiusdem effigiem aegrotis deferre consueverat, cultumque propagare nitebatur tum privatis sermonibus, cum publicis concionibus. Fervor insolitus tunc in ore loquentis, in vultu, in toto corporis habitu emicabat. Inter alios autem Caelites, quos summa observantia studioque coluit, singulares sibi quasi patronos adsciverat Petrum de Alcantara, Franciscum a Paula, Paschalem Baylon, Vincentium Ferrerium et Aloysium Gonzagam, eorumque suppetiis plurimum fidebat. Eximia eius fides ac pientissima religio defunctorum quoque animas piacularibus ignibus addictas complectebatur, earumque levamini preces impendebat, satagens ut caeteri idem praestarent.

(1) S. Laurent. Iust. in lign. vit. cap. 4.

34. Idem lumen et ardor fidei, quo Deo omnibusque caelestis Sion incolis appulit animum, ad militantem Ecclesiam, debito obsequio, prosequendam Servum Dei maxime excitabat. Itaque Romani Pontificis placita, quasi divinae vocis oracula excipiebat, precesque pro eius prosperitate effundi curabat. Simili observantia Praesules, Pastores, Sacerdotes omnes, prout cuiusque gradum deceret, est prosequutus, in eo adlaborans, ut eosdem venerationis sensus in cives omnes ingereret. Iis potissimum, qui sacrae militiae nomen dederant hoc praedicare solebat: « *Rispetto ai Su« periori, perchè fanno le veci di Dio* ».

35. Quamvis haec abunde sufficiant ut in aprico sit heroica fides Dei Famuli, praeclarissimum tamen eiusdem indicium praetermittere nequeo, quod ex iugi oratione desumitur. Orandi studium dupliciter fidei praestantiam probat, cum enim oratio sit elevatio mentis ad Deum, non aliter potest exerceri quam si praesens animo Deus habeatur; hinc docet Cardinalis Bona: « *Basis orationis fides viva est, et prae« sentia Dei* » (1). Per orationem autem, quae nobis opus sunt a Deo petimus, eaque de causa: « *maximae fidei* (ceu « tradit Card. de Lauraea) *signum est maxima et non « cessans oratio; quia maxime creditur Deum et posse « et velle exaudire* » (2). Quantopere Dei Famulus in hoc excelluerit apertissime docemur a Testibus.

CAPUT IV.

DE HEROICA SPE.

36. Theologicarum virtutum alteram, Spem scilicet, per quam « *voluntas firmiter tendit in Deum, ut in bonum ar« duum futurum, consequi possibile ipsius Dei auxilio* » (3), summum heroicitatis attigisse fastigium in Dei Famulo, vel ex iis licet inferri quae hactenus de fide heroica disseruimus; auctore enim Cornelio a Lapide, « *quo maior est « fides, eo maiorem gignit spem* » (4). Atque Magnus Basilius aperte tradit haud impares esse hasce virtutes, sed miro foedere inter se coniunctas (5). Et re sane vera eluxit eximia haec virtus in Servo Dei iam inde a pueris, quum noscens hominem ad caelum natum factumque esse, caetera spernens, ad Deum omnia consilia, omnia opera, omne studium retulit, Eique ut adhaereret ecclesiasticae militiae dedit nomen. Heroicae quidem spei illi labores vertendi sunt, quos ut sacerdotali perfungeretur munere, alacriter suscepit pro gloria Dei atque animarum tuenda salute. Profecto in maxima rerum inopia, quovis destitutus humano subsidio, nisi caelestis opis spe erigeretur, ardua, quae superius demirati sumus neque aggredi, neque gerere unquam potuisset.

37. Prodibat sese haec virtus verbis, externisque signis, aliorum etiam pectora erigens. Aureum hoc affatum semper Dei Famulus in ore habebat: « Speriamo in Dio, chi confida « in Dio non si confonde ». Atque sedulo omnem occasionem arripiebat ut hosce fiduciae sensus in aliorum corda infunderet eosque in spe aeternae misericordiae constitueret. Relatu digna sunt, quae narrat Testis XIV: « Quando mi « confessava, mi animava a sperare in Dio e nella sua mise« ricordia pel Sangue di Gesù Cristo; ed anche nei discorsi « famigliari, che facevamo camminando insieme, mi diceva: « noi dobbiamo aspirare alla gloria del Paradiso, e dobbiamo « arrivarci sotto l'albero della Croce, con le mortificazioni ».

38. Nec ad aures tantum in confessionum exedra, vel in

(1) Princip., vit. Christ. part. I, cap. 48.
(2) In 3 Sentent., disp. 32, art. 9, n. 195.
(3) Salmantic. Tom. III, § 3, n. 18.
(4) Comm. in Iacob. I, 6.
(5) Direct. Monast. cap. XV.

familiaribus colloquiis animos ad fiduciam, qua ipse refertus erat, erigere satagebat, sed saepe etiam in suggestu id aggressus est, dum sacras conciones habebat. Quam prospero autem exitu id evenisset, colligi satis aperte potest ex Testium verbis. Iamvero si ex hac facultate alios ad spem erigendi heroicam spem arguerunt S. Rotae Auditores in causa S. Thomae a Villanova, B. Gregorii X, B. Petri Regalati, B. Nicolai Factoris, aequo iure liceat nobis inferre egregiam et praestantissimam fuisse spem in Dei Famulo, qui, docente Teste LXXIII: « sperava solo in Dio, e questa « sua somma speranza infondeva nel cuore del prossimo ».

39. Si quis vero verbis facta potiora existimans huic demonstrationi non acquiescat, sed facta exquirat, duplex hic proferam argumentum ex rebus haustum arduis et difficilibus, nempe situm in iis, quae Servus Dei contempsit, et in iis quae fuit amplexus. Oppido ii quibus terrena sunt cordi, ea quae in mundo habentur bona et honores requirunt; oderunt vero et fugiunt quidquid dolorem ac molestiam gignit. Contra qui caelestia spectant et spem habent ad aeterna, libenter opes et gloriam hominum abdicant et contemnunt. Atqui Dei Famulus, ut verbis utar Testis L: « aveva « rinunziato a tutto ciò che è di questa terra per pensare « solamente a Dio, da cui aspettava ogni bene ». Saeculi pompas, honores, divitias, vitae commoditates, animi delenimenta nedum unquam quaesivit, sed despexit semper. Hisce iugiter intentus, humanaeque insufficientiae haud ignarus: « a tutti faceva conoscere di non poggiare mai sopra le cose « terrene, perchè transitorie, ma solamente sperava la sal- « vezza dell'anima per i meriti di Nostro Signore Gesù « Cristo, e per l'intercessione di Maria Santissima ».

40. Alacris haec fiducia, qua Servus Dei finem ultimum se assequuturum sperabat, dum ipsi constantiam et propositi tenacitatem augebat in curanda animarum salute, eius simul excitabat animum ad nihil negligendum, quo ad eumdem finem pertingeret. Ideo dum labores corporisque afflictationes illuc conspirare videntur, ut animos quatiant ac deiiciant, in Servo Dei novas vires suppeditare, studium acuere, videbantur. Haud immerito igitur Testis LX alterum affert, et quidem praeclarissimum, heroicae spei argumentum ex afflictationibus depromptum, queis Dei Famulus corpus suum macerare solebat.

41. Omnibus itaque simul congestis, quae hactenus commemoravimus, nemini mirum esse debet, si Testis XC de Servo Dei praedicaverit: « Oh! quanto questa virtù formò « il più bell'adorno del nostro Servo di Dio! Egli riponeva « tutte le sue speranze nella misericordia di Dio, e tutto « fiduciava nella Divina Provvidenza, distaccandosi comple- « tamente dalle cose ed onori mondani, e poggiando tutte « le sue aspirazioni nelle cose del cielo »; atque nemini dubium esse poterit quin Dei Famulus christiana spe heroice excelluerit: nam, ut idem Testis subdit, singuli eius vitae actus « furono tutti una manifestazione solenne della sua « eroica speranza in Dio ».

(Sequitur).

IX.

Statistica Generalis Ordinis FF. Minorum Capuccinorum die 1 Januarii 1905.

N.	Provincia	Monasteria			FF. Sacerdotes			FF. Clerici		FF. Laici				Num. total.		Scholae seraphic.		Tertiarii in Conv.	III Ord. Saecul.	
		Conventus	Hospitia	Novitiatus	in Prov.	in aliis Prov.	in Mission.	Professi	Novitii	in Prov.	in aliis Prov.	in Mission.	Novitii	Monaster.	Religiosor.	Numerus	Alumni		Congreg.	Membra
1	Anglica	6	0	1	35	0	6	25	4	25	1	0	0	6	96	0	0	0	62	2,500
2	Aprutina	13	0	1	52	0	1	41	6	35	0	0	4	13	139	0	0	9	5	2,550
3	Austr.-Hung. . .	13	0	1	83	0	0	15	7	63	0	0	4	13	172	1	6	3	7	15,273
4	Baethica	5	1	1	38	0	0	21	2	31	0	0	3	6	95	1	5	6	40	6,295
5	Barensis	3	3	0	23	0	1	20	0	24	0	0	3	6	71	0	0	3	8	2,264
6	Bavarica	16	8	1	173	2	20	36	9	236	0	13	8	24	497	1	67	0	300	94.000
7	Belgica	11	1	2	134	0	25	60	11	69	0	6	4	12	309	1	92	7	252	24,810
8	Bohem.-Mor. . .	18	3	1	54	0	0	5	12	46	0	0	11	21	128	1	15	10	21	7,600
9	Bononiensis . . .	19	0	1	117	0	24	49	11	77	0	3	1	19	282	2	27	1	17	5,075
10	Calaritana . . .	4	1	1	44	0	0	19	2	16	1	0	1	5	53	0	0	8	3	1,500
11	Calvariensis. . .	7	4	1	65	0	0	21	3	43	0	0	0	11	132	1	11	8	12	3,988
12	Castellae	7	2	1	58	2	12	58	17	44	8	13	2	9	214	0	0	8	60	35,000
13	Cathalauniae . .	7	5	1	52	0	30	29	8	32	0	19	4	12	174	0	0	6	60	6,805
14	Consentina . . .	2	4	0	10	0	0	2	0	17	0	0	0	6	29	0	0	9	6	580
15	Corsicae	1	0	1	7	3	0	3	0	6	0	0	0	1	19	0	0	0	17	1,240
16	Croatiae.	3	0	1	11	0	0	9	1	13	0	0	1	3	35	1	5	0	3	1,638
17	Galiciana	7	0	1	26	0	1	5	3	22	0	0	0	7	57	1	6	4	142	14,680
18	Genuensis. . . .	25	4	2	135	2	14	41	7	69	0	6	1	29	275	2	43	20	32	8,975
19	Helvetica	21	9	1	227	2	4	33	16	78	0	0	6	30	366	2	149	1	260	34,823
20	Hiberniae	4	0	1	31	3	1	18	4	18	0	0	3	4	78	1	20	1	4	2,700
21	Holandiae . . .	10	0	2	112	0	1	64	7	67	0	0	6	10	258	1	61	10	20	8,100
22	Hydruntina . . .	3	5	1	12	0	0	4	8	13	0	0	2	8	39	0	0	4	9	50
23	Lucaniae	9	0	1	36	0	0	20	6	21	0	0	0	9	83	0	0	20	8	9,600
24	Lucensis.	3	3	1	38	2	2	16	3	19	0	0	1	6	81	1	13	2	4	2,230
25	Lugdunensis . .	9	3	2	80	10	9	39	2	37	2	7	1	12	187	1	14	1	780	24,300
26	Melitensis. . . .	3	1	1	32	2	0	11	6	28	0	0	0	4	79	0	0	2	7	4,550
27	Messanensis . .	22	0	1	92	2	6	48	6	90	0	5	3	22	252	0	0	30	28	3,000
28	Navarro-Arag. .	5	5	1	46	8	27	25	0	45	8	23	0	10	182	1	39	2	33	7,650
29	Neapolitana. . .	9	3	1	56	0	7	36	8	19	0	3	0	12	129	0	0	35	6	8,400
30	Panormitana . .	7	3	1	44	0	0	21	4	43	0	1	2	10	115	0	0	12	64	7,540
31	Parisiensis . . .	14	0	1	126	1	47	52	8	56	0	11	2	14	303	1	21	4	180	10,000
32	Parmensis . . .	9	3	1	52	0	1	18	6	41	0	2	3	12	123	1	11	5	8	3,487
33	Pedemontana. .	11	1	1	60	2	9	25	5	26	1	0	2	12	130	1	24	7	11	4,050
34	Pennsilvan. . . .	4	5	1	57	0	0	21	5	41	0	0	1	9	125	1	58	2	16	2,630
35	Picena	31	1	2	143	2	14	64	8	102	1	4	4	32	342	2	30	8	11	5,300
36	Poloniensis . . .	2	0	0	11	0	0	1	0	5	0	0	0	2	17	0	0	0	0	0
37	Rheginensis . .	8	0	1	34	1	1	5	9	17	0	0	1	8	68	0	0	22	18	6,870
38	Rhen.-Guestph .	12	3	1	125	0	5	30	14	98	0	4	2	15	278	1	134	8	65	26,000
39	Romana.	35	11	2	258	1	30	112	14	189	2	3	4	46	613	2	4	1	15	7,725
40	Russiaca	0	0	0	13	0	0	0	0	3	0	0	0	0	16	0	0	0	0	0
41	Sabaudiae. . . .	3	4	2	24	19	41	32	8	14	13	12	1	7	164	2	28	3	377	20,344
42	S. Angeli	9	1	1	43	1	0	32	15	29	0	0	1	10	121	0	0	3	8	1,550
43	S. Caroli	12	2	1	101	0	30	54	20	70	1	9	5	14	290	1	16	4	299	138,309
44	S. Fidelis	4	0	1	18	0	2	6	1	15	0	0	1	4	43	1	9	0	5	1,250
45	S. Josephi. . . .	5	4	1	43	0	1	16	7	19	0	0	1	9	87	1	7	2	8	3,950
46	Styriensis	13	2	2	68	0	0	19	5	55	0	0	6	15	153	0	0	0	13	29,119
47	Syracusana . . .	18	2	1	91	1	10	31	13	40	2	9	6	20	203	0	0	27	23	9,540
48	Thusciensis . . .	27	12	2	246	2	30	85	21	112	0	0	5	39	501	1	32	3	30	10,360
49	Tirolis sept. . .	23	5	2	224	4	16	38	12	124	1	10	5	28	434	0	0	0	27	48,000
50	Tolosana	6	12	2	107	1	19	33	7	63	0	5	5	18	240	1	17	3	670	39,500
51	Tridentina . . .	8	2	2	75	1	28	34	14	41	0	10	0	10	203	1	10	0	85	26,500
52	Turritana	1	0	0	10	0	0	0	0	2	0	0	0	1	12	0	0	3	1	70
53	Umbriae	12	3	1	58	3	7	32	10	40	3	0	1	15	154	2	33	5	90	8,730
54	Valentina	5	3	1	65	2	16	19	7	62	1	15	2	8	189	1	25	6	40	12,550
55	Veneta.	9	2	1	80	3	5	28	6	77	1	3	3	11	206	1	22	1	365	49,000
56	Instit. Orient. .	2	0	1	0	0	47	28	5	0	0	28	1	2	109	1	32	0	1	10
57	Distr. Matrit. .	2	14	1	34	0	20	26	12	42	0	8	0	16	142	1	182	0	4	1,320
	Summa totalis. .	557	160	64	4059	82	570	1636	405	2729	46	232	133	717	9892	42	1268	339	4640	809,888 (1)

(1) His accedunt Tertiarii Missionum nostrarum — 22,312 (Vide seq. Statist. Miss.). — Summatim : 832,200.

Statistica generalis Missionum Ordini

QUOTA

MISSIONES				Status personalis									
				CAPUCCINI			ALIORUM ORDINUM				ANIMAE IN TERRIT. EXISTENT		
Mundi partes	N.	Denominatio	Dignitas	Sacerdotes	Laici	N. Totalis	Ex clero saeculari	Religiosi	Religiosae	Tertiarii Saeculares	Catholici	Conversiones	Infideles vel haere
EUROPA		Instit. Ap. Orientis	Com. Gen.	14	14	28	1	....	6	10	300	....	2.
	1	Philippopolis . .	Vic. Ap.	16	10	26	16	37	85	1,660	14,665	14	151
	2	Ins. Candiae . .	Adm. Ap.	7	6	13	....	5	10	30	3,000	3	330
	3	Constantinopolis .	Sup. Reg.	13	3	16			13	100	.....		
	4	Cephalonia. . .	Praef. Ap.	4	1	5	....	....	....	......	360	....	80.
	5	Rhaetia. . . .	Id.	25	....	25	....	....	....	1,225	7,057	3	4,
	6	Mesaucina . . .	Id.	12	....	12	....	....	....	319	2,025	....	
			Summae .	91	34	125	17	42	114	3,344	27,507	20	570,
ASIA	7	Agra	Archiep.	37	1	38	12	14	105	155	7,546	105	24,000,
	8	Allahabad . . .	Episc.	22	1	23	3	41	90	283	8,774	85	38,174,
	9	Lahore	Id.	30	7	37	....	10	53	44	5,361	196	16,000,
	10	Rajpootana . .	Praef. Ap.	15	7	22	1	....	41	27	3,129	33	10,800,
	11	Bettiah	Id.	14	8	22	....	....	21	228	3,371	134	13,000,
	12	Arabia	Vic. Ap.	8	1	9	....	3	23	......	656	12	10,000,
	13	Syria.	Sup. Miss.	16	6	22	105	193	218	123	3,354	36	172,
	14	Mesopotamia . .	Id.	11	5	16	2	....	22	280	1,662	98	2,000,
	15	Trapezunda . .	Id.	11	7	18	....	22	21	154	6,335	6	2,320,
	16	Smyrna	Sup. Reg.	14	10	24	1	....	....	573	1,000	....	302,
			Summae .	178	53	231	124	238	594	1,867	41,188	705	117,768,
AFRICA	17	Seychelles Ins. .	Episc.	21	2	23					19,000		3,
	18	Galla.	Vic. Ap.	21	5	26	7	5	17	40	17,889	2072	10,000,
	19	Erythraea . . .	Praef. Ap.	9	3	12	42	....	22	......	14,000	....	300,
			Summae .	51	10	61	49	5	39	40	50,889	2072	10,303,
AMERICA	20	Flumen Januarii	Praef. Ap.	11	3	14	....	....	3	3,491	695,000	....	255,
	21	Bahia	Sup. Reg.	8	2	10	....	....	....	962	1,000,000	....	5
	22	Pernambucum . .	Praef. Ap.	9	5	14	....	....	....	780	......	....	....
	23	Missio S. Pauli .	Sup. Reg.	22	9	31	....	....	....	2,229	......	4	....
	24	Mis. Maragnonis.	Id.	21	11	32	....	....	....	2,750	......	....	....
	25	Flumen Grande .	Id.	16	8	24	....	4	68	760	......	7	....
	26	Mis. Chilensis. .	Id.	25	20	45							
	27	Araucania . . .	Praef. Ap.	24	13	37	....	2	20	1,531	82,500	....	36,
	28	Goagira. . . .	Sup. Reg.	16	11	27							
	29	Venezuela . . .	Id.	11	7	18							
	30	Montevideum. . .	Id.	12	6	18	....	....	....	1,000	......	50	....
	31	Aequator Col. .	Id.	30	18	48	....	....	....	3,558	......	....	....
Oceania	32	Carolinae Ins. .	Sup. Eccl.	32	25	57	....	....	....	....	10,493	....	8,9
			Summae .	237	118	355	....	6	91	17,061	1,787,993	61	300,9
		Summae totales . .		557	215	772	190	336	838	22,312	1,907,577	2858	138,943,3

Min. Capucc. Creditarum, iuxta Acta anni 1904.

UBLICANDA

	PIA OPERA MISSIONIS				OPERA MISSIONIS PRO EDUCATIONE							SACRAMENTA A NOSTRIS ADMINISTRATA				
Residentiae	Ecclesiae et Sacella	Confraternitates	Hospitalia	Coemeteria	Conciones	Scholae	Alumni	Collegia	Alumni	Orphanotrophia	Orphani	Baptismi	Confirmationes	Matrimonia	Communiones	Sepulturae ecclesiasticae
1	4	3	....	1	180	1	50	1	32	....	4	12	11	3	6,700	8
15	29	41	2	13	1,453	19	2,161	1	116	2	23	533	126	101	89,248	469
3	8	....	2	3	400	8	140	....	....	....	20	25	35	8	2,400	7
2	3	2				2				1						
2	3	....	....	1	200	2	50	....	....	....	4	12	39	2	500	9
21	49	49	23	24	2,227	38	1081	....	....	....	....	174	319	57	29,593	135
9	31	19	....	10	977	12	346	....	....	....	....	40	196	19	14,801	42
53	127	114	27	52	5,437	80	3,828	2	148	3	51	796	726	190	143,242	670
26	36	46	21	19	1,779	10	507	3	257	7	944	366	275	57	57,596	193
21	33	28	21	26	1,216	10	974	2	397	8	650	317	....	81	31,655	154
16	27	11	....	17	1,199	17	1,136	....	....	3	285	1,531	125	58	28,540	157
10	14	12	5	14	2,680	9	394	....	....	7	340	482	161	64	23,902	214
12	13	13	....	10	487	14	490	....	6	11	266	2,105	128	49	9,877	166
4	4	....	1	3	314	3	115	....	....	3	165	98	22	4	7,132	44
9	10	2	....	6	294	58	2,540	....	....	....	....	93	....	32	23,800	62
9	9	10	....	9	335	18	2,265	1	45	2	35	54	....	10	17,596	34
4	11	8	1	5	598	6	523	4	75	1	6	148	15	5	12,500	9
5	6	14	1	2	375	1	35	....	....	1	60	33	12	12	11,150	20
116	163	144	50	111	9,277	146	8,979	10	780	43	2751	5,227	738	372	223,748	1,053
18	18	24	1	15		24		2		2						
10	15	....	1	6	706	7	129	1	25	2	35	3,335	2,569	578	15,911	36
5	33	2	....	5	....	7	....	3	....	4	....	....	....	....	25	....
33	66	26	2	26	706	38	129	6	25	8	35	3,335	2,569	578	15,936	36
3	3	3	....	....	642	3	205	....	....	....	....	150	21,000	163	58,779	....
1	1	3	....	....	640	....	....	....	....	....	....	963	12,944	747	68,059	....
2	2	5	....	1	680	1	60	....	....	1	40	568	7,752	1322	63,147	....
4	4	6	....	1	1,704	5	242	1	5	1	46	1,512	9,369	201	174,759	....
6	6	....	....	....	2,350	....	....	3	183	....	....	5,759	30,125	1974	150,360	342
5	5	....	....	3	2,427	7	680	2	140	....	....	1,025	....	146	77,018	400
4		5													112,730	
18	22	7	....	80	1,520	12	645	7	358	....	....	4,467	1,042	542	27,173	724
3																
3	6	4	....	....	350	....	....	1	10	....	....	50	340	50	155,000	....
5	....	....	....	....	1,174	2	100	....	....	....	....	189	....	288	87,515	90
16	17	....	....	4	544	8	246	....	....	....	....	171	....	21	4,889	51
70	66	33	....	89	12,031	38	2,178	14	696	2	86	14,854	82,572	5454	979,429	1,607
262	422	317	79	278	27,451	302	15,114	32	1649	56	2923	24,212	86,605	6594	1,362,355	3,666

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

I.

Puellae a Caritate lucrari possunt in propriis Oratoriis Indulg. de Portiuncula, absque clausula distantiae.

Beatissime Pater,

Augustinus Veneziani, Procuratoris Generalis munere fungens in Congregatione Missionis, ad pedes S. V. humiliter provolutus, exponit quod sequitur:

Leo XIII sa. me., per Breve 26 Iunii 1903, indulsit fidelibus visitantibus ecclesias seu oratoria adnexa domibus Puellarum a charitate S. Vincentii a Paulo ubique terrarum existentibus, die 2 Augusti, a primis Vesperis ad occasum solis, indulgentiam de Portiuncula nuncupatam, dummodo in respectivo loco nulla extet vel mille passuum intervallo distet, Franciscalis Ordinis aut alia quaelibet Ecclesia vel publicum Oratorium cui eadem indulgentia concessa sit.

Cum autem praefatae Sorores, Puellae nuncupatae ab operibus charitatis quibus plerumque sunt addictae, impediantur quominus possint exire ad visitandas ecclesias privilegio Portiunculae ditatas, et eodem detineantur impedimento personae cum iisdem commorantes sive auxiliariae, sive valetudinariae puellae item apud ipsas degentes, vel ad earum domus accedentes instructionis et educationis causa, Orator benignam pro indicatis personis a praefata clausula dispensationem a S. V. implorat.

Et Deus etc.

SS.mus Dominus Noster Pius Pp. X die 28 Iunii 1905 in audientia habita ab infrascripto Card. Praefecto S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia iuxta preces, servatis in caeteris etiam quoad tempus forma et tenore Litterarum Apostolicarum in forma Brevis supra memoratarum. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae ex Secretaria eiusdem S. Cong.nis die 28 Iunii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

Pro Secret. Ios. M. Can.cus COSELLI, *Substit.*

II.

Addenda in Summario Indulg. nuper Ordini Capuccinorum concessarum.

S. Congregatio Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, viso Documento, Brevi videlicet Pii Pp. VII, d. d. 18 Januarii 1820, quo conceditur Plenaria Indulgentia, a Christifidelibus visitantibus Ecclesias Fratrum Minorum S. Francisci Capuccinorum die festo *B. Bernardi ab Ophyda Conf.*, 11 Septembris, quotannis lucranda; facultatem facit ut eadem Indulgentia, litt. A. Art. III. huius Summarii iam ab eadem S. C. approbati (1), proprio suo loco inseratur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. Congñis, die 11 Augusti 1905.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, fasc. praec., p. 348.

Item, viso Rescripto, d. d. 10 Martii 1781 a S. eadem Congñe, pro indulgentia similiter concessa in festo B. Angelae Fulginaten. Vid., 3. Ord (13 Febr. nunc autem 30 Mart.), facultatem facit ut et haec Indulgentia plenaria proprio loco, ut supra, inseratur. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Datum Romae, e Secretaria eiusdem S. C., die 11 Augusti 1905.

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

Indulg. 300 d. conceditur toties quoties recitantibus Iaculatoriam : *Jesu mitis*, etc.

Beatissimo Padre,

Teotonio Emmanuel Ribeiro Vieira de Castro, Vescovo di S. Tommaso di Meliapor, umilmente prostrato ai piedi di V. S., affinchè il Divin Cuore di Gesù sia sempre più onorato, e molti procurino imitare il Nostro Salvatore nelle virtù più predilette al Suo Cuore, domanda la grazia che la Giaculatoria « *Iesu mitis et humilis Corde, fac cor meum sicut Cor tuum* » già indulgenziata dal Sommo Pontefice Pio IX con trecento giorni di indulgenze « semel in die » abbia almeno la stessa indulgenza « toties quoties ».

Che della grazia etc.

Iuxta preces.

Die 13 Septembris 1905.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae.

In quorum fidem.

Datum Romae ex eadem Sec.ria die 15 Septembris 1905

D. PANICI, Arch. Laodicen., *Secret.*

L. ✠ S.

IV.

Archisod. Custodiae honorariae SS. Cordis Jesu, Romae erecta in Eccl. SS. Vincentii et Anastasii, aggregare valet Confrat. praedicti nominis erectas in locis ubi centralis Archisodalitas non existit.

Ioachimus Ferrini Ministrantium Infirmis, hodiernus Moderator Generalis Ven. Archisodalitatis Custodiae honorariae SS.mi Cordis Iesu, Romae canonice erectae in Parochiali Ecclesia SS. Vincentii et Anastasii Mm. ad lacum Virginis, provolutus ad Pedes Sanctitatis Vestrae, humiliter quae sequuntur exponit:

Praedicta Archisodalitas per Breve s. m. Leonis XIII. *Est nobis expositum*, datum sub die 18 Iulii 1879 facultatem obtinuit aggregandi Confraternitates eiusdem nominis in Italia tantum existentes, eisque communicandi Indulgentias, peccatorum remissiones ac poenitentiarum relaxationes eidem Archisodalitati concessas, salvo iure Archisodalitatum eiusdem nominis, quae iam canonice apud alias Nationes erectae reperiuntur.

Porro accidit aliquando ut postulationes proveniant ex

parte Confraternitatum existentium in locis seu Nationibus, ubi nulla adest talis Nominis Archisodalitas, quae iure gaudeat illas aggregandi. Hinc ne tales Confraternitates priventur tot bonis spiritualibus, humilis Orator facultatem suppliciter postulat, qua aggregare valeat, cum communicatione gratiarum, Confraternitates praedicti nominis canonice erectas, ut dictum est, in locis, seu Nationibus, ubi Archisodalitas non existit.

Insuper quoniam Romana Archisodalitas nullum habet E.mum Cardinalem Protectorem, humillimus Orator rogare audet Sanctitatem Vestram ut praefatam Romanam Archisodalitatem sub Sui immediata protectione suscipere et admittere dignetur, facta Praefecto Generali *pro tempore* Ministrantium Infirmis facultate signandi, nomine Sanctitatis Vestrae, Aggregationis Diplomata.

Et Deus etc.

Ex Audientia SS.mi diei 1 Septembris 1905.

SS.mus D.nus Noster Pius Papa Decimus benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces, servatis de iure servandis. Praesenti in perpetuum valituro, absque ulla Brevis expeditione. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae die 1 Septembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

V.

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus quasdam preces in honorem SS. Brigidae et Catharinae Suetiae.

Beatissimo Padre,

Il P. Salvatore M. Brandi, S. I., desideroso che, ad incremento del cattolicismo nella Svezia, vi si propaghi ancora il culto delle Sante Brigida e Caterina di Svezia, prostrato al bacio del sacro piede, umilmente implora da V. S. l'indulgenza di trecento giorni, applicabile anche alle anime dei defunti, da guadagnarsi una volta al giorno da tutti coloro i quali devotamente reciteranno l'una o l'altra delle infrascritte preghiere.

A S. BRIGIDA, REGINA DI SVEZIA.

Con cuori confidenti a voi ci rivolgiamo, Beata Brigida, per domandare in questi tempi di oscurità e di miscredenza la vostra intercessione in favore di quelli che sono separati dalla Chiesa di Gesù Cristo. Per la chiara cognizione che voi aveste dei crudeli patimenti del nostro Crocifisso Salvatore, prezzo della nostra redenzione, vi supplichiamo di ottenere la grazia della fede a coloro che sono fuori dell'unico ovile, così che le disperse pecorelle possano ritornare all'unico vero Pastore. Per Cristo nostro Signore. *Amen.*

S. Brigida intrepida nel servizio di Dio, pregate per noi.

S. Brigida, paziente nelle sofferenze e nelle umiliazioni, pregate per noi.

S. Brigida, mirabile nell'amore verso Gesù e Maria, pregate per noi.

Pater, Ave, Gloria.

A S. CATERINA VERGINE, DI SVEZIA.

O Dio, che onoraste la Beata Caterina, in special modo delle virtù di umiltà, carità e angelica purità, umilmente vi supplichiamo, per i meriti e l'esempio di lei, di renderci così fermi nella fede e ardenti nella carità da ottenere i premi eterni. Per Gesù Cristo nostro Signore. *Amen.*

S. Caterina, giglio di purità, pregate per noi.

S. Caterina, modello di umiltà, pregate per noi.

S. Caterina, amabile nell'amore verso Gesù e Maria, pregate per noi.

Pater, Ave, Gloria.

Che per la grazia, ecc.

S. C. Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praeposita, utendo facultatibus a SS.mo D. Nostro Pio PP. X sibi specialiter tributis, benigne annuit pro gratia iuxta preces. Praesenti in perpetuum valituro. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem S. C., die 5 Iulii 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

VI.

Corona Franciscana Septem Gaudiorum B. Mariae Virg. indulgentiis ditatur.

Beatissime Pater,

Frater Bonaventura Marrani, Ordinis Fratrum Minorum Procurator Generalis, enixe desiderans, ut cultus erga Deiparam Immaculatam magis augeatur, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, sequentia exponit:

Inter multiplices cultus ac pietatis significationes erga eamdem Beatissimam Virginem consuetas, nobilem sane locum occupat ea laudabilis praxis, ut peculiari Corona Septem devote recolantur Gaudia, quibus Deipara in Annuntiatione, Visitatione, Partu, Adoratione Magorum, Inventione Filii, huius Resurrectione et ipsius divinae Matris Assumptione in Deo Salutari suo mirabiliter exsultavit. Hinc factum est, ut Romani Pontifices non modo speciale Festum Septem Gaudiorum Beatae Mariae Virginis cum Officio ac Missa propria agendum plurimis in locis permiserint, verum etiam Fratribus ac Sororibus trium Ordinum Seraphici Patris Nostri Francisci, quos inter ipsa devotio maius incrementum reperisse noscitur, Indulgentiam Plenariam pluries vel eadem die lucrandam benigne concesserint.

Sed humillimus Orator, expendens devotionem erga Septem Beatae Mariae Virginis Gaudia nullo adhuc spirituali lucro cunctis Fidelibus communi exornatam esse, resciensque pariter eamdem Gaudiorum Coronam publice in Ecclesiis ipsiusmet Ordinis cum aliorum Fidelium interventu recitari, suppliciter Sanctitatem Vestram rogat, ut in favorem Coronae Gaudiorum a Ministro Generali Ordinis Fratrum Minorum, vel ab alio Sacerdote, sive saeculari, sive regulari, per ipsum deputando benedictae in forma Ecclesiae consueta, sequentes omnibus Christifidelibus elargiatur Indulgentias, in perpetuum valituras et in defunctorum etiam levamen,

excepta tamen Plenaria in mortis articulo lucranda, applicabiles, fere ad instar illarum concessas, quae Coronis Septem Dolorum eiusdem Beatae Virginis sunt adnexae.

1° Illis, qui publicae recitationi Coronae apud Ecclesias trium Ordinum habendae adstiterint, *easdem* tribuat *Indulgentias* quae Fratres et Sorores ipsius Ordinis, quibuscumque sunt sociati, promerentur;

2° Indulgentiam *Plenariam* iis, qui, confessione expiati et sacra Communione refecti, eamdem Coronam recitarint *in Festis* cuiusque e Septem Gaudiis, atque in Festis principalioribus Beatae Mariae Virginis, vel per Octavam utraque Festa subsequentem; item *Plenariam semel in mense* lucrandam ab iis, qui Coronam singulis Sabbatis consueverint recitare; necnon *Plenariam in articulo mortis*, pro iis, qui Coronam retinuerint, ipsamque frequenter in vita percurrerint;

3° Partialem *trecentorum annorum* iis, qui eamdem Coronam in aliis Festis Beatae Mariae Virginis recitaverint; *ducentorum* annorum iis, qui diebus festivis de praecepto; et *centum* annorum iis, qui die Sabbati; ac demum *septuaginta* annorum et *totidem quadragenarum* omnibus quoties ipsam Coronam quocumque anni die persolverint;

4° Partialem *decem annorum* iis, qui eamdem Coronam uti supra benedictam, apud se retinentes, eamque frequenter recitantes, aliquod pium opus in Dei honorem, vel in spiritualem aut temporalem proximi utilitatem exercuerint, aut in honorem Septem Deiparae Gaudiorum Angelicam Salutationem septies recitaverint.

Et Deus.

Sanctissimus Dominus Noster Pius Papa X in Audientia habita die 23 Augusti 1905 ab infrascripto Cardinali Praefecto Sacrae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae, benigne annuit pro gratia in omnibus iuxta preces. Praesenti valituro in perpetuum cum expeditione Brevis, cuius exemplar, sub poena nullitatis gratiae obtentae, ad Secretariam huius Sacrae Congregationis erit transmittendum. Contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae e Secretaria eiusdem Sacrae Congregationis die 23 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

E SECRETARIA STATUS

I.

Urgetur observantia Decreti 6 Iulii 1899 super abstinentia et ieiunio pro America Latina.

Illme ac Rme Dne,

Amplitudo Tua apprime quidem noscit quodnam fuerit Sanctae Sedis consilium, quum per decretum S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae ampliorem dispensationem super ieiunio et abstinentia pro America Latina die 6 Iulii 1899 (1) benigniter concessit. Ea videlicet erat Summi Pontificis Leonis XIII fel. rec. mens, ut dum ex una parte spirituali fidelium bono consuleret, ex altera illa circa ieiunii et abstinentiae leges efficacius obtineretur uniformitas, quae in artic. 428 Actorum Concilii Plenarii Americae Latinae praescribitur.

Neque insuper Amplitudo Tua documenta ignorat, quae a supramemorata Congregatione posterius edita fuerunt (2), ut singuli RR. DD. Ordinarii cuiusque ecclesiasticae provinciae, aut etiam plurium Americae Latinae provinciarum Archiepiscopi et Episcopi unam eamdemque pro illius indulti promulgatione et concessione conficerent formulam, et praeviae S. Sedis recognitioni prima vice, atque etiam in posterum, quoties aliqua innovatio proponenda foret, subiicere non omitterent.

Iamvero ab aliquot Americae Latinae Dioecesium Pastoribus huiusmodi formula ad hanc S. Congr. nondum pervenit; nonnullae autem ex formulis transmissis emendationibus indigent, iuxta litteram et mentem decretorum de hac re editorum.

Summopere igitur Amplitudinis Tuae cordi erit, ut de more, cognitam S. Sedis voluntatem fideliter sequi, et haud rectas interpretationes atque abusus, si forte in tua dioecesi existant, e medio tollere.

Quae quidem haud probatae interpretationes et abusus ad duo praesertim capita reduci posse videntur, scilicet 1.° dum indultum illud gratis omnino impertiendum erat, in nonnullis Dioecesibus peculiares, ex erronea deductione, bona tamen fide, taxae impositae fuerunt, quibusdam insuper pro earumdem exactione formalitatibus adiectis, quae gravosum nimis et quasi odiosum redderent usum benigni amplissimique illius indulti; 2.° in locis, ubi taxa non fuit ab Ordinariis imposita, indultum laxiori interpretationi passim subiectum fuit, sive per nimiam extensionem verborum « *pro singulis petentibus* », sive declarando tamquam comprehensas et quasi unificatas in eodem indulto generales concessiones singulis ecclesiasticis provinciis aut Dioecesibus in antecessum a S. Sede factas, et adhuc vigentes, vel innovatas.

De caetero, quoad vetera indulta ieiunii et abstinentiae leges respicientia, quae ante indultum diei 6 Iulii 1899 a S. Sede concessa, vel postea innovata, adhuc in ista tua Dioecesi vigorem obtinent, Amplitudo Tua quamprimum, vel saltem intra unius anni spatium eadem S. Sedi communicare curabit, formulas quoque indicando, quae pro eorumdem promulgatione redactae fuerunt, vel in futurum adhibere intendit, omnibus etiam et singulis conditionibus, vel oneribus et taxis, quae tuis fidelibus pro hisce indultis imponuntur, accurate descriptis.

Demum, quum huiusmodi negotio spirituale christifidelium bonum propius respicienti finem tandem imponere magnopere intersit, per definitivam formulam, a S. Sede praescribendam, iuxta singularum regionum conditiones: sciat Amplitudo Tua omnia quaelibet circa ieiunii et abstinentiae leges isti Dioecesi a S. Sede ad hanc usque diem concessa privilegia et indulta, exceptione tantummodo facta pro indulto diei 6 Iulii 1899, omnino uti nullius vigoris et tamquam nullimode et nunquam tributa vel obtenta consideranda fore, si

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VII, p. 368.
(2) *Item*, vol. IX, p. 123, p. 356.

intra memoratum unius anni spatium praesentibus litteris quaesita formularum transmissio minime fiat.

Haec de mandato SS.mi D. N. Pii Papae X cum Amplitudine Tua communicando, Deum precor ut Te diu sospitem servare dignetur.

Romae, e Secretaria Status, die 3 Augusti 1905.

Addictissimus

R. Card. MERRY DEL VAL.

II.

Pius X laudat et commendat Pium opus vulgo *« du relèvement social des noirs »*.

Très honoré Monsieur (1),

Le Saint-Père a trouvé hautement digne du noble esprit et des sentiments généreux qui vous animent l'Œuvre que vous avez conçue et décrite sous le beau nom de « Relèvement social des noirs ».

Vous dites fort bien et vous rappelez très à propos que la proclamation solennelle et si précieuse de l'égalité et de la fraternité entre tous les hommes est due à Notre-Seigneur Jésus-Christ, qui, pour le salut de tous, comme un aîné à l'égard de ses frères, fit le sacrifice de sa vie.

Avec non moins de vérité et d'opportunité, vous rappelez les incessantes protestations formulées par les Souverains Pontifes contre la continuation de cette ignominieuse plaie qui s'appelle l'esclavage.

C'est pourquoi le Saint-Père voit avec une satisfaction toute particulière que Votre Seigneurie illustrissime, revêtue de l'honorable qualité de délégué général de l'Association panafricaine, vient d'ouvrir un nouveau champ à son zèle et à celui d'autrui, en fondant ici, à Rome, l'œuvre sus-mentionnée du relèvement social des noirs, laquelle se propose le noble but de combattre l'injuste et déraisonnable *préjugé de couleur*, de sauvegarder vis-à-vis des colons européens les droits légitimes des indigènes africains, et de fournir aux noirs eux-mêmes l'occasion de monter par leurs propres forces à la hauteur de la civilisation chrétienne, prouvant ainsi à la face du monde entier qu'il n'est conforme ni à la charité ni à la justice de voir leur race assujettie pour toujours à des services nécessairement subalternes.

En conséquence, Sa Sainteté, voulant unir sa voix à celle de ses vénérés prédécesseurs, félicite vivement Votre Seigneurie pour la noble entreprise à laquelle vous vous consacrez, et de tout cœur Elle fait des vœux pour que toutes les personnes qui sont pénétrées du principe de fraternité prêché par l'Homme-Dieu vous donnent largement leur coopération, leur assistance et leur appui.

Enfin, pour que la grâce divine féconde la chrétienne initiative de Votre Seigneurie, Sa Sainteté vous accorde avec une affection spéciale la bénédiction apostolique et appelle, en outre, les faveurs célestes sur tous ceux qui voudront bien seconder efficacement la mise à exécution de votre noble projet.

En portant cette information à votre connaissance, je profite avec plaisir de l'occasion qui m'est offerte pour me dire, avec la plus haute estime, de Votre Seigneurie illustrissime, le très affectionné serviteur,

R. Card. MERRY DEL VAL.

Rome, 28 juin 1905.

(1) M. le Comte Benito-Sylvain, ancien stagiaire au génie maritime de France, docteur en droit de la Faculté de Paris, Envoyé Extr. de S. E. le Président d'Haïti près S. M. l'Empereur d'Ethiopie.

E SACRA CONGREGATIONE
SUPER NEGOTIIS ECCL. EXTR.

I.

Erigitur Vicariatus Aplicus de Goajira in Columbiana Republica, et concreditur Ord. Capuccinorum.

Ex Aud. SS.mi — Die 17 Ianuarii 1905.

Cum perplures gentis Indicae tribus in territorio Columbianae Reipublicae in America Meridionali diffusae inveniantur, quae sine religionis lumine et sine regula morum vivunt, optimo sane consilio inter S. Sedem et Gubernium Columbianum die 29 Decembris 1902 conventio inita est, eum in finem, ut earumdem tribuum evangelizationi christianaeque institutioni faciliori ac promptiori modo provideri possit.

Idcirco in praedicta Conventione nonnulli Vicariatus apostolici proponuntur erigendi, quos inter et magni quidem momenti, missio vulgo *Goajira* nuncupata: cui in appendice ad eamdem Conventionem sequentes limites adsignantur:

« Límites del territorio Goajiro: Tota la península Goajira en la parte que le corresponde á Colombia.

Límites del territorio de la Sierra Nevada: En el mar Caribe desde el cabo de San Agustin, una línea recta que pase por la cima del pico de la Horqueta (15709 pies de altura) y vaya á parar al Alto de las Minas, extremo S. O. de la Sierra Nevada; de aquí una línea recta que, pasando al Sud de San Sebastian de Rabago, al Est de Patillal (caserio civilizado) vaya á parar al caserio de Caracoli, inclusive, al Est de Marocaso, y de aquí en línea recta hacia el Nord hasta la punta de los Remedios; de este último lugar otra recta hasta el cabo de San Agustin, punto de partida. En este triángulo se incluyen las poblaciones indígenas siguientes: San Miguel, Santa Rosa, San Antonio y San Francisco, al Nord; Marocaso, Rosario, Atanquez, y San José al Est; y San Sebastian de Rabago al Sud; y las poblaciones civilizadas que á continuacion se mencionan: A orillas del mar, Dibulla al Nord con la agregacion de Palomino y Punta de los Remedios, con la agregacion de las Flores; al Est caserio de Caracoli (frente á Marocaso) y Putillal, frente á Atanquez.

Límites del territorio de Motilones: Desde la Jagua, inclusive: comprendiendo á Becérril, Espírito Santo ó Pueblito, Palmira y Jobo, (poblaciones civilizadas), de aquí, en línea

recta al Est hasta la cima de los Andes, y de aquí, por toda la cima hasta enfrentar con la Iagua (pueblo civilizado) punto de partida ».

Cum vero eiusmodi Vicariatus apostolicus curis missionariorum demandandus sit, expediens visum est illum committere Ordini Fratrum Capuccinorum. Quae omnia SS.mo Domino Nostro Pio divina Providentia Pp. X per me infrascriptum Subsecretarium S. Congregationis Negotiis Ecclesiasticis Extraordinariis praepositae relata, Sanctitas Sua benigne approbare et confirmare dignata est; ea tamen lege, ut Vicarius apostolicus ab hac S. Congregatione sit nominandus, ceterique religiosi sacerdotes eiusdem Ordinis apostolico Vicariatui addicti, quoad regulae seu Constitutionum observantiam a suo Superiore Generali immediate dependeant.

Super quibus eadem Sanctitas Sua mandavit hoc edi Decretum et in Acta praelaudatae S. Congregationis referri. Contrariis quibuscumque non obstantibus. Datum Romae e Secretaria eiusdem S. Congregationis die, mense et anno ut supra.

Ioseph Aversa, *Subsecretarius.*

L. ✠ S.

E VICARIATU URBIS

I.

Clerici itali non adeant Urbem studiorum causa, nisi in aliquo seminario commorentur.

Ill.mo e Rev.mo Monsignore,

Trasmetto copia della lettera che il S. Padre si è degnato indirizzarmi, per esprimere la sua volontà in ordine al clero che dalle varie diocesi del mondo cattolico affluisce qui in Roma (1).

In tale occasione adempio anche gli ordini di Sua Santità, facendo nota alla S. V. Ill.ma e Rev.ma una disposizione che la stessa Santità Sua si è degnata di dare, a complemento di quanto è stabilito nella lettera del 5 maggio 1904 (1) a me diretta, riguardante i chierici e i sacerdoti studenti in Roma, e che fu trasmessa per ordine del Santo Padre a tutti i Vescovi.

Tale disposizione si riferisce agli ecclesiastici studenti nella Università governativa, per i quali è desiderio del S. Padre che si apra in Roma un Istituto apposito, dove oltre gli aiuti necessari alla loro coltura, si offra loro il mezzo per mantenersi nello spirito della vocazione ecclesiastica.

Siccome però questo Istituto non potrà aprirsi subito, e d'altra parte l'esperienza ha dimostrato che le necessità dell'orario e delle altre esigenze di questi studenti universitari non si possono sempre conciliare con la disciplina dei Seminari, il S. Padre vuole che quegli ecclesiastici i quali per le ragioni suddette non potessero essere ricevuti in uno dei Seminari già esistenti, non vengano in Roma.

Raccomando pertando caldamente alla S. V. Ill.ma e Rev.ma di non concedere il permesso di venire qui per il prossimo anno scolastico ad ecclesiastici studenti di Università, se prima non risulti direttamente alla S. V. Ill.ma e Rev.ma l'accettazione di essi in qualche Seminario.

Se non vi sarà posto per tutti, converrà per il momento astenersi dal mandare in Roma gli ecclesiastici allo scopo suddetto, servendosi piuttosto delle Università della propria regione.

Comunicati così gli ordini di Sua Santità, Le bacio il S. Anello e, con profondo ossequio, mi professo

Della S. V. Ill.ma e Rev.ma

Roma 16 Agosto 1905

Dev.mo Servo

PIETRO RESPIGHI, *Card. Vic.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 234.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* in praesenti fasc. p. 367.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XXVII. **Die 18 Iunii 1678.**

Hibernia. — Gravaminum. — R. *Audiantur Episcopi per Internuntium Belgii et mittatur Bulla s. me. Clementis X, quae servetur.*

Mutinen. seu Carpen. — Iurisdictionis. — R.

Dubium — Capellaniae. — R.

Cremonen. — Commodi Missae. — R.

Toletana. — Nullitatis professionis. — R.

Leodien. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

Ulixbonen. — Restitutionis in integrum. — R.

Constantien. — Confirmationis privilegiorum. — R.

87. **Hibernia. — Gravaminum.**

A S. Congregatione de Propaganda Fide transmissa fuit schedula sequentis tenoris: *Quaerimonia Regularium Hiberniae contra Episcopos illius Regni.*

1° Eligentes in nostro habitu sepeliri publice in eodem habitu exponi prohibent.

2° Iuniores nostros ad SS. Ordines promovere nolunt, nisi litteras dimissoriales a locorum Ordinariis obtineant.

3° Nostros Concionatores a verbi Dei praedicatione nisi quotannis ab ipsis Ordinariis examinentur, impediunt.

4° Idem de Confessionibus.

5° Asserunt nullum regularem etiam in eadem Dioecesi alias approbatum, tempore paschali posse excipere confessiones.

6° Iuvenem quemcumque saecularem prima tonsura quatuor minoribus initiatum, debere quemcumque Religiosum etiam cuiuscumque Ordinis Provincialem, in quocumque consessu praecedere, quod statutum fuit in Synodo Dioecesana Ardmachana.

Dignentur itaque EE. PP. ad singula huiusmodi quaerelarum capita, quod iuris fuerit respondere.

Praeterea pro parte eorumdem Regularium, huic S. Congregationi subditur, quod propter ipsorum persequutiones et damna, quae fidelibus afferrent, non possunt commode, nec libere per oppida ire ad petendas, et colligendas eleemosynas, ex quibus dumtaxat vivunt. Ideo ab antiquo consueverunt ante, vel post finitam missam eleemosynas mendicare. Modo nihilominus nonnulli Episcopi id impedire contendunt, ex quo regulares vel regnum deserere, vel extremas miserias pati coguntur.

Rursus subditur, quod Episcopi appropriant sibi medietatem vel tertiam ad minus partem legatorum ex devotione regularibus relictorum. Ideo instatur etiam decerni:

7° An regulares impediri possint in p.to eleemosynas colligendi modo.

8° An Episcopis debeatur portio piis legatis ad favorem regularium factis.

R. *Audiantur Episcopi per Internuntium Belgii et mittatur Bulla s. me. Clementis X, quae servetur.*

88. **Mutinen. seu Carpen. — Iurisdictionis.**

Proposita causa hac, sub die 26 Martii 1678 dictum fuit esse iterum proponendam, quoniam praesertim haesitatum fuit circa illud Bullae Calixti II ibi: Ut a vicinorum Episcoporum, in quorum confiniis idem pagus erat. Idem inspiciendum videtur:

1° An esse in confiniis dioecesum importet esse intra vel extra illarum fines;

2° An et quae requirantur, ne praelati inferiores comprehendantur sub dispositione Concilii, in cap. 10, sess. 23, *de reform.*;

3° An ista requisita concurrant in Archipresbytero Carpen. ad effectum petitum concedendi dimissoriales suis subditis et conferendi eisdem ordines minores;

4° An Litterae Apostolicae dispensationum matrimonialium et aliae eiusdem generis, prout etiam Commissiones causarum et brevia, quae subdito Archipresbyteratus Carpen. a Sede Apostolica conceduntur, committendae sint ipsi Archiepiscopo.

Pro quorum resolutione transmittunt per manus Em.orum declarationes in similibus alias editas.

R. *Ad primum, in casu de quo agitur esse extra fines ecclesiarum Mutin. et Rhegi. Ad secundum, requiritur quod sit sufficiens concessio iuxta decis. causae in Messanen. die 4 Augusti 1588 in limine fundationis, vel quod habeat copulative territorium separatum, sit nullius, iurisdictionem ordinariam in clerum et populum privative quoad Episcopum, ius congregandi synodum; quod legitime congregaverit, et examinatores elegerit; vel post Concilium privilegium sufficiens obtinuerit. Ad tertium, concurrere requisitum fundationis sufficiens, nihilominus ad tollendas omnes controversiones, supplicandum SS.mo pro indulto ad instar Sublacen., et Nonantulen. Ad quartum supplicet SS.mo.*

89. **Dubium. — Capellaniae.**

Postremis tabulis ita cavetur inter caetera: eligatur unus sacerdos sufficiens, qui celebret missas duas in hebdomada, vel pro qualibet hebdomada, quibus Testator dedit plenum et liberum mandatum faciendi fabricare, et eligendi d. presbyterum ad beneficiatum d. Altare, et qui celebret p.tas duas missas omni hebdomada, et ipsum privandi de ipso beneficio, si ei non videbitur fore sufficiens, et non attenderet ad celebrandum dd. duas missas singula hebdomada, ut supra dictum est.

Proinde quaeritur:

An Clericus constitutus in ea aetate ut intra annum ad sacerdotium promoveri possit, obtinere valeat d. simplex beneficium.

R.

90. **Cremonen. — Commodi Missae.**

Anno 1595 Euphrasia partim de proprio partim ex eleemosynis Confraternitatis charitatis emit domum in contrada Cerasolarum, ut illuc mulieres lapsas ad bonam frugem reduceret. Anno 1598, eadem societas assignavit domum priori

contiguam ad eumdem effectum et in hac 2ª pro missae commoditate erectum fuit Oratorium.

Successive anno 1604 q. Paulus Camillus de Comite disposuit ut sequitur:

Item iussit, legavit et mandavit in eventum, etc., et ex ipso anno censu celebrari facere unam missam quotidianam in Ecclesia Congregationis mulierum, nuperrime erecta in p.ta vicinia Cerasolarum sub titulo S. Magdalenae ad Salutem animae ipsius testatoris in perpetuum, et ubi et casu quo in loco praedicto Congregationis ipsarum mulierum sub titulo ut supra, missae non celebrarentur, et Congregatio extincta remaneret, quod eo in casu missa p.ta quotidiana celebrari debeat in Ecclesia S. Magdalenae in contrada Gonzaga, etc.

In exequutionem talis legati, anno 1610 q., Laudimia vidua relicta testatoris ad effectum celebrationis p.tae emit censum scutorum 521 in sorte.

Sed anno 1613 eadem Euphrasia in una ex p.tis domibus erexit aliud Monasterium sub invocatione S. Iosephi pro puellis virginibus, et missa usque ad annum 1632 celebrata fuit in Ecclesia S. Iosephi, in qua etiam Magdalenae illam audiebant per fenestram ab earum habitatione in ipsam Ecclesiam. Dicto autem anno 1632, redacto ad clausuram monasterio S. Iosephi, Magdalenae translatae fuerunt in aliam domum in contrada S. Salvatoris, ac abinde ob sequuta bella, pestem, aliaque infortunia, missa vix celebrata fuit. Nunc vero cum moniales S. Iosephi praetendunt privare Magdalenas commodo praedictae missae sub motivo, quod anno 1616 Laudimia cessit praedictum legatum ad favorem Euphrasiae et reliquarum virginum, quae coeperant vocari sorores et sub motivo, quod Magdalenae sint redactae ad duas; Magdalenae non volentes ob paupertatem litigare, citata parte, supplicant per S. Congregationem declarari:

1° An dd. Magdalenis competat commodum praedictae missae;

2° An competat Monialibus S. Iosephi;

3° An Magdalenae possint hodie molestare debitores census, non obstante quacumque innovatione facta per Moniales S. Iosephi.

R.

XXVIII. Die 2 Iulii 1678.

Dubium. — Capellaniae. — R. *In casu de quo agitur, negative.*

Cremonen. — Commodi Missae. — R. *Ad primum affirmative; ad secundum negative; ad tertium audiantur debitores.*

Toletana. — Nullitatis professionis. — R. *Negative.*

Leodien. — Restitutionis in integrum. — R. *Non audiatur, nisi docuerit reassumpsisse habitum, et ad claustra rediisse et Ordinarius cogat.*

Ulixbonen. — Restitutionis in integrum. — R. *Nuntius recipiat probationes iudiciales super asserto metu et transmittat.*

Romana. — Distributionum. — R.

Dubium. — Cognationis legalis. — R. *Negative.*

91. Dubium. — Capellaniae.

An Clericus constitutus in ea aetate, ut intra annum ad sacerdotium promoveri possit, obtinere valeat d. simplex beneficium.

R. *In casu de quo agitur, negative.*

92. Cremonen. — Commodi missae.

1° An dictis Magdalenis competat commodum praedictae missae;

2° An competat Monialibus Sancti Iosephi;

3° An Magdalenae possint hodie molestare debitores census, non obstante quacumque innovatione facta per Moniales Sancti Iosephi.

R. *Ad primum affirmative; ad secundam negative; ad tertium audiantur debitores.*

93. Dubium. — Cognationis legalis.

N. Berta personaliter constitutus coram notario N., de Mauritiis filiam q. N. (sunt verba instrumenti in partibus essentialibus) uti filiam suam paterno charitatis amore deligendo, illam in nobili et insigni familia de Bertiis adscripsit, et aggregavit, illamque adscriptam, et aggregatam declaravit, ita ut reiecto in posterum in omnibus, et per omnia domus suae nomine et cognomine, armis et insigniis, ac si nunquam de domo sua, et familia orta fuisset tunc, et imposterum solo nomine et cognomine, armisque et insigniis domus, et familiae Bertae uti, frui, potiri valeat et debeat semper, et ubique publice et private, etc.

Et ne ullo unquam tempore dubitandum veniat de perfecta et voluntaria huius praesentis aggregationis, et declarationis ad familiam insignia, arma et stemmata, etc. declarat insignia.

Hanc autem arrogationem et declarationem familiae, et armorum, stemmatis et insignium communicationem fecit tamquam praedictae domus et dominus etc. etiam titulo donationis irrevocabilis inter vivos etc. constituens d. N. ibidem praesentem et acceptantem, et ingentes gratias referentem virtute praesentis aggregationis, declarationis praedictorumque donationis, respective de familia Bertae vocavit, et demonstravit, prout vocat, et nominat perinde, ac si realiter effective, ac naturaliter de domo et familia sua Berta, ac ex sanguine Bertorum genita fuisset, et ipsiusmet N. Bertae filia legitima et naturalis fuisset, et extitisset dans propterea eidem N. Mauritia Bertae omnem et quamcumque facultatem, auctoritatem, libertatem et dominium ad hunc effectum necessarium et necessarias et vult, ut continuo eadem N. ipsum tamquam in patrem respiciat, tractet, recognoscat et veneretur, prout vice versa ipse illam uti filiam diligit. Propterea, eidem dominae ut supra declaratae et aggregatae tamquam filiae suae, in domo sua propos. et non alibi praestare promisit alimenta necessaria donec ipsa domina vixerit, etc.

Ex hoc quaeritur:

An ex supradicti instrumenti tenore oriatur aliqua cognatio legalis, quae inter ipsos matrimonium contrahi impediat.

R. *Negative.*

XXIX. Die 30 Iulii 1678.

Lauden. — Iurisdictionis. — R. *Ad primum, providendum esse ab Episcopo per consensum et formam Concilii. Ad secundum, affirmative. Ad tertium, Deputationem spectare ad Vicarium, et approbationem ad Episcopum. Ad*

quartum, affirmative. Ad quintum, affirmative. Ad sextum, in concernentibus curam animarum iure ordinario, extra curam animarum, iure delegato ad formam Concilii. Ex quibus satis superque respondetur dubiis propositis per collegium.

LEODIEN. — Incursionis in poenas. — R.

NEAPOLITANA. — Testamenti. — R.

AUXIMANA. — Quartae funeralis. — R. *Deberi quartam tantum donec legitime constiterit coram E.mo Ordinario de diversa consuetudine.*

TIBURTINA. — Celebrationis. — R. *Ad primum, affirmative; ad secundum, dilata et exhibeantur instrumenta fundationis et unionis.*

NEAPOLITANA. — Testamenti. — R. *Eminentissimus Archiepiscopus conficiat processum serv. et transmittat.*

FLORENTINA. — Vicariae. — R.

94. Auximana. — Quartae funeralis.

Parochi civitatis Auximi exponentes ipsis pro quarta funerali consuevisse in omnibus Ecclesiis tam saecularium, quam regularium medietatem cerae persolvi, dolent quod Minores Conventuales praetendunt solvere quartam dumtaxat. Datis ad E.mum Cardinalem Episcopum litteris pro informatione, auditis partibus, Conventuales exhibuerunt diversas attestationes a pluribus regularibus, et saecularibus subscriptas pro solito solvendi quartam partem tantum tam in aliis Ecclesiis, quam in illa Conventualium, et inter subscribentes sunt duo curati antiquiores eiusdem civitatis. E contra vero parochi exhibuerunt attestationes quod saepe inter ipsos ortae sint contentiones super quota huiusmodi, ac tales contentiones extitisse testatur idem E.mus qui etiam instat per Sacram Congregationem dirimi. Monitis itaque partibus, ad informandum quaeritur:

An et quotam partem Minores Conventuales pro sepeliendis cadaveribus in eorum Ecclesia debeant parochis pro quarta funerali dare.

R. *Deberi quartam tantum, donec legitime constiterit coram E.mo Ordinario de diversa consuetudine.*

95. Tiburtina. — Celebrationis.

Anno 1654. Eminentissimus Santacrucius sa. mem. tunc Episcopus Tiburtinus univit massae communi beneficiatorum Cathedralis simplex beneficium Ecclesiae S. Thomae terrae Vivarii, cum obligatione satisfaciendi oneri duarum missarum quolibet mense in eadem Ecclesia, reservando medietatem fructuum primi et secundi anni et etiam ulterius, si opus fuisset, pro restauranda Ecclesia et parandis necessariis ad celebrationem.

Superveniente post annum contagione, Vivarienses pro sepeliendis eo morbo defunctis usi sunt illa Ecclesia cuius etiam fores obstruxerant. Proinde beneficiati ab eodem E.mo licentiam obtinuerunt celebrandi dictas missas in ipsa Cathedrali. Et quoniam hodie praefata S. Thomae Ecclesia est in parte discooperta, altare dirutum, ac muri collabentes, praeterquamquod ex visitatione de anno 1597, coniici potest onus non esse ipsius beneficii. Supplicat pro translatione perpetua in Cathedralem, et pro declaratione quoad praeteritum. Proinde quaeritur:

1. An per celebrationem hactenus sequutam in Cathedrali censentur sit satisfactum.
2. An petita translatio pro futuro sit concedenda.

R. *Ad primum, affirmative; ad secundum, dilata et exhibeantur instrumenta fundationis et unionis.*

96. Neapolitana. — Testamenti.

1. An conditio per testatorem apposita substineatur.
2. An fuerit resoluta.

R. *Eminentissimus Archiepiscopus conficiat processum serv. serv. et transmittat.*

ANALECTA VARIA

FUNDAMENTA AEQUIPROBABILISMI prout probabilismo opponitur.

(*Sequitur. Vide p. 356 sq.*)

Corollarium.

Ex hisce animadversionibus criticis, magis perspicua fit primae Alphonsianae regulae interpretatio. In ea nimirum duplicem casum respexit ipse: primum, in quo ratio *morali certitudine* convincens de ipsa re affulget, quam alii DD. graves non adeo penitus perspexerint vel etiam nullatenus, quaque eorum contrariae rationes sufficienter dissolvuntur ita ut exsurgat probabilitas *unica* pro re ipsa.

Atque huic casui alludit Alphonsus in textu obiecto ex dissertatione anni 1765, atque in textu a me allato ex ultima eius dissertatione de systemate morali. — Alterum, in quo quis certe et absque haesitatione iudicare valet, iuxta communiter receptam aestimationem scholarum, excessum probabilitatis uni parti favere, quo iudicio innixus, a posteriori concludit partem oppositam non amplius solida probabilitate certe fulciri.

Et de hoc altero casu est tota nostra controversia.

Unde in utroque casu, excessus probabilitatis pro promulgatione sufficit; in primo, quia *moralem certitudinem* attingere ex se compertus est; in altero, quia a posteriori scitur ipsum eiusdem esse signum experimentale, iuxta superius explicata. In neutro tamen casu, *probabilitas ut sic* obligationis, eam firmare valuit.

Ita intellecta regula nullam patitur exceptionem, quin tamen necessum habeamus recurrere ad interpretationem superstitum aequiprobabilistarum. Cf. W., pag. 52, *obiect. 3.*

Si deinde quaeratur cur et quomodo scholae communissime convenerint in asserendum excessum probabilitatis ex una parte quaestionis alicuius prius controversae, duplicem hypothesim distinguamus oportet: vel enim rationes utrinque propositae in anteriori controversiae stadio conveniebant aliquatenus in medio termino, vel non; si primum, ideo tandem finita est controversia quia agnoverunt probabilitatem unius partis excessu suo perimere solidam et certam alterius probabilitatem; si alterum, aestimatio plurimorum sapientum conveniens in unum iudicium, ratio fuit litis decisiva.

Sed cur singuli unam partem alteri praetulerunt? Huc recidit tota disputatio nostra: porro ex ea concludi legitime potest causam obiectivam huius aestimationis non fuisse excessum probabilitatis ut sic, sensu quo vellent eum intelligere adversarii, sed tantam *relativae* aestimationis eius praeponderantiam ut altera pars suae veritatis formidinem *prudentem* ingerere amplius non valeret. Cuius prudentialis iudicii norma ultima est aestimatio communis.

Certus igitur in aestimatione communi probabilitatis excessus signum est a posteriori, certitudinis moralis latae rei ipsius ex ea parte, quaecumque fiat hypothesis, unde S. Alphonsi regula non fallit. Utrum autem casus secundae hypothesis frequens sit an rarus, pro regulae legitimitate concludenda non multum refert. Certum est regulam probabilistarum (cf. W. pag. 4) in idem recidere processu inverso, uti multis demonstratum est in mea *Crisi;* ad suam autem praeferendam, Alphonsus ab anno 1762 inductus est rationibus mere polemicis, et quia ipsam tunc censebat aptiorem ad evitandum laxitatis periculum. Quo de iudicio dubitari forte licet in ultimo nostro controversiae stadio.

III.

Analysis critica primae systematis Alphonsiani regulae.

Hucusque ad interpretandam rationem a S. A. annexam primae ipsius regulae, usus sum principiis ab eodem, in eadem dissertatione propugnatis, quo ostenderem interpretationem adversam attribuere S. Doctori graviorem errorem gravioremque incohaerentiam quam interpres probabilista eidem unquam ausus fuerit in eius scriptis annotare. Superest ut ipsam rationem verbis S. D. enuntiatam perpendam. Verba sunt sequentia:

“ Ratio: quia ad licite operandum, debemus in rebus dubiis veritatem inquirere et sequi: at ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam, quae propius ad veritatem accedit qualis est opinio (certe) probabilior „.

Principium fundamentale a quo tota ratiocinatio proficiscitur et vis in conclusionem descendit, desumitur ex necessitate qua in verum ferimur ideoque in verum libera nostra voluntate nos nostrasque operationes dirigere obligamur. Quae necessitas est ipsa transcendentalis habitudo intellectus nostri ad verum iuxta quam, etiamsi erraverimus, non possumus non operari, quia errando falsum prosequimur sub apparentia veri. Tota igitur obligatio moralis voluntati resultans ex hac habitudine transcendentali nostra ad verum (quam ideo intelligimus etiam

eo ipso esse a Deo necessario imperatam), consistet in obligatione 1) ubi verum clare et plena certitudine innotescit, operandi iuxta ipsum; 2) ubi clare et plena certitudine verum non innotuerit, applicandi intellectum ad discernendum ipsum verum a sola veri apparentia; 3) ea inquisitione quantum prudentia exigit in rebus contingentibus et humanis, rite peracta, si verum ex ea innotuerit quantum necessarium est ut voluntatem liberam obliget, operandi iuxta ipsum; secus nulla erit obligatio quia nullum imperium divinum sufficienter innotuit.

Ecce igitur plene enucleatum principium fundamentale a S. Alphonso in prima propositione recitata propositum. Porro manifestum est totam vim probativam huiusmodi principii ad concludendam *obligationem moralem* non posse desumi ex *sola* illa habitudine intellectus nostri et consequenter totius naturae per ipsum, ad verum, quippe quae transcendentalis est nosque urget physice imo uti innui et docent logici, in ipso errore quo prosequimur *non verum*, physice adeo urget nos ut semper prosequamur aliquam inadaequatam veri rationem quae falsa est quia inadaequata est ideoque apparentia veri dicitur. Sed si in ea sola habitudine rationem obligationis moralis nondum invenerimus contentam, nihil superest nisi ut imperium divinum spectemus ex quo omnis obligatio moralis resultat, quodque illam necessario consequitur. Unde redit hic tota doctrina generalissima superius a me exposita de necessitate notificationis huius imperii *quoad nos*, ut obligatio moralis ex ipso nobis resultet. Principium illud igitur vim suam relate ad conclusionem, mutuatur totam ex alio hoc principio et ipso generalissimo, obligationem moralem quoad nos non dari nisi ipsa sit certo notificata nobis. — Porro adversarii id perspexerunt: ut igitur possent ex illo principio fundamentali ita etiam intellecto, conclusionem quam S. Alphonsus ex eo deducit in casu legis *certe probabilioris*, et ipsi deducere, quid fecerunt? rationem quaesiverunt legitimandi consequentiam, in imperio divino spectato praecisive a ratione naturali qua notificatur, scilicet in sic dicta *lege aeterna*, tacite assumendo quod falsum est, eam nempe quia *lex* dicitur, sufficere ad resultantiam plenae obligationis moralis, etiamsi ratio naturalis eius obiectum manifestaverit nonnisi uti certe probabilius: tunc enim ex ea sola iam resultat plena obligatio moralis non disconveniendi in praxi ab eo quod *certo intelligitur* esse *quocumque* modo eius obiectum, sive certo modo sive probabiliori modo. Hoc autem systema demonstrationis in radice illa falsa peccat. Nihil igitur superest, ad salvandam consequentiam demonstrationis Alphonsianae, nisi ut inveniamus viam ostendendi in illa *certa* rationis naturalis cognitione qua iudicatur imperium divinum *probabilius* se extendere ad aliquod obiectum, notificationem quae aequivaleat *certitudini requisitae* ut obiectum imperatum liget liberum nostrum arbitrium. Haec autem certitudo, ad talem effectum requisita, est certitudo moralis lata quae ita nempe et tunc resultat ex coniecturis obiective probabilibus, ut et solum quando nulla gravis probabilitas ex opposita obiecti parte supersit certe iudicata. Ergo opus est ad salvandam conclusionis Alphonsianae consequentiam ex illo principio fundamentali, ut certe iudicata probabilioritas obligationis aequivaleat isti morali certitudini cui non supersit gravis certe iudicata probabilitas opposita.

Ita igitur viam determinavimus rectae consequentiae adhibendae, comparata Alphonsi conclusione cum eius primo principio fundamentali.

Nunc verba eiusdem quae sequuntur in textu, veniunt perpendenda: " At ubi veritas clare inveniri nequit, tenemur amplecti saltem opinionem illam quae propius ad veritatem accedit... "

Ubi veritas clare inveniri nequit. Ea propositio determinat hypothesim in qua quaeritur utrum sit obligatio moralis, primo per *exclusionem:* nempe *non est* casus evidenter affulgentis imperii divini de obiecto certe statuto, ideoque evidentis obligationis: " *Opinionem illam quae propius ad veritatem accedit* ". Haec verba secundo determinant *positiva* suarum proprietatum enuntiatione, hypothesim eamdem: agitur de *Opinione* ideoque de assensu probabilioribus coniecturis innixo atque inter omnes *opiniones,* de ea quae *propius* ad veritatem accedit, sed *quali* et *quanta* maiori propinquitate? Mensura eius evidenter ex principio fundamentali ab initio praemisso, desumenda est: *talis* et *tanta* debet esse ut ei conveniat idem praedicatum producendi resultantiam obligationis moralis, quod in illo principio fundamentali asseritur convenire ipsi veritati. Secus enim non sequeretur conclusio ultima quia in hoc termino lateret aequivocatio duplicis propinquitatis, unius cui praedicatum illud convenit, alterius cui non.

Atvero, uti vidimus, in explicatione illius principii fundamentalis, in tantum veritas moralem parit obligationem in quantum ex eius cognitione etiam certa emergit imperium divinum saltem moraliter et obiective certum; secus quantumvis certe cognita, obligationem moralem non parit. Ergo propinquitas illa debet primo *talis* esse ut sit *certe cognita,* ut ipsa nempe propinquitas in suo maiori accessu, sit quaedam veritas certe cognita; secundo debet esse *tanta* ut revera inde emergat imperium divinum moraliter saltem obiective certum: tunc utique ex ea, moralis obligatio resultat et, quemadmodum morali obligatione tenemur amplecti veritatem ipsam, ita etiam *tenemur amplecti saltem opinionem illam,* ut ait ibi Alphonsus.

Qualis est, subiungit ipse, *opinio (certo) probabilior.* Haec est ultima minor polysyllogismi:

atqui opinio certe probabilior est illa opinio quae propius ad veritatem accedit. *Ergo* eam amplecti tenemur; ecce subaudita conclusio.

De ea autem ultima minore redit animadversio facta de eodem termino medio huius ultimi syllogismi, in propositione antecedenti quae conclusio erat praecedentis syllogismi et simul maior huius: nempe Alphonsus etiam hic, ne velimus eum ludere in aequivoco, debet propinquitatem intelligere *talem* et *tantam* ex qua emergat imperium divinum saltem moraliter et obiective certum unde obligatio moralis pariatur. Ipse igitur asserit opinionem certe probabiliorem *talem* et *tantum* accessum prae se ferre ad veritatem ex quo etc.

Iamvero, quod *talis* sit accessus ut ipsa eius probabilioritas possit asseri cum certitudine esse vera, hoc assumitur in subiecto; sed quod sit *tantus* iste accessus ut aequivaleat certitudini morali *ipsius imperii* divini, nedum eius *probabilioritatis* tantum, hoc S. Alphonsus assumit ex *analysi subiecti*, uti evidenter apparet per alia eius scripta ab ipso non emendata nec reprobata, quibusque ipsi adversarii utuntur ad mentem eius explicandam in praesenti *theologiae* moralis loco. Equidem id adversariis libenter concedo: In epistola CCXIX ad P. Blasucci: " Dicit R. V. quando opinio pro lege est probabilior etiam unico gradu, mentem NATURALITER INCLINARI ad illam amplectendam. Hoc ego non inficior „. — In *declaratione systematis*, anno 1774 edita: " Plures ob rationes (prima regula est retinenda), quarum princeps haec est (repetitque verba eadem quae ex *th. mor.* transcripsi) itaque ipsa veritas quae nos obligat ad eam sequendam, nos quoque obligat ad sequendam illam opinionem quae stat pro lege, quando propius accedit ad eamdem veritatem „. — *Th. mor. l. 1. n. 67* adversus scriptorem Ephemeridum Gallicarum: " Cum opinio tutior est certe probabilior, eo casu, quamvis lex omnino certa non sit, attamen propter illam maiorem probabilitatem opinio pro lege videtur MORALITER VERIOR et consequenter apparet moraliter ac sufficienter promulgata „. — *H. Ap. tr. 1. n. 31*: " Quando opinio pro lege est certe probabilior, tunc lex... est moraliter certa...: ideoque non est prudentia sed IMPRUDENTIA eam velle sequi „.

Ex quibus locis apparet manifestum S. Doctorem in subiecto huiusmodi has proprietates invenisse: 1) certum probabilitatis excessum (quem ipse supponit non esse nisi notabilem, uti superius in notula commemoravi, nec de ea re dissentiunt amplius adversarii) *naturaliter* inclinare intellectum. 2) Hanc *naturalem* inclinationem oriri ex motivis obiectivis certitudine subiectiva iudicatis quae tanta obiective sunt ut faciant partem hanc quaesiti, non tantum *probabiliorem* ut sic, sed moraliter *veriorem*: ideoque adeo oppositis motivis relative praeponderant ut ipsa VERITAS rei, nedum eius sola *probabilitas*, certitudine MORALI possit iudicari huic parti favere. Inde 3) concludit legitime, certe peccare *etiam* adversus certam *prudentiae* obligationem, voluntatem illam quae vellet in praxi se non conformare parti quam mens iudicat cum certitudine *morali* veritati favere.

At unde scivit Alphonsus hanc partem *certo probabiliorem* esse etiam *moraliter veriorem?* Hic praecise incipit dissensus. (Cfr. W., p. 52 in resp. ad obiect. 2): non ex excessu probabilitatis ut sic, quia hic excessus fines probabilitatis nondum excedit et probabilitas ut sic non est veritas adaequata, sed ab ea praescindit unde apparentia solum appellatur veritatis; — neque scivit ex *certitudine subiectiva* ut sic, qua eum excessum obiectivum asseruit, quia iterum haec assertio cadit tantum, nec plus nec minus in *probabilitatem* excedentem ut sic, ideoque ex se sola nondum ad veritatem pertingit obiectivam. Ergo superest tantum ut hoc resciverit ex *respectu* huius excessus ad probabilitatem oppositam.

Atqui tunc *tantum respectus* iste excedentis unius partis prae oppositae probabilitate, pertingit ad ipsam *veritatem* quando, ut scribit in eadem ipsissima dissertatione S. Alphonsus, atque omnes nos et nobiscum adversarii debemus asserere, " quando notitia adest *probabilis* TANTUM pro lege „. Hoc autem non habetur donec certe iudicetur probabilitatem obiectivam subsistere contra legem. Ergo tunc solum *opinio certe iudicata probabilior* pro obligatione morali, spectata huius opinionis analysi, est moraliter *verior*.

Ergo non ex SOLA probabilioritate eius ut sic, potuit Alphonsus eam *veriorem* asserere sicuti facit, sed debuit omnino ultimatim spectare oppositam probabilitatem ex cuius etiam ponderatione tantum potuit tamquam ex ratione ANALYTICA ULTIMA ET DECISIVA, suam regulam primam statuere.

Si ergo loco statuendi hanc oppositae probabilitatis subsistentiam tamquam rationem analyticam decisivam, statuit aliam regulam, *certitudinem nempe iudicati excessus* probabilitatis pro obligatione, id non potuit facere nisi quia, quoties *de facto* ipsa adest, *de facto* probabilitas opposita non certe subsistit. Ipsa ergo illa certitudo est signum a posteriori demonstratum verum, deficientis probabilitatis ex parte opposita, quae moralem impediat certitudinem promulgationis requisitae ad certam obligationis resultantiam.

Conclusio discussionis criticae. — Duae difficultates adversarii.

Quae cum ita sint, manifestum est ex ipsis S. Doctoris ultimis scriptis invicem comparatis, interpretationem quam aequiprobabilistae superstites rationi annexae ab ipso primae systematis regulae, esse a mente eius prorsus alienam. Si autem quandoque visus est Alphonsus, in decursu controversiarum adeo diuturno adversus rigoristas, probabiliorismi rationibus uti,

id nunquam tamen fecit quin vel expresse, vel aequivalenter distinctiones multiplices adhiberet.

Iure ergo nos, in praesenti critica controversia, usi sumus ultimae dissertationis eius contextu ut cohaerentem eius mentem in quaesita interpretatione determinare valeremus.

Frustra requirit P. W. a nobis ut explicemus ipsi cur S. Doctor in ultimis editionibus suppresserit ulteriorem primae regulae declarationem quam loco solius rationis eidem annexae in ultimis, in antecedentibus expresserat. Frustra, inquam, huius facti explicatio requiritur a nobis: ipsi sibi eam reperiant; ne tamen eam nobis imponant amplectendam quae a primis tum logicae, tum metaphysicae, tum philosophiae moralis principiis discedere et nos et Sanctum eorum Doctorem astringeret.

Quod tandem P. W. obiicit pag. 51, interpretationi quam in *Crisi* (pag. 85, 121, 122), adhibui rationi à S. Alphonso suae primae regulae additae, est simpliciter falsum: " veritatem " de qua ibi S. Alphonsus, non interpretatus sum " conscientiam practice certam ", sed interpretatus sum *honestatem obiectivam*, i. e. *veritatem in ordine morum*, cui practica conscientia debet conformari cum certitudine. Ubi autem, *ex hypothesi*, illa honestas obiectiva, illa veritas in ordine morum nequit evidenter cognosci, nec locus datur usui principii reflexi (de quo in tertia regula) tunc nihil remanet nisi ut eam sequamur partem in praxi conformandae actionis, quae *propius* ad honestatem obiectivam accedit, qualis *ex hypothesi* est opinio certe probabilior. Ad eamdem autem conclusionem S. Alphonsus et nos omnes devenimus in huiusmodi hypothesi, mediante alio principio; in dubiis (practicis ut est hypothesis praesens, non in speculativis in quibus possit adhiberi tertia regula) tutior via est eligenda. Ecce igitur quod significavi in illis meae *Crisis* paginis.

Animadversio ad II adversarii sectionem.

P. W. addit alteram sectionem in sua dissertatione, in qua loquitur de applicatione systematis casui legis probabiliter cessatae aut probabiliter adimpletae. Qua de re iam disputavi tres ante annos in hac ephemeride (1), nec mihi quidquam novi et solidi ab adversario in praesenti obiicitur quod diligentius perpendenti tum anterius disputata, tum hodie demonstrata in hisce articulis, non appareat valide confutatum. Benevolo lectori ulteriorem discussionem parcere malo.

Epilogus.

Conclusio est clara nimis atque omni ex parte legitima, eam iam fere expresserant P. Cathrein, P. Lehmkuhl, P. Schiffini, a P. W. in praesenti pag. 65 et 87 citati, imo et alii aeque graves Doctores hodierni. Ego, postquam probavi thesim aequiprobabilistarum superstitum offendere prima principia philosophiae moralis, ne dicam etiam logicae et metaphysicae, postquam critice ostendi eam fuisse a mente S. Alphonsi prorsus alienam, merito possum paulo ulterius quam illi nostri theologi procedere. Aperte dicam igitur id quod ipsi implicite significare voluerunt: aequiprobabilismus iste quoad hanc partem suae demonstrationis primae S. Alphonsi regulae est certe et sine ullo dubio falsus. Nec videtur ipsi suffragari posse extrinseca auctorum suorum hodiernorum auctoritas: quippe cui praevalere debent prima principia philosophiae moralis.

Caveant igitur ipsi sibi et bono nomini Sancti atque eximii Doctoris Alphonsi, neque eidem attribuant, uti alias scripsi, graviorem errorem quam ferat historia. Cf. *Crisis* in fine prooemii; *Diatriba*, pag. 60. — Cf. etiam in praesenti dissertatione P. W., ultima verba pag. 102: *Caveant consules.*

Scripsi Romae, die 10 Maii, S. Antonino Archiep. sacro, anni 1905.

G. Arendt S. I.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. X, pp. 217, 267, 307, 353.

De regalibus decretis in Lusitania adversus familias Regularium.

Décret.

Sur les représentations qui nous ont été faites par le Ministre Président du Conseil, par le Ministre de l'Intérieur et par le Ministre et Secrétaire des Cultes, de la Justice, de la Marine et des Colonies, nous avons jugé expédient de décréter ce qui suit:

Article 1er. Aucune Association Religieuse ne pourra être créée ou subsister sur le territoire portugais sans une autorisation préalable du Gouvernement.

§ I. Les conditions essentielles pour obtenir cette autorisation sont les suivantes:

a) L'Association Religieuse présentera les Statuts selon lesquels elle prétend se gouverner, et qui seront publiés dans le Journal Officiel, après avoir été approuvés par le Gouvernement.

b) L'Association devra être destinée à des actes de bienfaisance, de charité, d'éducation ou d'enseignement, ou bien encore à la propagation de la Foi et de la civilisation dans les Colonies;

c) L'Association ne devra pas user de clôture dans ses établissements; elle ne devra dans ses usages avoir ni noviciat, ni profession religieuse, ni émission de vœux, toutes choses prohibées par la loi;

d) L'Association devra, pour tout ce qui concerne l'ordre spirituel, reconnaître la juridiction des évêques portugais, Ordinaires des lieux;

e) L'Association devra, pour tout ce qui concerne l'ordre temporel, se soumettre aux lois du pays et à la surveillance de l'Etat;

f) Enfin la direction supérieure de l'Association devra être soumise à des sujets portugais, à moins toutefois que l'Association soit composée de sujets étrangers au Portugal.

§ II. Les Associations établies dans les termes du para-

graphe précédent seront considérées comme personnes morales pour tout ce qui concerne les effets de la législation civile.

Article 2. Les établissements de bienfaisance ou de charité, d'éducation ou d'enseignement et de propagande fondés par les Associations, dont il est parlé au paragraphe 1er de l'article précédent, se soumettront aux prescriptions suivantes:

a) Aucun établissement ne pourra être ouvert sans avoir reçu au préalable un règlement spécial, approuvé par le gouvernement civil du district;

b) Les établissements de bienfaisance ou de charité resteront soumis à la tutèle et à l'inspection de l'autorité administrative dans les termes prescrits par la législation de droit commun;

c) Les établissements d'éducation et d'enseignement observeront dans leur entier la législation du royaume pour tout ce qui concerne l'instruction publique;

d) Les Associations qui se destinent aux Missions devront faire bénéficier les Colonies portugaises du bienfait de la propagation de la Foi et de la civilisation.

Article 3. Les Associations religieuses établies en dehors des conditions, dont il est fait mention dans le présent décret (article 1er, § 1er), et les Associations qui, après avoir été régulièrement fondées, contreviendront aux prescriptions du présent décret, seront immédiatement dissoutes. On leur appliquera les prescriptions de l'article 282 du Code pénal, et on ordonnera la fermeture immédiate de tous les établissements appartenant aux dites Associations.

Article 4. Les établissements désignés à l'article 2 du présent Décret, qui auraient été établis contrairement aux conditions ci-dessus indiquées, ou ceux qui, après avoir été régulièrement fondés, contreviendront à la présente législation, seront immédiatement fermés et l'on procédera à la dissolution immédiate de l'Association Religieuse qui les aura fondés.

Article 5. Les Instituts de bienfaisance ou de charité, d'éducation ou d'enseignement, d'évangélisation dans les Colonies, dirigés ou administrés par des Associations Religieuses ou par des membres appartenant aux dites Associations, devront, dans les six mois qui suivront le présent Décret, être réorganisés conformément aux dispositions de l'article 2 du présent Décret, en vue d'obtenir l'existence légale.

§ I. Les Associations qui dirigent ou administrent ces établissements devront, dans le même espace de temps, observer les dispositions du présent Décret (art. 1er, § 1er) en vue de leur existence et de leur fonctionnement légal comme Associations Religieuses.

§ II. Les personnes de l'un et de l'autre sexe, qui appartiennent aux Associations Religieuses dirigeant ou administrant les établissements ci-dessus mentionnés, devront également, si elles veulent continuer à exercer leurs fonctions dans les dits établissements, établir la preuve, dans le même espace de temps, que les Associations Religieuses auxquelles elles appartiennent ont rempli les prescriptions du présent Décret (art. 1er, § 1er).

Article 6. Toute infraction aux prescriptions de l'article précédent, après une période de six mois, donnera lieu à l'application des dispositions ci-dessus indiquées dans les articles 3 et 4, par rapport à la dissolution immédiate des dites Associations et à la prompte fermeture des établissements fondés par elles, avec application, si besoin est, des prescriptions contenues à l'article 282 du Code pénal.

Le Président du Conseil des Ministres, le Ministre de l'Intérieur, le Ministre de la justice et des cultes sont chargés, chacun en ce qui le concerne, de l'exécution du présent Décret.

Fait au Palais Royal, le 18 avril 1901.

Le Roi.
Ernest-Rodolphe Hintze Ribeiro
Arthur Albert de Campos Henriques.

Décret.

Plusieurs réclamations Nous ont été adressées pour Nous dénoncer la fondation en divers lieux d'établissements dirigés par des personnes engagées dans les liens de la vie religieuse, contrairement aux lois du royaume. Nous devons donc, conformément au droit national et à l'intérêt public, mettre à exécution les dispositions légales actuellement en vigueur au sujet des Ordres Religieux et prendre des mesures à l'égard des établissements dirigés par eux. A cette fin, il est tout d'abord nécessaire de procéder à une enquête exacte pour connaître l'existence, l'organisation et les conditions desdites Communautés Religieuses, afin de pouvoir ensuite procéder avec pleine connaissance des faits.

C'est pourquoi nous avons ordonné que les Gouverneurs civils des divers Districts du Royaume recherchent avec soin et d'urgence:

1. Si dans leur District il existe des établissements appartenant à des Ordres Religieux, quels que soient d'ailleurs le nom de ces derniers et la règle qu'il suivent, en vue de la suppression des dits établissements, conformément aux prescriptions du Décret du 28 mai 1834;

2. Si dans leur District il existe des établissements destinés à l'enseignement, à la propagande, aux œuvres de bienfaisance ou de charité, dirigés ou administrés par les membres des Ordres ou Instituts Religieux, les Gouverneurs devront exiger qu'on leur présente dans les huit jours les statuts de la fondation de chaque établissement et les règlements qu'on y observe, sous peine de voir fermer immédiatement les établissements qui refuseraient de présenter les dits statuts et règlements;

3. Les Gouverneurs s'informeront également si dans leur District il se trouve des maisons religieuses où l'on admette les postulants au noviciat ou aux ordres sacrés, contrairement aux prescriptions formelles du Décret du 5 août 1833.

Le Président du Conseil des ministres, le Ministre de l'Intérieur, le Ministre de la justice et des cultes sont chargés, chacun en ce qui le concerne, de l'exécution du présent Décret.

Fait au Palais Royal, le 10 mars 1901.

Le Roi.
Ernest-Rodolphe Hintz Ribeiro.
Arthur-Albert de Campos Henriques.

Lettre de l'Episcopat portugais à Sa Majesté le Roi de Portugal.

Sire,

Les Evêques portugais, dans les circonstances particulièrement graves que traverse en ce moment la nation, estiment qu'il est de leur droit et de leur devoir de se présenter au pied du trône de Votre Majesté pour lui manifester l'expression de leur pensée et de leurs désirs.

Les observations que nous apportons à Votre Majesté seront respectueuses; mais elles seront faites dans un langage que nous voulons rendre clair et ferme, clair comme la vérité, ferme comme la justice, parce que ce sont la vérité et la justice qui nous inspirent en ce moment.

Nous professons tous, Sire, un sincère attachement et un profond respect pour le Chef Auguste de l'Etat. Tous, nous

entendons sauvegarder les institutions politiques auxquelles nous avons juré fidélité; tous, nous sommes de loyaux sujets de Votre Majesté et des citoyens dévoués à la patrie; nous osons le dire, nous pouvons revendiquer ce titre plus que personne. Qu'on nous pardonne ce témoignage que nous aimons à nous rendre!

Nous chérissons la patrie et la liberté, et c'est pourquoi au nom de la patrie et de la liberté nous nous présentons à Votre Majesté pour lui faire entendre le cri douloureux de notre conscience, et l'affirmation sincère de nos convictions.

Nous déplorons l'existence des Décrets du 10 mars et du 18 avril derniers, Décrets attentatoires à la liberté individuelle et lésant gravement l'indépendance et la dignité de l'Eglise Catholique.

Nous déplorons l'invasion du Pouvoir exécutif dans le domaine de la conscience religieuse et des lois ecclésiastiques. De telles mesures tendent au mépris et à la négation de l'autorité spirituelle de l'Eglise, dont nous sommes les représentants dans les diocèses du Portugal.

Nous déplorons les excès et les violences par lesquelles on a expulsé de leurs domiciles, en qualité de membres des communautés religieuses, des hommes inoffensifs et des femmes sans défense, qui vivent à l'ombre du droit commun et sous l'égide de la Charte Constitutionnelle.

La Charte Constitutionnelle, Sire, établit (article 145, § 4) « que personne ne pourra être inquiété pour un motif « religieux, du moment qu'il professe le respect dû à l'Etat « et qu'il n'offense en rien la morale publique ».

Dira-t-on que les Religieux récemment expulsés de leurs maisons, où ils avaient cru trouver un asile inviolable (article 145, § 6 de la Charte Constitutionnelle), ont offensé la morale publique ou la religion de l'Etat? Quand et où ont été commises ces infractions à la loi du Pays? Et si on ne peut prouver contre les Religieux aucun crime contre la morale publique et la Religion de l'Etat, peut-on davantage établir qu'ils aient conspiré contre le trône de Votre Majesté, contre la sécurité nationale ou contre les lois du royaume?

Quelques feuilles publiques ont mis en avant le manque d'attachement à la monarchie, accusations vagues, imputations sans preuves, habilement échafaudées pour exciter l'opinion publique et fomenter la haine entre citoyens d'une même patrie. Mais l'indication de faits, de faits criminels, qui donc a pu la formuler? Où sont les accusés? Quels sont les tribunaux auxquels on les ait légalement déférés? A-t-on fait une enquête? A-t-on nommé des juges? Ces juges ont-ils prononcé une sentence?

Non! On s'est contenté d'exciter un soulèvement populaire.

On invoquera peut-être, pour servir de fondement ou de prétexte à une telle conduite, les mesures d'exception prises à l'égard des Religieux, provenant d'anciens Décrets, qui n'ont jamais été mis complètement à exécution, que l'on doit regarder comme n'étant plus en vigueur, décrets issus de nos guerres civiles, décrets draconiens dictés par les passions politiques, et dont les luttes fratricides, existant au moment de leur apparition, ne laissaient pas aux esprits la liberté suffisante pour reconnaître comment ces mêmes Décrets étaient destructeurs des traditions séculaires les plus précieuses de notre pays.

Nous n'entreprendrons pas d'apprécier ici au point de vue juridique si ces Décrets sont encore en vigueur. De bonnes raisons font estimer à nombre d'hommes sensés et instruits qu'ils ont perdu toute valeur légale, soit à cause de la grande différence des circonstances et des temps, soit surtout en raison des faits, qui constituent la meilleure interprétation des lois.

En effet, Sire, il est certain, et sur ce point les pouvoirs publics ne peuvent arguer de leur ignorance, les Ordres Religieux se sont rétablis au Portugal, ils se sont répandus dans toutes les provinces du royaume, faisant sentir partout leur bienfaisante influence dont les effets éclatent aux yeux de tous.

Les Ordres Religieux se sont multipliés parmi nous, bénéficiant de la tranquillité publique. Grande a été leur ingénuité! Ils supposaient qu'après plus de soixante ans de régime constitutionnel, le sens de la liberté s'était suffisamment enraciné dans l'âme du citoyen portugais! Illusion! Le Gouvernement (quelque fut le parti au pouvoir) avait toujours gardé au sujet de ces Décrets liberticides un silence qui équivalait à leur abrogation; il avait même accordé des subsides aux établissements religieux et à leurs œuvres de bienfaisance; et maintenant, brusquement, le Gouvernement persécute ces mêmes Ordres Religieux; maintenant, il les proscrit; maintenant, il fulmine contre ces Institutions qu'hier il protégeait et il expulse les membres des Ordres Religieux, comme s'il agissait contre des hommes infâmes, coupables de tous les crimes, ou contre des animaux dangereux!

Attentat profondément lamentable, qu'il nous est impossible de ne pas condamner, non seulement en notre qualité de Prélats Catholiques, mais aussi en notre qualité de citoyens portugais.

Sire, en supposant qu'il existe encore dans le royaume des lois en vigueur proscrivant les Instituts Religieux, nous n'hésitons pas à le déclarer, ces lois doivent être révoquées comme injustes et nuisibles à l'intérêt public.

Tout ce qui est contraire au droit naturel est injuste. Or, un des droits de l'homme primordiaux et inaliénables est celui de s'associer avec ses semblables, en vue d'atteindre un but licite et honnête. Et quel but plus licite et plus honnête que celui de croître dans l'amour de Dieu et du prochain en vue de la perfection morale?

Permettre toutes les professions, tous les genres de vie, excepté le genre de vie appelé par antonomase l'état religieux, autoriser toutes les manifestations de l'activité humaine, respecter tous les droits d'autrui et paralyser l'expansion du sentiment religieux, qui est le plus grand lien d'association pouvant exister entre les hommes, protéger tous les citoyens et repousser ceux qui se consacrent d'une manière spéciale aux intérêts spirituels des âmes et à leur salut éternel, n'est-ce pas là une injustice flagrante et un outrage à la liberté?

Et c'est sous prétexte de liberté que l'on prétend justifier la persécution contre les Ordres Religieux! Cette conduite rappelle involontairement à la mémoire cette parole célèbre d'une innocente victime de la Révolution française: Liberté! que de crimes ne commet-on pas en ton nom!

Les prohibitions portées contre la Vie Religieuse sont non seulement injustes, mais elles occasionnent encore un grave préjudice au bien public. En effet, nonobstant les préjugés invétérés et la malveillance obstinée de certains hommes, la vérité est, Sire, que les Ordres Religieux, soit au point de vue religieux, soit au point de vue social, méritent toute notre admiration, toute notre affection, toute notre gratitude.

Les Ordres Religieux, envisagés dans leur nature même, constituent la réalisation concrète des Conseils Evangéliques; ils puisent leur raison d'être dans l'Evangile et dans la doctrine même de Notre-Seigneur Jésus-Christ. Ils réalisent un des modes les plus caractéristiques de cette efflorescence

splendide de l'arbre de la vie, qui est l'Eglise Catholique. L'Eglise impose à tous ses enfants les préceptes de l'Evangile. Aux âmes de choix elle offre la pratique des conseils évangéliques qu'elle n'impose à personne. Les hommes généreux qui, foulant aux pieds les suggestions de l'égoïsme et les attraits du sensualisme, embrassent volontairement, avec une abnégation héroïque, une vie de pauvreté, d'obéissance et de chasteté, sont les bienfaiteurs insignes de l'humanité; et aujourd'hui ces hommes sont méconnus par leurs concitoyens, méprisés et persécutés par eux.

Nous fatiguerions l'attention de Votre Majesté, si nous voulions lui énumérer, si brièvement que ce fût tous les bienfaits dont, au témoignage de l'histoire, nous sommes redevables aux Ordres Religieux. Ils ont ouvert à la culture intellectuelle l'esprit des races encore plongées dans les ténèbres de l'ignorance; ils ont élevé la jeunesse, donné un abri aux vieillards, guéri les malades, soulagé toutes les misères, cultivé les terres stériles, visité les prisonniers, secouru les indigents de l'âme et du corps, christianisé les sauvages en Afrique, en Amérique et jusque dans les îles les plus éloignées de l'Océanie.

Si nous voulions jeter un coup d'œil sur nos possessions africaines et considérer ce qui s'y est passé pendant les vingt dernières années, nous pourrions signaler bon nombre de missionnaires qui y sont morts victimes de leur zèle apostolique.

Mais il n'est pas besoin, Sire, que nous fassions ici à Votre Majesté l'apologie des Ordres Religieux. L'esprit éclairé de Votre Majesté connaît dans ses détails l'histoire du Portugal. Votre Majesté connaît le jugement qu'ont porté sur les Ordres Religieux des Portugais éminents, hommes de lettres ou de science et hommes politiques. Accusera-t-on d'être réactionnaires et rétrogrades des hommes tels que Garett, Castilho, Herculano, le Viconte de Seabra, le duc d'Avila, André Corvo, Lucien Cordeiro? Nous passons sous silence les noms non moins illustres d'hommes vivant encore au milieu de nous. Toutes ces personnalités marquantes ont rendu justice aux Ordres Religieux, ont reconnu leur utilité, leur nécessité, spécialement pour les colonies.

Il faut encore ne pas oublier plusieurs milliers de citoyens portugais qui, aujourd'hui comme autrefois, n'ont pas cessé de réclamer la liberté des associations religieuses.

Il faut enfin reconnaitre que Monsieur le Président du Conseil des Ministres, bien avant l'émission du Décret du 18 mars dernier, a déclaré expressément que les Missions Religieuses, pour lesquelles on a fondé ici en Portugal des séminaires, constituent un élément indispensable en vue du maintien de notre domaine colonial.

Le Gouvernement de Votre Majesté l'a reconnu lui-même dans le document écrit auquel nous faisons allusion.

Le Gouvernement de Votre Majesté déclare qu'il ne veut point supprimer les communautés religieuses, mais seulement en régulariser l'existence.

Et cependant il porte contre elles des Décrets de mort, la mort par extinction. Le Gouvernement donne et refuse, accorde et prohibe. Il déclare qu'il permet l'existence des Ordres Religieux pour des buts déterminés et sous la condition de certaines formalités; mais il prohibe le noviciat et les vœux, conditions indispensables d'existence pour les Ordres Religieux.

L'existence des Milices sacrées devient impossible dès lors qu'on interdit leur recrutement. Précaires deviennent les destinées d'une association dont les membres ne peuvent se renouveler.

On prétend que l'émission des vœux religieux est contraire à la liberté. Il n'est en rien cependant. Les vœux religieux constituent un bien plus noble usage de la liberté.

Accepter en pleine connaissance de cause, après mûre réflexion et volontairement, d'obéir à des lois sages et à des Supérieurs soumis eux-mêmes à ces mêmes lois dans l'exercice de leur autorité; avoir comme règle de ses actions d'obéir toujours à Dieu plutôt qu'aux hommes; exclure du vœu toute obéissance sur un point contraire à la religion et à la morale, bien loin de constituer une abdication de la liberté, en augmente encore la perfection, car la liberté est d'autant plus pure et digne de ce nom qu'elle est plus conforme à la loi morale, d'autant plus légitime qu'elle est plus productive de la vertu.

Si l'on veut voir un attentat à la liberté dans l'émission des vœux religieux, il faudra également le voir dans le serment que prête le soldat au drapeau de la patrie, qu'il jure de défendre jusqu'à l'effusion du sang et au sacrifice de sa vie; il faudra le voir également dans le serment de fidélité mutuelle qui constitue le lien du mariage et engage les époux jusqu'à la mort.

Si l'on considère le vœu dans son élément essentiel et comme acte de la volonté, il est absurde de vouloir le faire tomber sous le coup d'une prohibition légale; puisqu'il s'agit ici d'un acte de la conscience qui échappe au domaine de la loi civile. La loi entend-elle proscrire la solennité externe du vœu, la forme purement cérémoniale de la profession religieuse? Mais si la profession religieuse est un acte en soi essentiellement licite et honnête, la prohibition de sa forme extérieure est nécessairement une prohibition arbitraire et injuste.

On dit encore que les Ordres Religieux ne sont pas essentiels à la vie de l'Eglise. Oui, sans doute, l'Eglise peut exister sans les Ordres Religieux; mais il n'en est pas moins vrai qu'ils forment une partie intégrante de l'Eglise et qu'ils sont le fruit de la vitalité de son organisme au suprême degré.

S'il est permis de supprimer les Ordres Religieux parce qu'ils ne sont pas essentiels à la vie de l'Eglise, il faudrait avec un raisonnement analogue conclure qu'il est permis de mutiler le corps de l'homme, pourvu que le membre amputé ne soit pas essentiel à la conservation de sa vie.

Les Evêques du Portugal, unis dans une même pensée avec tous les membres du Clergé séculier, tous remplis d'un même sentiment d'estime et d'affection pour les membres du Clergé Régulier, demandent la pleine et entière liberté d'association pour les Ordres Religieux, en conformité avec les lois canoniques, dans ce royaume dont les monarques portent le titre de *Rois Très Fidèles*.

Et comme il est impossible d'atteindre un but sans en prendre les moyens, nous voulons et demandons que les pouvoirs publics, pour être logiques avec eux-mêmes, permettent l'existence des maisons de noviciat et l'émission des vœux de religion, dans les conditions jugées nécessaires pour obvier aux abus qui pourraient se présenter.

Les abus, Sire, nous ne les voulons pas!

Si quelques abus viennent réellement à se produire, nous serons les premiers à les condamner. Mais il est contraire à toute logique pour réprimer des abus de détruire des institutions bonnes et légitimes.

Nous n'aspirons pas à ressusciter le passé, nous ne désirons pas le retour à l'ancien régime. C'est faire preuve d'ignorance, ou nous calomnier volontairement, que de nous accuser du dessein de vouloir ressusciter l'Inquisition, dont les excès doivent être attribués à la nature des temps et à l'intervention du pouvoir civil, bien plus qu'à l'autorité de l'Eglise elle-même.

Nous ne cherchons qu'à travailler tous ensemble au bie de l'Eglise et de la patrie; nous ne cherchons qu'à fomenter dans le pays l'alliance de l'ordre et de la liberté, de la religion et du progrès, de l'Eglise Catholique et de la Société civile.

L'Inquisition ne sera pas rétablie. Cette institution n'est plus compatible avec les circonstances politiques actuelles et l'état présent de la société. Son rétablissement serait un anachronisme.

Les Ordres Religieux, au contraire, sont loin d'être un anachronisme; ils sont parfaitement compatibles avec la civilisation moderne. Ils vivent et prospèrent au sein des nations les plus cultivées et les plus puissantes, là même où la Religion Catholique n'est point reconnue Religion d'Etat, comme en Angleterre, en Allemagne, aux Etats-Unis, dans l'Amérique du Nord.

Non! les Ordres Religieux ne sont pas un anachronisme; ils ne sont nullement incompatibles avec les franchises et les libertés publiques. On peut dire au contraire que les Ordres Religieux sont d'autant plus nécessaires que la sphère des libertés publiques est plus étendue, pour être au sein de la Société un élément d'ordre et de pondération et une force éminemment conservatrice. Leur existence est un préservatif contre les périls qui nous menacent. Sire, le péril à l'heure actuelle, suspendu comme l'épée de Damoclès sur la Société contemporaine, consiste dans les sectes antisociales et anarchiques, qui, au lieu de respecter les têtes couronnées, ont juré leur perte.

L'histoire impartiale a fait justice depuis longtemps de cette imputation mensongère qui a rangé certains membres des Ordres Religieux au nombre des régicides; mais ce que l'histoire ne pourra ni cacher ni démentir, parce que c'est là une vérité lamentable, en ces derniers temps, bon nombre de monarques et de présidents de Républiques ont été assassinés par ceux qui aiment à se proclamer les ennemis des Religieux. Ce sont là des leçons de l'histoire contemporaine, bien dignes d'attirer notre réflexion!

Ces spectacles de notre vie contemporaine sont bien faits pour nous persuader de ne pas détruire, mais de favoriser au contraire ces Instituts qui, par leur influence au sein de la Société, peuvent plus efficacement répandre autour d'eux les doctrines du Christianisme, seules capables de refréner les fureurs de la démagogie et les crimes de l'anarchisme. Mépriser ce secours, détruire cette force, c'est plus qu'une injustice, c'est un crime de lèse-société.

Sire, nous avons apporté au pied du trône de Votre Majesté le cri respectueux de notre conscience. On se demandera peut-être pourquoi nous n'avons pas fait entendre nos réclamations au Parlement, où la loi nous permet de siéger et de prendre la parole! Quelques-uns pourront voir dans notre conduite un excès de modération et l'abandon de notre poste par crainte exagérée, mais notre conscience nous rend témoignage que la prudence et l'amour du pays nous ont seuls inspirés en cette circonstance. Réveiller les disputes religieuses est toujours une chose très grave et pleine de péril, surtout à un moment (comme le dit si bien le document déjà mentionné) où les divergences d'opinions menacent de créer des inimitiés et des désordres, alors qu'il serait si nécessaire de réunir toutes les forces vives de la nation pour résoudre les grands problèmes d'économie politique qui intéressent à un si haut degré la prospérité du pays. Nous avons pensé qu'au moment où la nation est engagée dans des difficultés de tout genre, où l'esprit public est si profondément agité, où l'opinion est esclave de tant de préjugés, où l'ordre social est menacé par tant de périls, la voix de l'Episcopat, en se faisant entendre à la tribune du Parlement, si mesurée et si sereine qu'elle fût, aurait allumé des discussions acerbes et suscité de funestes divisions, allumé l'incendie révolutionnaire et attiré sur notre bien-aimée patrie les horreurs de la guerre civile.

Nous préférons porter nos réclamations au pied du trône de Votre Majesté en faveur des Ordres Religieux, dont la vie est si intimement liée à celle de l'Eglise, et dont la liberté, sous la sauvegarde de lois justes et prévoyantes, peut contribuer si puissamment au progrès moral, à la paix et à la prospérité de la glorieuse nation dont Votre Majesté est tout à la fois le premier citoyen et le vivant symbole.

Lisbonne, 27 avril 1901.

de Votre Majesté
les sujets fidèles et dévoués

† Joseph, Cardinal-Patriarche de Lisbonne.
† Manuel, Archevêque de Braga.
† Auguste, Archevêque d'Evora.
† Antoine, Archevêque-Evêque d'Algarve.
† Gaudence, Archevêque-Evêque de Portalegre.
† Manuel, Evêque de Conde.
† Joseph, Evêque de Vizeu.
† Antoine, Evêque de Lamego.
† Joseph, Evêque de Bragance.
† Antoine, Evêque de Porto.
Docteur Antoine Moutinho, Prélat de Mozambique, de passage à Lisbonne.

Leo XIII sub die 7 Aprilis 1901 Epistolas dedit ad Lusitanos, ut religiosorum Coetuum iura incolumitatemque naviter tuerentur. *Vide Anal. Eccl.*, vol. IX, pag. 149.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Septembre 1905.

1 Vendredi.

S. G. Mgr Prosper Scaccia, Ev. de Tivoli, est reçu en audience.

2 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Charles-Vincent Ricotta, Ev. de San Marco e Bisignano; — S. G. Mgr Charles Pietropaoli, Ev. de Trivento; — et S. Exc. M. Emmanuel Aguirre de Tejada, Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège.

3 Dimanche.

S. G. Mgr Horace Mazzella, Arch. de Rossano, est reçu en audience.

4 Lundi.

S. G. Mgr Alphonse Archi, Ev. de Comacchio, est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le T. R. P. Dom Laurent Janssens, O. S. B., Recteur du Collège de St Anselme sur l'Aventin, est nommé Consulteur de la Commission pour les études bibliques.

5 Mardi.

S. G. Mgr Paul-Marie Barone, Arch. Tit. de Mélytène, est reçu en audience.

6 Mercredi.

S. G. Mgr Philippe Camassei, Ev. de Naxos, est reçu en audience.

7 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Guillaume Stang, Ev. de Fall-River; — Mgr Michel Tierney, Ev. d'Hartford; — et Mgr Laurent Petris de Dolammare, Ev. Tit. d'Esbon.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Sébastien Martinelli est nommé Protecteur des Sœurs Augustines de Caprarola.

9 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Nicolas Piccirilli, Arch. de Conza e Campagna; — et Mgr Joseph Gandolfi, Ev. de Poggio Mirteto.

— A 7 heures 1[2 du soir, S. Em. le Card. Raphaël Pierotti, de l'Ordre des Prédicateurs, rend son âme à Dieu. Il était né le 1er janvier 1836 à Verbano del Vescovo, au Diocèse de Lucques. Entré à 15 ans dans l'Ordre de St-Dominique, il occupa successivement les charges de professeur de Théologie à la Minerve, de Curé de Ste-Marie de la Minerve, et de Maître des Sacrés Palais. Dans le Consistoire du 30 novembre 1896, il fut créé Cardinal Diacre du Titre des Saints Cosme et Damien. Il faisait partie des Congrégations suivantes: Ev. et Rég.; — Propagande pour les Affaires du Rite Oriental; — Index; — Rites; — Indulgences et S. Reliques.

11 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Janvier Granito di Belmonte, Nonce Apost. à Vienne; — Mgr Antoine-Marie Grasselli, Arch.-Ev. de Viterbe; — et Mgr Raymond Netzhammer, O. S. B., Recteur du Collège grec de Rome, Arch. élu de Bucharest.

12 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Ange Struffolini, Ev. d'Ascoli Satriano et Cerignola; — et le Rme P. Rinaldo-Marie di San Giusto, Sup. Gén. des Carmes Déchaussés.

13 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Alphonse Archi, Ev. de Côme; — et Mgr Théodore-Emmanuel Ribeira Vieira de Castro, Ev. de St-Thomas de Meliapour

14 Jeudi.

S. G. Mgr Sabatino Giani, Ev. de Livourne, est reçu en audience.

15 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Paul-Marie Reynaud, Ev. Tit. de Fussola, Vic. Ap. du Ce-Kiam; — le Rme P. Pacifici, nouveau Sup. Gén. des Clercs Réguliers Somasques; — le Rme P. Hyacinthe Cormier, Maître Général des Dominicains; — et le R. P. Dom Ambroise Amelli, O. S. B., Prieur du Mont-Cassin.

16 Samedi.

S. Exc. M. Emmanuel Aguirre de Tejada, Comte de Tejada de Valdosera, Ambassadeur d'Espagne près le Saint-Siège, présente au St-Père les lettres de rappel qui mettent fin à sa mission diplomatique.

— S. G. Mgr François Bacchini, Ev. de Terni, est reçu en audience.

17 Dimanche.

Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Salle Royale un groupe de pèlerins français.

19 Mardi.

Le St Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Charles Lavigne, S. J., Ev. de Trincomalie (Ceylan); — Mgr François Rossi-Stockalper, Secrétaire de la Nonciature Apost. de Vienne; — et le R. P. Marie Lechert, Sup. Gén. des Missionnaires du Divin Amour de Jésus.

20 Mercredi.

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, le R. P. Dominique Pasqualigo, Dominicain, est nommé Vice-Commissaire du St-Office; — et le R. P. Jean Lottini, Dominicain, est nommé premier compagnon de Mgr le Commissaire du St-Office et Consulteur de la même Congrégation.

23 Samedi.

Le St Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Anselme Pecci, Ev. de Tricarico; — et le R. P. Pacifique de Seggiano, Prédicateur Apostolique.

25 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François-Joseph Delamaire, Ev. de Périgueux; — Mgr. P. A. Eestermans, O. C. Evêque de Lahore; — et Mgr Victor Dornedré, Ev. Tit. de Terenuthis, Vic. Ap. des Iles Hébrides, en Océanie.

26 Mardi.

S. G. Mgr Joseph-Hubert Drehmanns, Ev. de Ruremonde, est reçu en audience.

28 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François-Joseph Delamaire, Ev. de Périgueux; — et Mgr François do Rego Maia, Ev. de Belem de Pará.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, le T. R. P. Dom Laurent Janssens, O. S. B., est nommé deuxième Secrétaire de la Commission Pontificale pour les Etudes Bibliques; — et le R. P. Augustin Molini, Franciscain, est nommé Consulteur de la même Commission.

29 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Paul-Marie Reynaud, Ev. Tit. de Fussola, Vic. Ap. du Ce-Kiam (Chine); — et Mgr Thomas Pifferi, Ev. Tit. élu de Jéricho, Auxiliaire de l'Archevêque de La Plata (Bolivie).

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Salle Royale 400 pèlerins français, qui Lui sont présentés par Monseigneur l'Evêque de Périgueux.

30 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Herman Aderling, Ev. de Port-Waine; — et Mgr Jean Gigante, Ev. Tit. d'Imeria.

Octobre 1905.

2 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François-Marie-Anatole Rovérié de Cabrières, Ev. de Montpellier; — et Mgr Mathieu Harkins, Ev. de Providence.

3 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Janvier Portanova, Arch. de Reggio en Calabre; — et Mgr François Giacci, Ev. de Pescina.

5 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audience S. G. Mgr François-Albin Symon, Arch. Tit. d'Athalie.

— Dans l'après-midi, le St-Père reçoit dans la Salle Royale un groupe de pèlerins de Cologne.

6 Vendredi.

Le St Père reçoit en audience S. G. Mgr François-Marie-Anatole Rovérié de Cabrières, Ev. de Montpellier.

7 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. Mgr Aristide Rinaldini, Nonce Apost. en Espagne; — S. G. Mgr François Bourne, Arch. de Westminster; — et le R. P. Maur-Marie Parodi, Visiteur Général de la Congrégation Bénédictine Olivétaine.

8 Dimanche.

Le St-Père reçoit à 11 heures, dans la Salle Royale, les sociétés de jeunes gens qui ont pris part au premier Congrès catholique italien du Sport, tenu à Rome. Il leur a adressé le discours suivant:

È una dolce consolazione che io provo nel trovarmi in mezzo a voi, diletti giovani, che rappresentate l'età dei nobili sentimenti, delle azioni generose e delle splendide vittorie; e Vicario di Gesù Cristo, che avvezzo a vivere nella società degli Angeli pur trovava nella gioventù le sue delizie, com'Egli una volta guardando un giovane lo amò *intuitus eum dilexit eum*, così io nel riguardarvi sento bisogno di dirvi che vi voglio bene, e voi dovrete avermi non come padre soltanto, ma come fratello e tenero amico. E con questi sentimenti non solo approvo tutte le vostre opere nell'azione cattolica, ma ammiro e benedico di cuore tutti i vostri giuochi e passatempi, la ginnastica, il ciclismo, l'alpinismo, la nautica, il podismo, le passeggiate, le gare, i concorsi e le accademie, alle quali vi dedicate; perchè gli esercizi materiali del corpo influiranno mirabilmente sugli esercizi dello spirito; perchè questi trattenimenti richiedendo pur del lavoro, vi toglieranno all'ozio, che è il padre dei vizi; e perchè finalmente le stesse gare amichevoli saranno in voi un'immagine della emulazione nell'esercizio della virtù.

Perciò, facendo tesoro delle parole del più giovane degli Apostoli prediletto dal Divin Redentore, che scriveva ai giovani: *Siate forti e la parola di Dio sia in voi, ed avrete vinto il maligno*, io vi ripeto: Siate forti per custodire e difendere la vostra fede, quando tanti la perdono, — siate forti per conservarvi figli devoti della Chiesa, quando tanti le sono ribelli, — siate forti per mantenere in voi la parola di Dio, e manifestarla con le opere, quando tanti l'hanno bandita dall'anima, — siate forti per vincere tutti gli ostacoli, che incontrerete nell'esercizio dell'azione cattolica a merito vostro e a vantaggio dei vostri fratelli.

Non abbiate paura che la Chiesa, con queste insinuazioni, voglia imporvi dei gravi sacrifici o proibirvi dei leciti sollievi; dessa vuole soltanto rendervi veramente cara la vostra età, che è l'età delle belle speranze e dei santi entusiasmi; così che nell'autunno della vita possiate cogliere copiosi quei frutti, dei cui fiori fu lieta la vostra primavera; e perciò vi raccomando soltanto di mettere a fondamento di tutte le vostre opere il timor santo di Dio nella cristiana pietà.

E la pietà vi è necessaria, perchè dovendo esercitare sui vostri compagni un apostolato, vi è necessario l'aiuto che il Signore in via ordinaria non accorda che ai buoni che glielo domandano. — La pietà vi è necessaria per raggiungere lo scopo delle opere vostre col buon esempio, perchè dice il poeta: « più lentamente eccitano gli animi le cose che entrano per le orecchie, di quelle che si presentano agli occhi ». A cui soggiunge il filosofo: « la strada lunga che si percorre coi precetti si rende breve con gli esempi »: e per non chiamare sopra di voi l'applicazione del noto proverbio: « predica bene, ma razzola male ». La pietà finalmente vi è necessaria per conservarvi non solo buoni cristiani, ma anche per non degradare la vostra natura di uomini.

Sono ben lontano dal giudicare con severità il tempo presente, perchè vi sono degli ottimi in ogni classe, in ogni condizione, in ogni età; ma sanguina il cuore nel vedere tanti giovani, che avendo dimenticato di essere cristiani, hanno per lo meno offuscata in sè medesimi la dignità di uomini. Qualcuno potrà dire esagerata questa proposizione, perchè se tutti riconoscono in molti l'indifferenza per la religione, una quasi totale inosservanza per la religione, una quasi totale inosservanza delle pratiche cristiane, non tutti si persuadono che sia caduta in basso la dignità umana. Eppure si trovano forse in molti di questi indifferenti e inosservanti almeno le virtù naturali? Dov'è la ragionevole obbedienza, il rispetto all'autorità, la giustizia severa e indipendente, il patriottismo disinteressato, la libertà rispettata e, con questi principii inseriti da Dio nei nostri cuori, quello fondamentale di non fare agli altri quello che non si vorrebbe fatto a noi stessi?

Oh! persuadetevi, cari giovani, che senza un buon fondo di religione anche la semplice onestà naturale svanisce; e quindi di nuovo vi raccomando di amare la pietà, di praticare la religione, e allora sarete forti anche per vincere gli umani rispetti, per non vergognarvi di essere cristiani cattolici non solo a parole ma coi fatti, e in questo modo conservando in voi la parola di Dio, vale a dire sempre viva la fede ricevuta nel Santo Battesimo, renderete fruttuoso il vostro apostolato, perchè gli stessi vostri avversarii, che apparentemente vi deridono, dentro di loro faranno omaggio alla vostra virtù, e voi senza quasi avvedervi otterrete nella loro conversione il più splendido trionfo.

E di questo trionfo sia caparra la Benedizione Apostolica che impartisco di cuore a voi qui presenti, ai vostri compagni lontani, alle vostre e alle loro famiglie, ai vostri studi, alle vostre opere e anche ai vostri trattenimenti sportivi col voto, che questa sia per tutti fonte dei più cari conforti e delle più soavi consolazioni.

— A trois heures de l'après-midi, dans la Cour de St-Damase, en présence du Souverain Pontife et d'une nombreuse assistance, ont lieu le concours final, le défilé et la distribution des récompenses.

9 Lundi.

S. G. Mgr Victor-Amédée Ranuzzi de' Bianchi, Ev. de Recanati, est reçu en audience.

10 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Enée Chisholm,

Ev. d'Aberdeen; — S. G. Mgr Antoine-Marie Bonito, Ev. de Cassano all'Ionio; — et le Rme P. Reuter, Ministre Général des Mineurs Conventuels.

11 Mercredi.

S. Exc. M. Dom Rodrigo Figueroa y de Torres, Marquis de Tovar, Grand d'Espagne, gentilhomme de la Cour et Sénateur du Royaume, présente au St-Père les lettres qui l'accréditent en qualité d'Ambassadeur d'Espagne près le St-Siège.

— Le St-Père reçoit en audiences: Mgr Pisciscelli, Grand-Prieur de St-Nicolas de Bari; — S. G. Mgr Thomas Grace, Ev. de Sacramento; — et le T. R. P. Dom Laurent Janssens, O. S. B., Recteur de St-Anselme.

12 Jeudi.

S. G. Mgr Henri van de Wetering, Arch. d'Utrecht, est reçu en audience.

13 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Paul Carrano, Arch. d'Aquila; — S. G. Mgr François Sogaro, Président de l'Académie des Nobles Ecclésiastiques; — Mgr Joseph Lohninger, Recteur de Ste-Marie-de-l'Anima; — Mgr Henri Pick, Protonotaire Apostolique; — et le T. R. Don Hyacinthe Petroni, nouveau Directeur Général de la Congrégation du Précieux Sang, ainsi que les membres du Chapitre Général.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. François Segna est nommé Convisitateur Apostolique des Pieux Etablissements des Catéchumènes.

14 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Adolphe Fritzen, Ev. de Strasbourg; — et Mgr François Zorn de Bulach, Ev. Tit d'Erithrée, Auxiliaire de Strasbourg.

17 Mardi.

Le St-Père reçoit à 4 heures, dans la Salle Royale, 300 pèlerins anglais.

19 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Comte Nicolas Sczécsen de Temerin, Ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le St-Siège; — et le R. P. Augustin-Stanislas Taylor, Abbé O. S. B.

20 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Baron Wulfram de Rotenhan, Env. Extr. et Min. Plénip. de Prusse près le St-Siège; — et S. G. Mgr Aurèle Briante, Arch. Tit. de Cyrène, Délégué Apost. en Egypte.

21 Samedi.

S. G. Mgr Patrice-Guillaume Riordan, Arch. de San Francisco, est reçu en audience.

23 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Pierre-Xavier Magabure, Ev. Tit. de Sagalasse, Coadjuteur de l'Archevêché de Tokio; — Mgr André-Théophile Mélizan, Ev. de Colombo; — Mgr Hermann Dingelstad, Ev. de Münster; — ainsi que Mgr Victor Daey, Vicaire Général d'Helena; — et M. le Comte Leissingen.

24 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Philippe De Abert, Arch. de Bamberg; — Mgr Ferdinand De Schlör, Ev. de Wurzbourg; — Mgr Tobie Patroni, Ev. de Valva et Sulmona; — Mgr Jean Torres y Rivas, Ev. de Minorque; — Mgr Antoine-Marie Grasselli, Arch.-Ev. de Viterbe; — Mgr François-Sébastien Pifferi, Ev Tit. de Jéricho, Auxiliaire de La Plata; — Mgr Ghezzi, Ev. de Civitacastellana; — et Mgr Spila, Ev. d'Alatri.

25 Mercredi.

Le St-Père reçoit dans l'après-midi, dans la Salle du Consistoire, un groupe de 50 marins américains embarqués sur le *Minneapolis.*

26 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Adolphe Fritzen, Ev. de Strasbourg; — Mgr François Zorn de Bulach, Ev. Tit. d'Erythrée, Auxiliaire de Strasbourg; — Mgr Martin Tritschler y Cordova, Ev. de Jucatan; — ainsi que S. Exc. M. le Baron Constantin de Frautlemberg, Conseiller intime de S. M. l'Empereur d'Autriche.

27 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Michel-Félix Korum, Ev. de Trèves; — et Mgr Henri Vollmar, Ev. Tit. de Pergame, Grand-Aumônier des catholiques de l'armée prussienne.

30 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Comptone Galton S. J., Ev. Tit. de Pétenysse, Vic. Apost. de la Guyane anglaise; — Mgr Jean-Antoine Ruano y Martin Ev. Tit. de Claudiopolis, Admin. Apost. de Barbastro; — Mgr Ludovic-Charles Casartelli, Ev. de Salford; — ainsi que M. l'Abbé Emile Wetterlé, Député au Reichstag et à la Députation d'Alsace et Lorraine.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Sébastien Martinelli est nommé Protecteur de la Vén. Collégiale de *San Paolino*, à Lucques.

31 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Exc. M. le Marquis de Tovar, Ambassadeur d'Espagne près le St.-Siège; — S. G. Mgr Félix Korum, Ev. de Trèves; — S. Exc. M. le Baron Maximilien d'Erp, Min. Plénip. de Belgique près le Saint-Siège; — S. G. Mgr Jean Commy, Ev. de Killala; — et S. G. Mgr Joseph Hoare, Ev. d'Ardagh.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister

Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS
FASCICULUS UNDECIMUS - NOVEMBER 1905

SUMMARIUM

Analecta Nova.

Analecta Vetera.

Analecta Varia.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Bulla Canonizationis Beati Alexandri Sauli.

Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Pii D. P. PP. X. Litterae Decretales quibus Beato Alexandro Sauli, e Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, Episcopo Aleriensi dein Papiensi, Sanctorum honores decernuntur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Calamitosis hisce temporibus, quibus Ecclesiae Dei hostes totis viribus nituntur, christianos greges obsequio et obedientiae pastorum a Christo constitutorum subducere, eosque ad mortifera pascua impellere; peropportunum accidit, ut Beatus Alexander Sauli in Sanctorum numerum adscribatur, qui se totum cunctasque animi et corporis facultates in commissi sibi gregis utilitatem contulit, quemque vivum mortuumque grex fidelium maximo amore et obsequio complexus est. Spei enim locus est, ut, tam illustri exemplo proposito, inter christianos pastores ac greges vincula magis magisque coarctentur; et ad mutua implenda munera, cum magno christianae reipublicae emolumento, utrique incitentur. Nam et discent Praesules, hac de causa populo christiano se esse praepositos, ut spirituali eius bono nihil antiquius habeant, et ad illud assequendum nullos labores, nulla discrimina subire detrectent; et plebes discent, pastoribus a Christo constitutis arctissime adhaerescere, eos diligere, dictisque eorum in omnibus audientes esse.

Mediolani natus est Beatus Alexander, 15 calendas Mar-

tias anno 1534, ex genuensibus parentibus nobilibus piisque, Dominico Sauli et Thomasia Spinola. Latinas graecasque litteras, historiam ac philosophiam domi didicit, deinde in Papiensi athenaeo iurisprudentiam. In his studiis acrioris ingenii adolescentis magni fuerunt processus; maiores tamen pietatis eius atque electissimarum virtutum. Cumque ad perfectiorem vitam a Deo se appellari sentiret, perpetuam ei castitatem vovit, matureque petiit, ut inter nuper Mediolani institutos Barnabitas sodales reciperetur.

Sacras eorum vestes induit anno 1551, et post trienne tirocinium, quo nisus est virtutum perfectionem adipisci, religiosa vota nuncupavit: cumque biennium in sacris studiis consumpsisset, anno 1556 sacerdos inauguratus, eo fervore iisque lacrymis sacrum primum celebravit, ut adstantium animos maximo opere commoverit. Delatum sacri concionatoris munus, cum eximia sacrarum disciplinarum prudentia, salutisque animarum impenso studio obivit: ita praeclaros percepit fructus, multorumque christifidelium mores emendavit.

Papiam anno 1557 missus, omnes suas vires contulit ad concionandum, recipiendas confessiones, pueros rudesque docendos, aegrotantes invisendos, morientibus praesto esse, obeunda nosocomia et carceres, adiumento esse adolescentibus, qui in papiensi athenaeo studiis vacabant. In eo Barnabitarum collegio docuit philosophiam, et theologiam: facultas vero theologalis non doctorem modo eum renunciavit, sed in suum quoque collegium ultro recepit. Sed Papiensis Episcopus, doctrinam eius, charitatem, humilitatem miratus, in visitationibus pastoralibus sibi eum assumpsit socium, eum examinatorem prosynodalem elegit, negotiumque commisit, ut ad docendum clerum sermones morales haberet.

Verum, cum anno 1567 Barnabitae patres Mediolanum convenissent, quo supremum sibi moderatorem constituerent, hoc munus in Beatum Alexandrum, quamvis invitum, sed omnium dignissimum, contulerunt. Eo magis ille summa contentione conatus est, virtutum omnium sodalibus eximia exempla praebere, seque ita despicere, ut si illorum omnium esset famulus statutus. Igitur, ad eorum commoda persequenda, se totum mancipabat, spiritualia tamen temporalibus praeponens; quod tum maxime eluxit, cum S. Carolus Borromaeus, Mediolanensis Archiepiscopus, ad *Humiliatos* sodales, qui ditissimi erant, corrigendos, consilium agitabat, eos cum pauperibus Barnabitis in unum corpus commiscendi. Nam vehementer restitit Beatus Alexander, cuius opera et consiliis S. Antistes utebatur, veritus ne maius Barnabitae detrimentum, quam emolumentum Humiliati, ex tali permixtione, recepturi forent.

Tres fere annos Barnabitis sodalibus praefuit, quibus ne ullum quidem, in Mediolanensium christifidelium bonum, suscipere laborem recusavit. Tunc Decessor Noster S. Pius V animo constituit, renuntiare eum Episcopum Aleriensem: cuius dioecesis, imo totius Corsicae insulae, miserrima erat conditio. Nam rerum ad religionem spectantium summa oblivio: sacrae aedes derelictae, et in profanos usus versae: sacerdotes desidiosi, rudes, dissoluti: nulli per annum festi dies, nulla ieiunia, nulla sacramentorum frequentia. Ad occurrendum tantis malis, peropportuna Pontifici visa est eximia Beati Alexandri charitas et alacre studium. Ut vero consilium huiusmodi Mediolani innotuit, totis viribus reluctati sunt Barnabitae, ne tam praeclarum magistrum amitterent; nec minori contentione reluctabatur ipse Alexander, episcopali se indignum dignitate putans. Ut vero certam expertus est Pontificis Romani voluntatem, se demisse subiecit; et 4 idus Martias anno 1570 in aede metropolitana mediolanensi a S. Carolo Episcopus est consecratus.

Ad Corsicam cum applicavisset, Aleriam se contulit: ibi vero, praeter arcem, nihil invenit, quod urbis vel oppidi simile esset. Cogebatur itaque huc illuc Episcopalem sedem, prout opportunitas vel necessitas ferebat, transferre; cumque in universa dioecesi nullus esset manendi locus, adactus fuit aliquod tempus extra dioecesim Bastiae (haec princeps insulae urbs erat) manere, ut seminario, iuxta leges Tridentinae Synodi instituendo, sedulam operam navaret. In ea horrida vastaque dioecesi per sacram visitationem obeunda, incredibile est quanti ei labores erant tolerandi. Iter explebat quotidie duodecim vel quindecim passuum millium, equo aliquando vectus, saepius pedibus, per impeditas semitas, ut dissitas casas ac segregata tuguria adiret: non enim continentia oppida fere occurrebant. Nec cibus in his domunculis praesto erat, nec vinum ad reficiendas vires, nec quiescendi vel manendi locus. Hos labores alacri ipse animo tolerabat, ut pasceret dilectas oves, aiens Deo serviendum esse ubi, quaque ipse ratione sibi serviri velit; ac Pauli repetens verba: *Sive enim vivimus, Domino vivimus, sive morimur, Domino morimur.*

Maiores etiam ei subeundi fuerunt labores in Balagna provincia, quam disciplinae reluctantem expertus, ad eam ipse se contulit, et quatuor ibi annos mansit. Exemplo ac verbis sacerdotes excitabat, ut sacris muneribus alacriter fungerentur: pastorales obiens visitationes, aegros adibat, sacramenta ministrabat: pauperes, miseros, calamitosos potiores habens, eis erat pecuniae, eis curae, eis benevolentiae largissimus. In tam asperis laboribus sustinendis, quartana febri, cum virium magna imbecillitate correptus est; adeoque morbus invaluit, ut Beatus Vir sancto Viatico fuerit munitus. Morbo tandem superato, ad deiectas vires recuperandas, coactus est Corsicam relinquere, et aliquod menses Mediolani manere.

Ad dioecesim reversus, fere biennium moratus est in oppido *Corte*, in media insula sito, ubi potissimum partes vigebant rubeorum ac nigrorum, in quas Corsi dividebantur. Ad eas sedandas, ipsi magnopere adlaborandum fuit, atque eximia charitas et fortitudo adhibenda: non enim dubitabat inter armatos pugnantesque se interponere, furentiumque ictibus corpus suum obiicere, ut quaque ratione illos ad pacem ac fraternam charitatem reduceret.

Ratus tamen sibi esse consulendum, ut Episcopi Alerienses stabili quadam sede potirentur, oppidum *Cervione,* quod viginti millia passuum Aleria distat, ad hoc elegit, eoque, anno 1578, se contulit. Aedificavit ibi Cathedrale templum, Seminarium, Episcopi et Canonicorum aedes; et corruens templum coenobiumque sodalium Franciscalium instauravit. Ad novam Episcopalem sedem firmius stabiliendam, cum Romam profectus esset, nuntiatum est in itinere, malas tempestates Corsicae ita agros vastasse, ut nulla iam spes messis superesset. Statim itinere intermisso, Cervionem reversus est, magna vi commeatuum Genuae Labroneque comparata; quibus tanta prudentia dioecesis pauperes aluit, ut nulli eorum, quae necessaria ad vitam agendam sunt, unquam defuerint.

Eamdem erga oves charitatem exhibuit, proximo anno

1580, quo Corsica pestilentia vexata est. Nam et precibus bonisque operibus Deum placari curavit; et sapientes normas praescripsit, ad morbi diffusionem praecavendam; et lue correptis diu ac noctu adfuit, animas eorum et corpora iuvans. Quidam quoque eorum narrantur, Beati Episcopi benedictione, ad sanitatem fuisse revocati.

Non raro enim, praesertim trepidis in rebus, ministrum omnipotentiae suae Deus fidelem Servum fecit. Qui aut futura praevidebat, aut revelabat occulta, aut ingruentes tempestates discutiebat, aut aegrotantes sanabat, aut e caelo eliciebat pluviam, qua sitientes agri recrearentur.

Ita Beatus Alexander, *animam suam dans pro ovibus suis*, Aleriensem dioecesim rexit, usque ad annum 1591, quo Gregorius XIV Decessor Noster eum ad sedem Papiensem transferre constituit. Ingens inde et Corsorum dolor, qui dilectissimum pastorem erant amissuri, et ipsius Alexandri, qui oves, quas unum et viginti annos tanto studio paverat, relinquere cogebatur. Ergo Romam perrexit: sed frustra nisus est hanc translationem avertere. Quare, ut honores fugeret, qui singulares ei in urbe habebantur, Papiam iter suscepit.

Quamquam maiores etiam honores ei a Papiensibus parabantur, non oblitis eximiarum eius virtutum, quas viginti annos iampridem experti fuerant. Itaque inter laetas omnium ordinum significationes et acclamationes, 14 calendas Novembres anno 1591, Papiam ingressus, ad vineam Domini excolendam, omnes animi et corporis vires intendit. In valetudinariis versabatur, et catechesis christianae scholis, iamdudum a se institutis; nec pueros ipse docere fastidiebat, et virtutum germina in tenellos animos infundere. Populum, a profanis solatiis abstractum, ad SS. Eucharistiam adorandam cogebat, et incredibili quodam fervore apud eum concionabatur. Divitibus exemplo hortationibusque auctor erat, ut opibus suis pauperum indigentiam sublevarent.

In deserviendo Deo, nullos labores recusans, absoluta in civitate sacra visitatione, ad e m persequendam, dioecesim peragrare coepit. Cumque pridie calendas Octobres anno 1592 ad oppidum *Calotium* advenisset, sequentem diem consumpsit concionans, docens catechesim, confirmationem ministrans, visitans sacram aedem et altaria, atque omnes ad se admittens, quotquot eum alloqui petebant. Proxima nocte articulorum doloribus febrique ita correptus est, ut mane e lectulo surgere non valuerit. Ne Parocho loci gravis esset, passus tunc est deferri domum Herculis a Robere Calotii comitis, cuius hospitium initio detrectaverat. Febris diebus insequentibus invaluit, additusque, cum acribus doloribus, totius corporis tumor. Haec hilari vultu tranquilloque animo tolerabat, submissa voce saepe aiens: *Quis me liberabit de corpore mortis huius?*

Vitae totius peccatis patri Rottoli Barnabitae confessis, instantibus precibus SS. Viaticum petiit, quod allatum ad eum est, 5 idus Octobres, frequenti populo comitante: hoc ut conspexit cubiculum introiens, quamquam fractis erat viribus, de Sacramenti illius excellentia dimidiam horam loquutus, flagranti charitate illud suscepit. Rogantibus de valetudine, respondebat: *Expecto donec veniat immutatio mea.* Postridie sacro oleo inunctus est: actisque Deo gratiis, quod in extrema hora mentem retineret, precibus animae commendationis respondit: tum a patre Rottoli petiit, ut ex S. Ioannis Evangelio Iesu Christi passionem legeret. Id ille aliquanto praestitit: deinde eum immotum conspiciens, iamque mortuum arbitratus, substitit. At Beatus Vir subito excitatus petiit, cur legere supersedisset, addens: Oh quantam haec intermissio mihi eripuit voluptatem! Instanter rogatus, ut rem patefaceret: Scilicet dignatus est Dominus, inquit, caelesti visu mihi felicitatem ostendere, qua electi eius fruuntur. Perge sane, perge legere. Igitur, eo legente, levatis oculis in caelum, et leni ducto suspirio, animam placide reddidit Deo, agens aetatis annum octavum et quinquagesimum.

Tam sancti Viri amissionem universa dioecesis deflevit. Sed Calotium tanti fuerunt hominum concursus, ut non domus modo, sed oppidi ipsius claudendae fuerint portae, quo multitudo paullatim ingrederetur, appetentium pedes manusque Beati Episcopi osculari, piasque res ad veneratum corpus admovere. Nec absimilis populi frequentia postridie fuit ad parochiale templum, cum funus eius celebraretur. Deinde per Tanarum, Padum Ticinumque sacrum corpus deductum Papiam: cumque ibi, 16 calendas Novembres, solemnes exequiae eius conficerentur, tanta populi multitudo se ad feretrum urgebat, et impetus eius, positis custodibus, coërcendus fuerit. Tandem, ex eius iussu, in eodem templo humi corpus datum est, ante gradus, quibus ad presbyterium ascenditur.

Sepulchro Beati Episcopi multus honos habitus est. Cumque, piis turbis accurrentibus, prodigia facta fuerint, loricula, venerationis causa, circumseptum est, ad quam tabulae votivae et oblationes appendebantur. Hanc vero venerationem, quae Sedis Apostolicae nulla venia nitebatur, tolerandam non esse Ioannes Baptista Billia, Episcopus ratus; cum nulla via tollere eam potuisset; Romam rem detulit. De ea igitur Cardinalis Bellarminus, qui Sacrorum Rituum Congregationi praeerat, certiorem reddidit Paulum V Decessorem Nostrum, qui censuit tam sancti Viri publicum cultum non esse omnino abolendum. Ita populi pietati libera via patefacta est; et, ne editis quidem urbanianis decretis, hac de re quidquam est immutatum, nisi postquam causa beatificationis inita est. Quare et Calotii et Papiae et in Corsica Beatus Alexander publice colebatur. Neque a rudibus tantum hominibus, sed a doctis et prudentibus et sanctis quoque in Sancti numero habebatur.

Verumtamen Barnabitae sodales, pro pietate, quam erga eum fovebant, atque observantia, qua Romanam Sedem prosequebantur, ea facultate de Beato Alexandro colendo, quam Paulus V concesserat, non contenti, exoptabant, ut Pontifex Romanus solemniori quadam ratione huius cultus auctor fieret. Petierunt itaque, ut beatificationis et canonizationis eius causa apud Sacrorum Rituum Congregationem institueretur. Preces eorum benigne excepit Decessor Noster f. r. Gregorius XV, qui, anno 1623, 15 calendas apriles commissionem introductionis huius causae manu sua signavit. Quamobrem de virtutibus Beati Alexandri Apostolica auctoritate quaesitum est: diu tamen deinde sustentata est haec causa: donec Clemens XII, anno 1732, die Natali Domini Nostri, edidit decretum, quo sanciebat: *Constare de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Charitate, nec non de cardinalibus, Prudentia, Iustitia, Fortitudine et Temperantia Servi Dei Alexandri Sauli earumque adnexis, in gradu heroico in casu et ad effectum, de quo agitur.*

Benedictus XIV, qui in Pontificatu Romano Clementem XII

excepit, quique Beatum Alexandrum singulari pietate colebat, miracula approbavit, quae requirebantur, ut ille in Beatorum numerum referretur: cumque in quaestionum tabulis multa prodigia narrarentur, decreto solemniter edito, VIII calendas februarias anno 1741, *ex propositis miraculis, duo in tertio genere approbavit, nimirum sextum: fratris Laurentii Mariae Obez, laici professi praefatae Congregationis septuagenarii, qui cum ex febri maligna et pustulis animam iam ageret, superposito Ven. Episcopi rochetto, statim sanatus est, die 31 Augusti 1674. Et decimum: Caroli Bertol militis sexagenarii, qui, ut letali pro febre rochetti eiusdem impositione depulsa, gratias ageret, ad Venerabilis Episcopi sepulchrum in sella gestatoria delatus, ac super lapidem stratus, a sexennali etiam crurium debilitate liberatus, repente surgens, domum suis pedibus rediit die 12 Decembris 1678.* Idem Pontifex, V idus Aprilis eodem anno, decrevit tuto procedi posse ad beatificationem Venerabilis Alexandri Sauli, quae paucis post diebus, IX calendas maias anno 1741, ad S. Petri penes Vaticanum montem, solemni ritu celebrata est.

Nova tamen cum miracula supervenissent idem f. r. Decessor Noster, IX calendas augustas anno 1753, commissionem resumptionis causae sua manu signavit. Quae tamen quum ob temporum calamitatem diu deinceps conticuit, tum quod sodales Barnabitae sollicitudinem praecipuam contulerunt, ut Antonio Mariae Zaccaria Patri legifero Sanctorum honores compararent. Hoc, anno 1897 (1) inter Sanctos feliciter adscripto, ad causam Beati Sauli eo maiore alacritate est reditum, quod, augescente Christifidelium pietate, nova recentius prodigia evenerant. Quare ab actoribus duo miracula selecta sunt, ad assequendam Beati Viri canonizationem, alterum quidem ex veteribus promptum, alterum ex recentioribus.

Primo miraculo valetudinem Modoestiae recuperavit Carolus Riva, qui altero iam anno inferiorum membrorum et motu et sensu amisso, neque ambulandi, neque exercendi sarcinatoriam artem retinebat potestatem, atque eleemosynis sustentare vitam cogebatur. Cumque, Iulio mense exeunte, atque ineunte Augusto anno 1741, Barnabitae patres, in honorem novensilis Beati Sauli, in templo Sanctae Mariae a Carrobiolo in triduum solemnia concelebrarent; Carolus ad templi portas, ut stipem quaeritaret, a filio est carrulo vectus, ibique cum esset, a novo Beato sanitatem imploravit, petiitque ut reliquiis eius benediceretur. Vix est benedictus, sensu ac motu temporis vestigio recuperato, e carrulo surrexit, et per longum iter domum pedibus rediit, neque amplius, donec vixit, paralysi laboravit.

Alterum miraculum factum est, anno 1899, 15 calendas Apriles, in oppido Cervione Corsicae insulae, in quo iamdudum Beatus Alexander sedem episcopalem fixerat. Hoc miraculo sanitati restituta est Maria Canessa, misera quaedam puella, quae, tenuem infirmumque corporis habitum sortita, aetatis anno septimo, correpta est vehementibus crurium doloribus, deinde tumefactionibus, postremo, non in cruribus tantum, sed in reliquo etiam corpore, ulceribus vulneribusque, ex quibus tabes saniesque diffluebat. Ita, saevis excruciata doloribus, viribus destituta, macie confecta, lectulo ut plurimum affixa, ad primum vicesimumque aetatis annum pervenit, nulla spe relicta recuperandae sanitatis. Eo res pervenerat, ut, quae ad eam sepeliendam erant necessaria, iam essent comparata: cum conscientiae moderator eam hortatus est, ut, quod nequiret ab hominibus accipere, per novendiales preces a Deo, deprecationibusque Beati Sauli fidenter peteret. Cum dicto audiens illa fuisset, sexto precum die, rediisse sibi vires sentiens, surrexit iam valens, et ambulavit. Nam vulnera coaluerant, cruciatus omnes evanuerant, nec in posterum de pristino morbo quidquam reverti visum est.

De hisce duobus miraculis triplici, iuxta morem, disceptatione habita, Nos 15 calendas Maii huius anni (1) solemniter ediximus: *Constare de duobus miraculis; de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Caroli Riva, a diuturna et gravi paraplegia, e mielite chronica transversa exorta; de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Mariae Canessa a gravi et diuturna affectione struma-tuberculari.* Deinde, 4 calendas Iunias (2), iterum decrevimus: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Alexandri Sauli canonizationem.*

His praemissis constitutisque, ut in solemnissima caeremonia cuncta servarentur, quae ab Antecessoribus nostris, ad celebritatem eius ac decus, sunt sapienter praescripta; primum omnes S. R. E. Cardinales, 18 calendas Decembres hoc anno, sententiam quemque suam prolaturos, Nobis in Consistorio iussimus adesse; qui, dilecto filio Dominico Pucci Sisti, Consistorialis aulae Advocato, de gestis Beati Alexandri Sauli dicente, audito, Nos uno ore ad causae huius legitimam definitionem sunt cohortati. Interea vero curavimus, ut non viciniores modo Episcopi, sed et remotissimi quique, de tanta solemnitate, per litteras a sacra Concilii Congregatione ad hoc datas, admonerentur, quo, si facultas esset, sententiam et ipsi prolaturi, Nobis adstarent. Qui ex dissitis regionibus cum non pauci convenissent, mature causa cognita, tum ex illis, quae eo usque gesta fuerant, praesertim in publico Consistorio coram Nobis habito, tum ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum exemplar singulis traditum est, in Consistorio semipublico, nonis Decembribus coram Nobis habito, in eamdem, quam dilecti Filii Nostri S. R. E. Cardinales, sententiam iverunt, cuius rei instrumenta publica a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis delata sunt.

Solemni igitur Canonizationi celebrandae diem praefinivimus 3 idus Decembres: atque interea, communi indicto ieiunio, fideles sumus vehementer cohortati, ut ferventes ingeminarent preces, in iis praesertim sacris aedibus, in quibus SS. Sacramentum publice adorandum ex praescripto proponeretur, ut et ipsi ex tanta caeremonia fructus uberiores perciperent, Nobisque, in tam gravi officii nostri munere, Spiritus Sanctus benignus adesset.

Auspicatissima et optatissima dies quum advenerit, omnes quum saecularis, tum regularis cleri Ordines, omnes Curiae Romanae Praesules et Officiales, omnes denique, qui in Urbe aderant, venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, Abbates in Vaticanam Basilicam magnifico cultu ornatam convenerunt: Nosque, iis omnibus solemni supplicatione praeeuntibus, eamdem ingressi sumus. Tunc vero dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Tripepi Sacrae Rituum Congre-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, in *Indice Gen.* ad verbum *Zaccaria.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XII, p. 207.
(2) *Item*, vol. XII, pag. 254.

gationis Pro-Praefectus Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Octavio Pio Conti Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis et preces detulit sacrorum Antistitum universaeque familiae Clericorum Regularium S. Pauli Barnabitarum, ut Beatum Alexandrum Sauli, una cum Beato Gerardo Majella, in Sanctorum numerum referremus. Id cum iterum tertioque iidem Cardinalis Aloisius Tripepi et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus instantius et instantissime egissent, Nos caelesti lumine ferventer implorato, — « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra, matura deliberatione, et voto venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, nec non Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum et Episcoporum consilio, praedictum Beatum Alexandrum Sauli e Clericis Regularibus S. Pauli, Episcopi Aleriensis, et deinde Papiensis, Sanctum Confessorem esse ediximus », — Eique, eodem decreto, sociavimus B. Gerardum Majella, virtutum omnium laude et gloria miraculorum praeclarum. Memoriam porro S. Alexandri Sauli, quotannis dies 5 idus Octobres recolendam, in Martyrologio Romano notari mandavimus, et Christifidelibus, qui exuvias eius eo die venerati fuerint, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum perpetuo concessimus. Denique, ob tantum beneficium, gratias Deo Optimo Maximo ex animo egimus, et solemne Sacrum litavimus. Post Evangelii lectionem, clerum ac populum homilia alloquuti sumus, hortans, ut, non modo Apostolorum Principes, sed etiam Sanctos novensiles, spei et charitatis pleni, sibi, Ecclesiae, universae hominum societati propitios mererentur. Postremo cunctis adstantibus plenariam peccatorum indulgentiam amantissime impertiti sumus.

Nunc vero omnium Christifidelium oculi in novensilem Sanctum convertantur, qui cum, in lustranda per sacram visitationem dioecesi, morte se deprehendi conspiceret, gratias Deo egit, quod, inter pastoralia munera obeunda, sibi e vita mortali cedere contigeret. Oh beatum Virum! qui, aegra voluntate auctus episcopatu, non est ratus, se aliis esse potiorem factum, imo omnium famulatui addictum esse atque mancipatum. Nunquam enim Christi Domini oblitus est verba: *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor, et qui praecessor est, sicut ministrator (Luc. XXII, 26);* nec unquam oculos a Christi exemplo avertit, qui de se ipse dixit: *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat (Ibid. 27).* Quibus igitur non est potestas collata, S. Alexandri Sauli exempla imitantes, eam non exoptent, animo reputantes, magis in ea oneris esse, quam honoris, atque satius esse obedire, quam imperare. Qui vero potestate potiuntur, tam eximio exemplo et ipsi edocti, perpetuo recogitent, non in suam, sed in subditorum utilitatem, sibi esse eam datam, ut omnes cognoscant et diligant Iesum Christum Dominum Nostrum, eique fideliter serviant.

Omnibus itaque, quae erant inspicienda, rite perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, cuncta et singula praedicta confirmamus, roboramus, atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Catholicae Ecclesiae denunciamus; mandantes ut praesentium litterarum transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere aut attentare praesumpserit, vel ei ausu temerario contraire, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno ab incarnatione Dominica Millesimo Nongentesimo Quarto, 3 Idus Decembres, Pontificatus Nostri Anno II.

✠ EGO PIUS CATHOLICAE ECCLESIAE EPISCOPUS.

Loco ✠ *S.*

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.

✠ Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Vannutelli Maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Vannutelli.

✠ Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli.

✠ Ego M. tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.

✠ Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Di Pietro.

✠ Ego Fr. H. M. Ord. Carmel. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Card. Cretoni.

✠ Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali del Drago.

✠ Ego F. de Paola tit. S. Crisogoni Presbyt. Card. Cassetta.

✠ Ego A. tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Samminiatelli.

✠ Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu.

✠ Ego P. tit. S. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi.

✠ Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli.

✠ Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gennari.

✠ Ego C. tit. S. Calisti Presbyt. Card. Nocella.

✠ Ego B. tit S. Mariae in Ara-Coeli Presbyt. Card. Cavicchioni.

✠ Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani.

✠ Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Merry del Val.

✠ Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Macchi.

✠ Ego A. Soc. Ies. S. Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. S. Mariae in Porticu Diac. Card. Segna.

✠ Ego R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.

✠ Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Della Volpe.

✠ Ego F. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.

✠ Ego A. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Tripepi.

✠ Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.

A. Card. DI PIETRO, *Pro-Dat.* — A. Card. MACCHI

Visa

DE CURIA I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS.

Loco ✠ *Plumbi*

Registr. in Secret. Brevium. V. CUGNONIUS.

II.

Bulla Canonizationis B. Gerardi Majella.

Sanctissimi in Christo Patris et Domini Nostri Pii D. P. PP. X. Litterae Decretales quibus Beato Gerardo Majella, laico professo Congregationis SS. Redemptoris, sanctorum honores decernuntur.

PIUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

Ad perpetuam rei memoriam.

Haud tenui perfundimur animi laetitia, quod, pro supremo munere Nobis, licet indignis, collato, Beatum Gerardum Majella in Sanctorum numerum referre, eumdemque ut eximium exemplum Christifidelibus universis imitandum proponere, Nobis contingat. Eum equidem despexit mundus, et fatuum arbitratus est: non item vero Deus, qui priuem dixerat: *Beati pauperes, quia vestrum est regnum Dei* (*Luc. VI, 20*); *Deus qui in altis habitat et humilia respicit in caelo et in terra, suscitans a terra inopem, et de stercore erigens pauperem, ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui* (*Ps. CXII, 5-7*); Deus itaque hunc Servum suum plurimi fecit; et per eum, quum adhuc viventem, tum vita iam functum, omnipotentiam suam saepius exseruit, ut fideles homines memoriam eius colerent, et eius virtutes imitarentur. Etenim *quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes; et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia; et ignobilia mundi et contemptibilia elegit Deus, et ea quae non sunt, ut ea quae sunt destrueret* (*I Cor. I, 27, 28*).

Tenui loco natus est Gerardus, 9 kalendas Maias anno 1726, Muri, quae est urbs Lucanorum, ex Dominico Majella et Benedicta Galella coniugibus. Qui curaverunt eum baptismatis aquis lustrari, ac pro sua pietate eum sancte instituerunt. Ille, parentum sedulitati, et gratiae divinae, quae eum mature occupabat, impulsionibus volenti animo respondens, puerilibus iocis et cupiditatibus abstinebat, precibus frequentem dabat operam, et cum aequalibus sacros ritus imitabatur. Puerilis animi candorem sibi acceptum esse Deus prodigiis manifestabat. Cum enim ille templum B. Virgini dicatum, ad alterum Muro lapidem, petebat, Iesus infans, Matris brachiis relictis, ad eum accedebat, atque cum eo puerili more ludebat. Et quando sacro aderat, postquam sacerdos hostiam consecraverat, puerum Iesum inter eius manus videbat, ipsumque ab eo frangi, ipsum comedi.

Adolescens factus, addictus fuit a matre vestiariae cuidam officinae, ut artem sarcinatoris addisceret. Ipse simul, in eius tabernae angulis, precibus incumbebat, aut inde egrediebatur, ut in templo interesset sacro: hac de causa, a praecipuo operario odio habebatur, direque vapulabat: quas vexationes aequo animo, Christi amore, sustinebat. Cumque sarcinatoriam artem didicisset, eam, iam patre amisso, exercebat, et ex perceptis lucris nihil fere sibi reservans, iis matrem sustentabat, stipem erogabat pauperibus, piacularia sacra, ad animas admissa expiantes recreandas, confici curabat. Quem cum consumptis lacerisque vestibus indutum patruus, qui erat pater Capulatus, conspexisset, novas ei emit: at ipse paulo post pauperi homini eas donavit, aiens illum, se magis, eis indigere.

Frequens erat in sacramentis excipiendis: quotidie intererat sacro: coram SS. Eucharistia noctes integras pervigilabat; nec raro, in commentandis rebus, extra sensus rapiebatur: fidei christianae elementa adolescentes docebat. Singularem erga B. Virginem pietatem exhibuit, quo die simulacrum eius sacra supplicatione circumferendum erat: accessit enim ipse, et digito eius annulo inducto, obtestatus est cives, quod eam sibi spoponderat.

Verum, cum vitam religiosam inire exoptaret, petiit, ut in Capulatorum sodalitium adscriberetur: nec tamen, propter insignem maciem, ab eis exceptus est. Quamobrem instituit asperrimam, et a consortio hominum segregem vitam ducere. In deserto loco, ciliciis et afflictationibus corpus macerans, radicibus atque amaris herbis vescebatur: neque inde egrediebatur, nisi ut Sacramenta exciperet. Hanc tamen eremiticam vivendi rationem deinde reliquit, ut conscientiae rectoris iussui obtemperaret. Nec vero contemptuum amor dolorumque est imminutus, quibus Christi effici similis exoptabat. Gaudebat enim, quum eum ut fatuum pueri sequebantur, aut in eum spuebant, et lapidibus petebant; ac genam caedenti alteram humiliter obiiciebat: imo amicos iubebat, ut se caederent flagellis, vel capite inverso suspenderent, ac subiicerent fumum, vel pedibus ligatum per saxa rupesque pertraherent.

Septem ac decem annos natus, Beatus Gerardus aggressus est famulari Episcopo Laquedoniae, cuius pervagatam morositatem patienti animo toleravit. In ea urbe reconciliandae cum Deo gratiae cuidam sacerdoti, qui sacris sacrilege operabatur, auctor fuit, intimo conscientiae statu ei palam facto. Narratur etiam, cum aquam haurienti clavis episcopalis diaetae in puteum concidisset, simulacrum Iesu pueri in puteum demisisse, illudque manu clavem gerentem inde retraxisse. Quare post haec puteus ille a Gerardo nomen invenit. Post tres famulatus annos, Episcopus Laquedoniensis obiit, quem ex animo Gerardus deflevit, et Murum est reversus.

Murum cum advenissent non ita pridem a S. Alphonso instituti sodales a SS. Redemptore, sacras, more suo, obeuntes expeditiones, Gerardus illis in omnibus praesto fuit, petiitque ut inter eos reciperetur. Attamen tunc etiam obstaculo erat corporis gracilitas et extenuatio: mater quoque Gerardi consilio totis viribus reluctabatur, eoque die, quo illi Muro profecti sunt, filium domi clausum secum detinuit. Ipse vero, cum facta nox esset, linteis suspensus, demisit se per fenestram, et per alpestrem atque asperam duodecim millium passuum viam eos assequutus, preces iteravit, velint sui experimentum facere, dimittantque, nisi idoneum invenerint. His efflagitationibus litteras obtinuit, ad praepositum collegii Iliceti: quibus arreptis, pedestri duorum dierum itinere, eo laetus pervenit.

Ibi religionis vota anno 1752 nuncupavit, omnibusque viribus, ad virtutum perfectionem assequendam, animum intendit. In gravioribus quibusque laboribus, praesto erat sodalibus; cumque noctu illi quieti, ipse ante SS. Sacramentum orationi vacabat. Cibi ac potus severa abstinentia erat, asperrimisque macerationibus corpus affligtabat: simul mira supra naturam dona illi impertiebat Deus. Cum ulcerosum cuiusdam crus ore suo suxisset, homo e vestigio sanatus est. Cum Ilicetani collegii praepositus quatuordecim millibus passuum longe abesset Iliceto, apud Melphitanum Episcopum, ex illo intervallo Gerardum iussit, ut eo ve-

niret. Venit revera: miratusque Episcopus tantum virum viginti saltem dies secum retinere voluit, ut consiliis eius uteretur. Sed afflictationum cruciatuumque, quibus Christo Domino similis fieret, inexplebile hominis desiderium. Ipse enim homines, quos ad bonam frugem revocaverat, tertio vel quarto quoque die, ad solitarium locum secum ductos, iubebat, ut se flagellis aspere caederent, manibus scopulo alligatis; spineam deinde coronam imponerent capiti, baculoque premerent; tandem, ex duobus tignis cruce composita, se illi affigerent.

Inimicitias hominum conciliare ac tollere missus est. Castri Grandinis cum adolescens esset interfectus, pater eius, ab uxore potissimum inflammatus, inhiabat occisionem ulcisci. Gerardus, eo accitus, furentium coniugum domum accurrit, coram eis in genua se provolvit, et Christi cruci affixi e sinu educta imagine, et humi deposita, clamabat eam conculcarent, antequam ad sanguinem caedesque currerent. Quibus vocibus illi commoti ac territi, iram posuerunt, et cum inimicis gratiam reconciliaverunt.

Haec tamen Beati Viri praeclarae virtutes eum non exemerunt, quominus flagitii insimularetur. Quaedam enim puella, quae Gerardi opera, doteque ab eo comparata, in fodianum asceterium a SS. Servatore excepta fuerat, paulo post cum asceterium dereliquisset, ut animi levitatem tegeret, coepit contra eas sanctimoniales crimina fingere, et contra ipsum Beatum Virum, quem insimulabat cum laquedoniensis hospitis filia inhonestum commercium inivisse. Crimen S. Alphonsus credidit, qui Nuceriam arcessitum et severe increpuit, et duas ab eo poenas expetivit; nam vetuit communicare cum extraneis, ieiunare iussit, quodque Beato Viro acerbissimum, a sanctis Epulis removit. Ipse vero tam dura fortissime ultra mensem ita toleravit, ut ne verbum quidem, ad se purgandum, proferret: donec illa foemina, cum graviter aegrotasset, conscientiae stimulis agitata, rei veritatem detexit, ac Gerardi quum innocentia, tum singularis virtus explorata omnibus fuit.

Post haec, cum Beatus Gerardus Neapolim missus esset, et prope littus ambularet, navem vidit quae tempestate conflicta, neque appellere posset ad terram, et iam prope esset ut a fluctibus obrueretur. Pereuntium commotus misericordia, cum nemo esset, qui auxilium ferre valeret, mare securus est ingressus, et per furentes fluctus ad navem accessit, arreptamque manu, et iussam per SS. Trinitatem, ut se sequeretur, ad littus incolumem deduxit.

Deinde ad collegium Matris Domini se transferre iusso ianitoris munus commissum est. In quo explendo, ad ferendam indigentibus opem, studiosissime intendebat animum. Non modo enim, quae per superiores licebant, tribuebat eis, sed de necessario cibo sibi ipse detrahebat, quem eis largiebatur. Caritatis tempore, cum ad famem eorum explendam collegii horrea exhauriret, ea paulo post iterum prodigio referta reperiebantur: aliquando autem panem omnem sodalibus paratum illis distribuebat, qui tamen simili miraculo integrabatur. Simul spiritualem etiam eis cibum praebebat, fidei christianae eos rudimenta docens. Sed erga aegrotos mirabilis sollicitudo: ad quos Caput Silari se per diruptam semitam conferebat, eisque eleemosynis, pharmacis, hortationibus ipso tandem conspectu suo subveniebat, quem, ut adesset pluribus, miraculo quandoque multiplicabat.

Eodem vero tempore magis magisque Dei charitate flagrans, aiebat unum sibi in vita agendum esse, unum exquirendum, ut Deo placeret, Deo afferret delectationem, Dei in omnibus faceret voluntatem. Quare in Deum toto animo intentus, alienas res aliquando obliviscebatur: ut quodam mane accidit, quod fere integrum, caelesti cibo refectus, in divinarum rerum commentatione consumpsit, muneris oblitus sibi commissi parandi sodalium cibos. Id quidam ex eis cum advertissent, ad eum monendum perrexerunt. Qui placide respondit: Sed angelis ecquod negotium est? Cum vero prandii datum est signum, stupentibus sodalibus, omnia, quae ad alimoniam eorum spectabant, apte instructa erant atque parata.

Deo devotae virgines sedulae curae ei fuerunt. Nam non pauca asceteria in disciplinam eius ultro se tradebant; et ipsi Episcopi Melphis, Trojae, Muri, Compsae, Laquedoniae sacras suarum dioecesum virgines ei commendabant. Quibus, tam dissitis in locis, aut praesens, aut litteris missis, praesto erat, ut vel perfectionem conantibus adipisci adderet alacritatem, vel tepentes negligentesque ad pristinae disciplinae severitatem revocaret.

Erat Gerardo incredibilis quidam peccati horror, ut non modo procul ab illo ipse fugeret, sed illud ab aliis etiam eripere totis viribus conaretur: quod si assequi id nequiret, et ab hominibus offendi Deum videret, terrore perculsus, vultus hilaritatem ponebat, et se in terram prosternens, qua ratione fas erat, Dei offensionem resarcire conabatur. Cum esset Compsae scelestus quidam homo, qui, sacerdotem se esse simulans, et sacrum ministerium exercens, in errorem omnes induxerat; eum adivit Gerardus, occultisque facinoribus, quae divinitus illustratus cognoverat, patefactis, assecutus est, ut nequissimam eam vitam ille abiiceret.

Tam eximiae Viri virtutes iam eum maturum efficiebant, qui caelestem earum mercedem a Deo reciperet. Augusto mense anno 1755, cum esset annos natus undetriginta, missus ad finitima oppida est, ut saepe fiebat, ad corrogandas eleemosynas pro construenda domu Matris-Domini. Cumque elanguens confectusque ad oppidum Olivetum pervenisset, magnam ibi vim sanguinis evomuit, et ad collegium Matris Domini, iussu moderatoris, reversus est. Qui, cum eum cadaveris speciem referentem conspexit, fletum continere nequivit. Contra Beatus Vir eum hortabatur, laeto animo esset: Dei quippe voluntatem hilare faciendam esse aiebat. Quamquam vero, mox moriturus, extremis sacramentis est munitus, tamen, ita obedientia iussus, visus est consanescere: sed praedixit, eo ipso anno, sibi ex eodem morbo esse moriendum.

Quare, cum mense Octobri in tabem recidisset, aiebat velle se mori, quo ad Deum advolaret, velle vivere, quo pro Christo pateretur. Singulari animi ardore SS. Eucharistia quotidie reficiebatur; et in imagines Iesu cruci adfixi et Matris eius coram se positas amantissime intuebatur. Petierat a Deo, ut ab omnibus derelictus moreretur, idque obtinuit. Nocte enim, quae idus Octobres antecessit, sodales, ex medici sententia, non esse eum tam cito moriturum arbitrati, in sua quisque cubicula recesserunt, relicto penes eum fratre Stephano Sperduto. Beatus Gerardus pie orans, admissorumque veniam a Deo humillime petens, eam noctem traduxit, et Iesu ac Mariae nomina iugiter invocans ac benedicens. Cumque aliquantum aquae poposcisset, abiit ad eam sumendam Stephanus, reversusque invenit eum iam morientem, qui, vix patre Bonamano appellato, animam

exhalavit. Mortuus est tricesimo aetatis anno, die exeunte S. Theresiae sacro, quam ipse singulariter colebat.

Mane sequenti funus habitum est, ad quod tanta multitudo atque ex adeo remotis oppidis confluxit, ut id prodigio adscriptum fuerit. Suavis odor e corpore manabat: frons, pectus sudorem emittebant; secataque vena, vivus sanguis exsiluit. Urgebat se circa corpus populi multitudo, cupientibus omnibus sudorem illum vel sanguinem linteis excipere, vel quidquam inde sibi assumere, quod pio ac religioso cultu servarent. Ita tres dies corpus insepultum relictum est, custodesque circa positi, qui a pio fidelium impetu illud defenderent. Tandem in ipso templo collegii Matris Domini separato sepulchro conditum est.

Huic sepulchro multum Christifideles honorem tribuerunt, Beatique Viri suffragationum pondus experti sunt. S. Alphonsus animo deliberaverat eius historiam exarare; sed aliae curae eum impediverunt. Alphonsi obitum adversa tempora sequuta sunt: cumque licuit, prima Ligorianorum sodalium cura fuit, ut Conditori suo superum honores quaererent. Potissimum hoc desiderium adepti, curaverunt de Beati Gerardi virtutibus institui ordinarias quaestiones: quibus Pius IX f. r. Decessor Noster nisus, commissionem causae eius ineundae signavit, 15 calendas Octobres anno 1847.

Quare, apostolicis quaestionibus habitis, idem Pontifex, 6 idus Iunias anno 1877, decrevit: *Ita constare de virtutibus theologalibus et cardinalibus earumque adnexis in gradu heroico Ven. Servi Dei Gerardi Majella, laici professi ex Congregatione SS. Redemptoris, ut procedi possit ad ulteriora, nimirum ad discussionem quatuor miraculorum.*

Quatuor igitur proposita sunt miracula; primum fuit: *Instantaneae perfectaeque sanationis Annae Mariae Theresiae Deheneffe ab inveterato vulnere fistuloso, nullo relicto cicatricis vestigio;* alterum: *Instantaneae perfectaeque sanationis Laurentii Riola a gravi tubercolosi meseraica;* tertium: *Instantaneae perfectaeque sanationis Ursulae Solito a tumore canceroso conclamato;* quartum: *Instantaneae perfectaeque sanationis Iosephi Santorelli ab ileo-typho gravissimo.* De hisce miraculis solemniter edixit constare Leo XIII f. r. Pontifex Maximus, 8 Calendas Apriles anno 1892. Idemque, 6 idus Septembres anni ipsius, decrevit: *Tuto procedi posse ad solemnem Ven. Servi Dei Gerardi Majella beatificationem* (1).

Beatificationis vero solemnia celebrata sunt apud Vaticanam Basilicam, 4 Calendas Februarias anno 1893. Cumque, Beati Viri precibus, nova prodigia effecta esse narrarentur; 4 idus Iulias anno 1893, id. f. r. Decessor Noster commissionem signavit resumptionis causae. Ergo Postulatores tria prodigia protulerunt, a Sacra Congregatione approbanda: ac deinde duo alia. Ex his omnibus duo (tot enim requirebantur) probata sunt. Primo, pridie Calendas Septembres anno 1893, sanata est Valeria Baerts a gravi febri typhoidea, cui cum meningites accessisset, infelix puella, agnoscendi facultate amissa, horrendis exagitata spasmis, morti imminenti iam erat addicta, cui eam fore se erepturos nec medici, nec necessarii sperabant. Verum, cum ad eam accessisset pater Cousin ex Ligoriana familia, et reliquias B. Gerardi imposuisset, hunc flagitaverunt qui adstabant, ut puellae sanationem ac fere resurrectionem a Deo impetraret. Statim illa placide obdormivit, cumque expergefacta est, compos erat sui, et quaevis morborum symptomata plane evanuerant: quaedam tantum remansit debilitas virium, quae tamen et ipsae, paucorum dierum spatio, restitutae sunt.

Altero prodigio Vincentius De Geronimo Compsani seminarii alumnus optimam recuperavit valetudinem, qua infirma et imbecilla a nativitate usus fuerat. Verum, exeunte anno 1896, incidit in tam vehementem pleuritidem exsudativam, ut, post novem dies, de sanatione eius medici desperarent, iamque morti proximus esset. Hisce angustiis impulsus, seminarii moderator Beati Gerardi reliquias super aegrotantis pectus imposuit. Qui illico tranquillo somno se dedit, postque aliquas horas eo excusso, sensit se esse morbo perfecte liberatum, viresque sibi rediisse.

Quater de primo prodigio, ter de secundo cum esset disceptatum, Nos, divino lumine invocato, 18 Calendas Septembres huius anni (1), solemniter sanximus: *Constare de duobus propositis miraculis, scilicet de primo: Instantaneae perfectaeque sanationis Valeriae Baerts in supremo vitae agone constitutae, ex febri typhoidea ad extremum stadium perducta, et meningiti cerebrali consociata; et de altero: Instantaneae perfectaeque sanationis Vincentii De Geronimo a lethali pleuritide exsudativa.* Tum, die eodem, pronunciavimus: *Tuto procedi posse ad solemnem Beati Gerardi Majella canonizationem* (2).

Verum, ut in tanto negotio iuris ordo servaretur, quem Decessores Nostri iam pridem constituerunt, primum universos S. R. E. Cardinales in Consistorio habendo 18 Calendas Decembres huius anni, sententiam eorum rogaturi, Nobis adesse iussimus, qui Beati Gerardi gestis a dilecto filio Odoardo Marchetti, Consistorialis aulae advocato, auditis, Nos ad causae huius legitimam definitionem sunt uno ore cohortati. Interea curavimus ut, datis a Sacra Concilii Congregatione litteris, non viciniores solummodo Episcopi, sed etiam remotissimi quique de tanta solemnitate commonerentur, et, si esset eis facultas, sententiam suam ipsi quoque dicturi, Nobis adessent. Eorum ex orbe universo non pauci ad Urbem convenerunt, qui, causa plene cognita, et ex iis, quae in publico Consistorio acta fuerant, et ex actis Sacrae Rituum Congregationis, quorum singulis exemplar tradi voluimus, in Consistorio semipublico coram Nobis nonis Decembribus hoc anno coacto, in eamdem, quam Patres Cardinales, sententiam iverunt. Cuius rei publica instrumenta, a dilectis filiis Sedis Apostolicae Notariis confecta, in tabularium Sacrae Rituum Congregationis relata sunt.

Huic vero solemni Canonizationi celebrandae praefiximus diem 3 idus decembres: et, ieiunio indicto, fideles sumus etiam atque etiam hortati, ut preces, iis praesertim in aedibus ingeminarent, in quibus publica augustissimi Sacramenti indicta esset adoratio, ut et ipsi uberrimum fructum possent ex tanta solemnitate percipere, et Nobis, in illa absolvenda Spiritus Paraclitus adesset.

Cum ergo praesignata a Nobis dies advenerit, omnes quum saecularis tum regularis cleri ordines, singuli Romanae Curiae Praesules et Officiales, cuncti denique venerabiles Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi in Vaticanam Basilicam magnifice ornatam convenerunt, quibus solemni supplicatione

(1) Cfr. *Anal. Ecc.*, in *Indice gen.* ad verbum *Maiella.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XII, p. 385.
(2) *Item*, p. 386.

praeeuntibus, et Nos ingressi sumus. Tunc dilectus Filius Noster Cardinalis Aloisius Tripepi, Sacrae Rituum Congregationis Pro-Praefectus, Canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto Filio Octavio Pio Conti Consistorialis Aulae Advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum Antistitum et universae Ligorianorum Familiae, ut Beatum Gerardum Majella, una cum Beato Alexandro Sauli in Sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum ac tertio memoratus Cardinalis Aloisius Tripepi et Nostrae Consistorialis Aulae Advocatus precibus institissent, Nos superno lumine iterum ferventiusque implorato, « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad catholicae fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Iesu Christi et Nostra, matura deliberatione, et venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium, Patriarcharum, Primatuum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, Beatum Gerardum Majella, laicum professum Congregationis SS. Redemptoris, Sanctum esse, et in Sanctorum catalogo adscribi decrevimus ». Cui, eodem decreto, copulavimus B. Alexandrum Sauli, charitate in Deum hominesque, pastorali studio, reliquisque eximiis virtutibus insignem. Mandavimus etiam ut Sancti Gerardi Majella memoria die 16 Octobris in Martyrologium Romanum referretur; et Christifidelibus, qui exuvias eius eo die fuerint venerati, indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in perpetuum concessimus. Gratias denique de tanto beneficio Deo optimo Maximo cum egissemus Sacrum solemne fecimus. Post Evangelium vero clerum ac populum homilia allocuti sumus, atque hortati, ut omnes non Apostolorum Principes modo, sed novensiles etiam Sanctos, fidei pleni et charitatis, sibi, Ecclesiae, hominum denique societati universae propitios mererentur. Plenariam tandem indulgentiam cunctis praesentibus peramanter impertiti sumus, atque Apostolicas hasce Litteras Decretales sub Plumbo expediri mandavimus.

En ergo, o Christifideles, duo alii Sancti, e feracissimo Ecclesiae Dei gremio orti, colendi vobis atque imitandi proponuntur. Oh quam inter se dissimiles! Unus nobili genere natus; alter infima conditione et fortuna: ille liberalibus artibus, ac sacris profanisque disciplinis eruditissimus; hic, praeter rudimenta litterarum, doctus tantum manuum labore sibi victum comparare: illi Christi grex pascendus traditus; hic religiosis sodalibus famulus addictus, et ad eorum alimoniam per oppida ac domos rogitans stipem. Verum adeo inter se dispares coniunxit pene infinita erga Deum charitas, quarumcumque rerum humanarum despicientia, coelestium vehemens desiderium: ut perspicuum sit, omnium conditionum ac statuum homines ad se Deum appellare, omnes perfectos, omnes sanctos esse velle. Quare hunc quoque imitamini: qui non est conatus, ex humili conditione se extollere, nec divitias, potentiam, voluptates persecutus est: sed Deus deliciae eius, eum quaesivit, ei adhaesit, eum toto animo dilexit. Ecquis tandem inter homines eo sapientior? Etenim *divites eguerunt et esurierunt: inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono* (*Ps. XXXIII, 10*). Deus quippe *dispersit superbos mente cordis sui: deposuit potentes de sede, et exaltavit humiles (Luc. I, 51, 52)*. Ipse, miris patratis prodigiis, etiam in hac mortali vita, coram hominibus humilem ac simplicem Servum suum extulit. Qui et intima animorum penetrabat, et futura praevidebat, et annonam multiplicabat, liberabat in discrimine positos, sanabat aegrotos, peccatores cum Deo reconciliabat. Quod si tam gratae Deo fuerunt S. Gerardi virtutes, vestigiis eius omnes ingrediantur, quotquot Christi sanguine regenerati sunt; fluxas quasque res aspernentur, ac Deum unum totis animi viribus diligant atque expetant.

Omnibus itaque, quae consideranda erant, bene perpensis, certa ex scientia, et Apostolicae Auctoritatis Nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque Ecclesiae Catholicae denunciamus; mandantes, ut praesentium litterarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii Apostolici subscriptis, et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris praesentibus haberetur, si exhibitae vel ostensae forent.

Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno ab Incarnatione Dominica Millesimo Nongentesimo Quarto, III Idus Decembres, Pontificatus Nostri Anno II.

✠ Ego PIUS Catholicae Ecclesiae Episcopus.

Loco ✠ S.

✠ Ego A. Episcopus Ostien. et Velitern. Card. Oreglia a S. Stephano S. R. E. Camerarius S. C. Decanus.

✠ Ego S. Episcopus Portuen. et S. Rufinae Card. Vannutelli Maior Poenitentiarius.

✠ Ego A. Episcopus Albanen. Card. Agliardi S. R. E. Vice-Cancellarius.

✠ Ego V. Episcopus Praenestinus Card. Vannutelli.

✠ Ego F. Episcopus Tusculanus Card. Satolli.

✠ Ego M. tituli S. Caeciliae Presbyt. Card. Rampolla.

✠ Ego A. tit. S. Laurentii in Lucina Presbyt. Card. Di Pietro.

✠ Ego Fr. H. M. Ord. Carmel. excalc. tit. S. Mariae de Scala Presbyt. Card. Gotti.

✠ Ego D. tit. S. Priscae Presbyt. Card. Ferrata.

✠ Ego S. tit. S. Mariae supra Minervam Presbyt. Cardinalis Cretoni.

✠ Ego J. B. tit. S. Mariae de Victoria Presbyt. Card. Casali Del Drago.

✠ Ego F. de Paola tit. S. Crisogoni Presbyt. Card. Cassetta.

✠ Ego A. tit. SS. Marcellini et Petri Presbyt. Card. Sanminiatelli.

✠ Ego F. D. tit. S. Sabinae Presbyt. Card. Mathieu.

✠ Ego P. tit. S. IV Coronatorum Presbyt. Card. Respighi.

✠ Ego S. tit. S. Augustini Presbyt. Card. Martinelli.

✠ Ego C. tit. S. Marcelli Presbyt. Card. Gènnari.

✠ Ego C. tit. S. Calisti Presbyt. Card. Nocella.

✠ Ego B. tit. S. Mariae in Ara-Cœli Presbyt. Card. Cavicchioni.

✠ Ego E. tit. S. Bernardi ad Thermas Presbyt. Card. Taliani.

✠ Ego R. tit. S. Praxedis Presbyt. Card. Merry del Val.

✠ Ego A. S. Mariae in Via Lata Protodiaconus Macchi.

✠ Ego A. Soc. Ies. S. Agathae ad Subur. Diac. Card. Steinhuber.

✠ Ego F. S. Maria in Porticu Diac. Card. Segna.

✠ Ego R. Ord. Praedic. SS. Cosmae et Damiani Diac. Card. Pierotti.
✠ Ego F. Sal. S. Mariae in Aquiro Diac. Card. Della Volpe.
✠ Ego F. Ord. Capulat. S. Hadriani Diac. Card. Vives y Tuto.
✠ Ego A. S. Mariae in Domnica Diac. Card. Tripepi.
✠ Ego F. S. Mariae ad Martyres Diac. Card. Cavagnis.
A. Card. DI PIETRO, *Pro-Dat.* — A Card. MACCHI.

Visa

De Curia I De Aquila e Vicecomitibus.

Loco ✠ Plumbi

Registr. in Secret. Brevium.

V. Cugnonius.

III.

Pius X laudat zelum cl. sac. Iosephi Vezzini qui praeest « Bibliothecae SS. Patrum » edendae ac vulgandae.

PIUS PP. X.

DILECTE FILI, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Si quod fructuosae sollertiae genus est probandum, illud est profecto, in quo tu, dilecte Fili, aliquot iam annos elaboras, vulgandis, quo modo hodiernae studia eruditionis postulant, eis Sanctorum Ecclesiae Patrum scriptis, quae cuiusque habentur potissima. Nam quum praesidii plurimum, vel ad sacras perdiscendas tuendasque doctrinas, vel ad sancte obeunda officii sui munia maximeque ministerium verbi, divinitus Clero suppetat in eis ipsis auctoribus, ingenio sapientia sanctimonia magnis, id tu praesidium cuilibet de Clero studes parabile efficere. Non mirum igitur, si huiusmodi incoeptum homines prudentissimi, iique non ex Italia tantummodo, commendatione publica prosequuti sunt, in primisque Decessor Noster illustris, semel atque iterum, datis ad te litteris, dilaudavit. Nos hisce laudibus laudes adiicimus Nostras perlibenter, multosque gaudemus esse, qui ex isto labore tuo opimas illas, quas tu spectas, utilitates quaerant.

Horum tamen velimus numerum longe accrescere: quare et alumnos et administros sacrorum, praesertim Italos, ut eisdem adiungere se socios velint, hortamur. Tu vero, dilecte Fili, perge, quod instituisti, alacer: et caelestium bonorum auspicem Nostraeque testem benevolentiae habe Apostolicam benedictionem, quam tibi peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXVI Maii anni MDCCCCV, Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. X.

IV.

Indulg. conceduntur pro piis exercitationibus quae peraguntur per quindecim ferias tertias immediate praecedentes festum S. Dominici.

PIUS PP. X.

Ad futuram rei memoriam.

Cum, sicuti accepimus, a fidelibus, ac praesertim alumnis Ordinis S. Dominici, piae exercitationes ac supplicationes per quindecim ferias tertias festum S. Patris Legiferi Dominici Confessoris immediate antecedentes fieri soleant; Nos ad augendam fidelium religionem animarumque salutem procurandam coelestibus Ecclesiae thesauris intenti, omnibus utriusque sexus Christifidelibus, vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis, qui saltem octies piis huiusmodi exercitiis ac supplicationibus vacaverint, et Ecclesiam ubi memoratae exercitationes fient devote visitaverint, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione, ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, Plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praeterea fidelibus iisdem corde saltem contritis, qua vice praefatis exercitiis operam impenderint, de numero poenalium dierum in forma Ecclesiae solita ducentos expungimus. Tandem largimur fidelibus iisdem, si malint, liceat plenaria ac partialibus his indulgentiis functorum vita labes poenasque expiare. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut praesertim Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae adhiberetur ipsis praesentibus si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 7 Iunii 1905.

Pontificatus Nostri anno secundo.

Pro D.no Card. MACCHI.
Nic. Marini, *Subs.*

V.

Pius X catholicos anglos hortatur ut indefesse scholas catholicas pro iuvenum instructione foveant.

Venerabile Fratello, salute ed apostolica benedizione (1),

« Nella nostra vigilanza come Pastore supremo, noi non abbiamo mancato di attendere a quella che è la più grave delle questioni, delle quali si preoccupano i cattolici inglesi, cioè salvaguardare e mantenere le loro scuole in conformità col pensiero e la professione della fede cattolica.

« Ai Cardinali, Arcivescovi di Westminster, è certamente dovuto un elogio per lo strenuissimo ardore col quale i fedeli, durante gli ultimi trentacinque anni, hanno difeso in Inghilterra le loro scuole cattoliche, asserendo sopratutto che l'educazione del giovane deve avere un carattere religioso.

(1) Rmo Dno Fr. Bourne, Archiepo Westmonasterien. *N. R.*

« Questo esempio dei vostri predecessori, come noi felicemente apprendiamo, voi l'avete pure eseguito, perchè noi sappiamo che voi siete stato un condottiero per il vostro popolo cattolico nella loro unita determinazione di ottenere quello che essi desiderano sopratutto nell'insegnamento impartito nelle loro scuole.

« Nella perorazione di questa causa non vi mancherà, ne siamo sicuri, l'aiuto dell'approvazione e della buona volontà di molti che non appartengono alla Fede Cattolica, perchè sebbene essi non chiedano tutto quello che i cattolici debbono domandare, è ben noto che essi sono d'accordo con voi riguardo alla educazione religiosa dei giovani.

« Noi esortiamo adunque caldamente i cattolici d'Inghilterra a lottare per questo lodevolissimo intento, e rivolgiamo questa esortazione a quelli sopratutto che prestano il loro segnalato aiuto come scrittori di libri e di giornali. Essi faranno una utilissima e assai meritoria opera, se, seguendo la guida dei loro Vescovi, e mettendo da parte tutte le questioni d'interesse privato, o quello che può cagionare un urtante dissenso, essi non soltanto persevereranno, ma faranno progressi giornalieri nella difesa incominciata.

« Insieme con questa calda esortazione, noi desideriamo pure dare la consolazione di cui hanno certamente bisogno i moltissimi che sono oppressi dalla loro fatica, dalle loro cure; i membri specialmente del sacro Clero, i quali, vivendo in mezzo al loro popolo non risparmiano nè sforzi, nè disagi nel tentare di salvare le loro scuole cattoliche e i maestri e le maestre, che, con molta pena e molti sconforti, disimpegnano così mirabilmente i doveri del loro nobilissimo ufficio.

« Finalmente, a voi, vigile pastore, e a ciascuno dei vostri colleghi Noi testimoniamo la nostra gratitudine e chiedendo abbondanza di grazia dai cieli, per voi e per tutti i fedeli, come un segno di questo dono Divino e in testimonianza della nostra benevolenza, vi accordiamo amorevolmente nel Signore la Apostolica Benedizione.

« Dato a Roma, a S. Pietro, il 18 ottobre dell'anno 1905, terzo del nostro Pontificato.

PIO PP. X.

VI.

Pius X concordiam commendat occasione Conventus catholicorum totius Austriae, mox Vindobonae cogendo.

Dilecto Filio Nostro Antonio Iosepho Tit. S. Mariae Angelorum S. R. E. Presbytero Cardinali Gruscha Archiepiscopo Vindobonensium. — Vindobonam.

Dilecte Fili Noster, Salutem et apostolicam Benedictionem.

Qui apparando proximo catholicorum totius Austriae conventui egregiam, ut est exploratae eorum virtutis, operam navant, aperiere Nobis quam gravia insideant Religioni apud vos et Patriae discrimina, nisi opportuna a fidelibus ac tempestiva remedia adhibeantur, quantique propterea intersit ut consilia istic viresque ab optimis quibusque conferantur, patrocinium defensionemque rei catholicae suscepturis. Defensionem in praesens dicimus, eheu quanta cum aegritudine animi, assueti antea exhortari non tam ad mala prohibenda, quam ad lectissima quaeque Fidei nostrae incrementa comparanda! Vere quippe congressionem hanc vestram non provehendae rei nostrae ardor, sed protegendae officium coëgit, paraturam tamen et ipsam esse tuitione progressum. Nam si adnitentibus impie inimicis, dissidia vos atque ignavia occuparint, quid non fidei, quid non Patriae metuendum? Exploratum equidem vobis est catholicae osores rei omni ope in Austria contendere, ut avitum Fidei thesaurum vestris e cordibus extrahant, populisque tandem persuadeant christianam veritatem humanitatemque iam non congruere civili huius aetatis cultui, nec legitimae curationi tenuium. Haec certe deviarum commenta mentium, etsi vi sua propriaque efficacitate neminem movent, permovent tamen et percellunt specie ipsa novitatis, evenitque passim ut multos decipiant perdantque hac una de causa, quia non quidem vetus, sed recens illa tempus invexit. Et quoniam ad imbuendos errore aut pravitate animos contraria veris sufficere, edocendo mos est, vel illud hodie indignissime spectandum praebetur, ut sub liberae scholae signis, quae, si nobili significationi nominis exprimendae studeret, ad eam foret informanda libertatem qua Christus nos liberavit, conatum sit nuper infensissimos quosque Religionis Nostrae colligere, disciplinamque educandorum recte iuvenum manibus nostris eripere. Opus porro vobis non est, ut id Nos, edicamus, quo tempore adventent aut immineant hostes, tunc esse ad arma conclamandum. Vobis autem non modo insident hostes, sed intra seu imperium, seu civitates, seu denique pagos versantur, cogendique propterea in unum fideles populi sunt, atque e populis fortissimi praecipue viri. Advocatos igitur in coetum, voluntate vos summa adhortamur, velitis necessitates vestras fidenter inspicere communesque inimicos contra et animose intueri: deliberantibus vobis atque agentibus, nec illis providentia deerit, neque istis repugnatis. Haec autem creare patriae vestrae commoda nunquam aliter licebit quam concordia atque unitate duce. Concordes propterea ac iuncti ut in exemplum vos sitis, vehementissime cupimus, illudque per vos universo orbi Austria commonstret, ubi catholici disserunt, ibi unum cor unamque existere animam. Quamobrem, caeteris posthabitis omnibus, quae forte privatim intersint, hoc unum persuasum alte habetote, prosperitatem vestram patriaeque tunc solum iri comparatum, quum rei catholicae rationes reliquis anteponendas curaveritis. Auspicem coelestium gratiarum Nostraeque benevolentiae testem, Apostolicam Benedictionem tibi, Dilecte Fili Noster, atque Episcopis caeterisque, qui in conventu aderunt, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 4 Septembris, anno 1905, Pontificatus Nostri anno tertio.

PIUS PP. X.

VII.

Directoribus Societatis « les Dames de la Charité » datur facultas applicandi Crucibus indulgentiam plen. in mortis articulo.

Beatissime Pater,

Paulus Maria Reynaud, Congregationis Missionis, Episcopus titularis Fessulani, necnon Vicarius Apostolicus Tche-Kiang, in Sinis, ad pedes Sanctitatis Vestrae humiliter pro-

volutus, enixe petit pro Directoribus Societatis Matronarum Charitatis (les Dames de la Charité) et eorum successoribus, facultatem applicandi Indulgentiam plenariam in mortis articulo Crucibus sive pro matronis ipsis, sive pro infirmis quos visitant, ita ut eadem crux pluribus inservire valeat. Et Deus etc.

« *Iuxta preces in Domino* ».

Die 29 Septembris 1905.

PIUS PP. X.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 18 Novembris 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. Platien. — Redditionis rationum. — R. *Servetur ius commune.*

II. Compostellana. — Iubilationis. — R. *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.*

III. Ravennaten. — Nominationis Caeremoniarii capitularis. — R. *Ad instantiam Capituli, dilata.*

B. — In folio.

I. Sorana. — Nullitatis matrimonii. — R. *Affirmative.*

II. Premislien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

III. Vacien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.*

IV. Wratislavien. — Dispensationis matrimonii. — R. *Affirmative.* (Sub-secreto).

V. Derthonen. — Privationis Paroeciae. — R. *Dilata et ad mentem.* (Reservata).

VI. Calaritana. — Redintegrationis in officio. — R. *Dilata.*

VII. Derthonen. — Privationis paroeciae. — R. *In decisis.*

A. — Per Summaria precum.

2559/5 I.

Platien. — Redditionis rationum.

Administratores patrimonii ecclesiae paroecialis praetendebant, iuxta antiquam praxim, reddere rationem suae gestionis Ordinario dioecesano singulis tantum trienniis, et quidem tempore S. Visitationis; Ordinarius, e contra, alia praetendebat. Responsum fuit: servetur ius commune.

In oppido vulgo Castrogiovanni, extat perantiqua paroecialis et Collegiata Matrix ecclesia cuius patrimonium ad libellarum circiter 60,000 ascendit et cuius redditus pro cultus manutentione et praesertim pro beneficentiae operibus, pro festis popularibus, pro musica et aliis huiusmodi erogatur.

Huius instituti administratio est mixta, siquidem geritur a quatuor dignitatibus eiusdem Collegiatae qui sunt etiam eiusmodi parochi et a duobus laicis procuratoribus. Hi vero administratores solent iuxta antiquam praxim reddere rationes suae gestionis Episcopo seu Ordinario dioecesano singulis tantum trienniis et quidem S. Visitationis tempore.

Anno praeterlapso Episcopus dioecesis perlustrationem peragens ab iis administratoribus exegit ut singulis annis haec rationum redditio sibi fieret et insuper ut sibi exhiberetur status praeventivus exitus et introitus pii operis vulgo *bilancio preventivo.* Verum administratores eius petitioni refragati sunt.

Quare Episcopus, supplici oblato libello, expostulat ut ab H. S. Congregatione declaretur: 1) dictos administratores teneri ad reddendas rationes Ordinario singulis annis vel etiam singulis bienniis intra quod tempus ad tramites *cap. 3, sess. 24, Concil. Trid. de Refor.* complenda est s. dioecesis visitatio; 2) ut sive singulis bienniis, vel trienniis haec rationum redditio locum habere debeat, hi administratores adstringantur ad tradendum Ordinario pro revisione in quolibet anno statum praeventivum exitus et introitus, ita tamen ut haec traditio et revisio fieri debeat in propria Episcopi Sede seu Curia Episcopali.

Modo nonnulla innuam pro mei muneris ratione.

Favore administratorum haec observanda veniunt. Extra dubitationis aleam est praefatos administratores ab immemorabili consuevisse tantum singulis trienniis exhibere Episcopo rationes gestae administrationis. Hinc ipsorum favore militat observantia plus quam centenaria, quae in themate prodest in linea praesumptiva, quatenus praesumere facit id statutum fuisse in tabulis fundationis pii instituti, tum in linea praescriptiva, quia per eam Ordinarii facultas ad triennium manet coarctata. Sane quod observantia plus quam centenaria inducat praesumptionem cuiuscumque melioris tituli et valeat sive ad interpretandam obscuram fundationem, sive etiam ad eius naturam immutandam, testis est Rota in *Romana - Fideicommissi* 18 Iunii 1801 et S. H. C. *Assisien. - Pii legati missarum* diei 18 Septembris 1819 § *Dicunt itaque,* sicuti etiam inibi docetur quod per eamdem observantiam possunt immutari vel etiam deleri ecclesiae iura.

Neque oggeratur hanc observantiam damnatam fuisse a *Concil. Trid. cap. 9, sess. 22 de Refor.* in quo Episcopis tribuitur facultas exigendi ab administratoribus piorum locorum redditiones rationum singulis annis per clausulam « consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis ». Nam per istam clausulam non censetur ablata consuetudo immemorialis, uti pluribus allatis doctoribus probat *Reinffenst. lib. 1, Decret. tit. 4, § 1, n. 189.* Idque eo vel magis in themate locum obtinet, cum non sit ipsa contra ius naturale vel divinum positivum, sed tantum contra ius ecclesiasticum, quo in casu subintrat pro eius validitate dispositio *cap. ult. de consuetud.* de quo idem *Reinffenstuel, l. c. n. 110.*

Praeterea administratores in assertione suorum iurium pluribus iuvantur documentis. Anno 1800 edita decisione a tribunali Regii Patrimonii quod dotatio Collegiatae non erat obnoxia regio patronatui, supremum Consilium dicti Patrimonii regii referebat: « Che le quattro dignità della collegiale « chiesa di Castrogiovanni erano liberi amministratori colla « facoltà di scegliere annualmente due procuratori laici, che « tali amministratori erano obbligati presentare al Vescovo « in corso di visita in ogni tre anni i conti della loro am-

« ministrazione, e che esso Vescovo poteva bene querendarli « e quando vi fosse stato motivo di gravame avverso le sue « querende era lecito agli amministratori suddetti ricorrere « per le opportune provvidenze al tribunale della R. Mo- « narchia, come ha anche scorto la Giunta che siffatto re- « golamento ed osservanza tenuta nasce da più sentenze e « particolarmente da una proferita nel 1654 ». In hac sententia, praetendentibus Iuratis seu decurionibus Municipii Castrogiovanni ut sibi computa exhiberentur a dictis administratoribus, decisum est ea exhibenda esse Episcopo singulis trienniis.

Edita decisio et supremi Consilii votum eodem anno ex regis mandato communicata fuere Episcopo Cataniensi, sub cuius ditione erat oppidum Castrogiovanni, et in litteris communicationis haec leguntur: « E poichè i detti ammini- « stratori devono presentare i loro conti all'Ordinario in « corso di s. visita ogni triennio, potendo avvenire che non « possa il Vescovo in alcun triennio per qualche impedi- « mento portarsi a visitare la detta chiesa di Castrogio- « vanni, perciò ad oggetto di non permettersi che restino « senza il dovuto esame i conti suddetti, ha risoluto la M. S. « che il Vescovo medesimo propor debba al governo un « probo e degno soggetto, il quale in vece sua vada ad esa- « minarli ».

Anno 1852 supremum Status consilium vindicans naturam ecclesiasticam bonorum ad dictam ecclesiam pertinentium contra Commissionem Hospitiorum quae sibi ea adscribere volebat, id probabat etiam ex hoc nempe ex rationum exhibitione triennali facienda Episcopo: « È notorio che l'am- « ministrazione è stata sempre sino ai dì presenti libera- « mente esercitata dal reggimento col sottoporre ogni triennio « i conti al Vescovo in S. Visita e che il Magistrato Comu- « nale è stato nel continuato e non interrotto esercizio del « diritto di concorrere di unita al reggimento all'elezione « dei procuratori laici ». Idem demum constat ex epistola ministeriali regii gubernii Neapolitani ad Episcopum Platiensem sub die 19 Augusti 1857: « È certo del pari che « secondo la forma speciale di questa amministrazione, il « Vescovo in ogni triennio in corso di S. Visita ha il diritto « di domandare la reddizione dei conti ». Ex superius exscriptis documentis deducunt administratores in suorum iurium possessione esse manutenendos et Episcopi preces esse reiiciendas. Neque omittendum esse dicunt quod haec triennalis redditio rationum sancita et approbata fuit a pluribus sententiis Regiae Apostolicae Monarchiae in Sicilia, quae ex concessione plurimorum RR. Pontificum et praesertim Urbani II, erat tribunal competens in eiusmodi quaestionibus.

Insuper eorum favore animadverti potest quod nova impositio de annuali vel biennali redditione rationum facienda, obicem invenire potest ex parte Municipii quod, uti nuper visum est, concurrit una cum dictis administratoribus in electione laicorum procuratorum. Neminem profecto latet quam saepe hodierna municipia omnes vias et media inquirunt, ut sibi addicere valeant ecclesiae bona ad occurrendum suis necessitatibus oeconomicis. Hinc ne huiusmodi ansa praebeatur dicto Municipio, satius videretur res relinquere in pristino statu.

Idque eo fortius est retinendum quia per dictam impositionem, et praecipue per alteram petitionem factam ab Episcopo nempe videndi et expendendi singulis annis computum praeventivum futuri exitus et introitus, quaedam in administratoribus diffidentia, vel sin minus negligentia praesumitur. De hac tamen non constat, neque ab Episcopo allegatur pro petitione sua substinenda. Item non videtur esse admittendum quod exhibitio et examen status praeventivi fieri debeat in curia Episcopi; nam exurgere aliquando possent dubia circa praesertim partitas introitus et tunc essent inibi avocandi codices vel alia documenta ad rem declarandam, quod unusquisque videt quam sit incommodum.

Ex altera vero parte adnotandum est, quod Episcopo oratori clara et praecisa favet dispositio Concilii Trid. in *cap. 9, sess. 22 de Refor.* quam hic transcribendam censeo. « Administratores tam ecclesiastici quam laici fabricae cuiusvis ecclesiae etiam Cathedralis, Hospitalis, Confraternitatis eleemosynae Montis pietatis et quorumcumque piorum locorum, singulis annis teneantur reddere rationem administrationis Ordinario: consuetudinibus et privilegiis quibuscumque in contrarium sublatis; nisi secus forte in institutione et ordinatione talis ecclesiae seu fabricae expresse cautum esset ». Haec autem lex de annuali redditione facienda Episcopo est ita stricta, ut quoad hospitalia et confraternitates quae sunt sub immediata Regum protectione ea quidem sint exempta a visitatione Episcopi iuxta praecedens caput 8, eiusdem sess. Conc. Trid. sed non liberantur ab huiusmodi onere erga Ordinarium uti ponderat *Fagn. in cap. de Xenodochiis n. 17, et seq. de Religios. dom.* et firmavit Rota *dec. 193, n. 7, et 8 coram Cerro.*

Has autem rationes Episcopi possunt exigere ab administratoribus tam tempore S. Visitationis, tam extra, etiam per suum delegatum non obstantibus quibuscumque privilegiis, uti patet ex citat. capitibus 8 et 9 et pluribus fuit confirmatum decisionibus H. S. C. quas citat Ferraris in *sua Bibl. can. v. Administratio n. 2.* Quare Episcopus in themate iubens ut sibi singulis annis exhibeantur computa expensi et accepti ab administratoribus parochialis et Collegiatae oppidi Castrogiovanni utitur iure suo in vim facultatis sibi concessae a Concilio Trid. iuxta decisionem H. S. C. in una *Mediolanen.* 9 Aug. 1569, quae refertur a Pignatelli in *cons. 15, tom. 7, n. 20.* Praetensio autem administratorum falso nititur supposito, nempe quod S. Visitatio expleri debeat intra triennium, quod est contra expressum textum Conc. Trid. uti supra visum est.

Neque aliquid ponderis habere possunt decisiones latae a tribunali Apostolicae Regiae Legatiae, tum quia pluries RR. Pontifices contra eius abusus reclamarunt, uti expresse declaratur in Bulla f. r. Pii IX *Suprema Universi...* publicata sub die 10 Octobris 1867 abolitiva dicti tribunalis, tum quia hae decisiones in casu sunt prorsus incongruae. Dum enim ex una parte ad asserendam Episcopis praedictam facultatem invocatur *cap. 9 cit. Concilii Trid.*, uti legitur in sententia an. 1654 edita contra municipium oppidi Castrogiovanni, ex altera arbitrarie contra expressum textum dicti capitis ea facultas coarctatur ad singula triennia.

Item nec utiliter invocari potest contraria observantia licet centenaria vel immemorialis tum quia non videtur esse rationalis, utpote quia praebens administratoribus occasionem erogandi reditus contra voluntatem disponentium et in praeiudicium ecclesiae, tum quia ut notat Ferraris *l. c. n. 5* exactio computorum administrationis est munus publicae potestatis introductum ad bonum commune, quod legibus et pactis privatorum impediri non potest.

Praeterea dicta facultas videtur Episcopo fuisse reservata in ipso actu fundationis ipsius Collegiatae. Siquidem an. 1703, ut fatetur supremum consilium status in sua relatione an. 1852 Episcopus approbavit erectionem parochialis Matricis ecclesiae in Collegiatam sub hac conditione: « Che nei « dubbi che potessero sorgere il Vescovo ed i suoi succes- « sori potessero interpretare, glossare, dichiarare i mede- « simi, togliere, immutare, abolire totalmente o in parte le « regole e le condizioni ». Si igitur Episcopus iuxta fundationis leges conditiones appositas valet immutare, temperare

vel etiam abolere, nihil profecto videtur obstare quominus Episcopus conditionem de triennali relatione computorum moderetur ad terminos iuris communis a lege Tridentina inducti.

Ex hoc etiam descendit quod Episcopus possit etiam petere quotannis ab administratoribus ut sibi tradatur computum praeventivum exitus et introitus futuri anni pro revisione. Haec enim praxis viget in omnibus publicis laicis administrationibus, quae singulis annis tenentur huiusmodi schema remittere auctoritati tutoriae, idque ad praecavendas inutiles expensas. Aliunde hoc ius videtur Episcopo tributum ab ipsa supra citata epistola ministeriali anni 1857. Nam inibi ait Episcopus Orator... « È data facoltà al Vescovo di pre« scrivere le spese necessarie e proibire le inutili, prescri« zioni e proibizioni che pare debbano precedere e non se« guire alle spese fatte ».

Quo vero ad alteram Episcopi petitionem quod nempe examen computi praeventivi fiat in sede Episcopali et non apud sedem administrationis, ea pariter videtur excipienda, tum quia pro conficiendo praedicto examine non est necessaria asportatio actorum vel codicum, tum quia id quotidie est in praxi deductum in omnibus rectis administrationibus.

Demum relate ad obiecta incommoda quae timeri possent ex introducenda innovatione, reponi potest, quod ea nullo nituntur fundamento. Siquidem adest sententia supremi Tribunalis (vulgo *Corte di Cassazione*) Panormitani iam transacta in rem iudicatam et edita sub die 8 Martii 1870, qua declaratum fuit omnia bona supposita dictae administrationi constituere beneficium parochiale. Hinc abest omnis metus ut ea apprehendi possint a Municipio.

Quare etc.

Responsum fuit: *Servetur ius commune.*

2180/5 II.

Compostellana — Iubilationis.

Instante canonico, qui per fere 50 annos continuum et laudabile servitium in beneficio praestiterat, ut iubilationis indulto donaretur, responsum fuit: " pro gratia iubilationis, cum solitis clausulis. "

Paulus Cuesta Hernandez canonicus ecclesiae B. Iacobi de Compostella in Hispania, exposuit « quod ferme *quinquaginta* annorum spatio servitium continuum et laudabile praestitit in beneficio, cui nunc deservit. At cum conditio corporea deorsum vergat, et vires deficiant, a Sanctitate Vestra humiliter exposcit, ut ipsi dignetur iubilationis indultum concedere ».

Et E.mus Archiepiscopus die 26 Aprilis currentis anni addebat:

« Verum est, quod in adiunctis precibus Sanctitati Vestrae exponitur ab oratore, qui in hac Compostellana ecclesia spatio pene quinquaginta annorum continuo et laudabiliter deserviit. Summus Pontifex Gregorius XIII declaravit tolerari debere statutum Compostellanum gratiam iubilationis concedens Beneficiato qui per seipsum quadraginta annis ecclesiae deservivit ». (Garcia, *de Benef., Part. 3, cap. 2*).

« Vi huius Statuti Orator praedictus a Capitulo Cathedrali poposcit et obtinuit iubilationem sub die 30 Martii 1901, cum dispensatione praesentiae choralis, sed cum obligatione adimplendi hebdomadam, caeteraque onera communia. Residentia quadragenaria continua et laudabilis canonici Cuesta a Capitulo testificatur; sed idem Capitulum animadvertit quod cum sint sine retributione hebdomada et caetera onera communia, ab his soluto canonico Cuesta, in praeiudicium cederet caeterorum ».

His acceptis, H. S. C. die 22 Maii eidem E.mo rescripsit ne gravaretur exemplar declarationis Gregorii XIII transmittere, simulque docere in specie quaenam essent onera quae non obstante indulto concesso, iuxta Capitularia Statuta feruntur ab indultario.

Unde ipse dictum adimplens munus, cum super his Capitulum audiisset, hoc die 30 Iunii sequentia respondit: « En « este Archivio no existe el ejemplar auténtico de la deca« ción de Gregorio XIII; pero esta consta de la obra de Ni« colás Garcia en su *Tractatus de Beneficiis*, tomo I, edición « de Colonia, año de 1718, par. III, cap. II, de Residentia, « num. 344, que dice asi: " 18. An sit derogatum statutum « ecclesiae Compostellanae permittenti (sic) Beneficiato qui « in ea per quadraginta annos continuos aliquod ecclesia« sticum Beneficium pacifice possedit, et per d. tempus illud « per se ipsum in divinis residendo deservivit, ut a dicta « Ecclesia de caetero, quoad vixerit, ut emeritus et inde « donatus abesse liceat, et tamquam praesens in choro ha« beatur, tamen (sic) ratione fructuum praebendarum, quam « distributionum quotidianarum? S. D. Gregorius XIII au« dita relatione Cong. dixit tolerandum esse hoc statutum ". « Las cargas que tiene que levantar el canónigo jubilado « por los estatutos capitulares estan consignadas en las si« guientes bases para las distribuciones dadas por el E.mo « Sr. Cardenal Garcia Cuesta, Arzobispo de esta Santa Iglesia « en 26 de Enero de 1864, que dice asi: " 5ª Los jubilados, « que no lo sean por la Sagrada Congregación del Concilio, « sino por el Cabildo de esta Santa Iglesia con arreglo á « las constituciones y prácticas de la misma, continuarán « como hasta el presente, sin perder ni ganar nada, á no « ser en los dias que personalmente residan: y levantarán « las cargas llamadas de Prubendo, como son las hebdo« madas de Misa, y los Evangelios en las de Dignidad, las « capas y las velas al Santisimo " ».

Videtur itaque in ecclesia Metropolitana B. Iacobi de Compostella statutum vigere, gratiam iubilationis beneficiato concedens, qui per seipsum quadraginta annis ecclesiae servivit. Vi autem eiusdem statuti, quamvis dispensatione praesentiae choralis quis fruatur, obligatio tamen ei imponitur hebdomadam caeteraque communia onera, uti supra relatum est, adimplendi.

Equidem notum est quod quamvis in corpore iuris nullus habeatur textus respiciens iubilationem concedendam canonicis aliisque beneficiatis, tamen ex approbatis a Clemente XI S. C. Concilii resolutionibus, in quibus statuto ecclesiarum cathedralium et collegiatarum tolerabantur, iuxta quae canonicis ac beneficiatis post servitium 40 annorum concedebatur iubilationis indultum cum participatione fructuum ac praebendarum, praxis in eadem S. C. inducta est, dictam concedendi iubilationem post servitium continuum et laudabile 40 annorum, dummodo cultus divinus notabile non patiatur detrimentum.

Animadvertere autem praestat quod si peculiaria onera ex tabulis fundationis iubilato inhaereant, haec non comprehenduntur in indulto iubilationis. Unde H. S. C. rescribere passim solet: « *Pro gratia iubilationis cum solitis cautelis* » uti in *Firmana* die 9 Aprilis 1859: vel « *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis* » ut in *Montisfalisci* 31 Ianuarii 1852.

Iamvero quod capitulum dictae Compostellanae ecclesiae legitima potestate iubilationem cum distributionum perceptione concedendi fruatur, ex declaratione Gregorii XIII patet, qui eiusdem statuta, prouti capitulum supra adnotavit,

tolerari posse edixit. Ipse autem Garcias H. S. Cong. in una *Oscen.* declarationem refert, ita se habentem: « Licet statuta sint sublata per quae absentibus dantur distributiones, nihilominus Gregorius XIII senibus et benemeritis misertus, mandavit statutum Compostellanum tolerari per quod debentur distributiones non servientibus, qui per quadraginta annos servierunt ». Et Benedictus XIV *De Syn. dioec. lib. 13, cap. 9, n. 15* refert: « Cumque praeterea in Cong. Concilii non improbandum, sed tolerandum olim visum fuerit Capituli cuiusdam statutum expresse permittens, ut si quis Canonicus per annos quadraginta chorum laudabiliter frequentasset, ab eius servitio deinceps sine fructuum et distributionum iactura abstinere posset, eaque Congregationis sententia et resolutio a fel. record. Gregorio Papa XIII approbata fuit ».

Cum itaque iura et onera iubilati ex constitutionibus et consuetudine cuiusque ecclesiae sint dimetienda, eisque vis omnino specialis, non sublata a Concilio Triden. recognita fuerit, videtur canonicus Cuesta, quamvis iubilatione a capitulo donatus, hebdomadam caeteraque onera communia vi ipsorum statutorum adimplere teneri.

Accedit ratio ab eodem capitulo adducta, quod cum hebdomada, caeteraque onera communia, sint sine retributione, si ab his idem canonicus solveretur, id in praeiudicium caeterorum vergeret, eo quod eorum labor augeretur, incommodumque proinde ipsi persentirent.

Verum ex altera parte observandum occurrit, quod licet capitulum Compostellanum indulta iubilationis iuxta sua statuta tribuens iis qui choro 40 annos deservierunt, eosdem ab hebdomadae servitio et ab oneribus communibus eximere non possit, nihilominus id ex iusta causa peragere valet H. S. C.; siquidem potestas ipsi adempta non est in capitulo Compostellano peragendi quod in aliis capitulis potest. Porro ut liquet ex innumeris resolutionibus ut *Aquipendien.*, 23 Martii 1696, *Civitatis Castellanae* 29 Nov. 1766, *Spoletana*, 18 Aug. 1770, ni dicam *Viterbien.* 19 Dec. 1903 (1), S. H. C. indulta iubilationis tribuens exemit iubilatum a quocumque servitio communi, licet hoc cederet in aliorum gravamen.

In casu praesenti hoc peragere vel aequius et facilius posse videtur, tum quia agitur de chorali qui iam 50 annos servivit, tum quia capitulares consentiunt, tum quia E.mus Ordinarius rem commendat.

Quare etc.

Emi Patres rescripserunt: *Pro gratia iubilationis cum solitis clausulis.*

1828/5 III.

Ravennaten. — Nominationis Caeremoniarii Capitularis.

Ius commune, aequitate suadente, tribuit Capitulo ius eligendi caeremoniarium Capitularem. In casu tamen, exorta est contentio propter tabulas fundationis et biscentenariam praxim ex parte Ordinarii, qui hunc caeremoniarium designabat, centenariam vero ex parte caeremoniarii archiepiscopalis, qui alterum capitularem sibi eligebat in coadiutorem. Ad instantiam Capituli, controversiae solutio dilata fuit.

E.mus Card. Aldobrandini, Archiepiscopus Ravennatensis, ut divina Officia suae ecclesiae Metropolitanae rite atque ordine celebrentur, anno 1606 unum magistrum Caeremoniarum, cum congruo stipendio ex mensa archiepiscopali deprompto, instituit, eidemque alium adiutorem et alumnum disciplinae adiunxit. Ille vocatus semper fuit Caeremoniarius archiepiscopalis et metropolitanus, et quamdam mercedem impendebat Coadiutori, qui licet eiusdem substitutus haberetur, de facto tamen munus Caeremoniarii Capitularis exercebat.

Electio autem sive Magistri Caeremoniarum sive eius Coadiutoris per duo integra saecula pacifice peracta fuit a Praesulibus Ravennatensibus; at post rerum Gallicarum perturbationem occasione redintegrationis Capituli Metropolitani, ab initio nempe saeculi XIX usque in hodiernum diem, Caeremoniarius Coadiutor nominari coepit ab ipso Caeremoniarum Magistro, non obstantibus Capituli oppositionibus. Nullus tamen extat actus ecclesiasticae auctoritatis, ex quo ratio huius in electione mutationis desumi possit.

Tandem E.mus Conforti, iam Archiepiscopus Ravennaten., ad lites inter Capitulum et Magistrum Caeremoniarum circa Coadiutoris electionem exortas e medio tollendas, decreto diei 20 Iulii 1904, sibi avocavit ius eligendi huiusmodi coadiutorem usquedum ex authenticis documentis certo constaret cuinam illud tribuendum foret. Attamen contentiones magis in dies efferbuere. Quare Archiepiscopus ad has controversias componendas datis litteris ad H. S. Congregationem sub die 24 Martii pr. e. proposuit « che siano bensì « riconosciuti nel ceremoniere arcivescovile i dritti che a « lui competerebbero in forza del decreto Aldobrandiniano « e delle consuetudini locali, ma che tali dritti vengano da « ora innanzi, *de plenitudine potestatis*, ad eliminare pos« sibili infruttuose contese abrogati e sia data facoltà al « Capitolo Metropolitano di scegliersi il proprio ceremoniere, « proponendo per questo all'Ordinario una terna, dalla quale « egli possa nominare chi stimerà più adatto all'onorevole « incarico ».

E contra actualis caeremoniarius Uberti sequentia postulat:

1° « Di essere riconosciuto quale vero ed unico Ceri« moniere della Metropolitana, e quindi del Capitolo della « medesima, come all'Istituzione Aldobrandiniana, della « quale possiede *iure emphiteutico* la investitura;

2° « Di essere quindi riconosciuto quale vero e diretto « creditore dell'aumento di assegno ottenuto dal Codronchi « al Cerimoniere Metropolitano sul Tesoro dello Stato;

3° « Di essere mantenuto nell'esercizio e possesso cen« tenario di eleggersi e nominare il suo Sostituto fino a che « il Capitolo abbia prodotto un documento positivo del di« ritto cui pretende e che mai esercitò; o quando meno, fino « a che lo stesso Capitolo abbia provato che esiste di fatto « una almeno delle enunciate sue proteste, che sia vera, « formale e capace d'interrompere giuridicamente la cente« naria prescrizione ».

In primis, favore Capituli Metropolitani animadverti potest, quod ius commune quoad caeremoniarii capitularis electionem eidem aperte suffragatur. Sane Caeremoniale Episcoporum *(lib. 1, cap. 5)* praescribit ut in qualibet Cathedrali ecclesia Episcopus curet adesse duos Magistros Caeremoniarum, quorum alter inserviat soli Episcopo, alter vero Dignitatibus et Canonicis ad sacras Caeremonias opportune peragendas. Quod confirmatum fuit a S. R. C. in decreto *Meliten.* 13 Martii 1694, n. 1904 iisdem verbis. Quinimo quum eadem S. C. rogata fuerit: « An Episcopo ius sit eli« gendi duos Magistros Caeremoniarum, an potius Episcopus « suum et Capitulum suum eligere debeat »; in una *Vaden.* 11 Iulii 1693, n. 1900 ad 1, rescribendum mandavit: « Ma« gistri Caeremoniarum eligantur Episcopi ab Episcopo, Ca« pituli a Capitulo ». Praeterea eadem S. R. C. in decreto

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XI, p. 485.

Aquilana 22 Ianuarii 1735, n. 2310 ad I dubium: « An « liceat Capitulo eligere pro functionibus canonicalibus et « eius servitio Magistrum Caeremoniarum distinctum ab « altero Episcopi », respondit: « Affirmative ».

Ex quibus omnibus apparet duos esse debere, si fieri possit, Magistros Caeremoniarum in ecclesia Cathedrali, Episcopalem nempe a solo Episcopo eligendum, et Capitularem a solo Capitulo pariter nominandum. Hinc etiam in casu, Capitulo Ravennatensi ex iure communi competeret electio Caeremoniarii Capitularis, qui tamquam Coadiutor primi Magistri Caeremoniarum retinetur. At e contra Caeremoniarius Coadiutor per duo saecula electus fuit ab Archiepiscopis Ravennatensibus, et per unum saeculum ab ipso Magistro Caeremoniarum eligitur, quin Capituli consensus saltem exquiratur. Verum dubitari posset utrum haec consuetudo contra Episcoporum caeremoniale et generalia decreta Cong. SS. RR. utpote sese referens ad divinum cultum sustineri valeat, praesertim post decretum diei 12 Decembris 1833 relatum a De Herdt v. 1, n. 10, in quo huiusmodi consuetudines reiiciuntur. Insuper Magister Caeremoniarum nullum authenticum documentum exhibet, ex quo deprehendatur auctoritatem ecclesiasticam eidem electionem Caeremoniarii Capitularis legitime reservasse. Quum igitur non constet de iuris particularis existentia, recurrendum videtur ad ius commune, quod hac in re explicitius esse nequit.

Nec item ex adverso obiici valet praescriptio, nam Capitulum Ravennaten. semper obstitit huius iuris exercitio a Magistro Caeremoniarum peracto. De hoc fidem facit vel ipse Archiepiscopus Conforti, qui in decreto diei 22 Iulii 1904 haec fassus est: « Non mancano da parte del Capitolo pro« teste più o meno vivaci e formali, sufficienti ad infirmare « il diritto di prescrizione ». Eadem repetit in epistola diei 24 Martii 1905 ad H. S. C. missa. Praescriptio autem, ut suos effectus sortiri valeat, non interrupta et pacifica sit oportet.

Praeterea, quum Caeremoniarius Capitularis inservire debeat Capitulo, aliquis ex clericis ei acceptus eligendus videtur; quod non semper eveniret si electio uni Magistro Caeremoniarum spectaret. « Considerato che non è punto « conveniente (prosequitur Archiepiscopus Conforti in citatis litteris 26 Martii 1905), che il Capitolo Metropoli« tano di Ravenna, illustre per antichità e privilegi amplis« simi, dipenda per la scelta e l'uso del proprio Cerimoniere « da un sacerdote estraneo al Capitolo stesso, ed in posizione « gerarchicamente inferiore; considerato infine che questa « incongruenza darebbe luogo a frequenti attriti, come ce « ne fa fede il passato, domando... ».

Ex adverso favore Magistri Caeremoniarum dici potest quod tota haec controversia non est dirimenda ad tramitem iuris communis, uti convenire videtur et ipse Archiepiscopus Conforti hisce verbis: « È però giocoforza che per quanto « s'attiene a questa nostra Metropolitana la questione in di« scorso è da giudicarsi con criterî ben diversi, dipendenti « dal modo al tutto speciale cui è stato istituito l'ufficio di « Cerimoniere ».

Etenim E.mus Aldobrandini in decreto tempore S. Visitationis edito die 24 Iunii 1606, unicum tantum caeremoniarum Magistrum, eidemque Substitutum concedere statuit: « Ut « divina officia rite atque ordine celebrentur, eligatur ex « clero aliquis, qui Magistri Caeremoniarum munere fun« gatur, cui etiam substituatur alius adiutor et alumnus « disciplinae ». Deinde alio decreto diei 20 Iulii eiusdem anni Magistrum Caeremoniarum instituit, ne verbo quidem facto de alio Substituto, quinimo et illi soli stipendium assignavit. Quapropter inferendum videtur quod solus et unicus Caeremoniarius tum Archiepiscopi tum Capituli sit ille a Card. Aldobrandini institutus; eo vel magis quod ipse Archiepiscopalis simul et Metropolitanus semper vocatus fuit, uti refert Archiepiscopus Conforti.

Caeremoniarius igitur Coadiutor retinendus videtur tamquam Substitutus Magistri Caeremoniarum in utroque munere explendo, sive nempe in servitio Episcopi sive Capituli; eiusdemque electio non ad Capitulum, sed ad Magistrum Caeremoniarum aequum videtur ut spectet, qui ei et quamdam impendit mercedem.

Insuper electio Substituti iam a saeculo peragitur a Magistro Caeremoniarum, consentientibus Archiepiscopis Ravennatensibus, qui praesumi non possunt hoc permisisse, si reapse de iure non constaret. Hinc quamvis prae manibus haberi nequeat authenticum documentum, quod ius electionis tribuit Magistro Caeremoniarum, tamen centenaria consuetudo legitimam eiusdem praesumptionem inducit, et validam praescriptionem sortitur tum contra Episcopum tum contra Capitulum. Quinimo ex quadam epistola Caeremoniarii Salvatori servata in Archivo S. Visitationis an. 1846 eruitur an. 1797 Capitulum nominasse suum Caeremoniarium Gasparem Poletti. Verum intentata lite a Caeremoniario Pascoli qui sibi asserebat hoc ius, Capitulum causa cecidit, et Pascoli deputavit substitutum. Hoc autem eo magis in casu retinendum videtur, quia sacerdos Uberti reperitur iam in pacifica sui iuris possessione, cum iam alios substitutos nominaverit.

Proinde iure merito actualis Archiepiscopus Ravennatensis R.mus Morganti, litteris 6 Septembris 1905 ad H. Sacram Congregationem refert, quod consideratis documentis a Magistro Caeremoniarum ipsi exhibitis sese opponere nequit: « Ad un ulteriore suo ricorso a codesta Venerabile Congre« gazione per difendere i diritti suoi e dei suoi successori. « Anzi se nuovi documenti, oltre quelli da lui citati, non si « producano, non posso non riconoscere sode le ragioni da « lui addotte per rafforzarli e sostenerli ».

Haec dicta sunt favore Magistri Caeremoniarum. Sed omittendum praeterea non videtur quod haec quaestio pensanda esset potius inter Archiepiscopum et Magistrum Caeremoniarum, quam inter hunc et Capitulum.

Ab anno enim 1606 usque ad initium iam proxime decursi saeculi ad Archiepiscopos Ravennatenses spectabat et ab ipsis exercebatur ius eligendi Caeremoniarium Coadiutorem. Quum igitur clare non constat ex authenticis documentis de legitima huius iuris mutatione, quumque consuetudo in casu legitima censeri nequeat, videtur asserendum quod ius eligendi Coadiutorem ad Praesules Ravennatenses avocari merito possit. Hoc modo omnes facilius evitari valent contentiones, quae a saeculo ecclesiam Metropolitanam Ravennae agitarunt.

Quare ad omnem penitus quaestionem tollendam, videtur quod opportune Archiepiscopus Conforti proposuerit ut recognosceretur Capitulo ius praesentandi ternam, ex qua Archiepiscopus idoneum Caeremoniarium Coadiutorem nominaret.

In quavis tamen hypothesi, sive nempe electionis ius recognoscatur Magistro Caeremoniarum sive Capitulo, approbatio Caeremoniarii Coadiutoris pertinet ad solum Episcopum. Sacra enim R. C. in una *Monopolitana* 17 Iulii 1734, n. 2307 ad I dubium: « An licet Capitulo eligere Magistrum Cae« remoniarum ab Episcopo confirmandum », respondit « *Affirmative* »; deinde ad II dubium: « An valeat Episcopus « iustis de causis in Caeremoniali Episcoporum praescriptis, « confirmationem electionis denegare; et an teneatur causas « exprimere », rescripsit: « *Affirmative* quoad primam partem; *Negative* quoad secundam ». Et iterum requisita: « An « idem Magister Caeremoniarum *(nempe Capituli)* valeat « suum munus exercere absque consensu et approbatione

« Episcopi » in decreto *Aquilana* 22 Ianuarii 1735, n. 2310 ad II responsum dedit: « Non posse exercere absque approbatione Episcopi ».

Quare, etc.

Responsum fuit: *Ad instantiam Capituli, dilata.*

B. — In folio.

2126
4

Sorana. — Nullitatis matrimonii.

Decernitur constare de matrimonii nullitate in casu, ob defectum consensus ex parte sponsae, quae vim et metum passa fuerat ob graves et iniustas minas a patre illatas.

Praesens causa matrimonii quod Iosephus L. annorum 30 ac Philumena G. tunc in aetate 16 annorum constituta, in parochiali Ecclesia Soranae Dioecesis, rite die 12 Sept. an. 1899 inierunt, agitata primum fuit in Plenariis H. S. C. Comitiis diei 14 Iulii 1900, propositisque dubiis: I. *An constet de nullitate matrimonii in casu;* et quatenus *Negative:* II. *An sit consulendus SSmus pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu,* Vos, EE. PP., respondere censuistis: Ad primum: « *Non constare* »; ad secundum: « *Negative* ».

Modo eiusdem factispeciem recolere praestat. Iosephus Philumenam in uxorem ducere exoptans, eam primus a patre expostulavit. Initio hanc consensisse ferunt, statimque tum ipsius pater, qui, ut videtur, propter quamdam pecuniae summam, qua Iosephus potiebatur propositas ab hoc nuptias libenter exceperat, tum sponsus ac Philumenae mater, qui verebantur ne ipsa postea consensum illis denegaret, brevi quindecim dierum spatio eas perficere festinarunt.

Verum demonstravit eventus rudem atque incautam mulierem nimis cito propositis a patre iisdem nuptiis suum praebuisse consensum. Ferunt enim Philumenam biduo vel tribus diebus ante nuptias aversionem erga Iosephum ostendere coepisse. Quae quidem, prout ex testibus eruitur, ex eo etiam repetenda videtur tum quia illa valde eo iunior esset, tum quia venustate praestaret; dum e contra iste aetate provectior erat, nec integra utens valetudine, aspectuque suo longe aberat quod formosam puellam posset allicere.

Hoc interim cum aegre tulisset eius pater, sive quia eam dicto Iosepho in sponsam se daturum promiserat, sive quia sumptus pro celebrando eodem matrimonio iam peracti fuerant, minis etiam, ut ipsa asserit, gravibus adhibitis, effecisse videtur, ut ad ecclesiam haud libens perrexerit, ibique coram parocho suum emiserit consensum.

Haec sane ipsa fassa est: « Tale cambiamento esternai a « mio padre, il quale mi sgridò fortemente, e, persistendo « io nella mia ostinazione, mi fece vedere un coltello, mi« nacciando d'uccidermi se non metteva giudizio, sembran« dogli vergognosa e sconveniente cosa contradire alla pro« messa di matrimonio, dopo aver dato egli promessa e dopo « d'aver ricevuti donativi dallo sposo... Profferii avanti l'al« tare la parola *voglio,* ma a fior di labbro, mentre con« servavo nell'interno astio e ribrezzo verso Giuseppe che non « volli poi giammai conoscere, non ostante le continue ves« sazioni che mi venivano da tutte le parti ». Interrogata autem cur de hac coarctatione verbum non fecerit parocho, respondit: « Non lo feci per timore di mio padre, che sem« pre mi minacciava ».

Tali modo coniugio inito, cum sponsa in domum viri deducta fuisset, expetente prima nuptiarum nocte Iosepho ab ea coniugale debitum, firmiter ei restitisse idem fatetur: « Ebbi sempre ad osservare in lei una certa freddezza e « direi quasi disprezzo verso di me... Nel giorno in cui si « benedisse il matrimonio, la Filomena si avviò colla « comitiva a malincuore e si pervenne in Chiesa. Nel corso « di questo giorno seguitò a guardarmi con disprezzo e nella « notte non volle dormire nel mio letto, dando luogo così « ad un chiasso e ad una pubblicità in modo da fare ac« correre alla mia casa la gente del vicinato ».

Insequenti nuptiarum die adhibitis pariter a patre minis, prout hic fatetur, Municipium, civile, uti vocant, matrimonium perficiendi causa, adire coacta est. Ibi vero maiores quodammodo sumens vires et facta a publico officiali, prout testes referunt, monitione eiusdem patri, ne scilicet reluctantem filiam ad illum actum impelleret, perfracte suum denegavit consensum. Praeterea tum hac secunda nocte, tum per alios fere decem insequentes dies, quibus ipsa a patre apud virum manere coacta est, prout iste fatetur, eamdem erga eum aversionem ostendit, eiusque ad matrimonium consummandum conatus irritos reddidisse videtur.

Dein cum sponsi una cum quadam Aloysia diverso, ut ferunt, curru utentes, Romam versus iter arripuissent, ubi sponsus victum expoliendis calceis sibi comparat, Philumenam, procul a patre, viro relicto, ad suam quamdam amitam divertisse, nec amplius, postea ipsos simul convenisse ferunt.

Animadvertendum eosdem sponsos in altero interrogatorio declarasse, dubio tamen haerentes, matrimonium fuisse ab ipsis consummatum.

Parochus qui eiusmodi matrimonio benedixit, postquam de sponsorum honestate retulit, quamvis testetur mulierem durante coeremonia nuptiali suum praebuisse consensum, tamen in peracta ab eodem depositione ostendit, se persuasum esse haud libenti animo sponsam has nuptias peregisse. Et quidem de huius voluntatis defectu bene novisse videntur tum sponsus tum eius mater, cum idem parochus haec testetur: « Sia lo sposo che la madre dello sposo mi « premurarono a benedire subito il matrimonio, perchè al« trimenti non si sarebbe più fatto, giacchè la sposa era « titubante... Vedendo la sua freddezza o scontento, esortai « lo sposo e la madre dello sposo a temporeggiare; ma essi « si risentirono fortemente, lanciando anche delle ingiurie « a mio riguardo ».

Interea Iosephus sua spe frustratus, cum quadam Diamante civili, uti vocant, ritu se coniunxit, cum eaque suscepta prole, adhuc vivit. Pariter Philumena cum alio viro concubinarie se copulata esse videtur.

Postea aegre ille ferens se a sacramentorum participatione arceri, prolemque legitimare cupiens, supplicem ad S. Sedem libellum misit, instantissime efflagitans sui matrimonii nullitatis sententiam ob impedimentum vis et metus, quem uxor a proprio patre passa fuerat. Subsidiarie autem solutionem a matrimonio rato et non consummato ob denegatum sibi ab eadem coniugale debitum petiit. Quas quidem preces supradictus loci parochus Aloysius C. die 12 Septembris an. 1891, additis ad hunc finem tribus iuratis incolarum eiusdem loci depositionibus, valde commendabat.

Quare his exceptis precibus, die 23 Iunii 1892, Sorano Episcopo rescriptum est ut processum, una cum facultate subdelegandi, super asserta nullitate atque etiam, quatenus utile et necessarium censeret, super non consummatione et causis dispensationis conficeret, servata forma Const. Be-

ned. XIV, *Dei miseratione* et Instruct. S. H. C. an. 1840.

Unde mensibus Augusti et Septembris eiusdem anni, utriusque sponsi nec non aliorum testium iurata depositio in Sorana Curia recepta est. Ast variis de causis contigit ut eiusmodi processus acta quae per eamdem Curiam sollicite fieri curavit Soranus Antistes, in nonnullis tum quoad formam tum quoad substantiam deficerent, adeo ut etiam vinculi Defensoris adsistentia omissa fuerit.

Cum itaque idem Ordinarius in iis ad H. S. O. transmittendis, ipsorum sanationem expostulasset, E. S. O. visum est petitam sanationem non expedire, attentaque partium commoratione in Urbe, censuit satius esse rogare Emum eiusdem Urbis Vicarium, ut dignaretur novum processum ad iuris tramites instruere, praesertim super asserta matrimonii nullitate ex capite vis et metus mulieri illati; nam ex iis quae colligere licuit ex Sorano processu, post factam nempe, licet dubitanter, a sponsis de eiusdem matrimonii consummatione declarationem, haud amplius de ipso eiusque dispensatione quaestionem fieri posse visum est.

Verum in dicto Urbis Vicariatu iurata tantum Conceptae N. depositio habita est. Alii insuper instante viro propositi testes in Aedibus Secretariae H. S. C. sub iuramento auditi sunt. Postremo tres alii testes die 18 Februari 1904 in eadem Sorana Curia iurati fuere excepti, quos inter Rev. Aloysius parochus, qui eidem matrimonio benedixit.

Quapropter huius causae perlectis actis, quae singula ex officio referuntur, una cum Consultorum votis, novisque Defensoris Vinculi ex officio animadversionibus, placeat, EE. VV. sequens dirimere

DUBIUM

An constet de matrimonii nullitate in casu.

Responsum fuit: *Affirmative.*

5134
44

Vacien. — Dispensationis matrimonii.

Quamvis Curia Episcopalis ter, et quidem graviter, in instituendo et instruendo processu quoad nonnulla substantialia procedurae erraverit, tandem, attenta morali certitudine de non consummatione matrimonii in casu, Emi Patres rescripserunt: consulendum esse SS.mum pro dispensatione ab hoc matrimonio, rato et non consummato.

Haec causa proposita primum fuit in Plenariis H. S. C. Comitiis, diei 27 Aprilis 1901, et Dubio – *An consulendus sit SS.mus pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu,* – responsum editum fuit: *Dilata et fiat novus processus iuxta instructionem dandam a Defensore matrimonii ex officio.*

Praestat eiusdem causae factispeciem recolere. Ioannes V. sua uxore viduatus, ut binae parvulaeque proli consuleret, die 27 Augusti an. 1896 novas cum Maria S. Vaciensis civitatis Ungariae in ecclesia *Superiori* dicta, rite nuptias inivit.

Infausto tamen omine. Ad hoc siquidem ineundum coniugium mulierem impulsam fuisse ferunt a propria sorore Magdalena uxore N., quae dicto matrimonio illius turpes relationes cum hoc abrumpere posse putabat.

Nuptiis circa horam quintam post meridiem, prout vir narrat, celebratis, neo-coniuges illico, ut videtur, comitantibus aliis in domum sponsae sororis Magdalenae se contulerunt, ibique una cum conviviis paratum ientaculum sumpsere. Eo autem expleto, circa horam septimam eiusdem diei, conscendente Maria, uti ferunt, currum, ubi soror et Samuel tantum aderant, Hosdium iidem apud sponsi matrem, nuptialem peracturi coenam, pervenerunt. Haec usque ad mediam noctem fuit producta, quin coniuges, prouti fatentur, tum ante, tum ea durante, tum postea, unquam soli permanserint. Imo narrant Mariam ibi non modo plura aversionis erga virum dedisse signa, sed etiam matutinis sequentis diei horis, Vacium versus iter arripuisse, seque apud eamdem sororem, quae iam cum Samuele illuc advenerat, recep'sse, frustra urgente viro ut eam secum reduceret: quin potius, prout testes referunt, ibi cum priori amasio illico turpe commercium iterum habere non erubuit.

Haec sane sponsus fassus est: « Coena usque mediam noctem duravit, et postea cum hospitibus sermocinavi, sed uxorem ne voce sum allocutus. Domicilium unicum tantum habuit cubile, et sic nec potuimus separatim ire.... Apud coenam et postea simul duo tantum soli non fuimus. Matrimonium nec tunc consummavimus, nec abinde, nec osculatus sum eam ».

Item mulier ista deposuit: « Soror mea persuasit mihi matrimonium... Inde a nuptiis cum Ioanne non fui confidens nec sola, nec in societate aliorum ullo modo; tantum duo soli non fuimus, imo coram aliis quoque si me appropinquavit, prosilii eum. Definite declaro quod duo simul soli nec ad minutum quidem fuimus sed semper in societate aliorum... Nec tunc nec exinde consummavi matrimonium cum Ioanne, imo ille nec brachium meum tetigit ».

Ioannes itaque, sua spe frustratus, uxore relicta, Hosdium est reversus, dein Budapestinum, ubi quodam fungebatur officio, petiit. Maria autem postquam apud sororem per aliquot dies permansit, aliquantisper apud cognatos morata est; postea autem alio famulandi causa se contulit, nec amplius ipsi invicem convenisse videntur, nisi apud iudicem ecclesiasticum, cum scilicet de ipsorum testimonio excipiendo actum est.

Exinde vir a laico Tribunali petiit obtinuitque, die 25 Iunii 1898, ob adulterium mulieris, divortii sententiam. Postea novas inire nuptias exoptans, supplicem Vaciensi Ordinario libellum porrexit, ut instituto processu, dispensationem a matrimonio cum Maria inito, utpote rato et non consummato, obtineret.

Curia Vaciensis, quin Sedis Apostolicae delegationem peteret, processum confecit. In hoc insuper peragendo, haud defensor vinculi adfuit; iudiciale etiam sponsorum examen omissum est, cum tantum quaedam ipsorum narrativa relatio absque iuramento habita fuerit; nec non quinque solummodo testes ex utraque parte auditi fuere.

Quare H. S. C., cui tali modo eadem acta transmissa sunt, die 5 Decembris 1900, Vaciensi Episcopo rescripsit ut compleret acta, utrumque scilicet sponsum, servatis servandis, ad formale examen inducendo, ac praesertim iuxta normas a Benedicto XIV in sua Const. *Dei miseratione* traditas.

Verum etiam hac vice, quamvis matrimonii defensor fuerit constitutus, processus minime iuxta regulas a iure requisitas fuit peractus. Siquidem ille nec ulla interrogatoria exhibuit, neque ipse iudex partibus quaestiones proposuit; sed simul sponsi absque pariter iuramento auditi fuerunt, qui fere prouti antea eadem enarrarunt, iidemque testes ac in priori processu auditi sunt.

Quapropter cum Eadem S. C. supradicta, die 27 Aprilis 1901, iussisset ut novus fieret processus iuxta instructionem dandam a Defensore matrimonii ex officio, hic, praeter normas in processu servandas, instituit, ut tum iudex inquisitor,

tum matrimonii defensor curarent ad examen adducere quotquot noscere possent instructos de rebus ad causam pertinentibus, eos praecipue interrogando num coniuges, dum sub eodem tecto commorabantur, aliquo temporis momento fuerint *solus cum sola*, idque potissimum relate ad tempus quod inter reditum ab Ecclesia et nuptialem merendam intercessit. Relate autem ad tempus quo coniuges in diversis degerunt domibus aut dissitis in locis, quaerendum esset a testibus an vir ad uxorem, sive vicissim, perrexerit, et an absque arbitris aliquantisper permanserit.

Hinc eadem Curia maiori diligentia iterum Tribunali constituto, seorsim ac iuxta interrogatoria a matrimonii defensore proposita, coramque iudice obserata, iurata eorumdem coniugum testimonia excepit, eosdemque testes quos antea acciverat, sub iuramento pariter excussit.

Quibus expletis Vaciensis Ordinarius, die 26 Maii currentis anni, acta ad H. S. C. transmisit, haec adnotans: « Partes in dissitis civitatibus ab invicem vitam agunt, nec unquam convixerunt, nec unquam usque ad hodiernum diem convenerunt cum invicem, et proximum adest periculum quod dispensatione non accepta, in ruinam propriae animae et scandalum multorum ad civile transibunt connubium. Simul festino rationem reddere de magna mora huius processus. In causa autem fuit quod testes citati solum difficillime ad comparendum adduci potuerunt... Iterum et iterum peto Eminentiam Vestram pro gratia Suae Sanctitatis pro infelicibus coniugibus procuranda ».

Quare rogantur EE. PP. ut perlectis actis quae in novo ex officio Summario continentur, nec non denuo praeteritis resumptis foliis, una cum recenti voto a Consultore exarato, novisque Defensoris vinculi ex officio animadversionibus, sequens dirimere velint

DUBIUM

An consulendus sit SS.mus pro dispensatione a matrimonio rato et non consummato in casu.

Responsum fuit: *Affirmative.*

1150
—
2

Derthonen. — Privationis paroeciae.

Confirmatur sententia diei 17 Iunii pr. elapsi, quoad privationem paroeciae, in casu.

Proposita haec causa fuit in plenariis comitiis diei 17 Iunii pr. elapsi (1), et roganti mihi « *An sententia Curiae Derthonensis diei 11 Februarii 1904 sit confirmanda vel infirmanda in casu* » S. H. Congregatio responsum dedit: « *Affirmative, iuxta modum; scilicet quoad privationem paroeciae. In reliquis vero sacerdos B. graviter moneatur, ut consulat conscientiae suae, peragat spiritualia exercitia, et interim maneat suspensus a divinis* ».

Hoc habito rescripto sacerdos Aloysius intra tempus utile beneficium novae audientiae expostulavit et obtinuit.

Pro nova causae propositione sacerdos B. transmisit:

1° Declarationem iuratam octo testium editam coram publico Notario Prinetti mense Maio pr. e. qua testes queruntur se a Procuratore Fiscali coactos fuisse ad aliter deponendum ac sentiebant, nec sibi lectum fuisse verbale factae depositionis;

2° Declarationem pariter iuratam Laurae C. emissam coram eodem notario sub die 17 Iulii.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, fasc. praec. pag. 282.

Item mihi exhibita sunt testimonia trium sacerdotum et syndici oppidi Voghera quibus comprobatur integritas honestae et religiosae vitae Camillae T. obstetricis munus in eodem oppido exercentis.

Verum quanti faciendae sint praefatae extraiudiciales depositiones et allata testimonia, diiudicabunt EE. VV., quas interim rogo, ut benigne resumpto praeterito folio, dignentur sequens diluere

DUBIUM

An sit standum vel recedendum a decisis in casu.

Responsum fuit: *In decisis.*

VRATISLAVIEN. ET ALIARUM

De Parocho proprio quoad matrimonium.

(Sequitur vide p. 380).

II.

AN, ET QUIBUS DE CAUSIS, EXPEDIAT DICTAM IURISPRUDENTIAM MODERARE?

35. Non agitur, ut ex se liquet, de causa finali dictae moderationis, quae nullum alium potest habere scopum nisi ut, hinc, sarta tecta servetur providissima lex Tridentina, illinc vero tutius ac plenius praecaveantur invaliditates connubiorum, advenarum scilicet qui contrahunt haud semel coram Parocho loci qui secundum hodiernam iurisprudentiam, nullo modo vel insufficienter ipsorum est *proprius*. Agitur e contra de causis motivis, id est de rationibus quae talem immutationem seu moderationem, si non absolute necessariam, ad minus summopere opportunam esse evincunt.

Immutationes, probe scio, sedulo devitentur oportet. Verum huic obiectioni praeoccupativae, iam, penes ipsum Tridentinum, et praecise quoad legem clandestinitatis, satisfactum fuit. His enim qui, contra propositum Schema graviter dimicabant, allegantes decretum istud, quatenus irritativum, reiiciendum fore tamquam reprobabilem innovationem, replicavit « il Granatese » (id est Petrus Guerrero Granatensis Archiepisc.) qui demonstravit non obstare « che ciò fosse « nuovo. Se una tal obbiezione valesse, diceva, seguirebbe « che niuna ordinazione di nuovo dovesse mai statuirsi: il « che troppo ripugna a quel che richiede la vicissitudine « degli umani accidenti » (*Pallavicini*, Lib. XXII, cap. 4, n. 9). Caeterum non omnis immutatio censeri debet perturbatio. Si perfeceris et ampliaveris, mutavisti quidem sed nullatenus perturbavisti. Potissima ergo, ne dixerim unica difficultas erit in seligendis huius perfectivae immutationis seu moderationis conditionibus, ut in paragrafo III innuetur.

Pluribus e rationibus quae iurisprudentiae moderationem suadent, eas tantum (ne vere nimius fiam et intollerabilis) sapientissimis Patrum E.morum deliberationibus submittam quae cardinem quaestionis, meo tenui iudicio, propinquius attingunt.

36. *Prima* desumitur ex ipsamet indole matrimonii, nempe: matrimonium est, in Ecclesia sancta Dei, factum externum, publicum, ac iuridicum quo scilicet Christifideles assumunt statum coniugatorum, participesque fiunt gratiarum sacramentalium dicto statui propriarum. Age vero, secundum hodiernam iurisprudentiam, factum istud externum, publicum, legale, saepissime solidatur, in ultima analysi, super existentia animi commorandi, id est super facto mere interno, secreto, ac legibus humanis prorsus impervio; item, ex adverso, deficit factum istud (externum ac publicum) propter inexistentiam praefati animi; nam, matrimonium importat

consensum; consensus parochum proprium; parochus proprius quasi-domicilium (de illo agitur); quasi-domicilium *intentionem* commorandi, per sex menses, videlicet ut supra dictum est, ultimatim factum mere internum et secretum. Et in hoc, incohaerentia, ni fallor, non modica nec innoxia quoad tres vel quatuor e quinque partibus quae, per orbem terrarum, legi proprii Parochi subduntur. In aliis sacramentis requiritur utique intentio suscipiendi, quae in ipsomet susceptionis actu sufficienter, hoc illove modo, exprimitur; in solo sacramento matrimonii, praeter intentionem (per mutuum consensum expresse prolatam), qua fit sacramentum, requiritur insuper (iuxta legislationem nunc vigentem) alia quaedam intentio subsidiaria, nempe intentio commorandi, qua sacramentum fit validum, sine qua invalidum permanet: unde creberrime, validitas aut invaliditas istius sacramenti, non ex materia, neque ex forma, uno verbo non ex proprio et *intrinseco esse sacramentali*, sed ex aliquo mere extrinseco, quod insuper ad forum mere internum pertinet desumitur!

37. Sed, inquis indignabunde, argumentum istud, si quid probaret, etiam contra domicilium aeque urgeret; et ideo non solum iurisprudentia de quasi-domicilio, sed etiam tota legislatio Tridentina contra clandestinitatem pessumdari deberet.

Gravis certe pronaque obiectio; sed etiam perfacilis, ut reor, confutatio. Sane, domicilium acquisitum (praetermisso domicilio origine aut canonibus praestabilito quo fruuntur quamplures nupturientes, praesertim sponsae) requirit non aliter ac quasi-domicilium, intentionem seu animum commorandi; sed in acquisitione domicilii, animus iste, absque ulla quacumque declaratione, factis externis, patentibus, perspicuis conclamatur, adeo ut in propatulo sit non solum factum commorationis sed etiam animus ibidem perpetuo vel indefinite commorandi: si v. g. Romam advenio, iudex aut officialis militaris, aut stationis viae ferratae director renuntiatus; si villam emo cum praediis excolendis, aut opificium industriale negotiationisve domum aperio, etc., certa fit eo ipso, sufficienterque comprobatur, intentio sedem meam ibi vel in perpetuum vel indefinite statuendi, mihique postea onus incumbet adaequate demonstrandi defuisse animum, quem adfuisse, velim nolim, ipsae circumstantiae factaque luculenter evincunt.

Atvero, longe aliter pro quasi-domicilio: sicut commoratio quasi-domiciliaris de se nonnisi precaria est ac transitoria; ita precariae sunt et inconsistentes omnes circumstantiae *de facto* quibus, praeter declarationem, inferri potest animus commorandi. Parisios, v. g. seu melius Berolinum confluunt, ut refert E.mus Kopp, e diversis Germaniae regionibus homines qui, si res fauste contingant, ibi sedem fingent, secus secedent. Undenam desumi poterit animus commorandi? Forte, ex suppellectili quam post se trahunt? At saepe saepius homunciones huiusmodi, v. g. murarii, gypsoplastae, baiulatores, agasones, et famuli nec non sartrices et abrae, etc etc., nihil prorsus secum habent nisi quaedam (et non semper) laboritii utensilia: non domicilium vel quasi quaerunt, sed laboritium; et ibi sedem statuere intendunt ubi, et quamdiu opus suum, durante hyemali vernaque periodo, locare poterunt, ad lares paternos, tempore messis aut vindemiae reversuri.

Et interim degunt Parisios aut Berolinum, aut Mediolanum etc., partim in hanc partim in istam paroeciam, duo vel tria quasi-domicilia, pro laboritii mutationibus, successive acquirunt et amittunt. Quodsi sese praebuerit interdum occasio nubendi, quamplures parocho commorationis actualis declarabunt, aut cavillose, aut inscie, vere intentionem adfuisse in paroecia per sex vel septem menses habitandi, quum reapse in ista determinata paroecia non sint nisi a paucis diebus, et paucos post alios dies alibi secedere iam statuerint. Et hinc parochus non proprius et matrimonia non valida! Ad rem Concil. plenarium Amer. Lat.: « Argumenta, « queis de praedicto nupturientium animo constare possit, « nonnunquam praesto minime sunt. Ad indicia tunc recur- « rendum est: *quae res est deceptionum periculis plena* » (n. 956).

Audiatur etiam saepecitata Instructio S. O. ad Eppos Angliae et Amer. Foed.: « In re autem occulta et interna, dif- « ficile est huiusmodi indicia habere quae Iudicem securum « faciant ». Sed si Iudex securus fieri debet quoad matrimonii *contracti* validitatem aut invaliditatem edicendam, Parochus ipse securus esse debet ne matrimonii *contrahendi* validitas periclitetur: et securus fiet, amabo, per indicia quae in re occulta et interna « difficile habentur »; in re, inquam, « deceptionum periculis plena »? Quaestio igitur ad hosce reducitur terminos:

Animus commorandi per maiorem anni partem, est quid essentiale ac potissimum in acquisitione quasi-domicilii — de isto animo proinde constare debet — sive per declarationem, quae non imponitur nec regulatur a iure hucusque constituto — sive per indicia quae in re occulta et interna, semper difficilia, et saepe saepius inconcludentia dignoscuntur, e quibus ultimatim habebitur, si tamen habeatur, mera quaedam praesumptio quasi-domicilii sufficienter adepti. Et haec, Patres Eminentissimi, saepe saepius basis est unica, qua solidari debet sanctum et indissolubile sacramentum!

Compendiatim: domicilium et quasi-dom. conveniunt in hoc quod utrumque factum et animum requirit, et inde confert ad contrahendum iuridicam habilitatem; disconveniunt autem in hoc (et quidem substantiali) quod in domicilio manifestatur animus per facta externa, patentia et, ut plurimum, irrefragabilia; dum in quasi-domicilio idem animus innuitur tantum per verba quae volant aut indicia quae volitant. Quare, sicut superius animadversum est (n. 17) quasi-domicilium non posse considerari tamquam logicam ex intrinsecis ipsius domicilii evolutionem, sed tamquam positivam ab extrinseco determinationem, ad *parochialitatis* adeptionem sufficientem; ita nunc concludendum videtur disparia, longe disparia esse, domicilium et quasi-domicilium quantum ad animi practicam determinationem: ideoque obiectio supra relata, nedum infirmet argumentum de labili fundamento canonico quasi-domicilii et consequenter validitatis plurium matrimoniorum, illud potius confirmat.

38. Sed, subsumi potest, ex facto commorationis in paroecia necnon ex debita animi exploratione cum indiciis necessario comitantibus, nonageties novies de centum, resultat non solum probabilitas sed etiam certitudo moralis de quasi-domicilio sufficienter aut insufficienter adepto: vanum est igitur, aut saltem valde inflatum, periculum frequentis invaliditatis in matrimoniis quasi-domiciliatorum.

Respondeo: 1. per ipsamet verba E.mi Oratoris supratranscripta: « Cum facile inquisitio de animo permanendi « *omittatur*, neque nupturientes sponte ullum hac de re « verbum dicant... ». — Ast, inquis, interrogari debent! Optime dictum: certe non laudo parochos praetermittentes interrogationem seu explorationem; sed in factis esse video, teste E.mo Kopp cum hac Sacra Congregatione in plurimis suis Resolutionibus, quod reapse omittitur. Caeterum, nupturientes, si formiter interrogarentur a Parochis, saepissime responsionem sat concludentem respectu domicilii, sed indecisam et flaccidam respectu quasi-domicilii dare possent: « Demandez, en effet, à un Parisien (ou à un Ber- « linois etc.) s'il a l'intention de rester définitivement à « Paris, il vous répondra qu'à moins de circonstances im-

« prévues, il entend bien y demeurer toujours ». — Et haec voluntas perpetuo manendi sufficit, ut patet, pro domicilio sufficienter acquirendo tum in paroecia qua nunc degit, tum in alia qua, proximo mense, forte deget. — Ast « demandez-« lui s'il veut rester toujours dans le même appartement, « dans la même paroisse; il se montrera, en règle générale, « infiniment moins affirmatif; il ne lui faut qu'une raison « bien légère pour changer d'appartement, de rue et même « de quartier. Il veut se rapprocher de son travail, de son bu-« reau, de sa maison de commerce; il cherche un apparte-« ment moins cher ou mieux situé et cent autres raisons « semblables... ». (*Boudinhon:* Quelques Réflex. sur le Domic. et le Quasid. — *Le Canoniste*, vol. XXII, p. 211). Hae vero mutationes, si cum diversis domiciliis successive acquisitis sunt ut plurimum compatibiles, cum quasi-domicilio, prout in hodierna legislatione praefinitur, saepe, saepius erunt prorsus incompatibiles, ut superius adnotatum est.

Et hinc 2°, legislatio matrimonialis, non solum ea quae fieri debent, statuat oportet (et hucusque nihil, quod sciam, statutum est circa voluntatis commorandi explorationem), sed etiam ea quae, iuxta contingentias humanas negliguntur aut posthabentur, seduló, quantum fas erit, praevidere ac devitare debet, ne tantoties invalide contrahantur matrimonia.

39. *Secunda* ratio desumi posse videtur ex ipsis inter Auctores hac de re dissensionibus, quas idcirco, paulo supra, fuse specificandas autumavi. Sane, plura nunc in tuto compertoque ponuntur, circa parochum proprium respectu matrimonii (et generalius circa tridentinum decretum) quae prius incerta controversaque remanebant. Attamen, non sufficit, meo tenui sensu, varias congerere SS. CC. RR. decisiones et resolutiones, ut dein ex illis inferatur quod haec illave sententia non amplius sit probabilis sed potius improbabilis et obsoleta; quia praecise dissensio versatur haud semel circa genuinam harum resolutionum seu decisionum exegesim et ambitum.

In exemplum: nota certe fuit Instructio S. O. anni 1867 praeclaris Theologis et Canonistis qui saltem, post annum 1884, hac de re, scripserunt aut scripta sua reediderunt (ut supra n. 22, sub. litt. C, D, E), quique profecto suam abiecissent sententiam, si tantisper suspicati fuissent, eam ab Instructione, explicite vel implicite reprobari. Nulla perdurat amplius dissensio, v. g. de duplici tridentinae legis indole, videlicet locali simul et personali, quia alia S. O. Instructio (14 Decembr. 1859) duplicem illam efficaciam seu comprehensionem, id est in territorium et personas, clare et asseveranter adsignat. Item, nemo dubitat amplius quod parochus quasi-domicilii sit proprius (si non in littera saltem in mente Tridentini), et haec evolutio legis de clandestinitate, iam fauste et irrefragabiliter stat inconcussa. Sed, a contrario, saepe dubitatur etiam nunc utrum Parochus *ille* sit sufficienter proprius, quia saepe dubia, valde dubia videtur acquisitio quasi-domicilii sufficiens; et acquisitio vicissim dubia remanet, quia, prout iam animadversum est, non satis fixae et perspicuae sunt nec in omnibus dioecesibus conformes, nec praesentium temporum exigentiis satis accommodantur, paucae conditiones illae quae, de quasi-domicilio canonice adipiscendo, documentis in authenticis, reperiuntur. Rectius forte dixissem in *documento authentico*, quia, praeter Instructionem S. O. an. 1867 ad Episc. Angliae et Amer. Sept. saepelaudatam, nullum aliud, ni fallor, invenire est, quo ius, hac de re, statuatur vel auctoritative declaretur. Age vero, dicta Instructio: *primo*, non est universalis sed particularis, id est Episcopis Angliae tantum et Americae directa; *secundo*, quemdam peculiarem nupturientium coetum respicit, eos nempe qui a loco subdito ad locum non subditum transeunt; *tertio*, matrimonia contemplatur contracta, non vero, directe saltem, contrahenda; *quarto*, criterium specificat quo praesumi possit sufficienter adquisitum fuisse in dictis locis quasi-domicilium, quin normae benedictinae quodpiam superaddat; *quinto* (et illud in praesenti themate nostro maioris est momenti) conditionem essentialem adquirendi quasi-domicilii delineat (id est...: cum intentione manendi per maiorem anni partem), quin praecludat aditum dissonis commentariis circa dictam maioritatem aut circa factum perdurantis commorationis, quin etiam indicia specificet practica quibus animus habitandi recte ac tute praesumi valeat. Talem iurisprudentiam seu legislationem, nunc longe perfectiorem quam ante Bened. XIV ac praecisiorem lubentissime profiteor; nihilo tamen minus irreverentiae nequaquam insimulandus videtur qui censeat eam adhuedum deficientem, intricatam in praxi, proindeque perfectibilem ac perficiendam. Nec afferantur in medium resolutiones SS. CC. quae, secundum hodiernam legislationem, validum aut invalidum edixerunt tale taleve matrimonium; siquidem sententiae iudiciales *ius constitutum*, illudque tantum, sequuntur ac sequi debent; nullatenus autem de *iure constituendo*, de quo nunc agitur, praeiudicant, nec praeiudicare valent.

40. Legislationem praefatam esse moderandam (et haec est *tertia* ratio) censuere quamplures Concilii Vaticani Patres. Inter Postulata, quaedam leguntur in quibus proponitur vel petitur mutatio tum generice circa impedimenta, tum peculiarius circa clandestinitatem.

Sic « complures Germaniae Episcopi »: « ... Hodierno autem « tempore, quo iam plurimis locis matrimonium, quod vo-« cant civile, per leges civiles praescriptum est, atque im-« pedimenta canonica, *formaque a Conc. Trid. pro matri-« monio contrahendo praescripta*, per easdem leges civiles « non amplius agnoscuntur, plurima connubia ubique fere « contrahuntur, quae ex iure canonico nulla sunt censenda, « et exinde peccata... » etc.

« Praeterea commercium hominum atque nationum etiam « maxime inter se dissitarum, necnon *domicilii sive com-« morationis immutatio* frequentissima quae moderno tem-« pore ubique fere pristinae immobilitatis et stabilitatis « locum obtinuerunt, impedimentorum matrimonii indaga-« tionem valde difficilem eorumque imminutionem valde « necessariam reddant... ». (*Collect. Lacensis:* Col. 873, vol. III, Conc. Vat.).

41. Item in Postulatis « complurium Galliae Episcoporum », legitur: « *De modificando clandestinitatis impedimento.* « Si hoc impedimentum dirimens servandum iudicetur, sal-« tem ita attemperetur conditio, quae exigit, sub poena nul-« litatis, praesentiam *proprii* sacerdotis exclusive ad alium, « ut in posterum gravissimi huius contractus et sacramenti « validitas non dependeat ex tam facilibus erroribus, qui « circa quaestiones *domicilii*, ac consequenter circa quali-« tatem *proprii sacerdotis*, oriri et subrepere possunt: unde « fit ut multa matrimonia, etiam in facie Ecclesiae con-« tracta, nulla sint. Sufficiat ergo exigere, sub peccati et « censurae poena, non autem cum matrimonii irritatione, « ut nullus sacerdos, nisi *proprius*, aut ab eo delegatus, « matrimonium praesumat celebrare » (*Collect. Lacen.*, vol. VII, col. 842).

Praetermissa singularitate talis postulati (de quo infra) negari non potest nunc, sicut et tunc, errores esse faciles, ac etiam faciliores propter frequentiores domicilii mutationes, quibus validitas plurium matrimoniorum in discrimen adducitur.

42. Hisce Postulatis accedunt animadversiones nuperorum auctorum qui legislationis matrimonialis, in hoc istove puncto

moderationem exoptant. Inter eos, quidam heic citantur qui dictam legislationem oculatissime perpenderunt:

Feije: « Caeterum, valde optandum foret ut magis specifica determinatione obstaculum poni posset coniunctionibus, « quae in dispendium animarum et familiarum a iuvenibus, e « loco ubi viget impedimentum clandestinitatis, cum muliere « discedentibus, in loco ubi illud non viget post brevem ibi « moram contrahuntur, et de quarum validitate vel invalidi- « tate quaestio deinde oritur ». (*De imped. et Dispens. Matrim.*, n. 228, Edit. IV, pag. 147). Si non plene similis, saltem assimilabilis est conditio etiam nupturientium qui, in locis subditis quidem, sed nondum acquisito domicilio vel quasi-domicilio, inaniter contrahunt.

Wernz reiicit, et quidem meritissime, secundum ius constitutum, quasi-domicilium dioecesanum aut urbanum, sed tamen discrete adiungit: « Num Ecclesia velit et prudenter « possit mutare suum ius constitutum, est quaestio de *lege « ferenda* » (Sufficeret in casu, prout infra dicetur, paulo amplior circa legem latam auctoritativa interpretatio). Et iterum: « Non paucae disceptationes iudiciales de domicilio « in *una* ex compluribus parochiis eiusdem civitatis, nullum « habuissent scopum et serium dubium, si intentio generalis « manendi perpetuo vel per maiorem anni partem in civi- « tate, ad constituendum verum vel quasi-domicilium in hac « vel illa determinata parochia sufficeret ». (*Vot.* in una Parisien. 1898, n. 13, n. 15) (1).

Item, egregius I. *De Becker* (De Sponsal. et Matrim.), memoratis in genere Postulatis Conc. Vat. de quibus supra, scitissime ait: « Sane, diffitendum non est graves diversis in regionibus oboriri difficultates in applicanda legislatione Tridentina prouti ante tria saecula fuit promulgata » (pag. 89, ed. II). (Rectius certe diceretur difficultates oriri ex posterioribus circa legem Tridentinam interpretationibus). Et speciatim, de quasi-domicilii controversiis, quas iure merito retinet exsolvendas iuxta legislationem vigentem, non autem iuxta plus minusve singulares auctorum exegeses, superaddit: « Unde, quamvis cuique liceat modeste exprimere *votum « de modificatione afferenda legislationi communi circa « quasi-domicilium*, nefas est partes assumere legislatoris et « indubias conclusiones in dubium adhuc revocare » (pag. 95). Rev. Boudinhon, in Commentariis praecitatis « sur le Domic. et le Quasi-domicile », vigentem legislationem applicat quibusdam casibus (speculativis) matrimonialibus in civitate Parisiensi, eosque rectissime resolvit pro validitate vel invaliditate propter quasi-domicilium sufficienter vel insufficienter adeptum; deinde: « Il est dur, subiungit, d'avoir à conclure ainsi (id est pro invaliditate); mais je ne vois pas la possibilité d'échapper à la rigueur de la jurisprudence. Il ne m'appartient pas de suggérer une modification à la loi; mais on ne verra, je l'espère, aucune intention malveillante de ma part, si *je constate qu'une modification s'impose*; car des conséquences aussi extrêmes, aussi gênantes pour les mariages à contracter, ne peuvent que rendre fréquentes les nullités de mariage, ce que l'Eglise ne saurait se proposer. Ajoutez à cela que ces nullités, conséquences de faits aussi insignifiants en apparence que l'habitation d'un côté ou de l'autre d'une rue, sont très difficilement comprises par les fidèles et leur causent un véritable scandale. Je ne mentionne que pour mémoire les anxiétés de l'Officialité et des premiers vicaires (in Parisiis, uniuscuiusque paroeciae sic dictus Primus Vicarius matrimoniis contrahendis deputatur), placés en face d'inextricables complications et ne pouvant pas toujours obtenir des indications exactes ». (Le *Canon. Cont.* vol. XXII, an. 1899, pag. 282).

43. Quinimo, legislationem speciatim de quasi-domicilio perfectibilem esse ac perficiendam satis aperte innuitur in ipsissima, de qua saepe dictum est, Instructione S. Off., non quidem in prima parte, quae sola fuit inserta penes *Collectan.* S. C. de P. F. (et superius, fere ex integro inseritur), sed in secunda (quam quidam referunt Auctores, v. g. Zitelli *De Dispensation. matrimon.* Appendix IV tum in 1 tum in 2 edit.). Cardinales Inquisitores Generales, inter alia mandant Episcopis destinatariis ut deliberent circa modum opportuniorem praecavendi simulationes nupturientium qui fraudulenter transeuntes, ibidem fictum effutiebant sibi quasi-domicilium et invalide contrahebant. Atvero, si quaeritandi sunt modi falsa quasi-domicilia praecavendi respectu sic transeuntium, eaedem pariter cautiones haud abs re certe forent respectu eorum qui intra loca Tridentinae subdita, de una, v. g. transeunt ad aliam paroeciam, ibique domicilio vero vel quasi nondum acquisito, pariter invalide, etsi forsan bona fide, contrahunt.

44. Indirecta quidem, non tamen infirma *quarta* ratio, quae desumitur ex facto, scilicet ex consuetudine, pluribus in Provinciis ecclesiasticis vigenti, cuius virtute genuinae legislationi de quasi-domicilio, iure vel iniurie, iam in praxi derogatum est. Re vera, plures in Collectione Lacensi reperire est provinciales synodos quae conditiones quasi-domicilii seu *parochialitatis* adipiscendae statuunt, a conditionibus iuris constituti supramemoratis haud parum diversas. Quasdam tantum affero iuxta chronologicum ordinem: Syn. Prov. Rhemen. an. 1849 (revisa per S. C. Conc.) de Parocho proprio statuit: « Est autem Parochus proprius is cuius in paroecia « vir aut mulier habet domicilium aut residentiam *habita- « tionemve sex mensium* ». Et explicitius: « Ad vitanda de « sponsorum domicilio dubia, statuimus ut ad matrimonii « celebrationem *requiratur et sufficiat residentia sex men- « sium;* ita ut modo vir aut mulier *a sex mensibus resi- « deat* in uno loco, coram huius loci Parocho matrimonium « contrahere possit, ex quacumque dioecesi venerint con- « tracturi ». Ne vero supponi possit residentiam illam sex mensium intelligendam esse tantum de his qui forte domicilium suum definitive dereliquerunt, additur: « Volumus insuper ut ipsi qui praedictam habent residentiam ubi loci nunc versantur, *servent ius contrahendi* coram Parocho loci, ubi suum retinuerint domicilium, sive minores sint, sive maiores ». Et cohaerenter cum hisce statutis, bannorum publicationes fieri debent « in paroecia ex qua veniunt (nupturientes), *nisi* habeant domicilium sex mensium in paroecia in qua versantur ». (*Collect. Lacen.* vol. IV, col. 126-127).

Syn. Rothomagen. an. 1850 (rite revisa) plene consonat: « Illi qui, domicilium retinentes in quadam Parochia, in al- « tera ad tempus resident, possunt matrimonium contrahere « sive coram Parocho domicilii, sive coram Parocho loci in « quo residentiam habent, si tamen spatio saltem sex men- « sium ibi iam commorati fuerint » (*Ibid.* col. 531).

Syn. Senonen. 1850 (rite revisa), quoad banna et parochialitatem propter commorationem sex mensium, iisdem fere verbis ac in supracitata Rhemensi.

Syn. Albien. 1850, nihil directe, sed tantum de bannis, ut in praecedenti.

Syn. Bituricen. 1850 (rite revisa) incunctanter edicit: « *Proprius* Parochus, quoad matrimonium, est: 1° Parochus « domicilii; 2° Parochus quasi-domicilii...; 3° Parochus sim- « plicis habitationis, dummodo contrahens *unum saltem « mensem* in paroecia commoratus fuerit ». Heic, de *vagis* quaestionem non esse satis infertur eo solo quod vagi nullatenus nominentur; et secundo, praeviam habitationem per unum mensem requiri, pro vagis coniungendis, a nullo iure, ni fallor, statuitur. Quoad bannorum publicationes, ut in praecedentibus (*Ibid.* col. 1118-1119).

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. VII, p. 62, p. 194.

SYN. AUSCITANA, 1851 (rite revisa) pariter admittit parochum *proprium* domicilii et quasi-domicilii quod confundere videtur cum parocho simplicis habitationis post unum mensem: « sive domicilii, sive quasi-domicilii *seu* simplicis habitationis, modo ista per mensem integrum perseveraverit » (*Ibid.* col. 1191) ibique, in nota marginali 10ª, ad rem invocatur praelaudata Benedictina « *Paucis abhinc* », perinde ac si dicta Benedictina statuat quasi-domicilium sufficienter acquiri per solam habitationem mensilem. Plures aliae Synodi eamdem interpretationem de plano invehunt. Et hinc est quod superius (n. 26) innuerim quosdam Auctores durius forsan damnare interpretationem Benedictinae, quam (etsi satis arbitrariam) Sacra Congregatio Concilii, dictas Synodos revisens, minime damnavit, nec corrigendam edixit (1). His addi possent, pro Gallia, quamplura Statuta dioecesana, v. g. *Cameracensia* (pag. 175, n. 193) in quibus expresse: « Illi qui, domicilium retinentes in quadam paroecia, in altera... possunt contrahere... coram Parocho loci in quo residentiam habent, si tamen spatio saltem unius mensis ibi iam commorati fuerint »; *Nannetensia:* « ... Par domicile actuel, on entend ici le domicile proprement dit, le quasi-domicile *et même* la simple habitation, si elle dure depuis plus d'un mois »: etc. etc.

SYNOD. QUEBECEN. II. 1854 (rite revisa) banna statuit publicanda esse in paroecia ex qua veniunt nupturientes, nisi per sex menses, etc., ut in praecedentibus (*Coll. Lacen.* Vol. III, col. 648).

SYN. ULTRAIECTEN. 1865, ut in praecedenti. (*Ibid.* Vol. V, col. 839).

SYN. SMYRNEN. 1869 in Actis, per modum Appendicis, inserit textum Angeli Lucidi (De Visit. sacr. Lim. vol III, in fine) qui summarie dicit quaestiones de quasi-domicilio matrimoniali resolvendas esse praesertim iuxta Benedictum XIV in Instructione 33 saepedicta, et « *Paucis abhinc* ».

CONVENTUS EPISCOPOR. *Austriae* an. 1856, unde celebris illa Instructio quae nuncupatur « Austriaca ». Ibi, nova videtur induci, quamquam subobscure, conditio circa quasi-domicilium sufficienter adquirendum: « Si quis, extra locum « domicilii veri in aliis adhuc parochiis, domus ipsius usibus « destinatas instructasque possideat, in illo tantum horum « locorum quasi-domicilium habet ubi vel quovis anno per « notabile tempus commorari solet vel tempore, quo locum « sibi domicilium asserit, per *sex* ad minimum *septimanas* « habitat ». (*Instr. Austr.* n. 44 penes Collect. Lacen. vol. V, col. 293).

Tandem, haud abs re est indultum recolere Foederatis Amer. Sept. Statibus concessum, necnon sic dictum privilegium Parisiense, de quibus supra.

45. Ex his autem omnibus attente collatis, logice fluunt sequentes conclusiones, videlicet:

a) Plurimae sunt ecclesiasticae Provinciae, in quibus, respectu matrimoniorum ineundorum, omittitur exploratio intentionis ad brevius longiusve tempus commorandi.

b) Plurimae pariter, in quibus per statutum sive explicitum sive implicitum (propter bannorum publicationem, ut supra notatur) commoratio de facto per semestre nupturienti parochialitatem et proinde Parocho titulum *proprii* respectu matrimonii contrahendi, de se confert.

c) Plures etiam sunt in quibus parochialitas adnectitur effectivae commorationi per unum mensem aut per sex septimanas.

Age vero: haec omnia (praetermissis Sedis Apostolicae concessionibus aut indultis) esse iuri constituto dissona, ne dixerim contraria, meritissime conclamarent Canonistae. Quis autem eorum autumaret praxim in istis Provinciis, a dimidio iam saeculo et ultra vigentem, abolendam esse, aut matrimoniorum sic initorum validitatem ediceret esse dubiam? In dicta praxi, percipienda potius est necessaria quaedam accommodatio, qua Parocho domicilii familiaris, maxime stabilis, prout antiquitus erat, paulatim adiungi debuit (intuitu validitatis matrimoniorum) parochus addititii illius quasi-domicilii, quod ius canonicum, prius oscitanter ac dein incunctanter invexit; postea vero parochus commorationis semestralis; denique parochus commorationis mensilis qui pluribus iam in Provinciis expresse *proprius* dicitur, aut saltem Parocho quasi-domicilii aequiparatur.

Quodsi, in Provinciis, in quibus praelibata vigent Statuta, non paucae praecaventur practicae difficultates, quin matrimonia clandestinitatis impedimento vitientur plusquam in aliis Provinciis, non amplius perspicitur qua de causa, quave ratione, eadem similiave temperamenta practica, Provinciis aliis, nociva vel tutandae coniugiorum validitati minus apta forent.

III.

QUONAM SECURIORI MODO STATUI POSSIT DICTA MODERATIO?

Haud forte multo longior erit tertia ista disquisitio, sed certe salebrosior. Lubenter abstinuissem a quolibet voto proponendo, remittens oculatissimae prudentiae Sacri Consessus, tam gravis tamque delicatae, prout dicitur quaestionis solutionem. Iussus autem, etiam hac de re, mentem aperire, simpliciter obtempero.

46. Et primo, videtur prorsus amovenda solutio quam, in suis Postulatis penes Cons. Vatican. (ut supra, n. 41), proposuere complures Galliarum Episcopi; non solum quia dicta solutio, salva reverentia dixerim, aequivaleret abrogationi legis tridentinae, atque *retrograderetur* usque ad praescriptiones Concilii Lateranensis, quas Tridentini Patres prorsus insufficientes iudicarunt; non solum quia poenae et censurae, quas requirebant Episcopi contra sacerdotes non proprios matrimonia celebrantes, iam in altera parte ipsius decreti *Tametsi*, clarissime praestabiliuntur; sed etiam quia dicta solutio genuinum, meo quidem humili sensu, remedium malo nullatenus afferret. Sane, diffitendum non est quosdam verificari casus in quibus sacerdos, sive negligentia, sive inscitia (sive forte malitia, quamquam rarius, ut puto) matrimoniis adstat, pro quibus ipse non est proprius; atvero, longe frequentiores esse debent casus, in quibus sacerdos, sive cavillosis nupturientium responsionibus, circa commorationem in paroecia, sive quibusdam adiunctis aut praesumptionibus, sese, bona fide, reputet proprium in casu, quin talis revera sit. Censurae non impediunt quominus arduum ac perdifficile sit in praxi dignoscere utrum necne, Titius iste, Berthave illa, canonicis conditionibus satisfecerint ad acquirendum in tali paroecia ius parochialitatis, aut illud retinuerint vel amiserint.

47. Item, videtur amovenda modificatio quae magnas tantum urbes respiceret; quia *primo*, manca foret legislatio magnis urbibus tantum applicabilis non autem minoribus, quin prius specifice determinaretur quaenam, sensu canonico, maiores, quaenamve minores sint habendae; quia *secundo*, causa finalis (nempe validitas matrimoniorum, quae in dicta modificatione debet indesinenter considerari) verificatur non solum in frequentatissimis urbibus, sed etiam in sic dictis laboritiorum centris. Confluunt homines Berolinum et Parisios et Romam, etc.; sed confluunt etiam in Sampierdarena, in Panama, et hodie, v. g. in Simplon, id est ubicumque, et quamdiu, laboritia immania centenos mille-

(1) Caeterae Synodi Provinciales Galliarum (dum synodos celebrare non pertimescebant Episcopi) v. g. Parisien. Avenionen., Turonen., Tolosan., Lugdun., Aquen., Burdigalenses quatuor, aut nihil habent, aut legem tridentinam servandam generice commendant.

nosque operarios attrahunt. Nulla proinde ratio videtur legislationem pro solis urbibus modificandi.

48. Econtra, seligenda videtur modificatio quae, respectu matrimoniorum secundum formam tridentinam ineundorum, clandestinitatem, pro posse, praecaveat. Ad hoc autem duplex apparet via, nempe: 1° facilior seu tutior acquisitio quasi-domicilii; 2° planior interpretatio clandestinitatis iuxta mentem Concilii Tridentini.

§ 1. — *De faciliori adeptione quasi-domicilii.*

49. Ex his quae superius referuntur circa notionem et conditiones quasi-domicilii, necnon circa dissensiones et oscitantias iuris de quasi-domicilio, hoc illove modo sufficienter aut insufficienter adepto, satis superque patuit, ni fallor, difficultatem capitalem non ex *facto* commorationis sed ex *animo* commorandi suboriri. Plus igitur ipsi facto, minus econtra, vel nihil, saltem directe, animo tribuatur oportet, ita ut factum matrimonii, de se publicum et externum, facto pariter externo, non autem mere interno, deinceps solidetur.

Dico: *saltem directe*, quia dupliciter, quantum ad animum commorandi, fieri potest necessaria modificatio, videlicet (1):

Vel, statuendo quod propter *solum factum* commorationis, ad tale taleve tempus (de quo infra), in paroecia, vel in dioecesi (de quo pariter inferius) acquiratur quasi-domicilium canonicum intuitu formae tridentinae rite servandae;

Vel, statuendo quod *animus* commorandi per maiorem anni partem, satis in iure constabit, absque ulla exploratione, ex ipso facto commorationis ad tempus praefixum.

Haec posterior solutio videtur hinc aptior, quia nihil demit, nihil immutat receptae notioni quasi-domicilii, illinc vero minus apta, quia portam stricte non occludit his qui, *post* matrimonium, cavillari tentabunt se revera talem nunquam habuisse animum. Prior econtra portam strictissime claudit, sed a recepta quasi-domicilii notione recedit. Caeterum, ex ista sicut et ex illa, idem prorsus emolumentum, videlicet: si nupturientes in paroecia per aliquod tempus degere debent priusquam ad matrimonium admittantur. Parochus certior erit de statu libero ac de mutuis eorumdem conditionibus, quantum ad impedimenta necnon quantum ad dispositiones pro matrimonii sacramento fructuosius suscipiendo. Equidem non est de conceptu quasi-domicilii, speculative loquendo, quod advenae noscantur, necne, in loco, sive a Parocho, sive ab incolis, ut supra notatum est; ast, in praxi, prudentia requirit « ut contrahentes, antequam matrimonium « celebrent, tanto tempore eo in loco, ubi copulantur, fue« rint commorati, ut ibidem cogniti iam sint atque perspecti » *(Paucis abhinc)*. De se patet haec verba Benedicti XIV nimium urgeri non posse; nihilosecius diffitendum non est eam legislationem approbatione dignam esse quae Parochis propter praeviam quamdam commorationem, medium nupturientes facilius cognoscendi ministraret.

Immo, nonnullis in Conciliis provincialibus, cavetur ne proclamationes fiant nisi post elapsum aliquale tempus in paroecia commorationis: v. g. Concilium Neapolitanum, an. 1699, in terminis: « Ut dubitationibus, quae ex domicilii mutatione suboriri solent, consulatur; in nulla paroecia tres eiusmodi proclamationes fiant, nisi uterque vel alter sponsus *saltem quatuor* ante mensibus ibi domicilium collocarit; breviori autem elapso tempore, una quidem in ea ad quam recens commigrarunt, duae reliquae unde discesserunt, peragantur » *(Coll. Lacen.*, vol. I, col. 198).

50. Praesupposita porro iuris constituti modificatione, sensu superius exposito, duae remanerent adhuc dilucidandae quaestiones videlicet:

1ª *Qualis* requirenda sit commoratio de facto ante matrimonium?

2ª *Ubinam* requirenda, nempe in paroecia, vel in urbe, vel in dioecesi?

51. *Ad primam.* Statuendam esse commorationem semestrem, aliqualiter suadent argumenta sequentia:

a) Dicta commoratio iam requiritur et sufficit, ut supra delibatum est, in pluribus ecclesiasticis Provinciis; sufficiens existimatur a nonnullis rerum canonicarum Peritis; sanctione firmatur ipsius Sedis Apostolicae pro civitate Parisiensi, sive per modum peculiaris indulti, ut quidam autumant, sive potius per modum directivae declarationis, ut aliis praeplacet; exoptatur ab E.mo Vratislaviensi, paulatimque ab aliis Praesulibus magnarum urbium, ut de facili praesumi potest, efflagitabitur, ita ut, firmo remanente iure theoretico, frequentiores evadent in praxi derogationes seu exceptiones quam observationes. Ad quid igitur intactam servare legem quotidianis exceptionibus infirmatam?

b) In secunda parte saepecitatae Instructionis S. O. clare satis innuitur dictam commorationem esse sufficientem; « Ipsi (nupturientes) vel alteruter eorum, Ordinario « loci se sisterint et comprobata sicuti par est sui status « libertate, animum ibidem commorandi ad maiorem anni « partem concludenter demonstraverint; ut si quis, ex. g. « concludenter probet se *ad sex menses* vel domum con« duxisse vel operam suam apud aliquem locasse...; testes « profiteantur, scientiae causam afferentes, sibi notum esse, « eum de quo agitur vere sincereque fixum habere, *sex « saltem* mensibus in eodem loco commorari... ». At, nulla melior probatio, nulla tutior testificatio de animi commorandi sex mensibus, quam ipsamet per sex menses effectiva commoratio;

c) In pluribus nationibus, iis praesertim quae plus minusve Codicem Napoleonicum adoptavere, commoratio semestris domicilium in Municipio confert (1). Curnon et in paroecia conferre posset?

52. Sed contra: semestralis commoratio requireretur vel ad obtinendam parochialitatem intuitu matrimonii et in hac hypothesi onus, nedum allegetur, durius aggravatur, et insuper notio domicilii seu quasi-domicilii susque deque pervertitur; vel ad facilitandam Parocho cognitionem nupturientium et tunc non perspicitur cur requirerentur sex menses et non tantum quatuor, ut in praecitato Conc. Neapolitano, tresve aut etiam unus, quoadusque nempe sit in promptu notitia de statu libero ac de mutuis nupturientium conditionibus. Et sic satisfit rationibus sub littera *a)* congestis. Quantum ad argumentum sub littera *b)*, textus Instructionis nihil aliud probat nisi quod, in mente Cardinalium Inquisitorum Generalium, testificatio de voluntate commorandi sufficienter probat *nunc* adfuisse *tunc* animum commorandi per sex menses aut ultra. Si Suprema retinuisset

(1) Superfluum foret heic adnotare quod, in modificatione proposita, nullatenus agitur de *vero* domicilio quod, in sua notione suisque conditionibus, prout nunc obtinet, firmum remaneret; nec de sic dicta parochialitate *vagorum*, qui, sicut antea, iuri pro ipsis constituto subderentur. Agitur tantum de quasi-domiciliatis, seu rectius de *quasi-domiciliandis*, intuitu Parochi proprii quoad matrimonium.

(1) Le mariage sera célébré dans la Commune où l'un des deux époux aura son domicile. Ce domicile, quant au mariage, s'établira par six mois d'habitation continue dans la Commune » *Art. 74.* Cf. Explication du Code Napoléon, par *Cotil*, Jurisconsulte; Titre IV, Divis. IIIª, necnon disceptationem accuratissimam DD. Ben. Melata: *De Potestate qua matrimonium regitur et de Iure matrimoniali civili.*

semestralem commorationem sufficientem esse ad quasi-domicilium adipiscendum, testificationem simpliciter *de facto* commorationis anterioris in loco, non autem *de animo* ulterius commorandi requisivisset.

Validius non apparet argumentum sub litt. *c)* positum, nempe de consonantia civilis et ecclesiasticae legis exoptabili; *primo*, quia nequaquam eaedem sunt ubique leges civiles quantum ad domicilium vel *residentiam* nupturientium: sic, v. g. codex gallicus supracitatus commorationem semestrem praerequirit; italicus, nihil directe de commoratione longiori vel breviori, sed *artic. 93*: « Il matrimonio deve essere celebrato nella Casa comunale e pubblicamente innanzi all'ufficiale dello stato civile del Comune ove uno degli sposi abbia il domicilio o la residenza » (1); apud Anglos, sufficit commoratio per tres hebdomadas, inquit DD. Rosset, n. 2153, in nota; in Austria, viget, ut puto, saltem pro matrimoniis catholicis Instructio austriaca supracitata; in Hispania, canonicae praescriptiones adamussim servari debent quoad matrimonia catholica (2); in imperio Turcico, matrimonia regulantur iuxta praescriptiones Religionis cuius nupturientes sunt asseclae; in Russico christiani, non graeco-russici, secundum suam religionem, servatis conditionibus generalibus omnium matrimoniorum, copulantur: quum ergo canonica legislatio debeat esse catholica, non autem huic illive civili Codici consona, praedicta conformitas, seu rectius argumentum ex conformitate, prorsus evanescit. *Secundo*, quia lex civilis constituit domicilium et (quasi-domicilium) residentiam in Municipio, quod plures paroecias, haud semel, comprehendit; et inde non conformitas sed confusio. *Tertio*, si quid in lege civili bonum, si quid proficuum foret, non ideo reiiciendum eo solo quod in lege civili inveniretur; ast nulla ratio legislationem canonicam imperfectam immutare iuxta civiles praescriptiones aeque imperfectas aut imperfectiores, hisce praesertim temporibus, quibus verum matrimonium, vel in christianis nationibus, a ritu civili non satis distinguitur.

53. Quantum ad praeviam commorationem *semestri minorem*, non clare perspicitur quare duratio praefiniretur ad quinque quatuorve menses potiusquam ad unum mensem, prout Sedes Apostolica Statibus Foed. Amer. Sept. indulsit. Hoc tantum animadverto, quod scilicet brevi videbitur insufficiens privilegium sex mensium, et a viro fidedignissimo iam rescivi Curiam Parisiensem novas preces porrecturam esse intuitu commorationis *mensilis* obtinendae. Et inde magis ac magis confirmantur argumenta quae suadent modificationem per praeviam commorationem semestralem aut quadrimestralem esse forte minus aptam et efficacem.

54. *Ad secundam*, id est de commoratione praevia *vel* in paroecia, *vel* in urbe, *vel* in dioecesi. Urbanum quasi-domicilium (et idem de domicilio vero) liminariter reiiciendum est, quia, caeteris omissis rationibus, nulla prorsus, in iure canonico, datur auctoritas urbana seu municipalis, sed tantum parochialis et dioecesana et pontificia. Quapropter dictum domicilium, vel quasi-domicilium urbanum, nulli spirituali iurisdictioni corresponderet.

55. Quoad commorationem in paroecia, argumenta quae superius delibantur pro vel contra commorationem semestralem aut minorem, spectant praecise quasi-domicilium in paroecia determinata deinceps admittendum vel non admittendum. Non est igitur cur iterum repetantur.

56. Quid tandem de commoratione in dioecesi, seu de quasi-domicilio dioecesano?

In antecessum, liceat exemplum citare verum, concretum (reticitis tamen, prae discretione, genuinis nominibus) (1) ex quo ponuntur in comperto singulares, seu rectius absurdae consequentiae quae scaturiunt ex legislatione hodierna domicilium respuente dioecesanum.

Titius Romam advenit, indefinite commoraturus propter praeclara munia sibi demandata, et in palatio R... sedem fixit. Elapso triennio vel quatriennio, Titius uxorem ducere voluit, in civitate Fl... domiciliatam, aedesque nobiliores penes palatium S. conduxit, sibi tamen retinens ius palatium R... inhabitandi usque dum celebratum fuisset matrimonium. Sed, herus palatii R... faustam nactus occasionem iterum locandi palatium suum, de repente Titium rogavit ut ante praefinitum tempus discederet.

Annuit ille, prae magnanima comitate, et (aedibus in palatio S... nondum apte restauratis) in diversorio publico transitorie commoratus est. Et inde, *iuxta legislationem hodiernam*, praelaudato Titio, qui Romam a tribus quatuorve annis incolebat cum animo indefinite permanendi, nullum in Urbe domicilium, nullum quasi-domicilium, nulla quocumque titulo parochialitas: non in paroecia palatii R..., quod dereliquerat; non in palatio S..., quod nundum incoluerat; non in paroecia de l'Hôtel, ut patet; et nequidem titulo *vagitatis*, ut dicunt Canonistae, quia Titius, propter domicilium in sua patria retentum, vagis nullatenus assimilandus erat. Matrimonium celebratum fuit, ut iuris et moris est, penes paroeciam uxoris in civitate F...; sed Romae fuisset invalide celebratum, etiamsi Card. Vicarius, qua Ordinarius dioecesanus (non autem qua Delegatus Summi Pontificis) amplissimas dedisset delegationes; quia, vi iuris hodierni, quo dioecesanum domicilium excluditur, Ordinarius non est *proprius*, respectu nupturientium, nisi iam parochialitatem in paroecia determinata adepti fuerint. Uno verbo, Titius, Romae vere ac plene domiciliatus, quin pedem extra Romam posuisset, quamlibet in Urbe parochialitatem amiserat!

57. Relatae sunt paulo supra (n. 29 et 30) rationes quibus concludenter demonstratur dioecesanum domicilium vel quasi-domicilium a *iure* hucusque *constituto* perfracte reiici. Rationes vero quae, *in iure constituendo*, dictum domicilium suaderent adoptandum, sub duplici capite perbelle resumi possunt, nempe ex capite maioris securitatis matrimoniorum, et ex capite plenioris cohaerentiae iuridicae:

a) Potissima difficultas, quantum ad validitatem, oritur, ut iam dictum est (et in precibus tum Parisiensis tum Vratislaviensis Ordinarii concorditer innuitur) ex frequentissimo concursu advenarum qui locum, id est civitatem, incolunt, sed per plures civitatis paroecias, pro variis vitae laboritiique conditionibus, circumeunt.

Tales advenae non permanent utique in tali paroecia determinata, ideoque huius Parochi determinati iurisdictioni (semper secundum ius constitutum) minime subsunt; attamen in civitate seu dioecesi vere et non obiter permanent. Quid igitur absonum foret, si permanentia in eadem dioecesi titulus foret sufficiens *dioecesanitatis*, sicut permanentia in eadem paroecia titulus est *parochialitatis*? Et ideo si Parochus est proprius quoad parochianos vix quasi-domiciliatos, curnam Episcopus non esset proprius quoad eosdem, ita si dici potest, dioecesanizatos? Si proprius deinceps agnosceretur, eo ipso matrimoniis adsistendi delegandive iure potiretur: et sic nonnullae perferme praecaverentur invalidi-

(1) Quomodo vero per translationem *residentiae*, iuxta Codicem italicum, mutetur domicilium superius, n. 21, nota 1ª dictum est.

(2). Art. 75. Los requisitos, forma y solemnidades para celebracion del matrimonio canónico, se rigen para las disposiciones de la Iglesia católica y del S. Concilio de Trento, admitidas como leyes del Reino ». (Cf. *Coleccion* de la legislacion civil... para la cura Parroquial, por D. *Vict. Aragón Lasierra*).

(1) Agitur de Legato Gallico penes S. Sedem. *N. R.*

tates. Haec autem delegatio, praemissis praemittendis ex parte nupturientium, ab Ordinario, per modum dispositionis sive generalis, sive casualis, sive ad tempus, sive in perpetuum, Parocho commorationis actualis nupturientium, salva lege proclamationum, committeretur.

b) Si quis infidelis in gremio sanctae Matris Ecclesiae recipitur, eo ipso, quocumque terrarum loco degat, sub iurisdictione transit Summi Pontificis qui per totum ovile, omnium ovium Christi pastor est proprius. Econtra, si quis catholicus a sua in aliam transit dioecesim: illum dicimus, et quidem meritissime, statutis dioecesanis esse submissum plus minusve onerosis, at eidem, satis incohaerenter, iura dioecesanitatis denegamus, et praecise quantum ad legem tridentinam quae personalis simul et *territorialis* est; illum ad omnia sacramenta admittimus, haud exclusa communione paschali, sed a sacramento nuptiarum arcemus; vagos ubicumque sint, sufficienti parochialitate donamus, advenas autem, etiam post diuturnam in dioecesi commorationem nullam edicimus acquirere dioecesanitatem. Cohaerentius ergo foret, ni fallor, advenis, propter introitum in dioecesim, agnoscere dioecesanitatem, sicut infidelibus, propter introitum in Ecclesiam, agnoscimus catholicitatem.

Haec autem animadversio probe confirmatur ex genuina notione dioeceseos paulo accuratius perpensa. « De iure « communi, tota civitas ac dioecesis est una parochia com- « munis (1), et Episcopus est communis Parochus, et Cathe- « dralis est parochia universalis totius civitatis et dioe- « cesis... Quae communis Parochia est divisa in ecclesias « inferiores. Parochia enim graece idem est, latine, ac par- « titio vel divisio; qua etymologia retenta, cum ecclesiae « inferiores non dividantur in alias, nomen Parochiae pro- « prie residet in Cathedrali, reliquae vero ecclesiae infe- « riores ideo dicuntur parochiales quia curam habent di- « visam suisque confinibus limitatam, et propterea omnes « de civitate ac dioecesi sunt vere parochiani Episcopi ». (Ita *Pignatelli*, tom. VII, cons. LXXXIX, n. 1, edit. Venetae, 1695, p. 142). Quid igitur vetare possit quominus Episcopus, etiam respectu matrimoniorum, declaretur proprius quoad omnes qui in proprio dioecesano territorio, seu in propria parochia communi degunt? Non admittitur in hodierna legislatione quasi-domicilium Dioecesanum; esto: sed, iterum atque iterum dico, quid vetat quominus, in legislatione constituenda, Episcopi sint *proprii* versus omnes qui in respectiva dioecesi permanent, sicut Papa proprius est Pastor omnium qui dioecesim universalem, id est Ecclesiam catholicam inhabitant?

His addatur exegesis nonnullorum auctorum, ut v. g. Laymann, Sanchez aliorumque supramemoratorum, qui ponunt indubitanter, per factum et animum commorandi, statim adquiri paroeciam *vel dioecesim*.

(Continuabitur)

(1) Quidam Theologi, mira prorsus inadvertentia, potestatem iurisdictionis, sicut et ordinis, a minori ad maius per incrementa successiva ascendere putant. Econtra, potestas utraque considerari debet prius tamquam quid perfectum quod gradatim descendit ad minus minusque perfectum. Sicut prior est, in ordine rationali (quidquid sit de ordine administrativo) plenitudo potestatis quae secundum gradus hierarchicos plus minusve participatur descendens a summo ad ima, ita prior est Ecclesia quam ecclesiae particulares seu dioeceses, et dioeceses quam paroeciae, seu Episcopi quam parochi qui caeterum nullam habent nisi per mandatum episcopale iurisdictionem.

Normae pro causis quae agitantur coram S. Cong. Conc., iuris ordine servato.

DECRETO.

Ad evitare che le giuste e provvide disposizioni del Regolamento del 27 settembre 1847, modificato e confermato il 10 dicembre 1884, non vengano violate e cadano in disuso, gli E.mi Padri della S. C. del Concilio nella generale adunanza del 26 agosto p. p., hanno ordinato al sottoscritto Segretario di richiamare i signori Avvocati e Procuratori alla piena e perfetta osservanza del medesimo, e di esigerla da essi in tutti i suoi punti. In particolare poi hanno disposto che siano esattamente e da tutti osservati i seguenti articoli nel modo e termini qui appresso stabiliti:

1° Le allegazioni o difese, e le analoghe risposte debbono essere scritte *in lingua latina* e sottoscritte da avvocati o procuratori autorizzati dalla S. Congregazione. È interdetta la pubblicazione di difese in italiano sotto qualunque forma, anche di memorie firmate dalla parte e controfirmate da un avvocato riconosciuto.

2° Le allegazioni, qualunque sia il numero dei dubbi, *non debbono superare cinque fogli di stampa*, cioè pagine venti, e le risposte *fogli due*, cioè pagine otto.

Che se l'importanza della causa il richieda, col permesso di Mons. Segretario o del suo Uditore le allegazioni potranno aumentarsi fino a sette fogli, e le risposte fino a tre.

3° Il formato dei fogli di stampa ed il tipo dei caratteri devono essere quelli ordinari, come nei fogli d'officio della S. Congregazione.

4° Tutte le scritture dovranno portare in prima pagina il *poterit imprimi* di Mons. Segretario o del suo Uditore: ed a tale effetto le difese dovranno essere presentate alla Segreteria *in bozze di stampa* un mese innanzi alla proposizione della causa: e le risposte quattro giorni innanzi, cioè il martedì.

5° Le allegazioni o difese dovranno essere immancabilmente distribuite agli E.mi Padri ed a Mons. Segretario in doppia copia, ed agli altri come di diritto, il mercoledì, dieci giorni innanzi alla adunanza plenaria; e le risposte il mercoledì seguente, tre giorni innanzi alla medesima.

6° Dopo esibite le risposte non si potrà presentare alcun altro documento, nè distribuire qualsiasi altra scrittura, o foglio, o controrisposta.

E qualora ciò avvenisse, gli E.mi Padri dichiarano, che in conformità del *Regolamento*, non terranno assolutamente conto veruno di queste irregolari produzioni e decideranno la causa in base ai documenti e ragioni precedentemente esposti.

7° A sanzione delle precedenti disposizioni gli E.mi Padri hanno stabilito, e col presente decreto proclamato, che quindi innanzi qualsiasi avvocato o procuratore il quale si permetta violare alcuno degli articolati sopra descritti *resterà senz'altro sospeso per un mese* dall'esercizio delle sue attribuzioni innanzi alla S. C. del Concilio, senza potersi far rappresentare da altri nell'adempimento delle medesime.

In esecuzione degli ordini degli E.mi Padri il sottoscritto rende tutto ciò di pubblica ragione per norma e regola degli interessati.

Dato dalla Segreteria del Concilio, 3 novembre 1905.

G. De Lai, *Segretario*.

E SACRA CONGREGATIONE EPISCOPORUM ET REGULARIUM

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali

Die 27 Ianuarii 1905

Utinen. — Iurium et exemptionis.

Ecclesia Regularibus ad solum usum et custodiam concessa, non est exempta ab Ordinarii iurisdictione; insuper in casu constat de iure consuetudinario Archiepiscopi in praefato sanctuario peragendi nonnullas sacras functiones privative quoad regulares.

Quum conventus et sanctuarium S. Antonii in loco *Gemona* de dioecesi Utinensi, prius ad Minores Conventuales pertinens, deinde vi suppressionis saec. XVIII peractae in proprietatem municipii oppidi praedicti devenisset, tunc Episcopus dictam ecclesiam in succursalem paroeciae ibidem extantis destinavit.

Porro anno 1845 idem municipium sanctuarii et monasterii usum cessit Fratribus Ord. Minorum ea adnexa conditione ut, si Religiosi quacumque de causa etiam vi maiori deficerent, utrumque ad Commune loci rediret; quod revera accidit a. 1867 propter Ordinum suppressionem in Italia. Eodem anno municipium in custodem ecclesiae S. Antonii deputavit unum ex iisdem Minoribus sub dependentia tum Archipresbyteri relate ad sacras functiones, tum Fabricceriae laicalis relate ad administrationem redditunm. Tandem a. 1902 idem municipium custodiam sanctuarii, cum monasterii parte quae ab incendio eiusdem anni non fuerat destructa, concessit tribus Fratribus Minoribus ad tempus indeterminatum.

Interim, Archipresbyter oppidi *Gemona* in praefato sanctuario festivitates S. Antonii et SS.mi Rosarii aliasque sacras functiones semper peregit usque ad a. 1902. Tunc Pater Guardianus, existimans hoc in regularis disciplinae praeiudicium vergere, statuit solemnitatem S. Antonii a solis Religiosis celebrari in posterum. Hinc parochus ad hanc S. C. recursum obtulit contra hanc decisionem.

Ipse revera contendit ecclesiam S. Antonii esse paroeciae succursalem, quod ex triplici capite ostendere nititur: 1° ex quadam scripta memoria a. 1893, quae refert dependentiam sanctuarii a parocho; 2° ex actis S. Visitationis a. 1889 confirmantibus ex pacto convento ius parochi ibidem celebrandi festa S. Antonii et SS.mi Rosarii; 3° demum ex tribus testibus sub iuramento deponentibus Archipresbyterum praeter dicta festa etiam processiones et sacra Tridua peregisse pacifice.

Contra praedictam archipresbyteri assertionem insurgunt ex adverso Fratres Minores asserentes Archipresbyterum solemnitates in casu celebrasse non iure proprio sed ex speciali invitatione quolibet anno a Religiosis facta, uti nonnulli ex ipsis testantur. Ex hoc autem ius consuetudinarium oriri nequit, quum locum habuerit et interruptio per festa celebrata ab altero parocho viciniore, a quodam Episcopo et ab ipso Patriarcha Venetiarum. Insuper nullum extat documentum ex quo confirmari possit conventio a parocho allata. Tandem, concludunt, quod quum etiam post a. 1867 familia Franciscana, licet diminuta, in Conventu S. Antonii perseveraverit, ecclesia nunquam e suo statu regulari excidisse retinenda est.

Hinc ad dubium:

An et quomodo R.mus Archipresbyter loci Gemona functiones ecclesiasticas celebrare possit in ecclesia S. Antonii in solemnitatibus S. Antonii Patavini et SS.mi Rosarii, vel in occasione functionum extraordinariarum, uti sunt visitationes durante iubilaeo, triduanae supplicationes pro publicis calamitatibus, etc.

Emi Patres rescribere dignati sunt: *Quoad sacras functiones in dictis festis S. Antonii et SS. Rosarii, excluso quocumque alio onere, servetur solitum et ad mentem. Mens est: quod ad evitandas in futurum quaestiones, a R.mo Archiepiscopo et P. Provinciali, caeterae functiones ex bono et aequo in speciali elencho determinentur.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

ORDINIS

CARMELITARUM ANTIQUAE OBSERVANTIAE.

Carmelitae A. O. observare debent ritus proprios quos Prior Generalis colligere poterit sub titulo *Ritualis Carmelitici* (1).

R. P. Simon Bernardini Ordinis Carmelitarum Antiquae Observantiae, Sacrorum Rituum Congregationi sequentia dubia reformata, pro opportuna solutione, humillime exposuit:

I. An ritus proprius, quo Carmelitae Antiquae Observantiae utuntur in celebratione Missae, et in administratione Sacramentorum et Sacramentalium, retinendus sit ab omnibus Religiosis ad Ordinem pertinentibus, iis non exceptis, qui ad Paroecias regendas assumuntur?

(1) Hocce maximi momenti Decretum, quod iam in fasciculo mensis Iulii p. e., p. 286, proposuimus, iterum, et quidem duplici ex causa tradimus: 1° ut plenius illustretur ex Commentario, quod nuper ad nos misit cl. P. Marcus Magistretti, in rebus liturgicis, ut norunt omnes, peritissimus; 2° ut in sua authentica integritate restituatur. Re quidem vera, locutio *nimirum*, post verbum *exposuit*, delenda est; in 3° quaesito, dictio *Ritualis Carmeliticus* vertatur in *Ritualis Carmelitici*; tandem, quod gravius est, in 2° quaesito, post verba *vel altero sacramento*, addatur: *vel sacramentali deerant*. Candide fatemur, quod prius documentum, cum suis mendis, transcripseramus ex folio cui titulus: *Acta S. Sedis, Ephemerides Romanae a SS.mo D. N. Pio P. X authenticae et officiales Ap. Sedis Actis publice evulgandis declaratae*. Quamvis praedictae Ephemerides, etsi rogatae, supra notatos errores non emendaverint, nos sponte textum in sua integritate restituere curavimus. De cetero, plures alii errores in dicto Folio notari possent; quod ad nos non pertinet. In hac re valeat axioma: Hanc veniam petimus *damusque* vicissim. *N. R.*

II. An sit improbanda praxis recepta in Liturgia Carmelitica, ut quae formae ac caeremoniae pro uno vel altero Sacramento *vel Sacramentali deerant* in ritu Ordinis peculiari, ex Rituali Romano desumerentur?

III. Et quatenus Affirmative ad I. et Negative ad II. An in facultate sit Prioris Generalis Ordinis Carmelitarum Antiq. Observ. tam ritus peculiares Ordinis quam eos qui ex Rituali Romano supplentur, in unum volumen colligere sub titulo «*Ritualis Carmelitici*» et omnibus suis subditis huius Ritualis observantiam praescribere?

Sacra porro Rituum Congregatio, in peculiari Coetu ad Vaticanum habito, die 16 vertentis mensis Maii, proponente Emo et Rmo Dno Cardinali Vincentio Vannutelli Episcopo Praenestino, et Relatore, audito etiam R. P. D. Alexandro Verde S. Fidei Promotore, omnibusque sedulo perpensis rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Affirmative.*

Quas resolutiones Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X ab infrascripto Cardinali Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto relatas, Sanctitas Sua ratas habere et confirmare dignata est. Die 24 Maii 1905.

L. ✠ S.

A Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secret.*

Altro Commentario al Decreto dei PP. Carmelitani riguardo al Rituale.

OSSERVAZIONI.

A nessuno può sfuggire l'importanza di questo Decreto della S. Congregazione dei Riti, il quale, sebbene dato per un Ordine religioso particolare, tuttavia può e deve essere norma di tutti gli altri Ordini regolari, i quali hanno un rito speciale monastico diverso dal Romano. Da questo Decreto, in tesi generale, risulta che:

1° Se ad un Ordine religioso, avente rito particolare, viene affidato l'esercizio della parrocchialità (a meno che vi sia una disposizione speciale, contraria e tassativa della S. Sede), i parroci regolari devono, anche nelle funzioni parrocchiali, seguire il rito particolare del loro Ordine;

2° Se nei libri liturgici dell'Ordine mancano le formole di qualche sacramento o di sacramentali necessari nell'esercizio parrocchiale, tali formole dovranno prendersi dal Rituale Romano;

3° Il Generale dell'Ordine può e deve invigilare a che i suoi sudditi non lascino di osservare il rito dell'Ordine stesso, e quale *Ordinario* può provvedere i suoi sudditi dei libri liturgici necessari, purchè corrispondano fedelmente alle *edizioni tipiche*, sia dei libri *liturgici regolari*, sia dei libri *liturgici romani* per quelle parti che, occorrendo, da questi venissero stralciate per inserirle nei libri dell'Ordine; restando però integro il principio, che nulla può nè mutare nè introdurre *di nuovo* senza l'espressa approvazione della S. Sede, solita darsi per il tramite ordinario della S. Congregazione dei Riti.

Se poi si vuole trovare la ragione o il principio al quale s'informa questo Decreto, non dubitiamo di affermare che sta nella volontà espressa dalla S. Sede di conservare intatti quei riti, che hanno legittima esistenza, per la loro antichità anteriore di duecento anni alle Bolle *Piane* (1570); e nella costante riprovazione della *mistione dei Riti*, che si verificherebbe in quelle chiese regolari dove i religiosi funzionassero in rito regolare, e il Parroco seguisse il Rito Romano nelle funzioni parrocchiali.

Il nuovo Decreto, oltre che una norma sicura per gli Ordini regolari chiamati dagli Ordinari ad assumere l'amministrazione di nuove parrocchie, è un atto solenne della magnanimità del Romano Pontificato, che sempre e in ogni tempo si affermò vindice dei diritti di tutti.

P. MARCO MAGISTRETTI, Dott. S. T.
Maestro delle Cerimonie nella Chiesa Metrop. di Milano.

II.

DECRETUM

quo editio Vaticana librorum cantus gregoriani typica declaratur.

Post Apostolicas litteras SS. D. N. Pii divina Providentia PP. X *Motu Proprio* datas die XXV Aprilis MCMIV (1), quibus decernitur nova committenda typis Vaticanis editio librorum, cantum gregorianum S. R. Ecclesiae proprium continentium, prout ab ipsomet Pontifice restitutus fuit, Commissio Pontificia, mandata et desideria eiusdem Pontificis adimplens, ipsam editionem summo studio ac diligentia paravit, atque perfecit.

Haec vero S. Rituum Congregatio, hanc ipsam editionem uti typicam ab omnibus habendam esse declarat atque decernit; ita ut in posterum melodiae gregorianae, in futuris huiusmodi librorum editionibus contentae, praedictae typicae editioni, nihil prorsus addito, dempto vel mutato, adamussim sint conformandae, etiamsi agatur de excerptis ex libris iisdem.

Nulli tamen fas erit librorum cantus gregoriani sic restituti in totum vel ex parte editionem suscipere aut evulgare, nisi prius a S. Sede facultatem obtinuerit, normis servatis et instructionibus, quae in Decreto S. R. C. diei XI Augusti MCMV (2) continentur.

Denique haec eadem S. Rituum Congregatio de mandato SS.mi declarat vivissimum esse eiusdem Sanctitatis Suae desiderium, quod ubique locorum Ordinarii curent, ut quilibet libri hucusque editi cantum liturgicum referentes, etiamsi quocumque pontificio privilegio muniti, aut quavis adprobatione commendati, sensim sine sensu, quamprimum tamen, ab ecclesiis, etiam Regularium, romanum ritum sectantibus amoveantur, ita ut libri liturgici gregorianos concentus continentes ii tantummodo adhibeantur, qui, iuxta

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XII, p. 174.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.* fasc. praec., p. 345.

normas supradictas compositi, huic typicae editioni plane fuerint conformes.

Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 14 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

ORDINIS PRAEDICATORUM.

Circa translationem festi SS. Rosarii ad dominicam secundam Octobris, ob celebrationem festi S. Remigii, in nonnullis Galliae dioecesibus.

Quum in Archidioecesi Rhemensi et in quibusdam Dioecesibus Galliarum festum S. Remigii Episcopi Confessoris quotannis celebretur Dominica prima Octobris, et, ideo, solemnitas Sanctissimi Rosarii amandetur in diem aliquam subsequentem, non semper Dominicam, saepius evenit, ut Fideles qui Confraternitati Sanctissimi Rosarii nomen dederunt, quique manualibus operibus, ut plurimum, addicti sunt, indulgentias illius solemnitatis lucrari nequeant. Quare Reverendissimus Pater Fr. Henricus Desqueyrous, Procurator Generalis Ordinis Praedicatorum, plurium Confratrum Sanctissimi Rosarii vota depromens, Sanctissimum Dominum Nostrum Pium Papam X enixe rogavit, ut quibus in locis solemnitatem praedictam impeditam esse contingat Dominica prima Octobris, eadem, Dominica subsequenti, h. e. secunda celebrari possit. Sanctitas porro sua, referente infrascripto Sacrorum Rituum Congregationi Pro-Praefecto Cardinali, ita precibus annuere dignata est, ut in Archidioecesi tantum Rhemensi aliisque Galliarum Dioecesibus, in quibus festum S. Remigii instituitur praedicta Dominica prima Octobris, solemnitas Sanctissimi Rosarii recolatur Dominica secunda eiusdem mensis, cum unica Missa solemni et altera lecta propriis: dummodo non occurrat duplex primae classis, vel aliquod festum B. M. V.; neque omittatur Missa parochialis Officio diei respondens, ubi eiusdem celebrandae adsit onus: servatis Rubricis. Contrariis non obstantibus quibuscumque. Die 23 Augusti 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

IV.

ORDINIS MINOR. S. FRANCISCI CAPUCCINORUM IN GALLIA.

In Gallia Fratres dispersi non tenentur ad festum Titularis Ecclesiae conventualis celebrandum, nec ad commemorationem eiusdem titularis, in suffragiis Sanctorum.

Ferme omnes Ecclesiae Ordinis Minorum S. Francisci Capuccinorum in Gallia sunt clausae et Conventus religiosis vacant. In manus sic dicti *Liquidatoris* transierunt Ecclesiae et Conventus, nihilominus in locis ubi erant Conventus remanserunt religiosi, qui licet separatim vivant, Superiorem localem habent.

Quibus sic stantibus, a Sacra Rituum Congregatione expostulatum fuit: « Utrum praedicti Fratres, degentes in loco ubi primum erat Conventus, teneantur officium titularis Ecclesiae conventualis, clausae et etiam in alios usus conversae, celebrare sub ritu duplicis primae classis cum octava, et in suffragiis Sanctorum commemorationem praefati titularis peragere? ».

Sacra porro Rituum Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito voto Commissionis liturgicae, omnibusque sedulo perpensis, rescribendum censuit: Negative; sed unice tenentur ad officium et Suffragium de Patrono seu Titulari Provinciae Regularis, quatenus ex Rubrica vel Indulto Apostolico habeantur: uti in Decreto N° 3210 *Ordinis Minorum* 3 Iulii 1869 (1).

Atque ita rescripsit. Die 9 Septembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen, *Secr.*

V.

POLICASTREN. — DECRETUM.

Beatificationis et Canonizationis Ven. Servi Dei Dominici Lentini, Sacerdotis saecularis.

Informatio Advocati.

(Vide supra p. 405).

CAPUT V.

De heroica Charitate in Deum.

42. Omnium virtutum caput et fundamentum charitas est, seu, uti loquitur Damascenus, « *Virtutum omnium apex et veluti ara* ». Quemadmodum enim humani corporis non aliter victura membra sunt, nisi cum capite colligata vim ad se vitalem ex capite ipso traducant, seiunctaque necesse est emori: ita caeterae omnes virtutes simulacra potius esse videntur, nisi charitas ipsa eas vivificet atque informet. Unde S. Augustinus scribit: « *Nihil prosunt caetera dona* « *sine charitate: adde charitatem et prosunt omnia; de-* « *trahe charitatem et nihil sunt caetera* » (2).

43. Quo autem potissimum indicio haec virtus innotescat, aperte declaravit Christus Dominus inquiens: « *Qui habet* « *mandata mea et servat ea, ille est qui diligit me* » (3). Atqui testes concordes tradunt, Dominicum Lentini perpetuo ac sedulo Dei et Ecclesiae servasse praecepta, quaevis sustinere et quaevis amittere paratum se iugiter exhibuisse, certamque mortem occumbere, potiusquam vel a minima illorum parte deflectere.

44. Iam inde a primula aetate omnia desideria, cogitationes omnes et studia semper illuc spectarunt, ut effusissimo amore Deum complecterentur. Grandior effectus, sacrisque initiatus, omnia ab se impedimenta amovere curavit, quae eius mentem a Deo abstrahere potuissent. Et quoniam eorum, qui vehementer diligunt, proprium est omnibus niti viribus ut quem amant assequantur, haud ullum unquam laborum genus vel corporis cruciatum recusavit, quo propius

(1) Haec responsio aptari videtur omnibus Familiis regularibus, quae in Galliis dira nunc persecutione divexantur. *N. R.*

(2) Serm. 50 de verb. Dom.

(3) Ioann. XIV, 21.

ad Deum accederet. Nempe afflictationibus, angustiis, ieiuniis, quibus summopere exercebatur, is valde delectari visus est, ut Deo magis placeret et acceptior fieret, aeternamque beatitatem ab Eo assequeretur.

45. Solitudinem, silentium, recessum requirebat, ut per orationem libero ac diuturno Domini colloquio uteretur. Praecipue Christi patientis dolores, eiusque Matris perdolentis pia commentatione recolens, se ad Illum imitandum per arduos pietatis et poenitentiae actus ultro exercebat, atque ita Divi Bernardi monitum sequebatur « *Disce, o* « *Christiane, a Christo quemadmodum diligas Christum:* « *disce amare dulciter, amare prudenter, amare forti-* « *ter* » (1). Fatendum tamen est nunquam maiori ardore eius charitatem se ostendisse, quam cum SSmae Eucharistiae sacramentum adoraret, ac praesertim cum Unigenitum Patris in sacrificium de caelo evocabat, cum sacrosanctam Hostiam purissimis manibus extollebat, cum divina communione fruebatur. Sacro enim dans operam, toto corporis habitu vultusque serenitate ac rubore sic latens charitatis incendium prodebat, ut caeleste quidpiam praeseferret, suavemque adeo effunderet pietatis odorem, qui fideles alliceret ac commoveret.

46. Et quo vividiorem ignem ex Eucharistia concipiebat, eo impensiori studio adnitebatur, ut sancti amoris flammas in aliorum animis excitaret. Neque mirum: omnes enim sancti viri, in quibus summopere charitas exarsit, omni contentione adnisi sunt ut quamplurimos Deo amatores conciliarent, scientes nihil plane Ei fore acceptius quam ut ab hominibus diligatur. Eadem porro de causa iidem semper conati sunt illud amovere, ac delere si potuissent, quod amori in Deum maxime opponitur, peccatum scilicet. Hoc ipsum egregie praestitit Dei Famulus, cuius labores omnes tum in concionibus habendis, tum in sacro tribunali (prout alibi declaravimus) eo pertinebant, ut homines retraherentur a peccatis, et qui lapsi fuerant ad Deum converterentur. Studium omne et industriam in id iugiter convertit, nulli molestiae aut vigiliae parcens, ut Deus ab omnibus charitate plena coleretur.

47. Videns autem ab aliis hominibus Deum iniuria affici tristabatur vehementer, eorumque flagitia pro viribus praepedire satagebat. Neque satis; saepe enim suum corpus flagris caedebat, aliisque afflictationibus ipsum subiiciebat, ut pro aliorum noxiis Deo poenas lueret.

48. Quum tanto esset amore percitus erga Deum, fieri certe non poterat, ut de eo frequenter etiam loqueretur. « *Nam* (ceu notavit S. Laurentius Iustiniani), *hic amantium* « *mos est, ut amorem suum silentio tegere nequeant* » (2). Luculentissimo huic incensae charitatis indicio haud leve pondus accedere arbitror ex verbis testis LII affirmantis, Dominicum Lentini Deum dilexisse « come un Santo può « amarlo, non risparmiando fatiche e discorsi, onde promuo- « verne la gloria ».

49. Haec porro omnia qui diligenter perpendat, facere non poterit quin certum persuasumque habeat Dei Famulum naviter et egregie exequutum esse primum ac maximum divinae legis mandatum: « *Diliges Dominum Deum tuum* « *ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex omnibus viri-* « *bus tuis et ex tota mente tua* » (3). Quocirca ab aliis expendendis charitatis argumentis abstineo, siquidem, uti affirmat Testis XLVIII, « per raccontare tutti gli atti rife- « ribili a questo amore, ci vorrebbero dei volumi »; animadvertere tamen praestat, in extremis vitae annis tanto

(1) Serm. 20 in Cantic.
(2) De Lign. vit. super Charit. cap. II.
(3) Luc. X, 27.

divini amoris aestu eius cor conflagrasse, ut potius charitatis ardore quam naturali morbo fuerit absumptus, prout fusius suo loco videbimus.

CAPUT VI.

De heroica Charitate in proximum.

50. Quoniam « *per amorem Dei amor proximi gignitur,* « *et per amorem proximi amor Dei nutritur* », ceu perbelle tradit Gregorius Magnus (1), pronum erat ut qui Deum tantopere diligebat, eadem dilectione etiam fratres suos complecteretur: non tam impense poterat Servus Dei diligere Dominum suum, nisi summo charitatis affectu dilexisset fratres; siquidem « *qui diligit Deum, non Eum contemnere* « *potest praecipientem diligere proximum* » (2). Haud erunt itaque mendacii suspecti testes de Dominico Lentini affirmantes: « Tanto amava Dio che sembrava un Serafino « di amore, e per Dio amava il prossimo. - Era pieno di « carità verso il prossimo. - Egli amava il prossimo con « amor singolare. - La carità del Servo di Dio si portava « in predicato per tutto il paese ». At operae pretium est enucleate expendere praecipua actuum genera, per quae haec virtus sese explicat, quaeque iis misericordiae operibus continentur, quibus fratres aut eripiuntur a malis, aut bonis augentur.

51. Enimvero quo graviora mala sunt quae summoventur, et maiora bona quae impertiuntur, eo praestantius et illustrius charitatis opus dicendum est. Sed quid deterius aut peius homini potest accidere, quam ut lethalis culpae nexibus detentus inter gehennae filios reputetur: quid melius aut optatius quam Dei gratiam et amicitiam vel amissam adipisci, vel adeptam pleniorem et uberiorem consequi? Hoc itaque praestitit proximo suo Dei Famulus, qui vitam universam, viresque suas impendit, ut animas Christo lucrifaceret, et germina vitiorum penitus evelleret.

52. Iam, uti alibi innuimus, acerbissima aderat aetas, qua philosophorum scita, vaferrimis excogitata ingeniis, Europae fines veluti tabes invaserant et veram Christi doctrinam evertentia, tum divina tum humana iura turbare inceperant. In hoc per illud temporis insignis Servi Dei charitas eluxit, quod pro viribus ruentis fidei impetum remorari studuerit et gliscenti malo praesens adhibere remedium, ne proximorum aeterna salus extremum obiret exitium. Id potissimum praestitit sacris concionibus, quibus, ceu item vidimus, audientium corda expugnare et animos abripere satagebat, servato sibi onere satisfaciendi Deo per acres corporis macerationes, quo facilius optatas a divina clementia conversiones extorqueret. Sedulam huic negotio salvandi animas navavit operam, etiam gravissima subiens incommoda et sibi nunquam parcens. Ita dignum se Dei Sacerdotem exhibebat, qui nunquam terrena lucra sed aeterna semper quaesivit.

53. Studium hoc salvandi animas in charitate divina purissimas habebat radices, ideoque, nulla habita personarum acceptione, ad omnes qui aeternae haereditatis participes fieri possunt aeque sese explicabat. Quamobrem sui penitus oblitus ministerio sacramentales excipiendi confessiones vacabat indefesse, privatas domus et custodias publicas alacriter adibat, ut aegris vel capite damnatis quacumque valeret ope, ac praesertim christianae religionis subsidiis praesto foret.

54. Facile ex his intellectu est non tam veram charitatem habuisse Dei Famulum, sed evangelica prorsus charitate exarsisse erga proximum suum, cuius iuvandi occasionem nullam elabi unquam sivit, quin imo totus semper fuit in

(1) Lib. 7 Moral.
(2) S. August. Tract. 65 in Ioann.

modis pervestigandis, quibus eius sanctificationi prodesset. Eodem charitatis spiritu ductus, pacis sequestrem se totum Deo offerebat, varioque cruciatuum genere corpus macerare solebat, ut instantes calamitates deprecaretur. Ac quasi parum id esset, pro aliorum noxiis poenas solvere curabat. Interdum enim, ut narrat Testis LXXV; « il Servo di Dio « andava a far penitenza nella strada consolare... pei pec« cati che lì commettevano quelli operai che la stavano « costruendo. Ma che penitenze!! scalzo sulla neve e sul « ruvido brecciame, flagellandosi con disciplina di ferro ».

55. Iamvero haec omnia, dum incensissimum zelum depraedicant salutis animarum, heroicam certe charitatem ostendunt, aiente Matthaeiuccio: « *Sensibilia heroicae cha« ritatis erga proximum signa, quantum ad bona spiri« tualia, spiritualemque eleemosynam, qua paupertas ani« mae et spiritus egestas sublevatur, deducuntur ex vehe« menti et ferventissimo zelo salutis animarum.... Ardens « itaque zelus, efficaxque desiderium ac inexplebilis cu« pido quod singuli salventur, ac pravi convertantur ad « Deum, et boni magis ac magis in virtute proficiant... « heroicum zelum commendant, et in negotio salutis de « radice intensissimae dilectionis in proximum proce« dunt* » (1).

56. Quum autem tantam curam animarum in saeculo degentium gerebat Dei Famulus, censendum non est earum oblitum fore vix e corpore discessissent, nam pia charitatis officia defunctis praestare, ceu innuimus de fide heroica agentes, aliis quoque suadebat, ipse vero « spesso si vedeva « nel cimitero pregando per le anime dei trapassati ».

57. Si modo ad ea misericordiae opera gradum faciamus, quae corpus attingunt, haud minus heroica in hisce fulsit Dei Famuli charitas. Multa enim et praeclara sunt quae testes enarrant de effusa charitate, qua corporalibus proximorum indigentiis opem ferre omni tempore connisus est.

58. Tanta in eo erat magnitudo animi et pietatis ardor, ut quo magis ipse egeret, eo magis aliorum inopiae misertus gremium panderet liberalitatis suae. Intra multa unum tantum eligemus exemplum quod singularem et oppido heroicam charitatem ostendit. Iam coelum advesperascebat quum olim Dominicus apud pontem in loco a Laurea haud valde dissito visus est. Abibat eamdem viam quidam Sacerdos Dominico notus: qui ei, « Domenico, andiamocene, inquit, « perchè è già tardi ». At ipse: « andate, andate, fratello, « perchè io voglio godere ancora di quest'aria fresca ». Instabat sacerdos, sed nequicquam. Tum vero excalceatum Dominicum deprehendit, causam novit et blande expostulare inceperat. Sed ille: « Zitto, zitto, fratello, le ho date (le « scarpe) ad un povero, che viaggiava scalzo da tanti giorni « e per questo aveva già rotto i piedi. D'altronde io ne ho « un altro paio in casa ».

59. Quid plura? Pauper ipse panem suum cum egenis dividebat, abstinentiam suam convertens in refectionem pauperis. Quidquid pecuniae perciperet « dalla Chiesa e da altri « proventi sacerdotali, era da lui speso a beneficio delle « famiglie bisognose e dei poveri ».

60. Neque satis; saepe enim ut alienis necessitatibus consuleret, si vires non suppeterent, pecuniam mutuabatur, et nedum petentibus largiebatur, sed studiose etiam in egenos inquirebat, qui pudore detenti palam aliena subsidia implorare non audebant. Illud insuper peculiare adnotatione dignum est, quod pecuniam erogans Dei Famulus in pauperes, « ignorava il valore della moneta, ed alcune volte nel di« stribuirla dimandava agli scolari che valore aveva ».

61. Quae quidem omnia nedum legentium animos in admirationem rapiunt et in benevolentiam excitant, verum etiam in memoriam revocant illud Divi Bernardi, quod in Famulum Dei perbelle cadere nemo sane inficias iverit. « *Quasi om« nium pater vivebat omnibus, deerat nemini, expanso « omnibus gremio pietatis. De quacumque tribulatione « clamaretur ad eum, propriam reputabat* » (1).

62. Nolo tamen huic parti orationis meae finem imponere, quin aliquid attingam de providentis Dei liberalitate, qua effusissimam servuli sui charitatem comprobare et remunerare visus est. Diximus superius saepe Dei Famulum, suae inopiae oblitum, sese fraudasse iis quae ad victum et vestitum erant necessaria, ut indigentibus daret. Quid gravius ac praestantius afferri posset, ut pateflat quam grata Deo et accepta forent opera charitatis quae in proximi sui bonum ac levamen iugiter impendit Dominicus Lentini?

CAPUT VII.

De heroica Prudentia.

63. Quemadmodum fides inter theologicas, ita prudentia inter cardinales virtutes principem sibi locum vindicat quippe quae « *non tam virtus est*, ut ait S. Bernardus, *quam mo« deratrix et auriga virtutum* » (2); et sine qua nulla posset consistere virtus, tradente eodem Doctore: « *Tolle « hanc, et virtus vitium erit* » (3). Profecto Patres Emos ex iis quae hucusque perspexere sic oportet esse animo comparatos, ut non ambigant quin Dei Famulus prudentiâ praeditus fuerit eximia. Praeclara enim et egregia facta, charitatis praesertim erga proximos, quae superius recensuimus, vix animo concipi possent, nisi teneamus simul emicuisse in Servo Dei virtutem illam, nempe prudentiam, qua homo, ut inquit S. Thomas, disponit et ordinat media et actiones ad consequendum ultimum finem supernaturalem, et ad honorem et gloriam Dei atque salutem animarum (4). Quare omnem fidem meretur Testis LVI dum asserit, « che egli « fu così prudente che seppe rendersi assai caro a Dio ed « agli uomini ».

64. Si potissimum christianae prudentiae munus respicimus, quod est finem a Deo hominibus constitutum, scilicet aeternae salutis assecutionem, prae oculis semper habere, atque idonea ad hunc finem media diligere, eo unice spectasse Dei Famulum, eoque magna animi contentione omnes intendisse vires fateamur oportet. Quid enim est aliud nisi finem ultimum supernaturalem consequi velle, aptioraque ad id media adhibere, quod mundum eiusque illecebras, cum per aetatem licuit, abdicaverit, et ecclesiasticae militiae nomen dederit? Quid est aliud quod Dei et Ecclesiae praecepta arctissime semper servaverit, eorumque observantiam provehere studuerit? Quid est aliud quod sacerdotali ministerio, quoad comes illi vita fuit, ardentissimo zelo, assiduo ac nunquam relaxato labore fuerit perfunctus? Quid quod austeritatibus et afflictationibus corpus castigaverit, virtutemque suam communierit? Quid, quod orationi ac caelestium contemplationi summo fervoris aestu vacaverit? Quod a peccato vel minimo abhorruerit, aliosque retrahere pro viribus connisus iugiter fuerit? « *Ille prudentia fruitur*, docet S. Albertus Magnus, *qui diligit omnia quae approximant Deo* » (5).

65. Haec sane sunt quae prudentiam, eamque heroicam, Dei Famuli demonstrant, quippe qui tutissimam viam qua ad portum salutis perveniret, mature ac sapienter elegit, et nunquam ab ea deflexit iter. Purissimam eius intentionem Deo placendi in cunctis rebus agendis nil magis revelat

(1) Pract. theol. canon. tit. 2, cap. 2, § 4.

(1) Serm. 2 de Malachia.
(2) Serm. IV in Cantic.
(3) Serm. XLI in Cantic.
(4) S. Thom. 2. 2, quaest. 65, art. 2.
(5) Paradis. Anim., cap. 8, p. 37.

quam ardens studium, quo ad divinam gloriam et animarum salutem in omnibus quaerendam ferebatur.

66. Quod si ad rationes, quas, ut metam contingeret, adhibuit animum mentemque convertamus, non minus eximia Servi Dei prudentia dicenda erit. Diligentissime enim ab ineunte aetate ad extremum usque vitae diem aufugit nedum peccata et occasiones peccandi, sed quidquid malas cupiditates fovere potest, quidquid vel minimum impedimentum viam virtutis alacriter gradienti potest afferre. Elegit autem omnia subsidia magis opportuna, quae maxime ad finis assecutionem conducerent.

67. Dum ita prudentissime Dei Famulus eam tenebat viam qua pergens aeternam beatitatem erat assequuturus, non minus sollers et industrius erat in mediis eligendis quibus consuleret proximorum saluti; prout alibi iam invicte demonstravimus. Heic unum commemorare praestat, eius nempe benignitatem ac dexteritatem, quibus maxime praestitit in peccatoribus a vitiorum coeno revocandis.

68. Eximiam hanc qua ipse praeditus erat prudentiam « la insinuava anche agli altri, sia nel ministero della pre« dicazione che della confessione, e tutti facevano tesoro di « questa sua virtù ». Hinc fiebat ut passim cives in rebus dubiis atque implicitis ab eo peterent consilia et monita, quibus actus suos conformarent, atque eius laudi verterent quod res bene evenirent.

69. Quare mirabitur nemo audiens Testem XC aientem: Gli « affari più ardui erano affidati alla prudenza del Servo di Dio, « ed i suoi consigli parevano, e forse erano vere ispirazioni « del Signore ». Neque homines de plebe tantum eius consilia exquirebant et sequebantur, sed viri etiam gravissimi et dignitate praestantes. Qui certe eum consulturi non adiissent, nisi singulari prudentia eum praestare comperissent.

CAPUT VIII.

De heroica Iustitia.

70. Quamvis iustitiae laude ii maxime florere dicendi sint, quos aliarum virtutum corona nobilitat, in praesenti tamen rerum themate non de hac generali iustitia sermo est habendus, sed de « ea constanti ac perpetua voluntate ius suum cuique tribuente », quae potius alios quam nos respicit, et cuius partes clarissime Apostolus describit inquiens: « *Red-« dite ergo omnibus debita: cui tributum tributum; cui « vectigal vectigal; cui timorem timorem; cui honorem « honorem; nemini quidquam debeatis* » (1). Ecquis itaque dubitare posset utrum Dei Famulus suum cuique tribuerit, ac ideo num iustitiae virtutem egregie excoluerit, quum locupletissimi testes concordi voce hoc enuncient atque affirment.

71. Quo autem exploratius fiat Servum Dei eas omnes iustitiae partes perfectissime implevisse, quae eius conditioni ac vitae instituto conveniebant, enucleatius expendenda sunt quae generatim prolata nuper a testibus audivimus. Profecto primum huius virtutis officium religionem respicit, cultumque adhibendum Deo et Sanctis eius iuxta illud: « *Fili, accedens ad servitutem Dei, sta in iustitia* » (2). Atqui hoc sollertissime tenuit Dominicus; namque iam inde a pueris tam pie sancteque Deum excolere coepit ut, malum summopere detestatus, quae magis Illi grata et accepta cognoverat, eadem imitanda selegerit. Quare in divinis ecclesiasticisque praeceptis custodiendis neminem habuit parem. Nedum sacerdotalia officia naviter obivit, sed totus etiam in eo fuit ut quamplurimos posset ad Deum colendum et venerandum adduceret. Sanctos quoque aeterna iam beatitate fruentes, ac praesertim Virginem Deiparam honore maximo est prosequutus, ceu in titulo de fide heroica innuimus, ubi de oratione aliisque actibus cultus interni et externi summo Numini exhibiti fuse disseruimus.

72. Religionem quae pios nos efficit erga Deum proxime sequitur pietas proprie nuncupata, quae in parentes et patriam exercetur, aliosque qui simili necessitudine nobiscum iunguntur. Etsi testes nil referant aperte de obsequio quo parentes suos prosequebatur Dei Famulus, nullatenus tamen ambigere possumus quin plenum exhibuerit, quippe ex actis certiores sumus illorum curis ipsum vel a pueris optime respondisse. In patrem vero pulcherrime eius pietas enituit in adeunda haereditate, quam e vita decedens nominibus obrutam ille reliquerat. Quid vero dicam de eius pietate in patriam? Benefactis amplissimis eam demeruit, spiritualia omnia et temporalia quae potuit subsidia civibus suis impertiens, eamque expurgans a vitiorum tabe, quae nulla pernicies deterior esse poterat.

73. Persimilis huic iustitiae parti ea est quae grati animi virtus nuncupatur, quaeque tanta in Dei Famulo fuit ut mortalis etiam vitae fines praegrederetur.

74. Quamvis rei familiaris inopia, in qua versabatur Dei Famulus, vix locum illi daret liberalitatis exercendae, quae est altera iustitiae pars: nihilominus adeo munificus erga pauperes erat, ut suas quoque vestes quibus tegebatur, cum nil haberet quod daret, iisdem haud semel largitus sit, prout in titulo de heroica charitate in proximum ostensum fuit. At si adeo liberalem se praebuit dum nihil ex iure debebat, nemo profecto ambiget, quin aequam plane atque iusto maiorem mercedem iis solverit, quorum operam adhibuerat. Id asseverant testes, allatisque exemplis confirmant; et quisquis ea perlegerit non modo videbit hominem penitus imbutum illo Tobiae monito: « *Quicumque tibi aliquid operatus « fuerit, statim ei mercedem retribue, et merces merce« narii tui apud te omnino non remaneat* » (1): sed videbit etiam virum munera sponte oblata recusantem, vel aliis donis rependentem.

75. Sic officiis omnibus iustitiae cumulate perfunctus potuit suo iure caeteros ad eam servandam hortari: vim enim verborum non extenuabat actibus, sed illud suadebat in quo ipse egregie praeibat exemplo.

CAPUT IX.

De heroica Fortitudine.

76. Quum quis ea, quae rectae rationi consona sunt, forti constantique animo agenda suscipit, quum obstacula omnia, quae sibi in viis Domini ambulanti obiiciuntur, alacriter superat, quum ad ultimum usque diem in recto tramite consistens nunquam a bono operando deflectit, nunquam a virtutis via discedit; is plane dicitur ea heroica virtute praeditus quae christiana fortitudo appellatur, quaeque ita animum ad agendum et patiendum conformare solet, ut nunquam a veritatis et iustitiae semita aberret. Quare haec virtus ab Angelico Doctore definitur: « *Habitus in gravibus « et magnis periculis firmans animum, ne a recto ratio« nis deflectat* » (2). Eius est ardua aggredi et sustinere fortiter, quemadmodum Ecclesiae Patres ac Doctores communi sententia tradunt.

77. Ardua profecto est aggressus Dei Famulus, quum a teneris viam Domini ingressus mandatorum omnium observantissimum se exhibuit, mundi oblectamenta contempsit, meliorem partem elegit statum clericalem amplectens, parentibus animos addens ne ob opum defectum suis optatis obsisterent vel desponderent, retrusique ingenii aciem precibus, studio et diligentia exacuit. Quid magis arduum et

(1) Rom. XIII, 7.
(2) Eccl. II, 1.

(1) Tob. I, 15.
(2) S. Thom. 2. 2, Quaest. 123, art. 2.

asperum quam vitiis et peccatis bellum indicere? Quemadmodum militis virtus in dimicatione praesertim effulget dum strenue pro patriae salute praeliatur, ita Dei Famuli fortitudo enituit luculentissime in certaminibus pro Dei gloria et animarum lucro susceptis. Patriam enim zizaniis obsitam purgare, abusus convellere, peccati dominatum evertere pro virili parte sategit, quin unquam defessus vel deterritus a laboribus conquiesceret: imo « con animo intrepido affron-« tando pericoli per strappare peccatori dalle mani del de-« monio ».

78. Et cum de hisce nobilissimis causis ageretur, vitam ipsam nullo in pretio habebat, paratus ad sanguinem in sancta dimicatione effundendum. Confirmant haec plures Testes.

79. Tanto animi robore praeditus quum esset, pronum erat ut humanorum, quos vocant, respectuum victorem sese magnanimum exhiberet, atque omnibus indiscriminatim quid nefas est quidve praestandum, apostolica libertate ediceret. Hisce vero attestationibus heroicae fortitudinis exemplum adiicere, quod perraro in Sanctorum historiis legitur, operae pretium erit.

80. Superiore saeculo ad exitum flectente, ut quisque sane novit, omnium rerum publicarum discrimen eo deductum fuerat, ut nulla ruentis imperii rebus videretur superesse salus. Philosophorum deliramenta, quae, vaferrimi homines, ostentu libertatis, commendare studebant in vulgus edita animos vesane incitaverant. Etiam Laureae domesticum bellum conflatum anno 1799 eam, quam libertatis arborem vocant, in medio sustulit foro. Vix tamen civilis ordo immutatus fuerat, et res ad tranquillitatem inclinare videbantur, quum ii, qui regiae causae studiosissimi erant, arborem evellere aggrediuntur. At vulgus undique concitatur: ad arma conclamatur. Stat agmen flagitiosorum hominum circum arborem, paratissimum quempiam necare si forte accederet. Dum acrius in contraria studia scinditur vulgus, Dominicus, nullis instructus armis, alacri gressu ad arborem accedit; eum statim prosterni iubet, et simul cum saxo quo nitebatur in proximum colliculum, qui a Sancto Vito nomen habuerat, deferri. Ibi ex eodem ligno crucem erigit, et mox ad ipsam tendens manus, elata voce: « Questo, inquit, è « l'albero del riscatto e della nostra salute; quest'albero « solo dobbiamo adorare ». Sic, animis compositis, tempore iracundiae facta est reconciliatio.

81. Quae hactenus disseruimus, eum praecipue fortitudinis actum respiciunt, qui in arduis aggrediendis est; non ita tamen, ut dici non possit nullum et in his alterum virtutis huiusce actum, qui in sustinendo est, locum habere. Etenim ad virtutem consequendam, et postquam eam quis assecutus sit ad consistendum in ipsa, firmo gradu, aggredi hostem opus est, et, mutata pugnae vice aggredientem sustinere. Haec vero fortitudinis pars, quae patientia dicitur, pluris facienda est, quippe quae praeprimis aditum pandit ad gloriam, aiente Christo Domino: « *In patientia vestra possi-« debitis animas vestras* » (1). Iam porro Dei Famuli virtus hac etiam de causa celebrata est: uti habemus a Testibus.

82. Unum adhuc argumentum ad heroicam Dei Famuli fortitudinem adstruendam afferre praestat, ex constanti perseverantia haustum, qua ad obitum usque perstitit in virtutis semita, quam a teneris unguiculis ipse ingredi coeperat, quin unquam ab ea vel minimum deflecteret, vel de eius studio quidpiam remitteret. Quomodo autem ex perseverantia in bonis operibus novum fortitudinis indicium et argumentum certissimum exurgat, perspicue tradit S. Bernardus inquiens: « *Absque perseverantia nec qui pugnat « victoriam, nec palmam victor consequitur. Tolle perse-« verantiam, nec obsequium mercedem habebit, nec bene-« ficium gratiam, nec laudem fortitudo. Huic soli reddi-« tur corona iustitiae: quid enim prodest esse sapientem, « esse potentem, si non perseveraveris usque in finem?* » (1).

(1) Luc. XXI, 19.

(1) Epist. 129, 2.

CAPUT X.

De heroica Temperantia.

83. Etiam in hac virtute, cuius praecipuum munus versatur iuxta S. Augustini doctrinam « *in coërcendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus ad ea, quae nos avertunt a legibus Dei et a fructu bonitatis eius* » (2), ita excellere visus est Dei Famulus, ut absolutissimum temperantiae exemplar extiterit. Quod ut liquido constet, animadvertendum est hoc maxime efficere temperantiam, ceu patet ex allatis S. Doctoris verbis, ut qui ex eius praescripto vitam exigit, pervigilem sensuum custodiam gerat, cupiditates omnes pravas fraenet atque compescat, easque sedatas victasque sua in potestate habeat. Atqui Dei Famulus nullam unquam in se cupiditatem dominari sivit, atque tum in cultu corporis victuque, tum in externorum bonorum usu, singularem semper abstinentiam exhibuit.

84. Plura exoriri obstacula in virtutis semita ex earum rerum illecebris, quae naturaliter hominem oblectant, haud ignorabat Dei Famulus, qui ut illa ab se amoveret, neve ab illis alliceretur, ieiuniis corpus affligtare et flagris caedere non intermisit unquam. Brevem illi et durum indulgebat somnum, omniaque oblectamenta etiam innocentissima eidem denegavit. Quod melius explicat Testis XIV inquiens: « Mortificava il suo corpo con astinenze, con cilicii e con « digiuni, dormendo spesso sulla nuda terra, o al più sopra « un misero letticciuolo ». Videbant eum fideles in sacris concionibus arrepto flagello seipsum caedere, donec illud e manibus eriperetur. Servantur adhuc quaedam christianae mortificationis instrumenta, cilicia nimirum quae ad carnem gestabat, tamquam heroicae monumenta virtutis. Quantopere vero haec conferant ad eius sanctimoniam illustrandam nemo non intelligit.

85. Alendum erat corpus; at Dominicus facile potuit gulae irritamenta retundere « contentandosi di pochissimo cibo e « del più vile ». Noverat enim in usu ciborum difficillimum esse extra metam necessitatis non abripi, quum venter praecepta non audiat. Itaque nihil paullo exquisitius in cibo potuque ipse unquam quaesivit. Panem et aquam tantum adhibuit illis diebus, qui festa Virginis Deiparae praecederent: simulque iis, qui insigniores inter annum solemnitates anteirent. Quotidianum eius victum ita describit Testis LX: « La sua mensa consisteva per lo più in una minestrina ed « una cotenna di maiale, e quando non vi era questo, al-« lora si aggirava ad un tozzo di pane ». Quare nil mirum si, uti refert Testis XIV « la sua cucina era sempre morta »; si in ea « non si trovava nè graticola nè altro utensile ». Quum Dei Famulus quemdam olim petiisset pagum, ut sacras ibi conciones haberet, Parochi domo studuit abire, in qua lautae parabantur dapes. Nil extra mensam sumere in more habuit, et abstinentiam suam in refectionem pauperum convertere delectabatur. Cibum vero quo vescebatur ad necessitatis modum non ad voluptatis percipiebat, namque « per « mortificare il corpo e non dar gusto al palato era solito « apporre nei cibi della polvere e della cenere ».

86. Quandoquidem Dei Famulus tam ac facile libenter a cibo potuque abstinebat, ad quos necessitatis vi, nedum naturali appetitione trahimur, quis suspicari possit eum quaesivisse aliqua ex parte delenimenta quae caeteros corporis

(2) De morib. Eccl., cap. 19.

sensus oblectant? Aures sermonibus inutilibus occlusit; itemque ori custodiam imposuit, ne ad otiosa verba declinaret, gravia semper verba serens, ex quibus bonum aliquod obvenire posset audientibus.

87. Vestes etiam, quibus corpus suum tegebat, summum temperantiae studium portendebant, siquidem « il suo vestire era un umile saio di lana paesana ». Neque suspicari licet aliquid suis oculis indulsisse, namque « la sua vita era ritiratissima, e poteva rinchiudersi in questo, cioè « Chiesa e casa »; quum vero domi maneret, nulla quidem oculis praesto erant obiecta iucunda quibus delectaretur: etenim « la sua camera sembrava un sepolcro, annerita dal fumo, senza aria, con una tavola vecchia, con una piccola scansia di libri, con due teschi di morti e con un Crocefisso ». Quisquis haec omnia complectens animo ac serio considerans, inficiari poterit eximiam et heroicam temperantiam in rebus omnibus Dei Famulum iugiter adhibuisse?

CAPUT XI.

De heroica Paupertate.

88. Si, docente Card. Bona, « *vere mirabile est hominem reperire, qui nihil eorum concupiscat quae mundus admiratur; cui paupertas divitiae sunt* » (1); itemque si ex ore divino beatus praedicatur « *vir, qui post aurum non abiit, nec speravit in pecunia et thesauris* » (2), summa quidem laude Dominicus celebrandus est, quippe qui nil appetiit unquam earum rerum quae mundus diligit, sed evangelicam paupertatem in deliciis usque habuit. Hanc enim vix inito sacerdotio amantissime est amplexus, impensoque studio ad obitum coluit, etsi nec votis nuncupatis, nec vitae instituto ad eam servandam fuisset obstrictus.

89. Fatendum equidem est nunquam Dei Famulo praesto fuisse domesticas opes vel divitiarum copiam, quibus frueretur; verum enimvero sacerdotalis officii laboribus facile potuisset quaestum facere, et honestam cum sorore degere vitam; nihilo secius vitam elegit refertam iis incommodis quae paupertatem sequuntur, in solatium pauperum convertens quidquid haberet. Hoc erat illi in more positum ut nedum pecuniam, sed res quoque ipsi necessarias in aliorum subsidium erogaret, ceu iam demonstravi cum eius charitatem in proximum explicarem.

90. De paupertate in cibis servata, satis in praecedenti titulo, ubi de temperantia dictum est: non modo enim viles et exiguae erant dapes, sed aliquando nullae, eo quod ille nonnunquam suum quotidianum panem esurientibus dabat. Ad vestes quod attinet scimus eas rudes, usu attritas et interpolatas fuisse.

91. Quae cum ita sint, manifestum est sincerum et eximium evangelicae paupertatis amatorem extitisse Dei Famulum, iamque de eo perinde ac de S. Seraphino a Monte Granario praedicari optimo iure posse: « *Paupertatem ita adamavit ut ab iis etiam, quibus carere vix possumus, abstineret. Cellulam perpetuo habitavit humilem, duro lectulo, vil scamno, vestis illi nonnisi obsoleta ac detrita, eadem ut in caeteris rebus, extrema paupertas* » (3).

CAPUT XII.

De heroica Castitate.

92. Nunquam profecto laudibus quantum par esset haec celebrari poterit virtus, cuius tantus est decor, tanta nobilitas, ut nulla alia sit inter morales virtutes, propter quam homines propius ad naturam Angelorum accedant. « *Quid castitate decorius*, ait S. Bernardus, *quae mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum denique de homine facit?* » (1). Quamvis ea vera et absoluta sanctitas sit quae virtutum omnium praefulget ornatu, tamen tantus est castimoniae nitor, ut Doctor gentium de ea sic loquatur, quasi nihil a sanctimonia differat. « *Haec est enim* (inquit) *voluntas Dei, sanctificatio vestra, ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii* » (2). Praeclarissima hac virtute sic emicuit Dei Famulus, ut optimam partem elegerit, et veluti Angelorum aemulator a civibus haberi meruerit.

93. Et optimam quidem elegit partem: quum enim triplex sit castitatis species, virginalis, vidualis et coniugalis, atque prima ceteris dignitate praestet, hanc elegit Dei Famulus, et ad obitum usque illibatam servavit. Splendebat autem coram omnibus intaminatae illius virginitatis candor; ipsa externa facies, oris totiusque corporis habitus, oculi, alloquium virginei floris suavitatem efflabant, quo fiebat ut quicumque eum videret, solummodo ad venerationem moveretur. Quare nil mirum si ob insignem animi nitorem tamquam Angelorum aemulator passim a testibus praedicetur.

94. Difficilis probationis hanc virtutem esse disciplinae nostrae praeceptores tradiderunt, adeoque indirectis argumentis et coniecturis demonstrari (3). Tamquam praecipuae huius rei coniecturae, et veluti firmiora argumenta, constanter habita fuere media seu subsidia a sanctis viris ad castitatem tuendam servandamque adhibita: quae inter principem locum sibi vindicant corporis afflictationes, quibus caro rationi subiicitur, ne illa contra spiritum lascivire et luxuriari audeat. Atqui Dei Famulus, ceu alibi iam vidimus, nunquam intermisit corpus suum extenuare laboribus, vigiliis, ciliciis et flagellis. Caelestia etiam ab eo quaesita fuisse subsidia et alias cautiones adhibitas, quae prudentia suadet, edocemur a Testibus.

95. Perinde ac ante oculos illud ecclesiastici continenter ipse haberet: « *Propter speciem mulieris multi perierunt, et ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit* » (4), oculos coërcuit assidue ne vanitatem viderent, avertitque semper a mulierum adspectu. Quod si charitatis officia colloquium cum mulieribus poscerent, « i suoi occhi erano sempre fissi in terra », atque vultum ad modestiam et severitatem ita componere consueverat, « a segno che le donne stesse ne concepivano somma venerazione e rispetto da allontanare qualunque siasi pensiero mondano ». Aures quoque et linguam adeo custodivit a quolibet liberiore et inutili sermone... Poterat sane Dei Famulus, qui florem intactum virginitatis suae ad obitum usque servavit, suo iure ceteros hortari ad eam custodiendam, et quae magis opportuna sunt iisdem suppeditare praesidia.

96. Neque illud reticendum quod in extremo morbo praestitit, quum iussus a medico ut balneis uteretur, necessum erat corpus detegere. Narrat enim Testis XX. Tantus erat viro castissimo verecundiae amor! Quare obstupescet nemo, si Testis LVI censeat angelicam huius viri purissimi castimoniam voluisse Deum singulari quodam signo honestare; namque « essendosi il suo corpo per otto o nove giorni conservato dopo la sua morte caldo, odoroso, flessibile e bello, « per me (inquit laudatus Testis) sono tutti questi fatti segni

(1) De princ. vit. christ., cap. 2, § 3.
(2) Eccl. 31.
(3) In Bulla Canoniz., § de paup.

(1) Epist. XLII.
(2) I Thessal. IV, 4.
(3) Conf. Bened. XIV, lib. 3, cap. 24, n. 60.
(4) Eccl. IX, 9.

« evidenti della sua verginità glorificata e premiata da Dio ». Enimvero incorruptionis munus nemini quam virginibus magis debetur, siquidem, ut ait S. Basilius, « *qui continentiam servant Angeli sunt, qui viventes in carne corruptibili immortalium vitam illustrando tuentur* » (1).

CAPUT XIII.

De heroica Obedientia.

97. Egregia haec virtus, per quam homo in obsequium Dei illud immolat, quod praecipuum et carissimum habet, proprium nempe eligendi arbitrium, haud minus atque ceterae virtutes gratissima Deo esse debet. Nihil enim maius, adeoque acceptius Deo ex iis quae habet offerre potest homo, quam propriam voluntatem. Hinc scitissime docet Gregorius Magnus: « *Obedientia victimis iure praeponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam vero voluntas propria mactatur. Tanto igitur quisque Deum citius placat, quanto ante eius oculos, repressa arbitrii sui superbia, gladio praecepti se immolat* » (2). Hanc porro virtutem impenso studio Dei Famulum coluisse satis aperte acta testantur. Parentibus aeque ac praeceptoribus suis obsequentissimus usque fuit. Paruit vocanti Deo, dum ecclesiasticae militiae nomen dedit, atque sacerdotalia munera amplexus est.

98. Omnibus qui cum legitima potestate praeerant nullo non tempore debitum obsequium et obedientiam praestitit. In primis itaque, uti catholicum quemque virum maxime decet, « dimostrò ubbidienza e dipendenza al Sommo Pontefice, ed a quanto dalla Chiesa gli veniva ordinato. Lo predicava anche agli altri con sommo fervore ». Eadem subiectione et observantia obtemperabat ceteris Ecclesiae Pastoribus, ac praesertim Antistiti suo. Sui Praesulis iussa quasi Dei vocem excipiebat, libenterque exequebatur, nulla habita propriae valetudinis ratione. Quare instantibus olim civibus, ut quadragesimali tempore sacras conciones penes eos haberet, ita respondit: « Io debbo andare solamente dove mi manda il mio Superiore ».

99. At non modo iis, quibus debetur, plenissimam obedientiam exhibuit Dei Famulus, sed aequalibus quoque inferioribusque hominibus obtemperantem se praebuit. Pronum proinde erat, ut etiam in postremo morbo medici praescriptionibus sese plane subiecisset. Haec sane omnia satis declarant singulare studium quo Dei Famulus obedientiam prosequebatur, atque simul ostendunt sedulitatem eximiam et heroicam in ea excolenda iugiter adhibitam.

CAPUT XIV.

De heroica Humilitate.

100. Quo gradu, qua praestantia Dei Famulus christianas omnes virtutes possedit, ceu hactenus demirati sumus, iisdem profecto hanc etiam coluit, sibique inesse ostendit, aientibus testibus « che fra tante virtù di cui il Servo di Dio era adorno, vi risplendeva anche questa ». Neque secus esse poterat: quum enim humilitas communi sententia habeatur tamquam ceterarum virtutum mater et custos, atque veluti una spiritualis perfectionis firmissima basis, ideoque a Leone Magno compellata « *tota christianae sapientiae disciplina, omnium magistra virtutum, caelestis aedificii firmissimum fundamentum* » (3), fieri nequibat ut Servus Dei ad sublime quod attigit sanctitatis fastigium pervenerit, nisi solidum huiusce virtutis fundamentum aliis substravisset, quemadmodum apertissime docet S. Bernardus: « *Nisi super humilitatis stabili fundamento spirituale aedificium stare minime potest* » (1).

101. Praecipuos humilitatis actus tradit S. Philippus Nerius, magnus huius virtutis magister, in hoc inesse: « *spernere mundum; spernere nullum, spernere seipsum* ». Atqui Dei Famuli virtus in hisce praeceptis servandis praeclarissime enituit. De mundi contemptu iam nonnulla delibavi cum de heroica spe atque paupertate sermo esset; pauca proinde heic afferam ex testium ore deprompta, ut luculentius pateat nil ex iis quae mundus habet Dei Famulum unquam appetiisse, se contempsisse semper.

102. Ad alterum humilitatis praeceptum quod attinet, Dei Famulus non modo neminem est aspernatus, sed Christum Iesum imitatus, omnes eximia benignitate complectebatur, et cum pueris et humilioribus de plebe hominibus versari gestiebat. Admodum vero demisse de seipso sentiebat, nolebatque ut eae vulgarentur res, unde aliquid de singulari eius virtute argui posset. Atque adeo haec de seipso opinio animo eius insiderat, ut oblatos honores et dignitates constanter recusaverit, quia se illis indignum reputabatur et fatebatur humillime. Qua humili et sincera de se opinione nihil est quod heroicam humilitatem magis redoleat, teste Chrysostomo aiente: « *Nihil est tam amicum Deo, quam si quis minimis se adnumeret, est id caput totius philosophiae atque fastigium* » (2).

103. Etiam sermones, incessus et totius corporis habitus eximiam animi humilitatem prodebant, quae in reverentiam omnes inclinabat. Praeclara quidem et indubia sunt haec praecellentis virtutis argumenta, quae certo certius etiam Emos Patres inclinabunt, saltem speramus, ad fidem adhibendam Testi LVI de Servo Dei praedicanti: « Tenne sempre presente quella massima che c'insegnò il Redentore: *Discite a me quia mitis sum et humilis corde* ».

(*Prosequendum*)

(1) Super textum Lucae XX, 36.
(2) Moral. lib. 35, cap. 10.
(3) Serm. 7 de Epiphan.

(1) Serm. 36 in Cantic.
(2) Homil. 3 in Math.
(3) Cfr. *Anal. Eccl.*, fasc. praec., p. 321.

E VICARIATU URBIS

Normae pro examinibus ad Ordines, penes Vicariatum Urbis, ad tramitem Motus proprii diei 16 Iulii 1905 (3).

1. Per essere ammesso all'esame *ad Ordines*, ogni candidato dovrà fare apposita istanza, da depositarsi nella Segreteria del Vicariato, dove s'indicherà a ciascuno il giorno del suo esame.

2. L'esaminando, nella sua istanza pel suddiaconato o per un altro ordine maggiore, indicherà il trattato o i trattati teologici su i quali vuole essere esaminato, e aggiungerà nella medesima istanza l'indicazione del giorno nel quale subì l'esame pel Suddiaconato, se egli aspira al Diaconato, o dei giorni ne' quali subì gli esami pel Suddiaconato e pel Diaconato, se aspira al Presbiterato.

3. L'elenco dei trattati fra i quali l'esaminando è libero di scegliere è quello qui sotto riportato. A ciascun trattato si fa seguire la serie delle tesi o punti dottrinali, sui quali verserà l'esame.

4. Per la prima tonsura, o per ciascuno degli Ordini minori, l'esame non durerà più di 10 minuti; pel Suddiaconato non più di 20; pel Diaconato non più di 30; pel Presbiterato non più di 40.

5. Gli aspiranti agli Ordini, minori o maggiori, che si presentassero all'esame senza la tonsura ben visibile, non saranno esaminati.

6. Questo regolamento andrà in vigore col 1° del prossimo novembre.

Roma, dalla Nostra Residenza, 1° agosto 1905.

P. Card. VICARIO.

FRANCESCO Can. FABERI, *Segretario*.

Elenchus Tractatuum Theologiae pro examinibus ad Ordines.

I. — *De vera religione.*

1) Quid religio, – 2) religio naturalis, – 3) religio supernaturalis seu revelata, – 4) revelatae religionis necessitas, – 5) revelationis duplex obiectum, – 6) Iesu Christi divina missio, – 7) quae ipsius probatur doctrina, – 8) miraculis, – 9) resurrectione.

II. — *De Ecclesia Christi, et de Romano Pontifice.*

1) Quid Ecclesia, – 2) eius institutio et existentia, – 3) perfectio, – 4) proprietates, – 5) notae, – 6) membra, – 7) anima, – 8) corpus, – 9) caput, – 10) capitis praerogativa duplex, – 11) duplex primatus extensio, – 12) duplex infallibilitatis obiectum, – 13) infallibilitatis conditiones, – 14) concilia.

III. — *De Divina Traditione et Scriptura.*

1) Quid traditio, – 2) eius divisiones, – 3) quibus mediis dignoscatur et servetur, – 4) traditio activa et passiva, – 5) evolvi non augeri traditio potest, – 6) quid Scriptura, – 7) quid inspiratio, – 8) Scripturae auctor Deus, – 9) librorum canon, – 10) Scripturae partes protocanonicae et deuterocanonicae, – 11) canon tridentinus, – 12) Vulgatae authentia, – 13) multiplex Scripturam inter ac traditionem differentia.

IV. — *De Deo Uno.*

1) Existentia Dei, eius demonstrabilitas ac demonstratio, – 2) demonstrationum genera, – 3) Dei perfectiones; unitas, – 4) infinitas, – 5) simplicitas, – 6) immensitas, – 7) aeternitas, – 8) omnipotentia, – 9) scientia Dei; eius obiectum, – 10) medium, – 11) Voluntas divina; eius necessitas ac libertas, – 12) Voluntas Dei antecedens et consequens, – 13) providentia, – 14) praedestinatio.

V. — *De Deo Trino.*

1) Quid Trinitatis mysterium, – 2) in Deo natura, processiones, personae, relationes, notiones, – 3) Verbi processio, ac divinitas, – 4) processio Verbi generatio est, – 5) Spiritus Sancti processio ac divinitas, – 6) processio Spiritus Sancti a Patre et Filio, – 7) quando, et ubi definitum, – 8) De additione vocabuli *Filioque* in symbolo fidei, – 9) Spiritus Sanctus procedit in aequalitatem divinae naturae, non tamen ut Filius, – 10) Trinitatis mysterium naturali rationi impervium, – 11) De haeresibus contra Trinitatem.

VI. — *De Deo creante et elevante.*

1) Quid creatio, – 2) creationis factum ostenditur, – 3) libertas creationis, huius propositionis certitudo, – 4) dies creationis, – 5) hominis creatio, – 6) angelorum creatio, – 7) varii humanae naturae status, naturae purae, integrae, lapsae, reparatae, – 8) Dona supernaturalia ac praeternaturalia, – 9) peccatum primi hominis, – 10) originalis culpae propagatio, – 11) immaculata Beatae Mariae Virginis conceptio.

VII. — *De Verbo Incarnato.*

1) Quid incarnatio, – 2) cuius generis unio, – 3) finis eius, – 4) Christi voluntas, – 5) operatio, – 6) meritum, – 7) cultus latriae humanitati Christi exhibendus, – 8) Divina Beatae Mariae Virginis maternitas, – 9) quibus modis fuerit negatum mysterium incarnationis.

VIII. — *De gratia Christi.*

1) Quid gratia, – 2) gratiae divisiones, – 3) necessitas, – 4) efficacia, – 5) meritum, – 6) meriti obiectum, – 7) quae cum gratia connectantur.

IX. — *De sacramentis in genere.*

1) Quid sacramentum, – 2) veteris ac novae legis sacramenta, atque inter ea discrimen, – 3) sacramentorum novae legis numerus et divisiones, – 4) materia et forma, – 5) minister, eiusque fides, probitas, intentio, – 6) necessitas, – 7) efficacia, – 8) efficaciae modus, – 9) character, – 10) duplicem gratiam producunt sacramenta novae legis, – 11) tria in eis sunt.

IX-BIS (1). — *De baptismo, de confirmatione, de extrema unctione.*

1) Quid baptismus, – 2) eius institutio, materia et forma, – 3) minister ac subiectum, – 4) species, – 5) effectus, – 6) necessitas ac reviviscentia, – 7) quid confirmatio, – 8) eius institutio, materia et forma, – 9) minister, et subiectum, – 10) effectus, – 11) necessitas, – 12) quid extrema unctio, – 13) eius institutio, materia et forma, – 14) minister et subiectum, – 15) effectus, – 16) necessitas, – 17) iteratio.

X. — *De sacramento Poenitentiae.*

1) Quid sacramentum poenitentiae, – 2) eius institutio, – 3) materia, – 4) forma, – 5) minister, et subiectum, – 6) necessitas, – 7) effectus, – 8) num poenitentiae sacramentum possit esse informe.

XI. — *De sacramento matrimonii.*

1) Quid sacramentum matrimonii, – 2) eius institutio, materia et forma, – 3) minister et subiectum, – 4) unitas, – 5) indissolubilitas, – 6) iteratio, – 7) impedimenta, eorumque divisiones, – 8) matrimonium ratum quando solubile, – 9) privilegium paulinum, eiusque conditiones, – 10) matrimonium clandestinum, – 11) civile.

XII. — *De novissimis.*

1) Mors, et iudicium particulare, – 2) visio beatifica eiusque duratio, – 3) eius collatio, – 4) inaequalitas, – 5) Beatorum impeccabilitas, – 6) dotes, et aureolae, – 7) inferni existentia, – 8) poenae, – 9) ignis, – 10) aeternitas, – 11) purgatorii existentia, – 12) poenae, earumque duratio, – 13) animae in purgatorio detentae viventium suffragiis atque indulgentiis iuvantur, – 14) puerorum sine baptismo decedentium conditio.

(1) Iste numerus geminatur. Hinc ex IX et ex IX *bis* theologica tractatione, quam exponat, priorem vel alteram eligere integrum est candidato; non autem, in diversis etiam examinibus, utramque, quasi duas.

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

97. Lauden. — Iurisdictionis.

Exorta alias controversia in Episcopum Laudensem ex una, et Collegium Germanicum ex altera, de et super iurisdictione in ecclesia S. Petri Laudae veteris in cura, quae in illa exercetur in vicarium perpetuum curatum, in capellanos, qui dictum Vicarium in cura coadiuvant; item in ecclesiam, et oratoria, quae intra limites dictae Curae existant, nec non super iure conferendi d. Vicariam, ac deputandi dictos Capellanos, et concionatorem in eadem ecclesia, S. Congregatio, 30 Octobris 1635, instantibus administratoribus Collegii circa nonnulla ex praemissis, mandavit Episcopo, ne quidquam, ex exemptionibus ac privilegiis collegii iudicaret; et si quid relevans in contrarium haberet in Sacra Congregatione deduceret. Modernus itaque Episcopus, deductis iuribus suis, pro opportuna resolutione instetit, sed die 10 Novembris 1674, dum causa proponi debebat, ex causa Eminentissimis nota, dilata fuit.

Deinde vero, de partium consensu, causa commissa fuit in Rota a qua, 12 Februarii 1677, emanavit decisio contraria, qui praevidens hoc negocium in Rota dispendiosum futurum ac diu protrahendum fore, supplex recursum habuit ad SS.mum, qui praevia avocatione a Rota per commissionem sua manu signatam, eum commisit in hac Sacra Congregatione decidendum. Cum igitur hodie veniat proponenda existentibus in causa Eminentissimis protectoribus, ad pleniorem intelligentiam operae pretium est altius rem exordiri. Supponendum itaque est, quod extabat in Dioecesi Lauden. Monasterium ordinis S. Benedicti nuncupatum S. Petrus de Laude veteri cum ecclesia parochiali. Monasterium hoc carens conventu solebat commendari prout de anno 1554, commendatum reperiebatur cuidam Antonio de Rande. Tunc temporis anno etc., porrexit supplicationem exponens quod ratione Monasterii curam animarum exercere et alia sibi incumbentia onera praeferre tenebatur, idque commode per seipsum facere nequibat. Ideoque cupiebat in d.a ecclesia erigi perpetuam vicariam pro presbytero perpetuum Vicario, qui curam animarum huiusmodi exercere, sacramenta ministrare, et alia supportare teneretur. Et sub die 13 Martii anno V Pontificatus Iulii III, per officium S. Poenitentiariae, emanarunt apostolicae litterae ad Episcopum Laudensem directae, in quibus legitur prout infra:

« Nos igitur etc., circumspectioni vestrae committimus qua-
« tenus in ecclesia praedicti Monasterii unam perpetuam
« vicariam pro uno perpetuo vicario, qui dictam curam
« exercere et omnia alia eidem Monasterio et illius etc.,
« commendatario incumbentia, de ipsius exponentis expresso
« consensu, dicta auctoritate apostolica, et erigatis, et illi
« pro eius dote, etc. dictum annuum redditum 24 ducato-
« rum ex tot bonis ipsius Monasterii ac omnem curam ani-
« marum, et alia onera dicti Monasterii commendatario
« huiusmodi penitus et omnino perpetuo abdicando et tol-
« lendo etiam perpetuo applicetis ».

In horum executionem, die 29 eiusdem mensis, Ordinarius Laudensis ad erectionem d. Vicariae processit, et dotem assignavit super particularibus bonis, quae exprimit omnem curam animarum, et alia onera d. Monasterii commendatario incumbentia ab ipso Monasterio, et commendatario perpetuo, penitus et omnino abdicando, et tollendo, et successive, die 30 eiusdem eamdem vicariam tamquam a primaeva erectione vacantem idem Ordinarius contulit presbytero Ioanni Bono de Costis, qui die 28 Maii eiusdem anni 1554, talis vicariae possessionem cepit et anno 1572, Vicarius tunc temporis primae visitationi dixit se deputatum ab Ordinario et curam esse dismembratam ab Abbatia.

Interim Antonius praefatae commendae cesserat ad favorem Theodori reservata sibi fructuum medietate prout ex consensu per eorum procuratorem praestito, die 14 Maii 1554. Et in litteris apostolicis expeditis tertio idus Maii habentur haec verba : « *Monasterium praedictum, quod conventu caret nec ei imminet cura animarum* ». Datur autem pro parte collegii supplicatio cessionis data sub data maiori 5 Kal. Aprilis anno 5°.

Post haec, Gregorius XIII anno 1578, 8 Kal. Decembris, ad favorem Collegii Germanici de Urbe devenit ad infrascriptam Unionem. « Nos igitur, etc., in Monasterio praedicto quod conventu regulari caret, in eo propter Vicarium perpetuum, qui curam animarum parochianorum illius Ecclesiae, quae etiam parochialis existit, exercet, alii duo vel tres servientes presbyteri saeculares dumtaxat, et ei ad nutum amovibiles ad celebranda ibi divina officia resident, etc., nomen tantum, et denominationem Abbatis, et dignitatem Abbatialem, nec non ordinem, ac omnem statum, assentiam, caeteraque omnia insignia regularia, etc., perpetuo supprimimus, et extinguimus, illudque cum Ecclesiae aedibus, aedificiis, proprietatibus, praediis, possessionibus, bonis, iuribus, iurisdictionibus et actionibus, ac aliis annexis quibuscumque eidem collegio, ita quod liceat pro dicto rectori, et ministris, etc., illorum omnium corporalium possessionem libere apprehendere, etc., eorumque omnium fructus, redditus, et proventus, iura, obventiones, decimas, census et emolumenta quaecumque exigere, etc., perpetua vicaria cum dote 50 ducatorum auri de camera in proprietatibus, seu censibus dicti Monasterii pro uno perpetuo Vicario qui curam animarum dictorum parochianorum exerceat per concursum iuxta Concilii Tridentini dispositionem, salvis reservationibus, et affectibus Apostolicis instituen. remanente quam vicariam ex nunc perpetuo erigimus, et instituimus eique sic erectae dotem praedictam perpetuo, appropriamus, Dioecesani loci minime requisita auctoritate, apostolica, etc., perpetuo unimus annectimus et incorporamus ».

Interim, defuncto primo Vicario de mense Aprilis 1558, provisus fuerat ab Episcopo Fransinettus. Eodem anno post unionem, dimittente Fransinetto, provisus fuit ab Ordinario Balthasar Olorocchius. Anno 1601, resignante Balthassare, S. Sedes contulit Francisco pariter Olorocchio infra dignum, et Vicarius Laudensis executionem dedit 5 Iulii. Privato Francisco, provisus fuit a S. Sede Hieronymus Buffa. Post

Buffam ab eadem obtinuit Malvicinus, et post Malvicinum praevio concursu, 15 Aprilis 1648, provisus fuit a S. Sede Sebastianus Dolia, qui adhuc possidet, excluso per sententiam Pavesis, qui dicebatur electus ab Emis protectoribus collegii, a qua tamen sententia appellatum fuit ad Rotam, et causa commissa R. P. D. Ghislerio, sed non prosequuta et de tempore vacationis Vicariae datur deputatio oeconomi facta per Episcopum. Pro de Costis autem Fransinetto, et Balthassare exhibentur sumpta supplicationem pro nova provisione, exponentes quod dubitabant de validitate provisionis ex insufficienti forsan commendationis const.a. Haec de origine, progressu, et statu Vicariae quarum reliquae circumstantiae fusius patent in summariis utriusque partis. Et circa eamdem pro parte Collegii datur novissima confirmatio privilegiorum facta a Clemen. X sa. me., § 18, sed circa hanc confirmationem et aliam privilegiam ultra alias considerationes Episcopus supplicat adverti, quod continent praeservationem decretorum Concilii.

Circa praedicatorum deputationem, dantur pro parte Episcopi plures patentes ac ipsorum concionatorum depositiones et anno 1671, processit Ordinarius contra regularem, qui sine licentia Episcopi praedicavit, et anno 1674, Ordinarius denegavit benedictionem praedicatori praesentato a rectore collegii sub motivo, quod deputatio spectabat ad Episcopum. E contra collegium deducit benedictionem datam a metropolitano (in qua t.me clausula sine praeiudicio) et dantur nonnullae attestationes pt. in summariis.

Circa deputationes coadiutorum in cura, datur proprii Episcopi extractus deputationum factarum ab Episcopis per annos successivos a 1601 ad 1673, in quibus nulla fit mentio de collegio. E contra vero per collegium dantur attestationes capellanorum quarum aliquae loquuntur de administratione curae, aliae de celebratione, in summario n. 37, nec nonnullae deputationes similes cum onere coadiuvandi in cura. Isti autem coadiutores originem habuerunt ex visitatione Episcopi de anno 1588 in qua, attenta populi numerositate demandavit: Vicarios saltem duos ex capellanis ad sacramenta ministranda a nobis approbatos in coadiutores, assumat, quod speramus patrem rectorem collegii, etc. cui ecclesia commendata est, statim exequutioni demandaturum.

Circa visitationem Ecclesiae Vicariae, vicarii, coadiutorum confraternitatum et ecclesiarum intra limites dictae curae dantur acta plurium visitationum factarum per Episcopos de annis 1572, 1588, 1597, 1602, 1622, 1626, 1632. E contra collegium dat deputationem factam anno 1623 de visitatore ad visitandam Ecclesiam Laude veteris in spiritualibus, et aliam anno 1654 ad visitandum Ecclesias unitas, et corrigendum vicarios, et capellanos absque expressione Laudae. Demum pro parte Episcopi dantur plures licentiae concessae confratribus S. Bassiami, quaestuandi, benedicendi animalibus, faciendi processiones, nec non eorum capellanis celebrandi, et audiendi confessiones in eorum Oratorio, seu Ecclesia, et circa alia, nec non depositiones testium circa solitum exponendi insignia Episcopi supra ianuam eorum Ecclesiae. E contra pro parte dicti collegii dantur documenta de nonnullis actibus iurisdictionalibus factis per iudices collegii in dictam confraternitatem, etc., prout latius in summariis impressis.

Ex praemissis, plura oriuntur dubia, sed cum in iis, et eorum ordine partes non fuerint concordes, iuxta sententiam plurium ex huius S. Congregationis Eminentissimis, dubia tam ab una, quam ab altera parte oblata proponuntur.

Episcopus igitur tamquam actor in causa quaerit:

1. An dicta Vicaria providenda veniat ab Ordinario per concursum, praevia affixione edicti, iuxta dispositionem Concilii Tridentini vel potius ad nominationem collegii, iuxta Constitutionem Pii V.

2. An spectet ad Episcopum electio et deputatio concionatoris in dicta Ecclesia S. Petri.

3. An, et ad quem spectet electio, et deputatio coadiutorum curae animarum in dicta Ecclesia; illorumque approbatio.

4. An iurisdictio ordinaria in vicarium, coadiutores, et concionatorem spectet ad Episcopum.

5. An pariter ad Episcopum competat iurisdictio ordinaria in Oratoria sive Ecclesiam existentia intra limites dictae Vicariae illorumque ministris.

6. An ad eumdem Episcopum spectet ius visitandi dictam Ecclesiam S. Petri respectu concernentium curam animarum iure ordinario extra curam animarum, iure delegato.

Pro altera autem parte quaeritur:

1. An Eminentissimis protectoribus, vel Episcopo Laudensi competat iurisdictio in Ecclesiam S. Petri Laudae veteris assertam parochialem.

2. In curam, vicarium perpetuum, capellanos in cura adiuvantes aliosque ministros in dicta Ecclesia deservientes.

3. In Ecclesia, et Oratoria, quae praetenduntur annexa.

4. An dictis Eminentissimis protectoribus, vel Episcopo Laudensi competat ius nominandi, seu deputandi praefatum vicarium perpetuum et capellanos.

5. An vero in praedicta Vicaria faciendus sit concursus et quomodo.

6. An eisdem Eminentissimis vel Episcopo competat ius deputandi et approbandi concionatores in dicta Ecclesia. Et quatenus, etc.

7. An in praemissis, et in quibus, reservata sit Episcopo iurisdictio delegata.

R. *Ad primum, providendum esse ab Episcopo per concursum ad formam Concilii. Ad secundum, affirmative. Ad tertium, Deputationem spectare ad vicarium, et approbationem ad Episcopum. Ad quartum, affirmative. Ad quintum, affirmative. Ad sextum, in concernentibus curam animarum iure ordinario, extra curam animarum, iure delegato ad formam Concilii. E quibus satis superque respondetur dubiis propositis per collegium.*

XXX. Die 20 Augusti 1678.

MUTINEN. seu CARPEN. — Iurisdictionis. — R. *Extrahatur bulla serv. serv. et deputetur iudex in partibus concord. cum partibus coram D. Secretario.*

ROMANA. — Distributionum. — R. *Ad primum et secundum, affirmative; ad tertium, aequaliter distribuendum; ad quartum, nihil innovandum.*

MEDIOLANEN. — Concordiae. — R. *Negative.*

INDIARUM. — Professionis Regularis. — R. *Fiat congregatio particularis super omnibus.*

LEODIEN. — Ordinationis. — R. *Ad primum, Affirmative et ad secundum, pro concessione adeat S. Officium.*

MEDIOLANEN. — Patrimonii. — R. *Dilata et videantur scripturae et praecipue erectio beneficii.*

Dubia. — Procurationis. — R. *Respondendum in omnibus in casibus particularibus.*

98. Romana. — Distributionum.

In causa hac Eminentissimus D. Card. Praef. transmisit schedulam sequentis tenoris:

In causa *Romana Distributionum* verten. inter RR. Capitulum et Canonicos S. Mariae in Rotunda ex una et RR Canonicum Hippolytum de Hippolytis ex altera, factum fuit contradictorium de ordine Sacrae Congregationis coram E.mo et R.mo D. Card. Columna Praefecto, in quo concordando partes in Ecclesia praedicta non adesse praebendas separatas, sed omnes redditus consistere in massa communi fuerunt distincta duo genera distributionum: prima illarum distributionum quae dantur ab extraneis prout sunt eleemosynae pro cantandis missis defunctorum et similes; secunda illarum, quae extrahuntur ex massa communi, et dantur canonicis interessentibus divinis officiis, processionibus et capitulis et similibus et articuli discutiendi in hac causa fuerunt restricti ad quatuor infrascripta capita:

1. An D. Canonico Hippolyto debeantur aequaliter cum aliis canonicis distributiones in primo genere recensitae.

2. An eidem Canonico Hippolyto debeantur distributiones secundi generis in eadem quantitate quae datur aliis canonicis.

3. Quatenus dicatur dicto Canonico Hippolyto deberi distributiones secundi generis non aequaliter cum aliis, sed proportionaliter ad portionem quam participant de massa communi, quomodo sit dividenda inter praesentes portio d.d. distributionum quae amittitur ab absentibus.

4. Utrum distributiones de quibus proxime loquutum est ex eo quia non adaequant tertiam partem fructuum, sint augendae ad formam dispositionis S. Concilii ad d. tertiam partem fructuum.

Super quibus reassumendae erunt scripturae sub diebus Martii, 30 Aprilis et 2 Iulii, et ponderanda quae a partibus hinc inde deducuntur.

R. *Ad primum et secundum, affirmative; ad tertium, aequaliter distribuendum; ad quartum, nihil innovandum.*

99. Indiarum. — Professionis Regularis.

Pro parte Superiorum Regularium in America ad Sacram Congregationem defertur, in illis partibus nonnullos irrepsisse abusus contra Concilium, dum praetendentes nullitatem professionis audiuntur post quinquennium quamvis intra illud non reclamaverint, nec a S. Sede restitutionem in integrum impetraverint, ac praeterea in 2ª vel tertia instantia regulares in coniudices non adhibentur. Pro tollendis igitur abusibus supplicatur decerni:

1. An in iudicio nullitatis professionis, discordantibus Ordinario et superiori locali, erigendus sit tertius: et quatenus affirmative:

2. An tertius iste debeat esse saecularis vel regularis.

3. An vero causa devolvatur ad Metropolitanum, et a Metropolitano ad Episcopum viciniorem, ut in aliis causis ibi practicatur, vel ad S. Sedem.

4. An interim sententia lata in discordia censenda sit favorabilis religioni.

5. An in tali casu in secunda instantia adhibendus etiam saecularis in coniudicem.

6. An regulares in Indiis post quinquennium audiri possint absque restitutione in integrum a S. Sede obtinenda.

R. *Fiat congregatio particularis super omnibus.*

100. Leodien. — Ordinationis.

Natus ex Catholica, et haeretico, opera genitoris a pseudo, seu haeretico ministro baptizatus, in catholica tamen fide a matre educatus, et in collegiata Graiecti assumptus ad officium inservientis choro, in quo laudabiliter perseverat, ac demum ad cautelam sub conditione denuo baptizatus, desiderans Clericali charactere insigniri, ac etiam ad presbyteratum ascendere, supplicat declarari:

1. An Apostolica dispensatione indigeat. Et quatenus affirmative:

2. An concedenda.

R. *Ad primam partem, Affirmative; et ad secundam, pro concessione adeat S. Officium.*

101. Dubia. — Procurationis.

In Sacra Congregatione Concilii quae erit 20 Augusti praeter alia descripta in folio proponentur etiam infrascripta ab Auditore Sanctissimi transmissa.

Praesupposita validitate concordiarum inter Episcopos et singulorum locorum dioecesis cleros super victualibus aliisque expensis visitationis recipiendis in certa summa pecuniaria conventa, quam proinde exigere liceat, de sequentibus dubitari contingit:

1. An eadem summa exigi possit quando visitatio fiat per Vicarium vel alium deputatum, non autem per ipsum Episcopum.

2. An Episcopus teneatur in quolibet loco morari pro visitatione benefacienda tanto tempore quod expensae correspondeant verisimiliter summae conventae.

3. An directe et immediate, vel mediate per interpositas personas a Clericis et aliis qui contribuunt in solutione dictae summae etiam sub nomine donativi, recipere valeat victualia et equos pro viatico aliisque expensis.

4. An pro decretis seu praesentatis, et recognitionibus scripturarum aliisque actis quae fieri contingunt tam pro illa visitatione quam pro recognoscenda observantia antecedentium visitationum, ipse eiusque Vicarius et Cancellarius aliique officiales et ministri aliquod emolumentum exigere valeant.

5. An in illis locis dioecesis in quibus non quidem accidentaliter et praeter solitum, sed de more ac solito pro salubritate aëris, vel alio respectu pro tempore notabili Episcopus residere solet, possit eo tempore negligere visitationem pro qua in alia parte anni ad illum locum pro illa facienda accedat ut dictam summam concordatam exigat.

R. *Respondendum in omnibus in casibus particularibus.*

ANALECTA VARIA

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

VII.

De censura irrogata simpliciter per modum poenae.

Die 10 Aprilis 1905, hora 17 (5 pom.).

Titius Episcopus ex informata conscientia Caio parocho suspensionem ab officio infligit per tres menses duraturam. Caius frustra suum intellectum vexat, ad certam cognitionem assequendam de suae suspensionis causa, de qua nonnisi aliquas suspiciones plus vel minus verisimiles habet. Verum, licet id admodum aegre ferat, statuit tamen stare Episcopi sententiae. Hinc statim convenit cum amico presbytero, ut sua vice per trimestre parochi officio fungatur. Sed cum Caius Vicarium frustra expectasset, post aliquos dies, quibus, adducto parochianis specioso praetextu, sacrum omisit, iterum Missam celebrat et poenitentes sibi occurrentes absolvit, partim, ne die festo populus Missa careret, vel iter semileucae ad viciniorem Ecclesiam agere cogeretur, partim, ne, ex omissione sacrarum functionum, periculum scandali vel infamiae incurreret.

Rem agnovit Episcopus, illique a parochiali officio abstinere iterum iubet, simulque monet, ut ab irregularitate dispensationem petat. Caius tamen Romam veniens et haec omnia amico theologo enarrans, ab eodem discit, se in irregularitatem nullatenus incidisse, quin imo posse adhuc absque irregularitatis incurrendae metu Missam celebrare. Iuxta huiusmodi consilium se per aliquot dies gerit, sed postea dubius doctum confessarium adit, qui de casu certior factus et animo recolens theologi responsum, secum quaerit:

1° *Utrum censurae irrogari possint per modum poenae simpliciter?*

2° *Quando instar poenae irrogari videantur?*

3° *Quid inter meras censuras, et censuras instar poenarum irrogatas intersit?*

4° *An Caius recte egerit, et an iuxta theologi responsum irregularitatem evaserit?*

Ad I^um quaesitum. Censura definiri solet: « Poena spiritualis et medicinalis, per quam homini baptizato delinquenti et contumaci per potestatem Ecclesiae usus quorumdam bonorum spiritualium tollitur ».

Dividitur autem in *excommunicationem*, quae semper censura est, et *suspensionem* et *interdictum*, quae possunt esse vel censura vel poena ad instar.

Imo suspensio ferri potest quadruplici ex causa: 1) in censuram, quo casu habet rationem medicinalem ad curandam contumaciam; 2) in poenam, quo casu habet rationem vindictae; 3) in privationem, ubi agitur de corpore morali; 4) in cautelam, ob imputatum crimen ne ministerii sanctitas ex ipsa imputatione detrimentum accipiat.

Ad II^um quaesitum. Ad discernendum utrum censura feratur ad instar poenae, plura habentur criteria quae aliter et aliter a theologis evolvuntur; ita Lehmkuhl septem sequentia affert. Censura instar poenae lata censenda est: 1) si fertur in perpetuum, cui rationi et S. Alphonsus valde insistit; 2) si ob peccatum praeteritum, quod nec effectu culpabiliter sustinetur; 3) si ex informata conscientia, causa nullo modo manifestata; 4) si post crimen sententia ad determinatum tempus poenam infligit; 5) si communicatur omnino oretenus; 6) si tempus suspensionis omnino relinquitur arbitrio censuram ferentis; 7) si fertur in communitatem. Cur in his casibus censura instar poenae sit habenda, patet si ex una parte prae oculis habetur quid requirat ratio medicinalis ad frangendam contumaciam; ex altera parte, — de quo mox — quid ius quoad d. modum ferendi censuras proprie dictas statuerit.

Ad III^um quaesitum. Inter meras censuras et censuras instar poenarum irrogatas multipliciter interest, tum a parte rationis, tum a parte formae, tum a parte cessationis, imo probabilius et a parte violationis.

1) A parte *rationis*. Censura pressius dicta: *a)* fertur in peccatum *non praeteritum*, saltem effectu; *b)* fertur in peccatum *externum*; *c)* ad frangendam *contumaciam*; *d)* in *medicinam*. Quare si processus saltem oeconomicus institui potest, Episcopus non potest procedere ex informata conscientia. Suspensio autem ut poena potest fieri in peccatum occultum et praeteritum.

2) Interest a parte *formae*. Cautum est in iure ut ad ferendam censuram ut talem, certae determinatae formalitates sint observandae, quae ad haec quatuor rediguntur: *a)* triplex monitio, praecedere debet aut saltem una per modum triplicis; *b)* debet haec monitio recitari ex scripto; *c)* causa censurae est exprimenda; *d)* petenti reo infra mensem scriptum est tradendum.

Sine his formalitatibus censura ut censura non rite infligitur; censura autem instar poenae inflicta sine his valet.

Unde in suspensione ex informata conscientia Episcopus non tenetur causam indicare reo; qui tamen si appellaverit, tenetur Episcopus Romae causam censurae exponere.

3) Interest insuper inter utramque censurae speciem a parte *cessationis*. Etenim censura, ut censura, cessat per absolutionem, quando scilicet, devicta contumacia, medicina suam efficaciam obtinuit. Censura vero ut poena, nisi sit ad tempus lata, aut conditionate et tempus sit elapsum aut conditio expleta, cessat per dispensationem, uti in casu sequenti fusius exponetur.

Apparet proin, duriorem esse sub hoc respectu suspensionem instar poenae quam censuram. Unde Tamburini existimat, in dubio utrum suspensio sit poena an censura, standum esse pro simplici censura, iuxta axioma: odiosa sunt restringenda. Magis enim est in potestate suspensi conditionibus facere satis unde absolutionem accipiat, quam dispensationem efflagitare ab illo qui poenam ipsi infligit.

4) Interest demum a parte *violationis*. Qui suspensionem ex censura inflictam violat, absque dubio incurrit irregularitatem, quae praecise *violatae censurae* audit. Quae censura iuxta plerosque auctores etiam incurritur ab illo qui post appellationem, suspensionem violat. Ita Bonacina, Suarez, Wernz, Pierantonelli; et adducitur in hanc sententiam decisio S. C. C. 21 Iulii 1625, in causa *Sagonensi*, a Benedicto XIV relata. Nihilominus Card. D'Annibale, non contradicente Ballerini, oppositum tenet. Quae sententia, ob

hanc geminam auctoritatem, et ob rationem intrinsecam qua suffulcitur, probabilitate non caret.

Ad IVum quaesitum. Duplici parte hoc quaesitum constat: 1) *Suspensio* in Caium iniuste lata esse videtur. Nam ad tantam poenam sive censuram, requiritur causa gravis, id est grave peccatum aut saltem grave scandalum. Quod ex testimonio conscientiae Caii abfuisse constat. Imo ex defectu iustae causae haec suspensio non solum dicenda est iniusta, sed et invalida.

Potest scilicet censura esse invalida triplici de causa: *a)* ex defectu potestatis in ferente; *b)* ex non servata substantia ordinis iudicii; *c)* ex defectu iustae causae: quia, licet forte Episcopo crimen satis constare visum sit, ut ille formando sibi conscientiam potuerit suspensionem tuta conscientia infligere; tamen crimen non adfuit verum.

Iam vero huiusmodi suspensio, ob criminis defectum invalida, non obligat Caium in conscientia; nisi quatenus suspensionem violando, scandalum provocaret. Quare optime fecit Caius morem gerendo suspensioni et vicarium sibi quaerendo.

Vicario autem non invento, potuit a suspensione abstrahere, quia haec suspensio non videtur fuisse publice nota, ac proin scandali periculum aberat. Nec ipse sane tenebatur seipsum infamare; nec fideles erant exponendi tam gravi damno spirituali.

Licet ergo suspensus ab officio, id est, ab ordine et a iurisdictione, poterat, secluso scandalo, adhuc celebrare missam et confessiones excipere. Tenebatur tamen sedulo alium quaerere vicarium.

Si autem Episcopus suspensionem publici iuris reddidit, tunc, propter scandalum vitandum, Caius sese eidem censurae conformare tenebatur, reservato sibi appellationis iure.

2) Quid iam de *irregularitate?*

Suspensio de qua in casu, habenda est ut instar poenae lata: utpote *a)* in crimen occultum; *b)* praeteritum; *c)* seclusa contumacia; *d)* sine admonitione; *e)* sine scripto documento.

Quare, iuxta sententiam D'Annibale, quam iure probabilem dixeris, violans suspensionem instar poenae, etsi violando peccet, irregularitatem tamen non incurrit. Caius autem eo minus in eam incidit, quod, ut modo diximus, iniusta sententia, secluso scandali periculo, in conscientia non ligabatur.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Epitomator ex officio.

VIII.

De absolutione a censura lata ab homine per sententiam particularem.

Die 8 Maii 1905, hora 17 1/2 (5 1/2 pom.).

Titius sacerdos regularis per plures annos apud infideles Missionarii officium exercuit, magno cum zelo et animarum lucro. Sed cum eo advenisset, defuncto antecessore, alter Delegatus Apostolicus, acrioris indolis et novitatum amator, apud illum Titius gratiam non invenit: hinc, dissociatis amborum animis, Titius dicteriis illum impetere coepit, imo et articulum anonymum eidem infensum et iniuriosum in illius regionis ephemeride publicari curavit. Haec resciens Delegatus per particularem sententiam Titium suspendit ab ordine et officio.

Praelatus regularis Titii cupiens huic malo efficaciter occurrere, curat ad peiora praecavenda, ut eidem Titio alia assignetur missio; quod revera feliciter factum est. Itaque Titius in aliam missionem se confert, ibique domicilium figit; et primum, quod a Caio Delegato Apostolico novae Missionis petit, est, ut a suspensione in ipsum ab alio superiore lata absolvatur. Caius animo recogitans, se eamdem habere potestatem, qua alter Delegatus pollebat, et Titium mutasse domicilium, quin amplius ab illo dependeret, eum absolvit a suspensione.

Quaeritur:

1º *An censura semel incursa possit aliter tolli, quam per absolutionem?*

2º *Quis possit absolvere a censuris* ab homine *latis sive per generalem, sive per particularem sententiam?*

3º *An Caius potuerit Titium absolvere a suspensione?*

Ad Ium quaesitum. Imprimis distinguendum est inter censuram proprie dictam et censuram per modum poenae latam.

1) Censura *proprie dicta* non potest tolli nisi *per absolutionem* proprie dictam. Excipe tamen si talis sit, quae limitetur ad tempus et sit conditionata; quo casu tollitur, vel elapso tempore, vel impleta conditione.

2) Censura vero *lato sensu dicta,* inflicta scilicet uti poena, tollitur per *dispensationem.* Hic Ballerini, Palmieri, D'Annibale, etc., insistunt valde discrimini quod interest inter absolutionem et dispensationem. Absolutio scilicet, utpote secundum legem, est late interpretanda; dispensatio e contra, utpote contra legem, est stricte sumenda.

Et haec de primo quaesito satis.

Ad IIum quaesitum. Praemittendum schema censurarum. Censurae sunt aliae latae a iure, aliae ab homine.

1) Censurae *latae a iure* absolutio datur ab eo a quo oritur ius, aut qui iuri est par, id est: *a)* ab eo qui tulit censuram; *b)* ab eius successore; *c)* ab eius delegato; *d)* ab eius superiore. Interdum tamen possunt Episcopi dispensare a iure Pontificio.

2) Censurae *latae ab homine* aliae sunt latae per sententiam generalem, aliae per sententiam particularem. Censurae latae per sententiam generalem, si incursae, manent, nisi ab eis detur absolutio eo modo quo de censuris latis a iure vidimus. Cessant tamen resoluto iure eas ferentis.

Per sententiam particularem feruntur per modum praecepti, a superiore, vel per modum sententiae, a iudice.

Quaestio hic subtilior potest moveri, utrum censurae latae ab homine secundum sententiam generalem, debeant referri potius ad censuras latas a iure, an ad censuras latas ab homine per sententiam particularem. Sane habent de utrisque: de illis quod teneant omnes; de istis, quod non sint perpetuae. Quare Suarez existimat eas istis esse propinquiores.

His praemissis, manifestum est nullam haberi difficultatem de ipso censuram ferente, de eius superiore et de eius delegato; extra omne enim dubium est, eos a censura absolvere posse. At de successore difficultas esse potest.

Principium generale ponitur: censuram passim afficere personam sicuti lepra leprosum. Non eodem tamen modo hoc principium valet de suspensione ab ordine, a iurisdictione et a beneficio.

a) Suspensio a beneficio non extenditur ultra locum in quo iurisdictionem habet ipse suspendens. *b)* Pariter suspensio a iurisdictione non afficit territoria extra iurisdictionem suspendentis, uti expresse docet Cl. Bucceroni. *c)* At suspensio ab ordine, si sit vera censura, reddit inhabilem; si sit mera poena vindicativa, est simplex prohibitio non inhabilem reddens.

Quare quoad suspensionem ab ordine, si vera censura sit, successor est Ordinarius qui defuncto Ordinario succedit. In quo nulla difficultas, si suspensus non mutavit sedem.

Si autem ad aliam dioecesim domicilium suum transtulit, res subtilior, quia videtur etiam successor dici posse Ordinarius loci in quo iam degit.

Quoad iurisdictionem, adhuc vivente Ordinario, si suspensus mutat domicilium, potest iurisdictionem accipere ab Ordinario suo novo; non autem exercendam, uti liquet, in dioecesi praecedentis sui Ordinarii.

Regula proin, etiam in his casibus subtilioribus, valet: suspensionem non tolli nisi per eum qui eam tulit, aut per eius superiorem, aut per eius successorem, aut per eius delegatum.

Ad III^um quaesitum. Quo tutius huic tertio quaesito respondeatur, psychologicum, uti ita dicam, ipsius casus examen instituendum est. Tria autem animadverto:

1) Suspensio videtur fuisse poena vindicativa, per modum iudicii lata, non autem censura proprie dicta. Etenim *a)* nihil apparet de servato modo ad censuram ferendam requisito; *b)* idem suadet ipsa suspensio quoad tempus illimitata.

2) Suspensio « ab ordine et officio » non est formula usitata, dicenda potius esset vel ab officio et beneficio, vel ab ordine et iurisdictione. Quo altero potius sensu videtur intelligenda.

3) Iam vero haec poena censenda est ultra iustam mensuram a novo Delegato Apostolico lata. Nam *a)* Titius exhibetur uti optimus Missionarius; *b)* e contra alter Delegatus est acrioris indolis et novitatum amator; *c)* articulus anonymus non videtur culpa sufficiens ad tantam poenam exposcendam.

Quibus praemissis, ita quaesitum solverim:

1) Si suspensio fuit omnino iusta, et imo lata ad modum censurae, novus Delegatus non potuit ab ea absolvere quatenus aequalem habens potestatem. Nam, licet Titius domicilium mutaverit, novus Delegatus non est simpliciter prioris Ordinarii successor.

Si autem suspensio fuit iusta quidem, sed lata ad instar poenae, quum haec ad ordinis exercitium non inhabilem reddat, sed hoc exercitium mere impediat, facilius novo Delegato concedenda erit potestas permittendi quod praecedens vetuit.

2) E contra si suspensio fuit iniusta, quum talis poena, uti in praecedenti casu vidimus, conscientiam non adstringat, et, mutato domicilio, publicum bonum non amplius exigat a Titio ut, ad vitandum scandalum, iniustae censurae pareat, potest Titius rem totam committere iudicio novi sui Ordinarii et sequi consilium ab eo receptum.

3) In omni tamen hypothesi potest novus Ordinarius dare Titio iurisdictionem. Quoad ordinem vero, si iudicet Titium fuisse aequa de causa per censuram suspensum, roget Priorem Delegatum ut suspensionem a se latam tollat, aut facultatem dispensandi exposcat a Summo Pontifice.

LAURENTIUS JANSSENS, O. S. B.
Epitomator ex officio.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

IX.

De Missa Pontificali Protonotarii.

Die 22 Martii 1905, hora 4 3/4 a meridie.

In insigni oppido S. Florentii, Episcopo dioecesano absente, quippe qui in remotas regiones charitatis ergo abiit, centenaria S. Patroni festa celebrari debent. Parochus invitat Didacum finitimae dioecesis Episcopum, ut Pontificalia peragat, qui acceptare invitationem renuit, quod certo sibi non constet de Ordinarii consensu. Adit tunc Parochus Vicarium Generalem, ut facultatem Didaco concedat, qua tamen se carere Vicarius Gen. respondit. Didacum nihilominus consilio iuvat, ut iure suo utatur, cum fuerit invitatus a Parocho, celebrandi Pontificalia saltem ad faldistorium, et absque ullo signo iurisdictionis. Cumque id quoque recusasset Didacus, ecce Maurus Basilicae N. Canonicus, qui ait se gaudere privilegiis Protonotariorum Apostolicorum de numero, ac proinde iure Pontificalia celebrandi, etiam non requisito Episcopo. Parochus quiescit, et Maurus tribus continuis diebus agit Pontificalia ad thronum, cum baculo pastorali ac Mitra pretiosa. *Quaeritur:*

1. *Potest-ne Vicarius Gen., casu inspecto, potestatem facere alieno Episcopo celebrandi pontificaliter in propria dioecesi?*

2. *Si Episcopus alienus invitetur, uti simplex sacerdos, ad Missam solemniter canendam, potest-ne eam ad faldistorium, saltem sine baculo et cum Mitra simplici, celebrare? Qualis sensus, ad rem, Tridentinae Synodi?*

3. *Canonicus, privilegiis gaudens Protonotariorum de numero, potest-ne Pontificalia agere, non requisito Ordinario? In casu alterutro quibus cum ornamentis?*

4. *Quid de Didaci Episcopi, et Mauri agendi ratione, qui Protonotarium de numero se iactat, iudicandum?*

Ad I^um. Negative. Tametsi Vicarius Generalis una cum Episcopo unicum constituat Tribunal in regimine Dioecesis, et Ordinaria gaudeat potestate, ita ut ab ipso ne appellatio quidem ad Episcopum detur; nihilominus potestas eius vicaria est, et omnia quae agit, nomine et vice Episcopi agit. Iamvero de ambitu huius Vicariae potestatis generatim dicendum, in ipsa haud contineri graviora negotia seu talia quae non esset Episcopus verisimiliter in specie concessurus. Verum est quod Vicarius generalis constituitur *generali mandato* Episcopi quod spectat Dioecesis administrationem. Sed ex iure ecclesiastico et iure Romano, ab huiusmodi mandatis generalibus omnia ea sunt excepta, de quibus praesumi potest mandantem velle ut in his ad se potius recurratur. Haec proinde ne quidem in generali mandato comprehenduntur, quando Episcopus in constituendo Vicario Generali utitur amplissimis formulis, v. g. concedendo ea omnia « *quae Ipsi possumus* » aut « *ea quoque quae speciale mandatum requirunt* ». Inter plurima quae a iuris Doctoribus ad rem recensentur excepta, est quod Vic. Generalis nequit ea peragere quae sunt Ordinis Episcopalis. Ipse enim institutus est ad Episcopum iuvandum in exercenda iurisdictione episcopali, non Ordine episcopali. Quapropter licet Vic. Generalis esset Episcopus, sine tamen speciali mandato, nequit peragere quae sunt Ordinis episcopalis, neque alteri Episcopo ad ea peragenda licentiam dare potest. *Cf. Bened. XIV. De Synodo, l. II, cap. 8, n. 2.*

Ad II^um. Tridentina Synodus, *cap. V, Sess. VI, de Reform.* habet: « Nulli Episcopo liceat, cuiusvis privilegii praetextu, pontificalia in alterius Dioecesi exercere, nisi de Ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem Ordinario subiectas tantum; si secus factum fuerit, Episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab executione Ordinum, sint ipso iure suspensi ».

Iamvero multi dubitarunt num sub praecepto Concilii Tridentini cadant etiam Missa et Vesperae in Pontificalibus celebrandae, an solum exercitium potestatis episcopalis, uti v. g. Ordinum collatio, Chrismatis confectio, Ecclesiarum dedicatio, etc. Verum S. R. C. rem definivit per decretum diei 4 Decembris 1903 (1); ad dubium enim « An

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. XII, p. 27.

Episcopus extraneus vel Titularis possit, inconsulto Ordinario Dioecesano, atque in Titulo, Cardinali Titulari, Missam et Vesperas pontificales celebrare, sedens in faldistorio, non utens baculo pastorali, sed cum ornamentis pontificalibus? » S. R. C. respondit: « *Negative*, etiam iuxta Decretum 2283 *Asculana* ». Ergo, etc.

Si vero Episcopus rite invitetur ad Missam et Vesperas celebrandas, iure sedebit in faldistorio, sede mobili episcopali, quae, ad contrarium Cathedrae, non indicat iurisdictionem. Non utetur baculo pastorali, iurisdictionis signo, quia Episcopus illud adhibet in sua tantum Dioecesi, et « ubi consecrationes, aut ordinationes vel benedictiones ipsi committuntur ». Adhibere tamen potest Mitram, nedum auriphrygiatam, sed et pretiosam.

*Ad III*um. Attento recentissimo iure, *Motu proprio* SS. D. N. Pii Papae X, die 21 Februarii 1905 (1) invecto, respondendum *Negative* per omnem modum *(Cfr. Mot. Pr. cit., n. 25)*. In casu quo quis Canonicus privilegiis gaudens Protonotariorum de numero, Pontificalia, impetrata Ordinarii venia, agere debeat, haec sunt ornamenta quibus uti potest: Caligae et sandalia serica cum orae textu ex auro; chirothecae sericae sine ullo opere phrygio, sed tantum orae textu auro distinctae; tunicella et dalmatica; crux pectoralis sine gemmis e chordula serica rubini ex integro coloris pendens, auro non intertexta; annulus cum unica gemma, a quo alias semper abstinet; Mitra e serico albo, sine ullo opere phrygio, sed tantum cum orae textu ex auro, et cum laciniis similiter aureis, quae cum simplici ex lino alternari poterit; haec vero simplex, diebus poenitentialibus et in exequiis una adhibebitur; pileolum nigrum nonnisi sub mitra; nunquam explicat caudam vestis; sedet in faldistorio et utitur gremiali, complemento faldistorii; vestes sacras in sacrario assumit et deponit; utitur canone, palmatoria, urceo, et pelvi cum mantili in lance. Haec pro Missa pontificaliter celebranda.

In Vesperis solemnibus (post quas benedictionem non impertietur) aliisque sacris functionibus pontificaliter celebrandis, Mitra, Cruce pectorali, annulo utetur ut supra. Semper ei interdicitur usus throni, baculi pastoralis, et cappae, item septimi candelabri, et plurium diaconorum assistentia. Poterit tamen Presbyterum assistentem habere pluviali indutum, non tamen coram Episcopo Ordinario, vel alio Praesule, qui ipso Episcopo sit maior.

Ex dictis patet responsio ad IVum, scilicet quam prudenter in casu se gesserit Didacus, quamque improbe Maurus.

P. Elias M. Coccia, Ord. Carm.
S. R. C. Consultor,
Censor Pontif. Academiae Liturgicae.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Novembre 1905.

3 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr François Giacci, Ev. de' Marsi; — Mgr Thomas Whitside, Ev. de Liverpool; — Mgr François Régis Canevin, Ev. Tit. de Sabrata, Coadjuteur avec succession de l'Evêque de Pittsburg; — Mgr Henri-Joseph Richter, Ev. de Grand-Rapide; — ainsi que le R.me Père Thomas Rodriguez, Prieur Général des Ermites de St Augustin; — et le T. R. Père Cyprien, des Mineurs Capucins.

4 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joseph Laguarda y Fenollera, Ev. d'Urgel; — Mgr Sauveur Castellote y Pinazo, Ev. de Jaen; — et Mgr Justin Adami, Arch. Tit. de Césarée.

5 Dimanche.

S. G. Mgr François Bourne, Arch. de Westminster, est reçu en audience.

6 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Raymond Netzhammer, O. S. B., nouvel Archevêque de Bucharest; — Mgr Thomas-Jacques Conaty, Ev. de Monterez-los-Angeles; — Mgr César Boccanera, Evêque démissionnaire de Narni; — ainsi que le R.me P. Denys Schüller, Ministre Général des Frères Mineurs; — le R.me P. Eugène Meyer, Supérieur Gén. des Missionnaires du S. Cœur d'Issoudun; — et S. Ex. M. Bruno Chaves, Env. Extr. et Min. Plénip. du Brésil près le St-Siège.

7 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Ex. M. le Comte Nicolas Szécsen di Temerin, Ambassadeur d'Autriche-Hongrie près le St-Siège; — Mgr Joseph-Thomas Duhamel, Arch. d'Ottawa; — et S. G. Mgr Carmel Puija, Arch. de Santa Severina, Adm. Apost. de Catanzaro.

8 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Alexandre Christie, Arch. d'Oregon; — S. G. Mgr Bernard-Joseph Doebbing, Ev. de Nepi et Sutri; — et S. Ex. M. Albert Blancas, Chargé d'Affaires de la République Argentine près le St-Siège.

9 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Léon De Skrbensky, Arch. de Prague; — S. G. Mgr J.-B. Fallize, Ev. Tit. d'Eleusa, Vic. Ap. de la Norvège; — et Mgr André-Théophile Mélizan, Ev. de Colombo.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, le R.me Père Thomas Rodriguez, Prieur Gén. des Ermite de St Augustin, et le R.me P. Rinaldo-Marie de St-Justin, Préposé Gén. des Carmes Déchaussés, sont nommés Consulteurs de la S. C. des Ev. et Rég.

10 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Augustin Marre, Ev. Tit. de Constance, Abbé Général des Cisterciens Réformés; — Mgr Félix Cadène, Référendaire de la Signature Papale de Justice, Directeur des *Analecta Ecclesiastica*; — le T. R. Père David Fleming, des Mineurs; — le R.me P. Victor Corvaja, Abbé de Montevergine; — et S. Exc. M. le Comte G. Forgàch, Min. Plénip. d'Autriche-Hongrie au Brésil.

11 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean Benlloch y Vivì, Ev. Tit. d'Ermopolis Majeure, Administr. Apost. de Solsona; — et Mgr Joseph Guthlin, Référendaire de la Signature Papale de Justice.

13 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Alexandre Christie, Arch. d'Oregon; — Mgr Janvier Cosenza, Ev. de Caserta; — Mgr Eustache Ilundain y Esteban, Ev. d'Orense, — Mgr François Balzan y Urniza, Ev. d'Oviedo;

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* in praesenti vol. p. 53.

— et Mgr Paul Iacuzio, Ev. de Capaccio Vallo; — ainsi que le R. P. André Morissey, de la Congr. de Ste-Croix.

14 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Laurent Passerini, Patr. d'Antioche pour le Rite Latin, Vice-Camerlingue de l'Eglise Romaine; — et Mgr François-Sébastien Pifferi, Ev. Tit. de Jéricho, Auxiliaire de La Plata (Bolivie).

— Congr. Gén. des S. Rites tenue au Vatican *coram SS.mo* pour examiner:

1° la question du *Tuto* pour la Béatification des Vénérables Serv. de Dieu Gil de Federich, Mathieu Alonso Leziniana, Hyacinthe Castaneda, Vincent Liem de La Paix, Jérôme Hermosilla, Valentin Berrio-Ochoa, Pierre Almato, et Joseph Khang, tués en haine de la Foi au Tonkin;

2° la question du *Tuto* pour la Béatification de la Vénérable Sœur Thérèse de St Augustin, et de ses Compagnes;

3° la question des trois miracles proposés pour la Béatification de la Vén. Julie Billiart.

15 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Léon-Adolphe Amette, Ev. de Bayeux; — Mgr Thomas Byrne, Ev. de Nashville; — Mgr Henri Grazioli, Arch. Tit. de Nicopolis; — Mgr Robert Seton, Arch. Tit. d'Eliopolis; — et Mgr George Burton, Ev. de Clifton.

16 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. Em. le Card. Léon de Skrbensky, Arch. de Prague; — S. Exc. Mgr Aristide Rinaldini, Nonce Apost. en Espagne; — S. G. Mgr Joachim Baltrany Asensio, Ev. d'Avila; — et Mgr Sabatino Giani, Ev. de Livourne.

— Dans l'après-midi, S. Em. le Card. Vivès y Tuto présente au St-Père les Directeurs et les étudiants du Collège Espagnol de Rome, accompagnés par Nosseigneurs les Evêques de Jaen, d'Urgel, de Solsona, d'Oviedo, d'Orense, de Minorque et d'Avila, actuellement présents à Rome.

17 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Camille Sorgente, Arch. de Cosenza; — S. G. Mgr Hugues Bottero, Ev. de Kumbakonam: — le R. P. Ursmer Berlière O. S. B., Président de l'Institut Historique Belge; — le R.me Dom Hildebrand de Hemptinne, Abbé Primat des Bénédictins; — et le T. R. P. Henri de Floch, Recteur du Séminaire Français, accompagné par le T. R. P. Alphonse Eschbach, Proc. Gén. de la Congr. du Saint-Esprit.

18 Samedi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Jules de Carsalade du Pont, Ev. de Perpignan; — et Mgr Joconde De Nittis, Ev. de Castellaneta.

20 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Charles Gauthier, Arch. de Kingston; — Mgr Patrice Fergo Mac Evay, Ev. de London (Canada); — S. Em. M. le Comte Galeazzo Thun de Hoenstein, Grand-Maître de l'Ordre Souverain de Malte; — Mgr Jean de Montel, Doyen des Prélats de la Rote; — et le Rme P. Hyacinthe M. Cormier, Maître Général des Frères Prêcheurs.

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, LL. Em. les Cardinaux Casimir Gènnari et Benjamin Cavicchioni, sont nommés membres de la S. Congr. de la Propagande pour les Affaires du Rite Oriental.

21 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Janvier Costagliola, Arch. de Chieti; — et Mgr Nicolas Zimarino, Ev. de Lacedonia.

— Le St-Père a désigné les Garde-Nobles qui doivent porter la nouvelle officielle de la promotion à la Pourpre Romaine, qui aura lieu dans le Concistoire secret du 11 décembre prochain, aux Prélats suivants, de résidence à l'étranger:

Pour S. G. Mgr Joseph Samassa, Arch. d'Erlau, M. le Comte Stanislas Muccioli; — pour S. G. Mgr Marcel Spinola y Maestre, Arch. de Séville, M. le Marquis Antici-Mattei.

Pareillement, le St-Père a désigné, en qualité d'Ablégats Apostoliques, pour présenter la Barrette Cardinalice aux Prélats sus-mentionnés:

Mgr François Zapletal, pour Mgr l'Archevêque d'Agram; — et Mgr Henri Sibilia, pour Mgr l'Arch. de Séville.

— Congr. Ordinaire Rotale des S. Rites, tenue au Vatican, pour examiner:

1° la validité des Procès Apostoliques instruits au sujet de deux miracles qui sont proposés pour la Béatification de la Vén. Jeanne d'Arc;

2° la validité des Procès Apostoliques et Ordinaires, instruits touchant la Béatification du Vén. Michel Le Nobletz, Prêtre Missionnaire;

3° la validité et la relevance des Procès Apostoliques et Ordinaires instruits pour la cause de Béatification de la Vén. Jeanne-Elisabeth Bichier des Ages;

4° la question du non-culte, concernant la cause du Vén. Ignace Falzon;

5° et la question du non-culte, concernant la cause de la Vén. Marie De Mattias.

22 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Thomas Fennelly, Arch. de Cashel; — Mgr Henri Henry, Ev. de Down; — Mgr Denys Kelly, Ev. de Ross; — et Mgr Léon-Adolphe Amette, Ev. de Bayeux.

23 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Thomas-François Barry, Ev. de Chatam; — Mgr Autoine-Marie Grasselli, Arch.-Ev. de Viterbe; — et Mgr Lucien Mossart, Ev. Tit. de Médée, Vic. Apost. de la Cochinchine Occidentale.

24 Vendredi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Léopold Schuster, Ev. de Seccau; — S. G. Mgr François-Marie Kersuzan, Ev. du Cap-Haïtien; — et M. le Comm. Louis Pasteur, Directeur de l'Institut Historique Autrichien.

25 Samedi.

S. G. Mgr. Ignace Monterisi, Ev. de Potenza, est reçu en audience.

28 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Ludovic de Carsalade du Pont, Ev. de Perpignan; — et Mgr Roger Catizone, Ev. Tit. d'Augustopolis, Auxiliaire de Catanzaro.

— Congr. Antiprép. des S. Rites, tenue auprès de S. Em. le Card. Louis Tripepi, Ponent, concernant l'héroïcité des vertus de la Vén. Marquise Madeleine di Canossa, Fondatrice des Sœurs de la Charité à Vérone.

29 Mercredi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Arthur Stanislas Touchet, Ev. d'Orléans; — Mgr Charles Algernon Stanley, Ev. Tit. d'Emmaüs; — et Mgr Guillaume Giles, Ev. Tit. de Philadelphie, Recteur du Collège Anglais.

30 Jeudi.

S. Exc. M. Henri Garcia Restrepo présente au St-Père les lettres qui l'accréditent en qualité d'Envoyé Extr. et de Ministre Plénip. de la Colombie près le St-Siège.

— Le St-Père reçoit: S. G. Mgr Pascal Troski, Arch. de Scopia; — et Mgr Joseph Lohninger, Recteur de Sainte-Marie de l'*Anima*.

F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.

Salvatore Marinelli, *gerente.*

Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

ANALECTA ECCLESIASTICA

ANNUS DECIMUS TERTIUS

FASCICULUS DUODECIMUS - DECEMBER 1905

SUMMARIUM

Exacto feliciter huiusce tertii decimi anni curriculo, decimum quartum iamiam imminentem modo aggressuri, adsociatis omnibus, singulisque, prospere succedant omnia, a Deo Optimo Maximo, ex corde ominamur.

ANALECTA NOVA

EX ACTIS SUMMI PONTIFICIS ET E SECRETAR. BREVIUM

I.

Pius X hortatur Polonos Russico Imperio subiectos, ut tributa modo civilia iura modeste ac diligenter exequantur, in tranquillitate ordinis et unitate pacis.

Sanctissimi Domini Nostri Pii Divina Providentia Papae X Epistola ad Archiepiscopum et Episcopos Poloniae quae Russico Imperio paret.

VENERABILIBUS FRATRIBUS ARCHIEPISCOPO ET EPISCOPIS POLONIAE QUAE RUSSICO IMPERIO PARET.

PIUS PP. X.

Venerabiles Fratres, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Poloniae populum qua late patet, genere quamvis, sermone ac religioso ritu varium, quam intimo Nos, quam paterno, uno aeque omnem, charitatis studio amplectamur, neminem in vobis arbitramur posse esse qui ignoret. Nam, brevi quidem sed tamen toto anteacti Pontificatus tempore, nullam Nobis unquam elabi sivimus opportunitatem, qua id luculentissime demonstraremus. Praeterquam enim quod Polonum quemlibet ad Nos transmeantem admissione Nostra facilitate summa donavimus; mementote quae Nostra fuerit laetitia, quae exultatio animi quum, anno superiore, pia ex vobis fidelium agmina excepimus, quae ad Nos peregre salutatum venerunt. Quibus illos tunc verbis affati fuimus suavitate plenis! Quae etiam, nuper, iucunditas Nos hilaravit, quum lectissimam e scholis vestris iuventam spectare coram atque alloqui datum est (1)!

Utique, cur genti vestrae tantopere faveamus, Nobis non deest caussa; immo vero suppetit maxima. Memoria enim praeteritarum aetatum si quis cogitando repetat, nullam fere a Poloniae laude vacuam offendet: cuius profecto constantiae ac fortitudini debetur uni, si hostium christiani nominis impetus, religioni ac civili Europae cultui minitantium, fracti demum sunt ac propulsati. Manet maioribus vestris perpetuo haec laus, quod pectorum suorum praesidia, catholicis sacris tutandis, generose opposuerint; unde factum, ut catholici ac poloni nomen elapsis tempestatibus promiscue sit habitum. — Haec porro patrum exempla

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, in hoc vol. XIII, p. 105.

apud nepotes, qui nunc sunt, vigere adhuc integra ac renovari, Nos plane confidimus: ut ideo eadem, quae fuit illorum, sit modo vestra in Apostolicam Sedem fides et observantia, valeatque simul necessitudo illa, qua gens polona cum Petri Cathedra arctissime semper coniuncta fuit.

Verum, quia difficillimum tempus sic postulat, animum modo ac sermonem ad eos singulariter e Poloniae civibus convertendum ducimus, qui vobis, Venerabiles Fratres, subiecti sunt ac Russico parent imperio. Quem enim afflicta, qua nunc illi utuntur, fortuna non moveat? Nos autem vel maxime, qui eos in numero filiorum carissimorum putamus. Ad vos igitur has litteras conscribimus, ut, interpretibus vobis, Nostri mens animi fidelibus singulis pateat; cunctisque, vestra opera atque hortatione, dicto, ut par est, audientibus, pax demum illa et concordia pariatur, quam optimi quique inter vos, studiis omnibus, sed ad hanc diem irritis, sunt prosequuti.

Cui quidem concordiae bono suadendo obtinendoque duo maxime conducere arbitramur, si ea quisque secum diligentius consideret: quae nimirum, quantaque sunt mala, quibus gens vestra hac tempestate premitur; quae quantaque officia, quibus, ad illa minuenda atque avertenda, Episcopi pariter ac fideles omnes gravissime tenentur.

Nam, ut de malis dicamus, singula ea quidem persequi, longius foret quam praesens patitur institutum. Graviora porro, ac caeterarum fere miseriarum fons atque origo, factiones illae sunt turbulentissimorum hominum, quae nullibi non vigent, quaeque iuribus ac legibus evertendis natae, eo plane, suadendo, coniurando audendoque, incumbunt ut plebem, perculsam terroribus, occupent, illamque, immani civilis consuetudinis damno, in nefaria quaeque corripiant. — His accedit, atque in eodem genere, natio illorum qui, charitatem patriae sed non sapientem perpetuo venditantes, *radicalismi*, uti vocitant, *nationalis* assectatores se profitentur. Quibus nimirum propositum est politicas animorum perturbationes ciere ac nutrire; quare commota plebs obcaecata eo saepe excedit violentiae ac furoris, unde Poloniae vestrae, nihil tale meritae, retro fertur conditio atque afflictior in dies evenit. — Haec autem inter, turbis quidem faventibus atque impunitatem audendi praebentibus, pessimi quique, quibus divina humanaque miscere fas ac decorum videtur, immania faciunt flagitia, quae vel barbarae nationes horruerint; qualia, nuper, ut aliquid indicemus, publicae fuerunt iudaeorum caedes, quas equidem Evangelii lex, quae omnes promiscue diligendos iubet, detestatur ac reprobat. — Iamvero, dum talia ac tanta, fidenter nimium, scelestorum meditatur audacia ac porro patrat; quae vis, quae actio, ad illam comprimendam exoritur? Certe bonorum copiae ex maiore, immo vero maxima, polonae gentis parte conflantur. Ast arma, aegritudine quadam quae meliorum rerum expectationem extinguit, posuisse videntur; et querelis contentae, nihil fere agitant ulterius, quod sit efficax malorum tantorum remedium. — Equidem querelae vestrae iustae sunt: quibus Nos et querelas Nostras et lacrymas ex animo adiicimus. Querelarum tamen nullam esse utilitatem scitote, si non, foedere inito, quotquot Imperio Russico poloni parent, animum viresque omnes serio intendant, ut quae, perturbatorum ausu, sive religiosae rei sive politicae aut socialis detrimenta fecerunt, sarciant. — Veterem Poloniae fidem, Venerabiles Fratres, susceptosque pro religione sancta labores dum Nobiscum recolimus, eversamque vestram, quae modo est, conditionem consideramus; generosa verba sponte succurrunt, quibus Mathatias moriens alloquebatur filios: *Nunc confortata est superbia, et castigatio, et tempus eversionis, et ira indignationis: nunc ergo, o filii, aemulatores estote legis, et date animas vestras pro testamento patrum vestrorum, et mementote operum patrum, quae fecerunt in generationibus suis: et accipietis gloriam magnam et nomen aeternum* (1).

Huic tamen hortationi Nostrae ut secundi accedant exitus, videndum vobis est diligenter, quibus vos uti oporteat ad ea, quae proposita sunt, adiumentis. Ea vero Nos non aliunde repetimus, quam ex officiis, quibus quisque vestrum obstringitur. — Illud autem est caput, ut quam poloni ab avis et proavis catholicae religionis professionem, Deo dante, tenent, hanc semper pro merito aestiment rebusque caeteris omnibus anteponant. Quam profecto sic servent necesse est, ut non verbo solum neque lingua, sed opere et veritate impleant. — Exigit autem sanctissima Christi religio ut perturbationibus animi nunquam sinamus nos abripi, sed illas, contra, mens moderetur sana cogatque imperio subesse. Quamobrem catholici quotquot sunt, studiis partium prohibentur, quae latae a Deo legi adversentur. Nec plane a culpa eos eximit, quod humanis id agant utilitatibus. Rursus namque catholica doctrina nos admonet, aeternorum bonorum quaestus fluxis quibusque huius temporis emolumentis debere anteferri, secundum Domini verba: *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur?* (2).

Quo quasi fundamento posito, alterum sequitur: inter motus mutationesque, quibus modo Russicum Imperium turbatur, simulque ea pars Poloniae quae eidem paret Imperio, debere catholicos homines a pace atque ordine stare constanter. Qua in re meminisse omnes iuverit, quae, die XIX Martii MDCCCLXXXXIV (3), Decessor Noster felicis recordationis ad vos perscribebat: « Qui vero sint sub potestate, « debere constanter reverentiam et fidem servare principibus, « tamquam Deo regnum per hominem exercenti, eisdem « obtemperare, non solum propter iram, sed etiam propter « conscientiam (4), pro ipsis adhibere obsecrationes, orationes, « postulationes, gratiarum actiones (5): debere sanctam cu- « stodire disciplinam civitatis: ab improborum machinatio- « nibus sectisque abstinere, nec quidquam facere seditiose: « omnia conferre ad tranquillam in iustitia pacem tenendam ».

Hanc porro ut tranquillitatem pacis catholici, non solum adament votisque contendant, sed etiam, ut officium est, actuose maturent, partamque tutentur incolumem; necesse ipsis omnino est ut, turbulentium sequuti exempla, in sodalitates coetusque coëant, ubi coniunctis consilio atque opere, pro religione ac patria cum efficacitate dimicent. Illud autem eiusmodi consociationibus propositum esse in primis debet, ut cessationes operum ex condicto, quae modo sunt frequentissimae cum immani communis boni iactura, omnino prohibeantur: eae autem ut tollantur penitus, levandis opificum ac proletariorum necessitatibus tum animi tum corporis ex veritate studeant. Quo in genere, laudabilis equidem est oratio, quam, superiore iunio exeunte, Venerabilis Frater

(1) I Machab., n. 49, SS.
(2) Matth. XVI, 26.
(3) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. II, p. 105.
(4) I, Rom. XIII, 5.
(5) Tim. II, 1, 2.

Archiepiscopus Varsaviensis ad dominos operariosque habuit. Hortationem eius pariterque Nostram ut Poloni omnes accipiant alacriter, optamus et obsecramus. Videant universi ne quid patria ulterius detrimenti capiat. Quod ut ne fiat, nemo sit vestrum qui, ex praescripto Servatoris Christi, iustitiam nimirum et charitatem colendo tuendoque, civitatis conditionibus in melius provehendis diligentissime non adlaboret.

Unum vero est, quod singulari animadversione catholicorum dignum tenemus. Cum namque optimi utilesque civitati homines non aliter creentur, quam si rite probeque a pueris erudiantur; commune omnibus officium est, quacumque via ac ratione, quae legibus data sit, eniti et contendere, ut catholicis adolescentibus eiusmodi pateant gymnasia, ubi de catholicis institutis et moribus praeceptio sit ac disciplina. Qua in re, Venerabiles Fratres, diligentiam vestram, quam equidem cognitam perspectamque habemus, excitare iterum placet. Vobis namque, aeque ac parentibus, christianae puerorum eruditionis procurandae onus officii est impositum. — Hic vero, quoniam in scholarum mentionem incidimus, omittere nequaquam possumus monere graviter adolescentes, qui studiis dant operam, ne, politicis de causis, a ludis celebrandis ex condicto cessent. Multa enim nec levia, quod Venerabilis Frater Archiepiscopus Varsaviensis iam innuit egregrie, ex eiusmodi cessationibus tum privatim tum publice eveniunt damna.

Quo tamen haec omnia, quae huc usque exposuimus, effectu ne careant, restat, Venerabiles Fratres, quod vestrum demum est, ut omni studio omnique contentione ad adolescentem clerum rite informandum adiiciatis animum. Salus enim populi maxima ex parte a sacerdote pendet. Nunc autem, quoniam infesta adeo sunt tempora, sacerdotibus opus est, qui doctrina sana vitaeque sanctimonia praecellant, eaque animi generositate et constantia sint praediti, qua, carni et sanguini non acquiescentes, omnia contemnere, omnia perpeti pro Christo sint parati.

Postremo, antequam scribendi finem faciamus, placet potentissimi Imperatoris vestri, cuius exploratum in Nos amicitia animum habemus, sapientiam clementiamque publice laudare, quod edicto XXX die superioris Aprilis dato, de conscientiae libertate subiectos sibi populos securos fecerit. — Qui quidem concessus, unde cunctorum animi sunt recreati, cum edicto altero diei XXX Octobris confirmatus fuerit atque amplificatus; oportet vos, Venerabiles Fratres, omni ope atque industria iuvare illos qui, sua sponte et voluntate, ad catholica sacra transire malint. Non politica res in his agitur, sed tantum aeterna animarum salus. Est igitur episcoporum ius atque officium normas praescribere, quibus utatur clerus in admittendis ad sacra nostra, qui libere id velint. Has normas, Venerabiles Fratres, ut collatis consiliis concordique sententia decernatis volumus; ita quidem ut in universis dioecesibus una atque eadem vigeat agendi ratio. Crescente autem fidelium multitudine, mittet profecto Dominus operarios in messem suam. Interim vero dilectos filios, sacerdotes dioecesium vestrarum, hortamur, ne duplicatum forte laborem fastidiant, illud memores, omnium divinorum divinissimum cooperari Deo in salutem animarum.

Caeterum monemus omnes ut tributa modo civilia iura modeste ac diligenter exequantur, eo videlicet spectantes unice ut parens Imperio Russico Polonia secundioribus semper conditionibus utatur. Quod sane ut obveniat, partes Nostras, utpote patris Poloniae vestrae amantissimi, apud potentissimum Imperatorem nunquam desiderabitis.

Munerum divinorum auspicem et singularis Nostrae charitatis testem, Apostolicam Benedictionem vobis, Venerabiles Fratres, et cleris populisque vestris amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die III Decembris MDCCCCV, Pontificatus nostri anno tertio.

PIVS PP. X.

II.

Pius X commendat Pium Opus a Praeservatione Fidei, illiusque favore indulgentias ac privilegia largitur.

PIUS PP. X.

Ad perpetuam rei memoriam.

Opus a *Praeservatione Fidei*, optimo et peropportuno consilio Nostri decessoris incliti institutum (1), quam valde Nobis cordi sit, nihil attinet dicere. Etenim, quum eo pertineat, ut populum romanum praestet ab haereticae pravitatis contagione liberum, rem persequitur eiusmodi, quae vigilantiae studioque Pontificis Maximi proposita esse in primis debeat. Nequit similiter dubitari quin hoc ipsum provehere ac sospitare opus catholicos omnes deceat. Profecto, quisquis catholicum digne nomen gerit, commoveatur necesse est hoc maximo acerrimoque bello quod adversum christianam sapientiam ideoque contra Pontificem Romanum, utpote summum traditae a Christo veritatis custodem, ardet. Iam hic de ipsa sacra potestate Pontificis agitur; quam quidem acatholicarum coniurati asseclae sectarum funditus evertere non dissimulanter contendunt. Iamvero nihil volunt studentve aliud Novatores, summe hi quidem inter se haeresum varietate discordes, in hoc autem uno coniunctissimi, ut Beati Petri Cathedram impugnent. Itaque iamdudum, Romae multo magis quam usquam alibi, postquam scilicet in Urbe catholici orbis principe veritati et errori promiscua sunt publice attributa iura, nituntur, quibus valent opibus, pravisque omne genus artibus, imperitos praesertim egentesque capere: confisi, se posse aliquando in ipso Ecclesiae centro labefactare Pontificis auctoritatem, quo deinceps usquequaque facilius ipsa concidat. Utique haec sunt, Dei beneficio, vota peritura; siquidem *portae inferi* adversus Ecclesiam, quae in Petro et successoribus eius fundata est, sponsore Christo, *non praevalebunt.* Sed tamen haud frustra inimicorum Fidei est opera, quod ad perniciem spectat animarum. Quod si dolori Nobis est, quempiam a fide sancta deficere, multo est magis poenae in conspectu Nostro id fieri, praesertim quia non sine gravi multorum offensione fit. Quotquot igitur cum proximorum salute honorem Ecclesiae communis omnium parentis diligunt, et Iesu Christi Vicarium colunt atque observant, consentaneum est velle Operi, de quo loquimur, adiumenti aliquid afferre. Equidem novimus in hac re neque studium, nec largitatem usque adhuc nostrorum defuisse; fructusque gratulamur extitisse his paucis annis non exiguos. Verum quia multum

(1) *Vide in Indice gen. ad hoc verbum.*

etiam conandum restat, ut par sit necessitati remedium, idcirco bonorum magis excitari atque inflammari studia intelligimus oportere; eiusque rei gratia caelestes Ecclesiae thesauros, quorum penes Nos dispensatio est, libentissime reseramus. — Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus fidelibus ex utroque sexu, qui tam frugifero pio Operi nomen suum dederint, die prima eorum adscriptionis vel alio quolibet die intra mensem proximum, ad cuiusque libitum eligendo, si admissorum confessione rite expiati, quovis in templo sive publico Oratorio ad sacram synaxim accedant, et addita salutatione angelica, quocumque idiomate dummodo versio fidelis sit, piam hanc precem devote recitent: *O Maria Immaculata, vosque Apostolorum Principes, in vera nos fide retinete:* indulgentiam plenariam; ac tam inscriptis quam in posterum inscribendis eodem in pio Opere sociis, in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere poenitentes et confessi, ac sacra Communione refecti, vel saltem contriti quatenus id agere nequiverint, nomen Iesu ore, si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, ac tamquam peccati stipendium mortem susceperint, etiam plenariam; tandem iisdem nunc et in posterum pariter ipsum in Opus rite adiectis sodalibus, qui item sacramentali admissorum confessione expiati atque angelorum pane refecti, quotannis diebus: VIII mensis Decembris festo Immaculatae Conceptionis Deiparae Virginis, Operis patronae caelesti; XXIX Iunii festo SS. Apostolorum Petri et Pauli, item patronorum Operis; VI Ianuarii, in Epiphania Domini; XIX Martii festo S. Iosephi B. M. V. Sponsi; XXVI Maii festo S. Philippi Nerii; ac XXIX Septembris quo festum agitur S. Michaëlis Archangeli, a primis Vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi, et similiter in utroque festo Dolorum B. M. V. ab ortu usque ad solis occasum dierum ipsorum, templum aliquod publicumve sacellum visitent, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, peccatorum conversione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione ad Deum preces effundant, et orationem de qua supra habita mentio est ad veram fidem retinendam, salutatione angelica praemissa, recitent, quo ex praefatis die id agant, similiter plenariam admissorum omnium indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. — Insuper iisdem sodalibus dicti pii Operis nunc et in posterum existentibus, quoties conventibus aut communibus sodalitii aut privatis Comitatus interfuerint, dummodo contrito saltem corde ibi recitent supra memoratam precem cum salutatione angelica, de numero poenalium in forma Ecclesiae consueta septem annos totidemque quadragenas; quoties autem pro Fidei praeservatione aut eamdem precem cum salutatione angelica recitent, aut iuxta sodalitii tabulas pietatis quodvis sive charitatis opus exerceant, toties de poenalium similiter dierum numero in forma Ecclesiae solita trecentos expungimus. Porro largimur sociis ipsis, si malint, licere plenariis supradictis ac partialibus indulgentiis, excepta plenaria in mortis articulo lucranda, functorum vita labes poenasque expiare. — Sacerdotibus autem qui eiusdem fuerint Operis nunc et in posterum participes illud concedimus, ut quandocumque sacrosanctum Missae sacrificium pro animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, ad quodlibet altare celebrabunt, Missae sacrificium huiusmodi, ter tantum singulis hebdomadis, animae sive animabus pro qua vel quibus celebratum fuerit perinde suffragetur ac si foret ad privilegiatum altare paractum, dummodo tamen alio simili indulto non fruantur. — Sacerdotibus vero qui sint, vel in posterum erunt de sodalium *zelatorum* numero, haec quae infra scripta sunt privilegia tribuimus, modo tamen a suo quisque Ordinario, et bene de Opere meriti reapse habiti sint, et licentiam in scriptis acceperint, quae quidem si desit, horum privilegiorum concessionem nullam esse volumus. His igitur damus et concedimus:

I. Ut, si tamen sint ad sacramentales confessiones excipiendas rite adprobati, possint ex ritu praescripto, privatim extra Urbem benedicere Cruces, Crucifixos, sancta Numismata, Coronas precatorias et parvas Domini Nostri Iesu Christi, B.mae Virginis Mariae, Sanctorumque ex metallo statuas, cum applicatione omnium et singularum indulgentiarum, quae in elencho, typis edito S. Congregationis de Propaganda Fide die XXVIII Augusti anno MDCCCCIII, continentur (1), et quod ad coronas precatorias attinet, non excepta indulgentiarum applicatione quae a S. Birgitta nomen habent.

II. Ut, si pariter sint confessarii ab Ordinario adprobati, consueto ritu benedicere et fidelibus imponere possint scapularia Confraternitatum SS.mae Trinitatis, B. M. V. de Monte Carmelo, Septem Dolorum, et Immaculatae Conceptionis eiusdem Virginis Deiparae, atque etiam scapulare Mariae Salutiferae, cum communicatione privilegiorum et indulgentiarum, quibus adscripti memoratis Sodalitatibus fruuntur et gaudent, dummodo vero scapularia confecta sint ad normam a Sancta Sede probatam, et iis tantum in locis, ubi non extent domus Ordinum Religiosorum, ad quos ex speciali concessione Sedis Apostolicae pertinet dicta scapularia benedicere et imponere.

III. Ut Christifidelibus, in mortis instantis discrimine versantibus, si vere poenitentes et confessi et S. Communione refecti, aut si id facere nequiverint saltem contriti nomen Iesu ore si potuerint, sin minus corde devote invocaverint, et mortem tamquam peccati stipendium de manu Domini patienti animo susceperint, Benedictionem Apostolicam Nostro et Romani Pontificis pro tempore existentis nomine et auctoritate, cum plenaria omnium peccatorum suorum indulgentia et remissione impertire possint, servatis tamen ritu et formula a f. r. Benedicto PP. XIV decessore Nostro praescriptis.

Haec ad incrementum saluberrimi Instituti valere posse confidimus, quod ipsum de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, praesentium tenore, statuimus et declaramus esse in suo genere primarium. Propterea Dilectis Filiis Nostris S. E. R. Cardinalibus, qui Consilium seu Commissionem Operis constituunt, potestatem iam ipsis a Nobis adtributam confirmamus similia ex toto orbe instituta eidem primario Operi, cum communicatione omnium Indulgentiarum et privilegiorum, quae sint communicabilia, aggregandi; servatis tamen forma Constitutionis Clementis PP. VIII Praedecessoris Nostri f. r. aliisque Apostolicis Ordinationibus desuper editis. Non obstantibus constitutione Apostolica de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque contrariis quibuscumque. Praesentibus valituris in perpetuum. Volumus autem, ut harum litterarum transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. XI, p. 417.

prorsus fides habeatur quae Nostrae voluntatis significationi praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub anulo Piscatoris die 1 Novembris, festo Sanctorum Omnium anno MDCCCCV Pontificatus Nostri tertio.

A. Card. MACCHI.

EX ACTIS CONSISTORIALIBUS

Romae die 11 Decembris 1905.

Consistorium Secretum.

La Santità di Nostro Signore Pio Papa X questa mattina nel Palazzo Apostolico Vaticano ha tenuto il Concistoro Segreto; nel quale, premessa un'Allocuzione, si è degnata di creare e pubblicare Cardinali di Santa Romana Chiesa:

Creantur quatuor Cardinales.

DELL'ORDINE DEI PRETI:

MONSIGNOR GIUSEPPE SAMASSA, Arcivescovo di Agria o Eger, nato in Aranyos Marot, arcidiocesi di Strigonia, 30 settembre 1828.

MONSIGNOR MARCELLO SPINOLA Y MAESTRE, Arcivescovo di Siviglia, nato in San Fernando, diocesi di Cadice, 14 gennaio 1835.

MONSIGNOR GIOACCHINO ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI, Arcivescovo di Rio Janeiro, nato in Pernambuco, diocesi di Olinda, 17 gennaio 1850.

DELL'ORDINE DEI DIACONI:

MONSIGNOR OTTAVIO CAGIANO DE AZEVEDO, Suo Maggiordomo, nato in Frosinone.

Provisiones Ecclesiarum.

Quindi il Santo Padre ha provveduto le seguenti Chiese:

Chiesa titolare Arcivescovile di Petra, per Mons. Bernardino Nozaleda y Villa, dei Predicatori, Arcivescovo dimissionario di Valenza.

Chiesa titolare Arcivescovile di Claudiopoli, per Mons. Giuseppe Fiorenza, Arcivescovo già di Siracusa.

Chiesa titolare Arcivescovile di Nicosia, per Mons. Cesare Boccanera, Vescovo già di Narni.

Chiesa titolare Arcivescovile di Scitopoli, per Mons. Antonio Maria Bonito, promosso dalla Sede Cattedrale di Cassano.

Chiesa Metropolitana di Colocza e Bacs, per Mons. Giulio Városy, promosso dalla Sede Cattedrale di Alba Reale.

Chiesa Metropolitana di Siracusa, pel R. D. Luigi Bignami, di Milano, licenziato in sacra teologia, in patria Prevosto Parroco della Basilica di S. Lorenzo, Esaminatore Sinodale, Segretario del Collegio dei Parroci urbani e di varie Commissioni arcivescovili, e Cancelliere delle Congregazioni urbane del clero.

Chiesa titolare Vescovile di Cesarea di Filippo, per Mons. Giuseppe Morticelli, Vescovo già di Penne ed Atri.

Chiesa titolare Vescovile di Sidima, per Mons. Giovanni Ivánkovits, già Vescovo di Rosnavia.

Chiesa titolare Vescovile di Tripoli, per Mons. Francesco Bacchini, Vescovo già di Terni.

Chiesa Cattedrale di Norcia, per Mons. Ercolano Marini, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Archelaide.

Chiesa Cattedrale di Narni, cui è unita l'Amministrazione della diocesi di Terni, pel R. D. Francesco Moretti, diocesano di Arezzo, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, Arciprete Parroco di Galatrona e Vicario Generale di Arezzo.

Chiesa Cattedrale di Rosnavia, per Mons. Lodovico Balàs, diocesano di Vacia, Prelato Domestico di Sua Santità, in Vacia Canonico della Cattedrale, Esaminatore prosinodale e Direttore della Cancelleria vescovile.

Chiesa Cattedrale di Cinquechiese, per Mons. Giulio Zichy, diocesano di Alba Reale, dottore in diritto canonico, Abate titolare di S. Martino di Bulch, Cameriere segreto partecipante di Sua Santità.

Chiesa Cattedrale di Szatmar, pel R. D. Adalberto Mayer, arcidiocesano di Colocza, dottore in sacra teologia, in Colocza Canonico della Metropolitana, Esaminatore prosinodale, Preside del Concistoro e Vicario Capitolare.

Chiesa Cattedrale di Alba Reale, pel R. D. Ottocaro Prohászka, arcidiocesano di Strigonia, dottore in filosofia e in sacra teologia, Professore di sacra teologia nella Università di Budapest.

Chiesa Cattedrale di Eichstätt, pel R. P. Leone Mergel, benedettino, diocesano di Eichstätt, dottore in diritto canonico, Abate di Metten.

Ha poi Sua Santità pubblicata la provvista, già fatta per Breve, delle seguenti Chiese:

Chiesa titolare Arcivescovile di Pessinonte, per Mons. Isacco Hagian, traslato dalla Sede Arcivescovile armena di Sebaste e Tokat.

Chiesa Metropolitana di Santa Severina, per Mons Carmelo Pujia, promosso dalla Sede Cattedrale di Anglona e Tursi.

Chiesa Metropolitana di Bukarest, pel R. P. Albino Netzhammer, benedettino, arcidiocesano di Friburgo, già Rettore del Collegio greco in Roma.

Chiesa Cattedrale di Ballarat, per Mons. Giuseppe Higgins, traslato dalla Sede Cattedrale di Rockhampton.

Chiesa Cattedrale di Oklahoma, recentemente eretta da Sua Santità, per Mons. Teofilo Meerschaert, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Sidima.

Chiesa titolare Vescovile di Cesarea di Mauritania, per Mons. Tommaso Francesco Brennan, già Vescovo di Dallas.

Chiesa Cattedrale di Como, per Mons. Alfonso Archi, traslato dalla Sede Cattedrale di Comacchio.

Chiesa titolare Vescovile di Cisamo, per Mons. Giovanni Muradian, traslato dalla Sede Vescovile armena di Marasc.

Chiesa Cattedrale di Piacenza, per Mons. Giovanni Maria Pellizzari, diocesano di Treviso, laureato in scienze naturali e matematica, Protonotario Apostolico, in Treviso Rettore ed Amministratore del Seminario, Canonico Primicerio e Fabbriciere della Basilica Cattedrale.

Chiese Cattedrali unite di Tine e Micone, pel R. D. Gio-

vanni Privilegio, diocesano di Sira, già alunno del Pontificio Collegio Urbano di Propaganda, Parroco di Lauriun.

Chiesa Cattedrale di Spira, pel R. D. Corrado Busch, della stessa diocesi, Canonico Decano della Cattedrale di Spira.

Chiesa Cattedrale di Sappa, per Mons. Giacomo Sereggi, Cameriere d'onore di Sua Santità, Parroco di Scutari di Albania.

Chiesa Cattedrale di Tunja, pel R. D. Edoardo Maldonado Calvo, di Bogota, licenziato in filosofia e dottore in sacra teologia, in Bogota, professore di sacra scrittura nel Seminario, Esaminatore prosinodale e Canonico, Parroco della Metropolitana.

Chiesa Cattedrale di Rockhampton, pel R. D. Giacomo Dubig, già alunno del Collegio Irlandese in Roma, Missionario.

Chiesa Cattedrale di Superior, recentemente eretta da Sua Santità negli Stati Uniti d'America, pel R. D. Agostino Schinner, Vicario Generale di Milwauckee.

Chiesa Cattedrale di Lahore, pel R. P. Antonio Esterbans, dei Minori Cappuccini, Arcidiocesano di Malines, Missionario nelle Indie.

Chiesa titolare Vescovile di Argo, pel R. D. Andrea Caron, diocesano di Vicenza, Vicario Foraneo e Arciprete-Parroco di Bologna Veneta, deputato Coadiutore con successione di Mons. Sigismondo Brandolini-Rota, Vescovo di Ceneda.

Chiesa titolare Vescovile di Oleno, pel R. D. Giuseppe Roberto Cowgill, diocesano di Leeds, ivi Vicario Generale, deputato Coadiutore con successione di Mons. Guglielmo Gordon, Vescovo di Leeds.

Chiesa titolare Vescovile di Calinda, pel R. D. Agostino Francesco Baslé, del Seminario delle Missioni estere di Parigi, deputato Coadiutore con successione di Mons. Eugenio Kleiner, Vescovo di Mysore.

Chiesa titolare Vescovile di Ippo, pel R. D. Angelo Cattaneo, del Seminario delle Missioni estere di Milano, diocesano di Bergamo, deputato Vicario Apostolico dell'Honan meridionale.

Chiesa titolare Vescovile di Tavia, pel R. D. Domenico Pozzoni, del Seminario delle Missioni estere di Milano, deputato Vicario Apostolico di Hong-Kong.

Chiesa titolare Vescovile di Sicca Veneria, pel R. P. Gustavo Maria Blanche, degli Eudisti, diocesano di Vannes, deputato Vicario Apostolico del Golfo di S. Lorenzo nel Canadà.

Chiesa titolare Vescovile di Lampa, pel R. P. Atanasio Goette, dei Minori, diocesano di Paderborn, deputato Vicario Apostolico dello Scen-si settentrionale.

Chiesa titolare Vescovile di Cariopoli, pel R. P. Claudio Chanrion, della Società di Maria, arcidiocesano di Lyon, deputato Vicario Apostolico della Nuova Caledonia.

Chiesa titolare Vescovile di Casio, pel R. P. Atanasio Harmel, della Congregazione dei Sacri Cuori, arcidiocesano di Rouen, deputato Coadiutore con successione di Mons. Giuseppe Verdier, Vicario Apostolico di Tahiti.

Chiesa titolare Vescovile di Gerico, pel R. P. Sebastiano Pifferi, dei Minori, Commissario Generale nelle Missioni e Collegi del suo Ordine in Bolivia, deputato Ausiliare di Mons. Michele dei Santi Taborga, Arcivescovo di Sucre.

Chiesa titolare Vescovile di Fluviade, pel R. D. Giovanni Trepuau, diocesano di Culma, Commissario Vescovile del distretto di Pelplin e Canonico Decano della Cattedrale di Culma, deputato Ausiliare di Mons. Agostino Rosentreter, Vescovo di Culma.

Chiesa titolare Vescovile di Selinonte, per R. D. Riccardo Collina, Canonico della Cattedrale di Ushaw, deputato Ausiliare di Mons. Tommaso Wilkinson, Vescovo di Hexham e Newcastle.

Chiesa titolare Vescovile di Caristo, per Mons. Giovanni Graziani, diocesano di Todi, Prelato Domestico di Sua Santità, dottore in ambe le leggi, in Todi Canonico Priore della Cattedrale e Vicario Generale.

Abbazia della B. V. M. di Einsiedeln, pel R. P. Tommaso d'Aquino Bossart, della Congregazione benedettina di Svizzera, diocesano di Basilea, dottore in sacra teologia, Decano del Monastero di Einsiedeln.

Allocutio SS.mi.

Ecco l'allocuzione pronunziata dalla Santità di Nostro Signore nel Concistoro segreto di questa mattina:

Venerabiles Fratres,

Amplissimum Collegium vestrum iterum hac die spectare coram, equidem Nobis accidit iucundissime. Vellemus autem, ad hanc iucunditatem augendam, ea posse de Christi Ecclesia, cui praesumus, vobiscum communicanda proferre, quae laetitiam parerent, optatoque animos solatio perfunderent. Quid enim Nobis, quid vobis desideratius, quam sedere Ecclesiam in pulchritudine pacis; filios eius, fortes in fide et charitate ferventes, sicut novellas olivarum esse in curcuitu mensae illius; reges et principes ambulare in splendore ortus eius; et adorare vestigia pedum eius, omnes qui detrahebant ei, et vocare illam Civitatem Domini et Sion sancti Israel?

Sed heu! scitis nimium, Venerabiles Fratres, atque intimo doletis corde, non hisce Nos conditionibus uti, eaque contra esse tempora, quae peiora in dies portendant, meliora praecipere vix sinant.

Utique, quod Dei miserentis est opus, annuntiatur fides in universo mundo; atque ibi laetiores occurrunt segetes, ubi, humano quidem iudicio, minus surrectura semina sperarentur. Regiones loquimur, ubi a catholica doctrina dissidetur, easque in primis quae vanis adhuc superstitionibus gentium detinentur. Crescit enim illic verbum Dei et augetur numerus discipulorum, loquente Deo pacem in plebem suam.

Verum, quod angore maximo commemoramus, si oculos animosque alio convertimus, ad nationes nimirum quae catholico censentur nomine; quanta ubique trepidationum causa, quanta moeroris? Metuimus plane ne plerisque impleatur quod scriptum est: Auferetur a vobis regnum, et dabitur genti facienti fructus eius!

Qua de re, ea plane gens vehementissime his diebus sollicitos anxiosque Nos habet, quae gloriosa huc usque primigenae Ecclesiae filiae appellatione nuncupata est. Attamen de legibus, contra omnes iustitiae regulas adversus Ecclesiam ibidem nunc latis, mens est, opportuniore tempore, consideratius et gravius, pro apostolico munere vos alloqui.

Ne tamen animos haec inter despondeamus, illud sane prohibet, Venerabiles Fratres, quod Christus in Evangelio

saepe nos commonet; eam scilicet in hisce terris Ecclesiae sortem perpetuo fore, quam Ipse sibi, pro hominum reparatione, sponte susceperat. Persecuti sunt me, persequentur et vos. Eritis odio omnibus propter nomen meum. — Nolite mirari si vos odit mundus, quia me priorem vobis odio habuit. Quae cum vera esse non dubitemus, gloriemur in tribulatione nostra; quamdiu enim persecutionibus tentamur, responsum in nobis habemus requiescere super nos qui est spiritus Christi. Concutitur Ecclesia; sed fides in tentationibus roboratur; et qui probati sunt, manifesti fiunt in nobis, et auferuntur zizania de medio tritici. Caveamus igitur ne Christi unquam reprehensione mulctemur, quam Petrus, adhuc infirmus mediisque in fluctibus metuens, audivit: Modicae fidei, quare dubitasti? — Interea, officii memores, perseveremus unanimiter in oratione, omnigenaeque pietatis operibus conciliare nobis Dei clementiam studeamus; qui, cum sanabiles fecerit nationes, tranquillitatem et pacem, statuto providentiae tempore, benignus impertiet.

Iam Ordinem vestrum, quia nonnulli concessere naturae, supplere hodie decretum est. Quo in officio praestando, volumus etiam benevolentiae Nostrae testimonium Americae Latinae universae exhibere, honorem romanae purpurae in eius fines primum inferendo. Quare placuit egregios viros designare quatuor, quos Collegio vestro accenseamus. Vario hi quidem in genere elaborarunt; sed omnes Ecclesiae et apostolicae Sedi egregie se probaverunt.

Sunt autem:

IOSEPH SAMASSA, Archiepiscopus Agriensis.

MARCELLUS SPINOLA Y MAESTRE, Archiepiscopus Hispalensis.

IOACHIM ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI, Archiepiscopus Sancti Sebastiani Fluminis Ianuarii.

OCTAVIUS CAGIANO DE AZEVEDO, Pontificiae Domus Nostrae Praepositus.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum apostolorum Petri et Pauli et Nostra, creamus et publicamus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum:

IOSEPH SAMASSA.

MARCELLUM SPINOLA Y MAESTRE.

IOACHIM ARCOVERDE DE ALBUQUERQUE CAVALCANTI.

Ex Ordine Diaconorum:

OCTAVIUM CAGIANO DE AZEVEDO.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris ✠ et Filii ✠ et Spiritus ✠ Sancti. Amen.

Romae, die 14 Decembris 1905.

Consistorium Publicum.

La Santità di Nostro Signore Papa Pio X ha tenuto questa mattina pubblico Concistoro nel Palazzo Apostolico Vaticano per dare il Cappello Cardinalizio agli Emi e Rmi Signori Cardinali Arcoverde e Cagiano, creati e pubblicati nel Concistoro Segreto del prossimo passato lunedì.

Consistorium Secretum.

Terminato il Concistoro pubblico, ha avuto luogo, nell'Aula solita, il Concistoro Segreto, in cui il Santo Padre, dopo chiusa la bocca, giusta il costume, agli Emi e Rmi Signori Cardinali novelli, ha proposto le seguenti Chiese:

Chiesa Metropolitana di Medellin, per Mons. Emanuele Giuseppe Cayzedo y Cuero, traslato dalla Sede Arcivescovile di Popayan.

Chiesa Metropolitana di Valenza, per Mons. Vittoriano Guisasola y Menendez, promosso dalla Sede Cattedrale di Madrid ed Alcalà de Henares.

Chiesa Metropolitana di Quito, per Mons. Federico Gonzales y Suarez, promosso dalla Sede Cattedrale di Ibarra.

Chiesa Cattedrale di Lerida, per Mons. Giovanni Antonio Ruano y Martin, traslato dalla Chiesa titolare Vescovile di Claudiopoli.

Chiesa titolare Vescovile di Betsaida, per Mons. Antonio Sisto Albano, traslato dalla Chiesa Cattedrale di S. Lodovico del Maragnano.

Chiesa Cattedrale di Madrid ed Alcalà de Henares, per Mons. Giuseppe Maria Salvador y Barrera, traslato dalla Sede Cattedrale di Tarazona.

Chiesa Cattedrale di Mondonedo, per Mons. Giovanni Giuseppe Solés y Fernandez, Protonotario Apostolico *ad instar participantium,* in S. Giacomo di Compostella Canonico della Metropolitana, Provisore e Vicario Generale dell'Arcidiocesi.

Chiesa Cattedrale di Tarazona, pel R. D. Giacomo Ozcoidi y Udave, Canonico Penitenziere della Cattedrale di Vitoria.

Chiesa Cattedrale di Teruel, pel R. D. Giovanni Antonio de la Fuente, arcidiocesano di Burgos, dottore in sacra teologia e in diritto canonico, in Burgos, Parroco di S. Lorenzo e professore di sacra teologia nel Seminario.

Chiesa Cattedrale di Nuova Caceres, per Mons. Giorgio Barlin, Protonotario Apostolico *ad instar participantium*, Amministratore Apostolico della stessa Diocesi.

Chiesa Cattedrale di Piauhy, per Mons. Gioacchino Antonio d'Almeida, diocesano di Parahyba, Cameriere segreto soprannumerario di Sua Santità, in Parahyba, Vicario Generale e professore di teologia morale nel Seminario.

In seguito, Sua Santità ha aperto, secondo il consueto, la bocca ai novelli Porporati; e si è fatta a Sua Beatitudine la postulazione del Sacro Pallio per le Chiese Metropolitane di *Santa Severina, Siracusa, Colocza e Bacs, Medellin, Valenza, Quito* e *Bukarest,* non che di *Colombo* e *Sassari* (per successione), e per la Cattedrale di *Cinque Chiese* che gode di questo privilegio.

Finalmente il Santo Padre ha posto l'anello cardinalizio ai prefati Cardinali, e ha assegnato all'Emo Arcoverde il titolo Presbiterale dei *SS. Bonifacio ed Alessio,* e la diaconia dei *SS. Cosma e Damiano,* all'Emo Cagiano.

Ritiratasi Sua Santità nei suoi appartamenti, ha ricevuto privatamente gli stessi Emi Porporati.

E SACRA CONGREGATIONE CONCILII

Die 16 Decembris 1905, in Palatio Apostolico Vaticano, fuit Sacra Congregatio Concilii, in qua, praeter alia, proposita sunt infrascripta dubia, iuxta morem eiusdem Sacrae Congregationis resolvenda:

A. — Per Summaria precum.

I. Bergomen. — Circa pia relicta fiduciaria. — R... (Reservata).

II. Romana. — De Communione Eucharistica quotidiana. — R... (Reservata).

B. — In folio.

I. Carthaginen. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.*

II. Mediolanen. — Matrimonii. — R. *Ad 1.um providebitur in 2°. Ad 2.um Affirmative ad cautelam, vetito viro transitu ad alias nuptias, inconsulta S. Congregatione.* (Sub-secreto).

III. Mexicana. — Nullitatis matrimonii. — R. *Attentis omnibus, constare de nullitate matrimonii, facto verbo cum SSmo super sanatione actorum.*

IV. Romana. — Nullitatis matrimonii. — R. *Sententiam esse confirmandam.* (Sub-secreto).

V. Derthonen. — Dismembrationis bonorum parochialium. — R. *Ad mentem.*

VI. Melevitana. — Pensionis. — R. *Decretum esse confirmandum.*

VII. Salisburgen. — Alienationis et iurisdictionis. — R. *Ad 1.um Negative. Ad 2.um Negative. Ad 3.um Affirmative. Ad 4.um Affirmative iuxta votum Emi Archiepiscopi, praevio examine idoneitatis ad tramitem iuris in collatione beneficiorum et firma conditione, ut tres canonici curati habeantur ut coadiutores parochi eique subsint.*

B. — In folio.

2713
5

Mexicana — Nullitatis matrimonii.

Decernitur constare de matrimonii invaliditate propter impedimentum dirimens affinitatis ex copula illicita proveniens.

Die 24 Novembris an. 1899, in Ecclesia vulgo dicta « *de la Soledad* » Mexicanae dioecesis, Salvator et Anna matrimonium inierunt.

Verum antequam per verba de praesenti illud in dicta Ecclesia celebraretur, ferunt Salvatorem cum germana Annae sorore, Angela appellata, aufugisse, cum eaque Angelopolis « *Puebla de los Angeles* » per unum fere mensem in diversorio perfecta copula mansisse. Postea cum Mexicum rediissent, Salvator facti poenitens, sororem sponsae suae Annae parentibus restituere curavit, obtentaque tum Annae tum ipsius parentum venia, matrimonium in facie Ecclesiae contraxerunt, quin, uti ferunt, propter ignorantiam verbum fecerint parocho de affinitatis impedimento ex copula illicita quo detinebantur.

Quin imo nondum prima hebdomada ab initis nuptiis transacta, idem vir cum dicta Angela iterum aufugit, cum eaque adhuc maritaliter vivit, qua ex coniunctione quatuor etiam filii nati fuisse videntur.

Quapropter eadem Anna a Salvatore derelicta, adulterinos et ipsa cum alio viro amores fovere coepit, ex eoque prolem suscepit. Vir autem, utpote militiae addictus, ut poenas quae transfugis debentur vitaret, ementito nomine per integrum annum latuit.

Mulier interrogata an et a quo tempore eiusmodi affinitatis impedimentum resciverit, respondit: « Non cognovisse affinitatem esse impedimentum matrimonii, nisi postquam illud contraxit cum Salvatore et post eius fugam cum Angela ». Insuper respondit: « Quod ei constat Salvatorem, et Angelam copulam perfecisse, quia ipse et quidem ante celebrationem matrimonii, hoc eidem aperuit ». Imo ab eo scivisse addit primam vicem qua copulati sunt fuisse die 27 Octobris an. 1899.

Vir insuper quamvis prius, scilicet die 4 Iunii an. 1902, Archiepiscopo Mexicano scripto declarasset se ante matrimonium cum Anna, nunquam Angelam carnaliter cognovisse, postea tamen in sua depositione eadem retractavit dicta, addens illud fecisse « ut impediret exitum iudicii ecclesiastici, ex quo timebat ne forte ab Angela separaretur ». Sane interrogatus in iudicio an cum ea copulam perfecerit, affirmative respondit.

Ex relatione per Apostolicam Mexicanam Delegationem habita constat eiusmodi causam quinque abhinc annis coram Curia Mexicana fuisse institutam ab eaque sententiam prodiisse « non constare de nullitate matrimonii ». Cum autem ad Curiam *de Puebla* appellatum fuisset, haec eamdem sententiam confirmasse videtur, iubens insimul ut novus fieret processus.

Re insuper a partibus ad dictam Delegationem delata ac processu tandem expleto, Archiepiscopus Mexicanus per eamdem ipsius causae acta ad S. Sedem transmittere curavit.

Si haec prouti prostant perpendantur, nimia processualium legum parsimonia confecta apparent. Ex iis siquidem non constat tribunal prout canonicae leges requirunt fuisse constitutum, num etiam actrix eiusque soror et mater sub iuramento excussi fuerint: pariterque non constat utrum quatuor testibus iuramentum delatum fuerit, cum tantum dicatur ipsos ab actrice rogatos suas emisisse attestationes. Ambae autem sententiae, tum scilicet Curiae Mexicanae tum Curiae « *de Puebla* » de eiusdem matrimonii nullitate in actis desiderantur.

Modo referre praestat quae hac super re dicta Apostolica Delegatio die 15 Maii huius anni retulit:

« Credo peraltro opportuno fornire all'Eminenza Vostra « Rev.ma alcuni particolari, che spiegano come il sullodato « Arcivescovo (del Messico) si sia indotto a ricorrere di- « rettamente alla Santa Sede.

« La causa si trascina da ben cinque anni. Prima che la « Curia di Messico istruisse il processo, passarono due anni « e si ebbe poi la sentenza: *non constare de nullitate ma- « trimonii.*

« Fu interposto appello al Tribunale di seconda istanza « in Puebla, e quei giudici, dopo lungo tempo, pronunzia- « rono una sentenza veramente originale: confermarono la « risoluzione della Curia di Messico, cioè, *non constare de « nullitate matrimonii*, e nello stesso tempo ordinarono che « si facesse di nuovo il processo, perchè incompleto.

« Questa sentenza, comunicata alla Curia di Messico, vi « rimase completamente dimenticata per quasi un anno, e « gli interessati ne vennero a conoscenza soltanto quando

« questa Delegazione intervenne nella questione in seguito « al ricorso presentatole dalle parti. Fu allora completato « il processo, e, per evitare ulteriori dilazioni e sollecitare « una sentenza definitiva, Mons. Arcivescovo decise di sot- « toporre la causa al giudizio di cotesta Suprema.

« Devo però far notare che il piego accluso è piuttosto « una copia e non completa del processo; vi mancano molte « formalità, esistenti peraltro nell'originale, che, per essere « in pessimo stato ed appena leggibile, Mons. Alarcon non « ha creduto conveniente consegnarmi.

« Posso però certificare che gli interrogatori sono stati « trascritti fedelmente, e che nella compilazione del pro- « cesso furono osservate tutte le prescrizioni canoniche ».

Quapropter his perlectis, una cum consultoris voto ac animadversionibus Defensoris vinculi ex officio, rogantur EE. PP. ut sequens dirimere velint

DUBIUM

An sententia Curiae Angelopolitanae sit confirmanda vel infirmanda in casu.

Responsum fuit: *Attentis omnibus, constare de nullitate matrimonii, facto verbo cum SSmo super sanatione actorum.*

3397/4 II.

Melevitana. — Pensionis.

Decernitur pensionem esse persolvendam, tum quia diminutio superveniens cedit tantum damno titularis, non vero pensionati; tum quia haec pensio constituta est tamquam pars congruae pro nova parochia.

Bulla Apostolica diei 24 Augusti 1876 paroecia pagi vulgo *La Musta* onerata fuit perpetua pensione libellarum italicarum 125 *pro loco pio nominando.* Anno 1886 eadem pensio alia Apostolica Bulla assignata fuit favore Vicendarii seu Rectoris pro tempore Ecclesiae vici nuncupati *Migiarro.* Notandum quod licet hic pagus esset sub spirituali iurisdictione Archipresbyteri Cathedralis, intra cuius paroeciae fines reperiebatur, tamen attenta distantia incolarum ab Ecclesia Cathedrali, hi quoad sacramenta de facto pendebant a parocho loci *La Musta,* cui proinde cedebant primitiae et alia emolumenta, reservata Archipresbytero Ecclesiae Cathedralis tantum benedictione domorum tempore Paschatis.

Haec paroecia *La Musta* mense Novembris an. 1894 per obitum Pauli Xuereb suo viduata mansit pastore, eamdemque, mense Augusto 1895, per Apostolicas Datariae litteras consecutus est actualis parochus Ioannes Sarreo, qui usque ad an. 1898 dictam pensionem Vicendario seu Rectori Ecclesiae loci Migiarro adamussim persolvit. Mense Octobris huius anni, per decretum Episcopale pagus Migiarro una cum quinque finitimis vicis pariter existentibus in territorio paroeciae Cathedralis dismembratus fuit ab huius parochi iurisdictione, et in Ecclesia loci Migiarro Assumptioni B. M. V. dicata nova constituta fuit paroecia, deputato uti Vicario Curato pro sacramentorum administratione quoad usque de novo esset provisa parocho, sacerdote Vicendario Hieronymo Chetcuti.

Pro dotatione novae paroeciae praeter primitias et alia emolumenta tribuenda ab incolis dictarum regionum, assignatae sunt duae pensiones quarum, una in libellis anglicis 15 super redditibus Ecclesiae Cathedralis, et altera in libell. italicis 125, quam parochus Archipresbyter loci Musta rependere adstrictus erat vi Bullae Apostolicae usque ab anno 1886 favore vicendarii seu rectoris dictae Ecclesiae.

Nova constituta paroecia in Ecclesia Migiarro parochus Sarreo ratus est se esse exoneratum a persolutione praefatae pensionis, tum quia redditus suae paroeciae per factam dismembrationem erant valde imminuti, tum quia, ut ipse aiebat, sibi data fuerat fides ab Episcopo, hanc pensionem cessare per secutam paroeciae erectionem; quare Vicario Curato eius solutionem non semel expostulanti, semper refragatus est.

In irritum itaque cessit omnibus conatibus ut parochus Sarreo suae satisfaceret obligationi, Vicarius Chetcuti, per recursum sub die 15 Ianuarii 1901 rem detulit Episcopo, qui prius in scripto auditis partibus suo Vicario Generali Mercieca et assessori De Bono commisit, ut super proposita quaestione referrent, qui, re mature perpensa statuerunt:

... « In vista di queste considerazioni, osiamo raccoman- « dare che l'Ecc. V. Rev.ma ordini all'Arciprete della Musta « la continuazione del pagamento della pensione in parola ».

Hac habita relatione et voto Episcopus, sub die 24 Ian. 1902, hanc provisionem seu decretum edidit: « *Fiat iuxta relata* ».

Ab hoc decreto Archipresbyter Sarreo appellationem interposuit ad Apostolicam Datariam, quae super oblato recursu, Episcopum interrogavit.

Hisce acceptis litteris Apostolica Dataria acta causae transmisit ad H. S. C. pro solutione dictae controversiae, quae nunc discutienda proponitur, nonnullis hinc inde de more prius animadversis.

Praemitto quod pensiones in sensu canonico sunt de sua natura precariae, quia hae semper conferri solent vel ad vitam gravati vel ad vitam pensionarii. Quod si pensiones impositae sint perpetuae, hae improprie pensiones nuncupantur ut tradit *Fagn. cap. Ad audientiam de Rescriptis, n. 42 ad 45.*

Atqui pensio 125 lib. italicarum quae gravat Paroeciam loci *La Musta* favore Ecclesiae loci *Migiarro* est perpetua, uti apparet ex tenore Bullae impositionis superius relatae: proindeque ipsa spectari nequit uti temporaria, seu uti retributio personalis concessa in favore vicendarii, uti vellet Archipresbyter loci *La Musta* pro servitio praestito in Ecclesia quondam filiali praesertim diebus festivis, et consequenter etiam post huius Ecclesiae erectionem in Paroecialem perdurare dicenda est.

Hoc autem in themate eo fortius firmandum est, quia dicta pensio constituta est tamquam pars dotationis seu congruae pro novo Parocho, uti liquido constat ex supra relato decreto constitutionis Ecclesiae pagi *Migiarro* in Paroeciam.

Hinc dictam pensionem vel delere vel etiam imminuere, constitueret beneficii paroecialis diminutionem, quod est contra canonicam receptam regulam ut ecclesiastica beneficia sine diminutione conferantur.

Insuper Vicarius Curatus advertit quod ex 146 familiis intra territorium suae paroeciae existentibus ipse tantum primitias et alia emolumenta ex 63 percipit, cum aliae domicilium habeant in Paroecia *La Musta* cuius proinde Parocho primitias ex iure stolae rependunt. Attamen hae familiae cum per magnam anni partem intra fines paroeciae loci *Migiarro* resideant, ab huius Parocho sacramenta recipiunt. Aequum proinde ut dicta pensio saltem perduret et habeatur uti retributio praestiti laboris.

Quin ex adverso oggeratur quod per erectionem novae Paroeciae in pago *Migiarro* redditus beneficii paroecialis *La Musta* sit imminutus, ideoque pensio in compensationem

huius damni sit extinguenda. Nam reponi potest, quod diminutio superveniens cedit tantum damno titularis non vero pensionarii, dummodo intacta maneat congrua quae pro parochis est in ducatis 100 iuxta *cap. 13, sess. 24*, Conc. Trid. *de Refor.* seu scutatis 100 ex libell. 5,37 uti declaravit S. Congr. EE. et RR., die 30 Maii 1873, in responso ad quartum dubium.

Demum Parocho Archipresbytero Sarreo asserenti quod Vicarius Curatus novae Paroeciae magna lucra ex primitiis et aliis incertis consequatur, hic sequentia opponit et subiicit...

Ex altera parte favore Archipresbyteri Sarreo sequentia expendi possunt. Quidquid sit de natura pensionis suum beneficium parochiale gravantis, illud extra dubitationis aleam est, quod idem Parochus per elevationem Ecclesiae filialis pagi *Migiarro* in Paroeciam, grave damnum persensit in primitiarum amissione et aliorum incertorum, quae prius lucrabatur ex incolis illius pagi. Hinc aequitas postulat ut huic damno succurratur vel tollendo vel sive minus reducendo impositam pensionem; eo vel magis quia dum pensionis gravamen est res odiosa, e contra eius extinctio vel imminutio est res favorabilis, ut tradit *Gigas de pension. q. 99* et *Card. De Luca disp. 49, n. 7, l. c.* Neque omittendum, quod Archipresbyter Sarreo aliis est oneratus pensionibus nempe libell. 208,35 favore duorum inservientium Sacrario suae Ecclesiae, et libell. 166,65 favore Sacristae Maioris eiusdem Ecclesiae, uti patet ex Bulla collationis Paroeciae *La Musta*.

Insuper, eatenus Archipresbyter consensum praestitit erectioni novae Paroeciae, quatenus ab Episcopo data fides est, quod secuta huiusmodi erectione ipse relevatus mansisset a dicto onere. Hanc factam promissionem dum Parochus invocat, ait confirmari posse testimonio 2 sacerdotum Michaëlis Said et Francisci Galea; nec Episcopus eam impugnat, quin imo implicite videtur eam recipere, dum refert sese institisse apud Vicarium Curatum, ne nimis urgeret dictae pensionis solutionem.

Item Episcopus refert se curasse ut Parochus Sarreo meliorem consequeretur positionem, quamvis id non fuerit obtentum. Quae circumstantiae profecto portendunt aliquam obligationem fuisse in Episcopo, vel curandi exonerationem pensionis in Parocho vel hunc providendi de pinguiori beneficio.

Neque negotium facessere videtur quod dicta pensio constituta sit tamquam pars dotationis pro novo Parocho. Nam haec pensionis addictio facta est modo precario, seu *donec aliter provideatur*, uti edicitur in ipso decreto erectionis novae Paroeciae. Hinc nihil impedit, quominus extincta vel imminuta pensione, alia via succurri possit substentationi Vicarii Curati.

Demum Archipresbyter Sarreo ita sua iura protuetur apud Episcopalem Curiam...

Haec sunt potiora quae partes in sui favorem deducunt. Modo vestrum est sequens diluere

DUBIUM.

An decretum Episcopi Melevitani, diei 24 Ianuarii 1902, sit confirmandum, vel infirmandum in casu.

Responsum fuit: *Decretum esse confirmandum.*

VRATISLAVIEN. ET ALIARUM.

De Parocho proprio quoad matrimonium.

(Sequitur et explicit vide p. 451).

§ 2. — *De planiori interpretatione clandestinitatis.*

59. Alia denique modificatio proponi potest, tenui meo sensu multo melior quia Tridentinorum Patrum intentis, ut puto, conformior, quaeque proinde recte vocaretur modificatio *ad mentem et ad litteram* Tridentinae Synodi:

a) Clandestina connubia, quamquam ante Tridentinum valida, « Sancta Dei Ecclesia semper detestata est » ac semper detestabitur. Sacrosancta Synodus legem publicationis matrimoniorum, iamdiu de facto vigentem et a Conc. Lateranensi IV universae christianitati praeceptive extensam, clarius determinavit, modumque publicationum stabilivit. Insuper sancta Synodus nupturientes « qui aliter quam praesente Parocho et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, ad contrahendum omnino inhabiles reddit et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit ».

In ultimis hisce verbis tota sistit, ut patet, innovatio Tridentina; totum pariter robur decreti contra clandestinitatem. Age vero: textus ibi loquitur de Parocho, non autem de Parocho *proprio*. Parochus proprius equidem nominatur expresse paulo superius, id est in priori parte Decreti, quoad proclamationes faciendas a proprio Parocho; sed in parte posteriori supratranscripta, qua (et qua sola) fulminatur inhabilitas ad contrahendum, ponitur iterum vox *parochus* et praetermittitur vox *proprius*, quae vox paulatim a Canonistis praxique iudiciali superaddita fuit, ut supra notatum est.

Sane perfacile fuit et pronum ut Parochus secundae partis Decreti ille ipse subaudiretur qui dicitur, in prima parte, Parochus proprius: nihilo tamen minus, cuique rem funditus persolventi, sensum facessit quod Parochus proprius expresse nominetur ubi simpliciter commemoratur lex proclamationum iamdudum vigens et matrimoniorum validitatem nullatenus attingens; dum econtra solummodo *parochus* sine addito, sine qualificativo *proprius*, nominatur ubi lex edicitur absolute nova, terque quaterque solemnibus Sessionibus (praeter multiplicissimas congregationes particulares) discussa, gravissimumque contra validitatem inducens impedimentum nunquam antea in Ecclesia Dei auditum.

b) Non satis. In prima parte Decreti, Parochus proprius requiritur (ut ex natura rei fluit) ad banna nupturientium proclamanda; unus proinde Parochus si nupturientes ambo sint eius parochiani; unus et alter, quando sponsus ad unam, sponsa ad alteram pertinet paroeciam. Quare si Parochus secundae partis Decreti, prorsus idem fuit in mente Tridentinorum Patrum, ac Parochus proprius primae partis, ineluctabiliter sequeretur, ni fallor, quod, sicut banna proclamanda sunt ab uno alteroque Parocho proprio, ita matrimonium ab uno et altero Parocho celebrandum sit, quotiescumque nupturientes distinctum sortiuntur Parochum proprium. Sed hoc falsissimum esse et absurdum nemo est qui non videat.

c) Est et pars tertia, in eodem Decreto, quae magis ac magis suadet Tridentinos Patres, inter Parochum proprium et Parochum simpliciter, discrimen intendisse, videlicet: « Quod si quis Parochus vel alius sacerdos, sive regularis sive saecularis sit..., alterius parochiae sponsos sine illorum Parochi licentia matrimonio coniungere aut benedicere ausus fuerit, ipso iure tamdiu suspensus maneat quamdiu ab Ordinario eius Parochi, qui matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur ». Itaque, poenis plectitur Parochus seu sacerdos

sponsos coniungens non suos, quin ullo tamen verbulo matrimonium istud declaretur invalidum, quin sponsis taliter coniunctis onus imponatur coram Parocho suo iterum se sistendi, et ita matrimonium validandi.

Advertatur insuper cautissima formula Tridentina: qui sine praesentia Parochi, contrahere *attentabunt*, inhabiles sunt, et nihil efficiunt; Parochus vero qui coniungere audet (non dicitur: *attentat*), perperam agit et ideo punitur, sed nihilominus (perspecta vi verborum) efficaciter agit. Et inde videtur inferendum: aut Parochus, qui debet matrimoniis assistere, non est exclusive et necessario, in mente Decreti Tridentini, Parochus proprius (seu ille solus) quem subtilitates Iuristarum pedetentim invexerunt; aut haec tertia pars Decreti manca foret et perfracte discordans cum secunda, quia dicta tertia pars loquitur de poenis contra Parochum non proprium (sensu Iuristarum), et poenam omnium gravissimam, nempe matrimonii taliter contracti radicalem invaliditatem omittit!

d) Clandestinum et publicum opponuntur in iure (quidquid sit de sensu etymologico), sicut nigrum et album. Porro matrimonium potest esse *dupliciter* clandestinum, videlicet: in fieri et in facto esse, id est quatenus non noscitur in Ecclesia tamquam ineundum — et ad hoc providit sapientissima lex proclamationum — aut quatenus non celebratur « in facie Ecclesiae », prout fert pulcherrima dictio quam ius et usus meritissime sacrarunt. Si matrimonium igitur denuntietur celebrandum; si praeterea celebretur in facie Ecclesiae, non amplius videtur qua ratione, quo titulo, matrimonium istud non erit publicum sed mere clandestinum. Non me latet clandestinitatem iuridicam minime tolli per effectivam publicitatem, puta, si Parochus qui repraesentat Ecclesiam, non sit, secundum legislationem hodiernam, vere proprius. Ast praecise, minus cohaerens videtur quod publicitas de facto evidentissima succumbere debeat subtili cuidam formalitati; quod veritas cedere cogatur legalitati; seu, uno verbo, quod matrimonium publice denuntiatum, publice contractum in facie Ecclesiae, sit iuridice clandestinum! Nonnullas in *Thesauro* S. C. reassumpsi causas nullitatis ex capite clandestinitatis: ultimam cito, nempe Parisiensem diei 26 Aprilis 1902 (1) (Oliveira-Couderc, vol. CLXI, p. 303 et seqq.) in qua tota difficultas oriebatur ex hodierni iuris intricationibus circa quasi-domicilium sufficienter vel insufficienter adeptum. Haec Sacra Congregatio matrimonium sententiavit nullum, et fundatissime quia, quum Actrix nec domicilium nec quasi-domicilium in paroecia celebrationis habuerit, matrimonium *iuxta legislationem vigentem*, vere clandestinum fuit. Iuxta legislationem, inquam, clandestinum fuit; sed quisnam, *iuxta rei veritatem*, dicere vellet clandestinum matrimonium cuius banna proclamata fuere duobus in paroeciis, cuius celebrationi praesens fuit Parochus loci Pointis-Inard (qui propter domicilium avi materni, sese reputabat vere proprium Actricis orphanae) cum testibus conciliaribus et multorum adstantium corona, quos inter, ait maritus, « il y avait une dizaine de prêtres des paroisses voisines ». Non diffiteor, inquam, matrimonium fuisse *in iure* clandestinum: at pariter profiteor illud *in re* fuisse maxime publicum, et valde demiror clandestinitatem illam mere iuridicam, in qua nullam clandestinitatem, bene vero plenam publicitatem, sensus communis detegit.

Huc faciunt, ni fallor, perantiquae factispecies supramemoratae, v. g. iuvenis Senensis, et iuvenis Patavini, quorum matrimonium Haec Sacra Congregatio declaravit validum. Canonistae suas hac de re nectunt explicationes satis extortas (salva reverentia dixerim) et commentaria satis cerebrosa; sed planiorem et forte veriorem omittunt exegesim, videlicet: Sacra Congregatio dicta matrimonia declaravit valida, quia noluit, nonobstantibus Iuristarum placitis et oscitantiis de domicilio vel quasi-domicilio nondum receptis in foro, clandestina sententiare matrimonia quae, iuxta mentem et litteram Tridentini, coram Parocho duobusque testibus rite celebrata fuerant.

e) Paulatim invaluit, probe scio, iurisprudentia de Parocho *proprio* titulo domicilii vel quasi-domicilii, vel vagitatis, ac de consequenti clandestinitate, si dictus titulus, bona vel mala fide, forte abfuerit, quia tunc, inquiunt Parochus respectu istius Caii vel Berthae non est proprius, nec proinde testis qualificatus. Quod Parochus, deficienti titulo praefato, non sit proprius iuxta legislationem vigentem, libentissime concedo; quod ideo nequeat esse, *in sua Paroecia*, testis qualificatus, id est quod, servatis aliunde servandis et respectu quorumcumque nupturientium in sua Paroecia, non satis repraesentet Ecclesiam, in mente Tridentini, nec valeat sufficientem facere fidem de matrimonio Titium inter et Bertham coram se, in sua Paroecia, rite inito, vere absonum videtur.

Operae pretium erit heic superaddere nonnullos e Patribus Tridentinis legi clandestinitatis maxime propensis, proposuisse quod testis ille qualificatus, praeter alios duos, esset non Parochus sed potius loci notarius publicus, seu tabellio (*Pallavicini*, lib. XXII, c. 8, n. 16). Age vero: Notarius ille fidem fecisset, ut puto, de matrimoniis omnibus in loco celebratis: utrum ergo Iuristae distinctionem suam, quae nunc vim legis habet, induxissent de notario *proprio* aut non *proprio?* Haec distinctio revera, si presse sumatur prout nunc, iuxta legislationem vigentem, presse sumi debet, non unum sed duo secumfert clandestinitatis impedimenta, nempe: clandestinitatem matrimonii contracti, Parocho absente; et clandestinitatem matrimonii contracti, Parocho praesente sed non *proprio*. Et meminisse dignentur E.mi Patres quod Parochus, respectu quasi-domiciliatorum, fit *proprius*, praecipue propter *animum* commorandi. Si fuerit, in nupturientibus, animus iste, Parochus evadit testis qualificatus; si defuerit, testificatio miselli parochi, reputatur « aes sonans et cymbalum tinniens ». Non ergo reus dici potest irreverentiae qui dubitat, imo qui negat, Tridentinos Patres intricatam istiusmodi clandestinitatem Iuristarum statuisse.

f) « Omnis utriusque sexus fidelis... omnia sua peccata « solus confiteatur fideliter, saltem semel in anno, *proprio* « *sacerdoti...* » Omnibus notum est caput istud Concilii Lateranen. IV, (1215), quod est ordine XXI, inter LXX dicti Concilii; notae pariter sunt acerrimae circa « proprium sacerdotem » textus Lateranensis controversiae.

Qualis fuerit, in mentem Patrum Lateranensium, huius clausulae genuinus sensus, non est hic disceptandi locus. Unum tantum animadvertam, scilicet quod si quis hodie Canonista vel Theologus auderet, e gallicanis quisquiliis, recolligere Concilia provincialia, commentaria, statuta dioecesana, senatusconsulta, thesesve quibus tenaciter proclamabatur radicalis invaliditas confessionis annuae, nisi peracta fuisset penes *proprium Parochum* (1), theologus ille, inquam, hodie risum moveret, seu rectius indignationem.

Porro, sicuti lex Lateranensis, de peccatis nonnisi proprio Sacerdoti annuatim confitendis sub poena nullitatis absolutionis, in praxi, sive per desuetudinem, sive per aptiorem

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* vol. X, p. 151.

(1) Haud unum invenire est qui propugnaverit annuam confessionem, vi capitis Lateranensis, ita Parocho proprio reservatam esse, ut Episcopus et ipse Papa, sine licentia proprii Parochi, invalide absolveret!! (Cf. Gaspar. Iuenin, *De Poenit.* Quaest. V, cap. IV, art. 3, § 1, edit. Lugdun. 1722, pag. 424 *a*.).

interpretationem, sive etiam et maxime per posteriores SS. PP. Constitutiones, iamdiu desiverit, ita lex Tridentina de matrimoniis nonnisi coram proprio Sacerdote, pariter sub poena nullitatis celebrandis, non certe desinere, sed aptiori exegesi moderari poterit.

Ergo: non proprie lex Tridentina, sed verius ipsa circa legem Tridentinam subsecuta iurisprudentia videtur moderanda; siquidem, textus Tridentinus, ut iterum dicatur, non de « proprio Sacerdote »; non de Parocho « proprio », sed tantum « de Parocho » loquitur; et quidem, non qua sacramenti *ministro* necessario, sed qua teste sacramenti cuius ipsi coniuges sunt operatores. Sit igitur Parochus, in sua Paroecia, testis ille qualificatus quem Tridentina Synodus requisivit; non vero cesset esse talis, saltem quoad validitatem, etiam respectu nupturientium qui forte nondum iure quasi-domicilii in sua Paroecia fruuntur iuxta conditiones adhucdum intricatas quas non Tridentina Synodus sed practica iurisprudentia posterius induxit.

Conclusio.

Iurisprudentia, circa providissimam legem clandestinitatis, paulatim et oscitanter efformata, hodiedum manca remanet et haud parum intricata, prout ex praelibatis dissensionibus et obscuritatibus, satis superque visum est.

Quod haec iurisprudentia, seu legislatio, moderanda sit, plures eaeque graves suadent causae, ne propter frequentiores hominum hinc inde translationes, tot matrimoniorum validitas (quae saepe saepius pendet a quasi-domicilio per *animum* adquisito) periclitetur; iam postularunt complures Vaticani Concilii Patres; exoptant quotquot hodiernam legislationem de clandestinitate penitius evolverunt; confirmant practicae derogationes, pluribus in Provinciis ecclesiasticis, iamdudum de facto vel de iure obtinentes, necnon petitiones hac de re iam Apostolicae Sedi porrectae; ac tandem demonstrant quamplures factispecies, coram Hac Sacra Congregatione discussae, in quibus clandestinitas mere iuridica vitiavit matrimonia quae tamen publice et « in facie Ecclesiae » reapse celebrata fuerant.

Moderatio, qualiscumque tandem admittenda videatur, non debet ad solas restringi maiores urbes; nec legem verae clandestinitatis quatenus irritantem infirmare, nec etiam praevias ullatenus tangere omnium matrimoniorum conditiones a iure praefixas: ideoque, semper et ubique terrarum, tum obligatio statum liberum rite comprobandi, tum lex publicationum (in locis ubi viget *Tametsi*, iuxta modum ab ipso Tridentino praefixum; in aliis vero locis, iuxta modum Concilii Lateranensis) (1) in suo robore stent oportet.

Moderatio fieri posset:

Primo, per faciliorem adeptionem quasi-domicilii, statuendo nempe:

a) Quod quasi-domicilium sufficienter acquisitum erit per praeviam in eadem Paroecia commorationem *semestrem;* et tunc Parochus istius Paroeciae proprius erit et matrimonio, absque ulla delegatione ullave exploratione animi commorandi, valide ac licite, assistere poterit. Haec moderatio nihil aliud esset, ut patet, nisi generalis extensio Decreti seu Privilegii Parisiensis supratranscripti.

b) Quod quasi-domicilium, per praeviam *unius integri mensis* in eadem Paroecia commorationem, acquisitum erit (non dico: *censebitur* aut *praesumetur* acquisitum, ne fiat iterum, sub alia forma, reditus ad *animum* commorandi; sed acquisitum erit) et tunc Parochus dictae Paroeciae sufficienter erit proprius, ut in praecedenti: quod aequivaleret extensioni generali Baltimorensis indulti suprarelati. Videtur heic recolendum quod si modificatio seligatur statuenda per faciliorem adeptionem quasi-domicilii parochialis, longe melior et aptior erit, meo quidem humili sensu, commoratio mensilis quam commoratio semestralis, propter rationes superius indigitatas. Attamen, in tali modificatione (propter commorationem sive unius, sive plurium, sive sex mensium), nulla, praeter positivam voluntatem Legislatoris sic edicentis, nulla perciperetur ratio vere substantialis: nam, commoratio non est de constitutivis matrimonii, neque de genuina notione clandestinitatis, et nequidem de notione domicilii vel quasi-domicilii; quum in utroque, factum commorandi tantum requiratur ac sufficiat, non autem praevia per mensem aut bimestre semestreve commoratio.

c) Quod nupturientes qui, proprium domicilium alibi retinentes, in alienam adveniunt dioecesim, *in ea dioecesi* tum domicilium tum quasi-domicilium acquirere valeant: domicilium scilicet, iuxta conditiones legislationis hodiernae pro domicilio parochiali adquirendo stabilitas; quasi-domicilium, per factum (absque exploratione animi) praeviae intra dioecesanum territorium continuae commorationis unius mensis (1), tum intuitu matrimonii, caeteris omnibus apprime servatis, contrahendi, tum intuitu dispensationes, si quae forte requirantur, obtinendi: id est, per domicilium vel quasi-domicilium *dioecesanum.* Tunc Ordinarius ipse proprius erit, et, modo sibi beneviso, Parochos actualis commorationis delegare poterit, ut supra dictum est.

Secundo, per aptiorem et simpliciorem ipsius clandestinitatis interpretationem, statuendo videlicet:

a) Quod, in locis ubi viget caput Tametsi, Parochus testis est ex officio qualificatus, in sensu Decreti, omnium omnino matrimoniorum quae, ipso vel eius Delegato praesente, coram duobus tribusve testibus, *in Paroecia sua,* coeteris servatis, celebrantur.

b) Quod proinde valida licitaque sunt matrimonia domiciliatorum et quasi-domiciliatorum (in sensu legislationis hodiernae); *illicita* vero, non autem *invalida,* matrimonia quae ab advenis nondum sufficienter forsan quasi-domiciliatis, in Paroecia coram Parocho (vel eius delegato) duobusque testibus, contrahuntur.

Liceat repetere quod haec interpretatio circa clandestinitatem, nedum opponatur decreto *Tametsi,* e contra genuinae menti Patrum Tridentinorum et ipsimet textui concordior videtur. Et quum caeterum efficacius contra matrimoniorum nullitatem afferat remedium, et insimul obligationem salvet (non tamen sub poena nullitatis) contrahendi, propter bonum ordinem et iuris competentiam, coram Parocho proprio, eam prae coeteris modificationibus delibatis, Sacro Consessui Vestro, Patres Eminentissimi, submitto, dum omnimoda deferentia genuflexus...

E Conv. Minorum S. Fr. Capuc. ad SS. Conc., die 4 Aprilis 1904.

Fr. Pius a Langonio, *Cons.*

(1) Exoptabilis foret, etiam quoad bannorum proclamationes, quaedam unificativa modificatio.

(1) Dico: per *factum* commorationis unius mensis, ne iterum, quoad quasi-domicilium in dioecesi adquirendum, in intricationibus supradescriptis de *animo* commorandi reincidatur.

E SACRA CONGREGATIONE
EPISCOPORUM ET REGULARIUM

9918/15 I.

PONENTE E.MO AC R.MO

Cardinali ANDREA STEINHUBER

Die 5 Maii 1905.

Pisauren. — Funerum.

In materia funerum, legitimae consuetudines et statuta particularia adeo valent, ut vel ipsi iuri communi aliquando derogen.t. Quid veniat sub terminis *recto tramite* et *sine pompa.*

In civitate Pisauri extat, extra moenia, ecclesia Minorum Capulatorum, quibus a fidelibus funera defunctorum persolvenda nonnunquam committuntur. Quum vero circa associationem cadaverum ad publicum coemeterium nonnullae exortae sint controversiae, civitatis parochos inter et dictos Religiosos, isti quinque ad illas dirimendas suaque iura tuenda recursum, obtulerunt ad hanc S. Congregationem propositis infrascriptis dubiis.

Audiantur rationes a Patribus Capuccinis allatae. Animadvertunt in genere et praesertim quoad primum et quintum dubium, quod ad tramitem iuris parochus filianum defunctum associare valet dumtaxat ad ianuam tumulantis ecclesiae Regularium. Teste Clemente X in Bulla *Nuper* 18 Ian. 1672: « Parochis in associatione sive occasione associationis cadaverum non licere ingredi ecclesias Regularium, sed teneri dimittere eadem cadavera ad ianuam ecclesiarum, ibique solum posse benedicere et dare ultimum vale; officia vero et alia munia, quae in huiusmodi ministeriis fieri solent, ab ipsis Regularibus peragi debere, non autem a parochis ». Insuper haec S. C. in una *Caven. - Funerum* 17 Sept. 1880, non attenta antiqua consuetudine favore parochorum, ad propositum dubium: « An et cui competat ius comitandi cadavera ab ecclesiis Regularium, quo collata fuere ad explenda funebria, ad commune coemeterium, ubi sepeliri debent »: respondit: « Affirmative, favore Regularium ». Iterum in una *Compostellana - Funerum* 1 Aug. 1902 (1) eadem S. C. declaravit quod: « ad Regulares pertinet, cadavere per parochum levato, ad publicum coemeterium associandi ». Si vero quaeratur ratio iuridica, qua Regularibus concessum fuit ius associandi cadavera ab ipsorum ecclesiis ad publicum coemeterium illa in eo est, quod per institutionem publicorum coemeteriorum sublata non fuerunt ecclesiarum tumulantium iura, sed solummodo mutatus fuit locus, in quo ipsae ius suum exercebant; ita ut iure quo, antea fruebantur Regulares in propriis sepulchris, eodem iure postea uterentur in coemeteriis publicis. Unde legitime asseritur Regularibus exclusive competere ius associandi cadavera defunctorum, qui penes ipsos sepulturam elegerint, a respectivis ecclesiis regularibus, ad coemeterium publicum.

Addendum quod, dum Capuccini in iure fundantur, e contra parochi Pisaurenses innituntur dumtaxat consuetudinibus, quarum legitimitatem iuridice non satis probant. Sed, etiam admisso dubio, Regularium iura praeferenda essent iuxta principium, *in dubiis melior est conditio possidentis.* Addatur quod Capuccini propter civilem suppressionem ac dispersionem nequiverunt iura sua sarta tectaque tueri, hinc in casu non verificatur praescriptio, quae contra non valentem agere non currit. Insuper ipse Ordinarius dioecesanus fatetur associationem cadaverum quae fieri solet a proprio parocho ad commune coemeterium, a coemeterii extructione initium sumpsisse.

Relate ad tertium dubium responsio affirmativa dari potest; sensus enim formulae *recto tramite* traditur a S. C. Rituum in una *S. Severi* 15 Sept. 1742 (quae tamen extat dumtaxat in Collectione Gardelliniana sub n. 4132), ubi ad dubium: « An eadem processio *(nempe in associatione cadaveris alterius paroeciae)* fieri valeat per viam longiorem seu potius fieri debeat per viam breviorem ad ecclesiam tumulantem »; responsum prodiit: « Negative quoad primam partem; affirmative quoad secundam, dummodo processio incedat per viam commodam atque decentem ». Et ipsa S. C. Ep. et Reg. die 26 Novembr. 1713 statuit: « Qui habet ius associandi cadaver, gaudet etiam iure transeundi, si opus sit, cum Cruce elata et stola per alienas paroecias, non expetita ulla parochorum licentia ». Porro in themate, quum via hucusque usitata sit incommoda et indecens, altera cur via commodior ipsam quoque civitatem pertransiens eligi non posset?

Tandem quoad quartum quaesitum, responsio negativa deducitur, quia formula *sine pompa* vel *sine solemni pompa*, non quamlibet excludit cadaveris associationem, sed pomposam dumtaxat, uti S. C. Concilii in una *Ordinis Praedicatorum* 24 Ian. 1846 resolvit; nempe quod Regulares, inconsulto parocho, associare possunt cadaver proprii religiosi ad publicum coemeterium: « dummodo cadaver deferatur absque solemni pompa, recto tramite ad coemeterium a familia Regulari proprii conventus tantum ». Quod ex resolutione eiusdem S. C. in una *Meliten.*, 21 Martii 1884, confirmatur.

Parochorum patrocinator ad iura sua tuenda notat inprimis quod decisiones SS. Congregationum particulares sunt, ac locales consuetudines nonnisi in singulis casibus sunt diiudicandae. Insuper in genere et praesertim quoad primum et quintum quaesitum asserit parochis favere decisionem huius S. C. in *Ferrarien.*, 10 Martii 1893, ubi ad dubium: « Utrum P. Guardiano Minorum ius competat associandi ad commune coemeterium cadaver defunctae Sabinae Mazza »; responsum fuit: « Attentis consuetudine et Constitutionibus synodalibus, *negative,* et restituenda esse parocho Curiae emolumenta percepta in adsociatione ab ecclesia ad coemeterium ». Unde doctores innixi Decretalibus *(lib. 3, tit. 28, cap. 9)* inferunt: « consuetudinem in materia funerum multum operari ». Porro, parochi documenta adducunt ex libris mortuorum deprompta, ex quibus asserunt consuetudinem immemorabilem existere, cuius vi non solum ipsi associant cadaver proprii filiani ad ianuam ecclesiae sive regularis sive saecularis sive etiam ipsius Cathedralis, sed insuper cum cotta et stola intersunt exsequiis et Responsorium *Libera me Domine* intonant. Hoc autem confirmatur ab ipso Episcopo, qui praedictam consuetudinem vocat perantiquam.

Quo vero ad secundum dubium, negativa responsio datur, secus enim admitteretur principium quod dispositiones legesque ecclesiasticae pendere debeant a civili auctoritate vel privatorum arbitrio. Eadem responsio aptari videtur tam ad tertium dubium, quia ius deferendi cadavera ad coeme-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.,* vol. X, p. 484.

rium est parochiale, nec in casu verificantur incommoda a PP. Capuccinis allata; quam etiam ad dubium quartum, quum personae quae associationi defuncti interveniunt, ita multiplicari possent ut solemnis pompa constitueretur ex illarum numero.

Hisce ex utraque parte delibatis, proposita fuere sequentia

DUBIA.

I. *Utrum PP. Capuccini Pisaurenses associare possint ad coemeterium commune cum stola et Cruce propria, et absque interventu parochi defuncti, cadavera fidelium quae in ipsorum ecclesiis allata fuere?*

II. *Possunt-ne praedicti Religiosi associare ad Coemeterium cadavera exposita in ipsorum ecclesia, si casu, a parentibus vel a civili auctoritate, determinaretur via quae non esset in* recto tramite?

III. *Quum pro Patribus Capuccinis Pisaurensibus iter in* recto tramite *quod ad coemeterium ducit, sit via ita angusta ut in longo tractu duo currus coram obviantibus nequeant transire nisi alteruter retro incedat, possunt-ne dicti Patres funus associantes, transire per aliam viam paulo commodiorem, absque interventu parochi?*

IV. *Est-ne contrarium clausulae* sine pompa, *si aliqui socii defuncti, qui in praedicta ecclesia allatus est, illum associent ad coemeterium, ita ut prohibeatur PP. Capuccinis ne illum associent absque interventu parochi?*

V. *Tandem, potest-ne Superior PP. Capuccinorum Pisauri prohibere ne parochus defuncti, expositi in ecclesia religiosorum, deferat stolam in exequiis et intonet responsorium* Libera me Domine?

Porro Emi Patres, re mature perpensa, rescripserunt:

Ad I. *Affirmative.*

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Attentis expositis, negative in casu.*

Ad IV. *Negative.*

Ad V. *Attenta immemorabili consuetudine in civitate Pisaurensi, negative in casu.*

II.

Rogantur Ordinarii ut mentem suam, necnon et singularum monialium aperiant, circa opportunitatem confoederandi communitates Ursulinarum in unum corpus.

Eminence Révérendissime et Très Vénéré Seigneur (1),

Parmi les Instituts Religieux auxquels a été confiée, avec l'approbation du Siège Apostolique et sous la surveillance des Evêques, la noble tâche d'élever les jeunes filles dans la piété et dans la science, se distingue non moins par son ancienneté que par ses vertus et ses mérites, l'Ordre des Religieuses, dites de Sainte Ursule.

Bien qu'unis par la charité, les Couvents des Ursulines ne sont pas rattachés entre eux par le lien d'une véritable association; il s'ensuit qu'assez souvent certaines de ces Communautés se trouvent impuissantes à atteindre facilement le but qu'elles se sont proposé, parce qu'elles ne sont pas suffisamment pourvues des moyens nécessaires à cette fin, et qu'il n'y a pas d'espoir pour elles de les obtenir des autres Communautés du même Institut, attendu qu'elles sont séparées les unes des autres et sans aucun lien qui les unisse.

Dans le but d'obvier à ces inconvénients et à ces difficultés, cette Sacrée Congrégation des Evêques et Réguliers a cru devoir, l'année dernière, accueillir avec bienveillance les demandes de quelques Evêques tendant à amener une certaine union entre les Communautés des Ursulines; et en conséquence, par son Décret du 8 octobre 1898, elle á statué que toutes les fois que des Communautés Religieuses Ursulines, établies dans les différentes parties de la Chrétienté, demanderaient à se réunir en congrégations particulières, on ferait volontiers droit à leurs prières et à leurs désirs.

Tout récemment, quelques Communautés d'Ursulines, établies même dans des pays différents, ont écrit à Rome en vue d'obtenir que l'Institut tout entier des Ursulines fût réuni en un seul corps, à la manière des Congrégations qui ont pris naissance ce siècle-ci et ont été approuvées par le Siège Apostolique.

Assurément, il n'est pas dans les usages du Saint-Siège de changer à la légère ce qui a été établi régulièrement et consacré par un long laps de temps, à moins que les changements que l'on demande ne semblent être plus en rapport avec les nouvelles circonstances des temps et ne soient de nature à faire atteindre d'une manière plus avantageuse et plus efficace le but proposé.

Aussi, avant de décider quoi que ce soit relativement à la question qui lui est soumise, la Sacrée Congrégation estime qu'il est très opportun de connaître à cet égard l'avis des Ordinaires des lieux et celui des Religieuses elles-mêmes.

Votre Eminence voudra donc bien examiner cette question avec le plus grand soin, et faire connaître son sentiment à cette Sacrée Congrégation, après avoir préalablement sondé les dispositions de ces mêmes Religieuses.

Et comme il importe que les Religieuses manifestent en toute liberté ce qu'elles pensent à ce sujet, il est bon qu'on leur accorde un temps convenable, pour peser devant Dieu toute cette affaire, et qu'ensuite chacune d'elles exprime son avis par vote absolument secret.

Les Religieuses doivent bien comprendre les trois points suivants:

1° L'union dont il est question a uniquement pour effet d'établir de commun accord ce qui est jugé propre et nécessaire au gouvernement de l'Institut tout entier, en conservant, autant que possible, à chaque Communauté, les lois, constitutions et usages qui la régissent légitimement;

2° La forme de cette union pourrait être établie comme suit: *a*) La Supérieure Générale, élue pour un temps déterminé par des déléguées (une de chaque Communauté), aurait sa résidence à Rome avec son Conseil Général qui serait élu également par les mêmes déléguées; *b*) L'Institut tout entier serait divisé en différentes Provinces, qui auraient chacune à leur tête une Supérieure Provinciale avec son Conseil particulier.

3° On se servira partout de la même formule de Profession religieuse, comprenant les trois vœux d'obéissance, de pauvreté et de chasteté, sans y faire aucune mention d'un quatrième vœu, de celui de se consacrer à l'éducation des jeunes filles, qui est émis actuellement par quelques Communautés. Ce dernier vœu est évidemment compris dans

(1) A Son Eminence le Cardinal Goossens, Archevêque de Malines.

le vœu d'obéissance émis d'après la teneur des Constitutions de l'Institut.

Telles sont les communications que Notre Très Saint-Père le Pape Léon XIII m'a chargé de faire à Votre Eminence dont je baise très humblement la main.

Rome, 21 juillet 1899.

De Votre Eminence

le très humble et très dévoué serviteur

S. Card. VANNUTELLI, *Préf.*

A. PANICI, *Secrétaire.*

III.

Approbatur Unio Ursulinarum in unicum Institutum.

Anno 1899 decurrente, ex plerisque Ursulinarum Familiis in diversis etiam regionibus commorantibus transmissae fuerunt litterae, ad hoc ut universus Ordo ad unius corporis compaginem redigeretur, ad formam Institutorum, quae hoc saeculo exorta et ab Apostolica Sede approbata fuerunt. Verumtamen haec Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium antequam quicquam hoc super negotio constitueret, peropportunum censuit cognoscere quid locorum Ordinarii quidque Moniales ipsae ad rem sentirent. Quapropter per litteras diei 21 Iulii 1899, Em.mus Cardinalis huius Sacrae Congregationis Praefectus, de mandato S.mi Domini Leonis Papae XIII, a cunctis Episcopis, in quorum dioecesibus exstabant Monasteria Ursulinarum requisivit, ut hac de re sententiam suam Sacrae Congregationi panderent, exploratis in antecessum earundem Religiosarum animis. Iamvero, ex datis responsis constat 70 Monasteria, annuentibus etiam Ordinariis, rei propositae libenter adhaesisse. Quorum Monasteriorum Superiorissae sub finem anni insequentis ad comitia generalia, in hanc Almam Urbem rite advocatae, normas sanctioni S. Sedis subiiciendas, iuxta quas Ursulinarum Institutum constitui ac regi deberet, fere unanimiter per summa capita, statuerunt. Re quidem vera 62 ex dictis Superiorissis a Summo Pontifice, per supplicem libellum diei 21 Novembris 1900 humillime expetierunt, ut Institutum, iuxta citatas normas, approbare, ipsasque cum suis Monasteriis, quorum elenchus in calce prostat, eidem adscribere dignaretur. Has preces Summus Pontifex, benigne excipiens, Unionem Ursulinarum, prout in comitiis generalibus discussa et statuta fuerat, sancire dignatus est.

Verum huiusmodi sanctionem solo vivae vocis oraculo E.mo eiusdem Sacrae Congregationis Cardinali Praefecto significavit in Audientia diei 28 Novembris 1900, ab eodem E.mo habita, in aliud opportunius tempus decreto formali reservato. Porro, cum Sanctitas Sua, iteratis Priorissae Generalis et sui Consilii precibus benigne annuens, nuperrimis hisce diebus mandaverit, ut Unionis verbotenus, uti supra approbatae, formale decretum ederetur, haec Sacra Congregatio Episcoporum et Regularium eiusdem Sanctitatis Suae mandatis, eo quo par est obsequio, morem gerens, eamdem Ursulinarum Unionem, sub regimine Priorissae Generalis per praesens formale decretum ratam habet atque confirmat, et quae a praefata die 28 novembris 1900 a Priorissa Generali cum suo Consilio rite gesta atque constituta sunt in pleno firmitatis robore permanere declarat.

Datum Romae ex Secretaria memoratae Sacrae Congregationis Episcoporum et Regularium die 17 Iulii 1903.

D. Card. FERRATA, *Praef.*

PH. GIUSTINI, *Secret.*

E SACRA CONGREGATIONE RITUUM

I.

Vicarius Capitularis, quando E.pum alienum invitat ad Missam et Vesperas pontificali ritu concelebrandas, nequit illi concedere usum throni aut baculi pastoralis.

A Sacra Rituum Congregatione sequentis dubii resolutio expetita fuit, nimirum:

Utrum Vicarius Capitularis, quando aliquem Episcopum viciniorem invitat ad Missam et Vesperas ut pontificali ritu concelebret, possit illi concedere thronum aut saltem baculum pastoralem?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, audito etiam suffragio Commissionis Liturgicae, propositae quaestioni respondendum censuit:

Negative ad primam partem, prouti eruitur ex decreto generali n. 4023 d. d. 12 Iulii 1897 (1): *Super iure Episcoporum dioecesanorum cedendi thronum alteri Episcopo.* Item *negative* ad secundam; nisi usus baculi requiratur ex Rubrica, ut in consecratione ecclesiarum.

Atque ita rescripsit. Die 4 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. PANICI, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

II.

URGELLEN.

Circa praecedentiam Tertiorum Ordinum in Processionibus.

Rmus Dnus Episcopus Urgellensis Sacrorum Rituum Congregationi ea quae sequuntur reverenter exposuit; nimirum:

Iuxta decretum S. R. C. 28 Maii 1886, n. 3664, Tertiariis Franciscalibus coetum constituentibus, nempe proprio habitu indutis ac sub cruce incedentibus, ius inest praecedentiae super quascumque alias laicas sodalitates.

Praeterea ex decreto S. C. Ep. et Reg. 6 Aprilis 1900 (2) Emi Patres declarandum esse censuerunt: « Tertiarios S. Francisci, necnon aliorum Ordinum, tum solummodo habere ius praecedentiae in Processionibus, cum iidem collegialiter incedunt sub propria cruce ac veste uniformi induti vulgo *sacco* ».

Iam vero in Hispania generatim nec Tertiarii nec alii confratres utuntur *sacco*, sed tantum scapulari, cingulo, numismate, etc., iuxta cuiusdam Tertii Ordinis aut sodalitatis diversa statuta aut praxim.

His praemissis idem Rmus Episcopus expostulavit:

I. An cum nec Tertii Ordines nec confraternitates aut sodalitates *sacco* utantur, ius praecedentiae competat Tertiariis super quascumque sodalitates laicas?

II. An etiam tunc ius praecedentiae competat confraternitati SS. Sacramenti super alias sodalitates in Processio-

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VII, p. 251.
(2) Cfr. *Anal. Eccl.*, vol. VIII, p. 261.

nibus, in quibus defertur SSma Eucharistia, non autem super Tertios Ordines?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisito Commissionis Liturgicae suffragio, reque sedulo perpensa rescribendum censuit:

Ad I. *Affirmative* in casu; sed Tertiarii cuiusque Ordinis et confraternitatum sodales hortandi sunt, ut vestem integram vulgo *saccum* in Processionibus ex antiquo et laudabili Ecclesiae more velint assumere.

Ad II. *Affirmative;* reservata iugiter praecedentia fratribus cuiusvis Tertii Ordinis.

Atque ita rescripsit, die 10 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† Diomedes Panici, Archiep. Laodicen., *Secret.*

III.

BUSCODUCEN.

Circa celebrationem Missae exequialis translatae in die non impedita.

Quum quaedam difformitas reperiatur in interpretandis Decretis S. R. C., nempe n. 3755, *Missae exequialis pro die obitus* 2 Decembris 1891 ad III, et *Labacen.* 28 Aprilis 1902 (1) ad X, hodiernus Kalendarista dioecesis Buscoducensis in Hollandia, professor in Instituto surdo-mutorum parochiae *Gestel* S. Michaëlis, de consensu Rmi sui Episcopi a Sacrorum Rituum Congregatione insequentium dubiorum solutionem humillime expostulavit:

I. Caius mortuus feria IV in Maiori Hebdomada sepelitur feria VI in Parasceve Domini. Quaenam est prima dies liturgice non impedita, qua eius Missa exequialis solemniter peragi potest: utrum feria IV Hebdomadae Paschalis, an vero feria II post Dominicam in Albis, in qua non occurrit duplex I vel II classis aut festum de praecepto?

II. An Missa exequialis solemnis vel cum cantu, ob impedimentum liturgicum ultra biduum a sepultura translata, celebrari possit in diebus duplicia II classis excludentibus?

III. An Missa de Requie pro prima vice post obitum vel eius acceptum a locis dissitis nuntium, de qua in Decreto n. 3755 ad III, celebrari possit: 1° infra Octavam Epiphaniae; 2° infra Octavas Nativitatis Domini et SSmi Corporis Christi in locis, ubi haec non est privilegiata ad instar Octavae Epiphaniae?

Et Sacra eadem Congregatio, ad relationem subscripti Secretarii, exquisita etiam sententia Commissionis Liturgicae rescribendum censuit:

Ad I. Prima dies libera est in casu feria II post Dominicam in Albis, iuxta Decretum *Labacen.*, 28 Aprilis 1902 ad X.

Ad II. *Negative.*

Ad III. *Negative* ad primam partem, *Affirmative* ad secundam, excepta tamen die Octava Corporis Christi, uti ex Decreto supra citato.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praef.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secr.*

(1) Cfr. *Anal. Eccl.*, Vol. X, p. 171.

IV.

DUBIUM

Circa sacra paramenta et pallam calicis in Missis defunctorum.

I. Quum in Caeremoniali Episcoporum lib. II, cap. XI n. I legatur: « Omnia paramenta, tam altaris, quam celebrantis, et ministrorum, librorum, et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum, vel cruces albae ponantur », quaeritur: An in dictis paramentis repraesentari possint calvaria cum ossibus decussatis defunctorum?

II. Ex decreto S. R. C., n. 3832 *Dubiorum resolutio* 17 Iulii 1894, ad IV permittitur ut palla calicis in parte superiori sit cooperta panno serico, aut ex auro vel argento, et acu depicto, dummodo palla linea subnexa calicem cooperiat ac pars superior non sit nigri coloris, nec cum aliquo mortis signo. Quaeritur: An huiusmodi palla subnexa possit esse linum cruce munitum et subsutum, ad modum pallae, nec amovibile?

Et Sacra Rituum Congregatio pro solutione horum dubiorum rogata, ad relationem subscripti Secretarii, audito Commissionis Liturgicae suffragio, rescribendum censuit:

Ad I. *Negative*, et servetur Caeremoniale Episcoporum, *loc. cit.*

Ad II. *Negative*, et palla subnexa, proprie dicta, sit linea, munda et facile amovibilis.

Atque ita rescripsit. Die 24 Novembris 1905.

A. Card. TRIPEPI, *Pro-Praefectus.*

L. ✠ S.

† D. Panici, Archiep. Laodicen., *Secretarius.*

E SACRA CONGREGATIONE INDULGENTIARUM

Indulg. 300 d. conceditur recitantibus orationem in honorem SS. Cordis Iesu.

Beatissime Pater,

Franciscus Episcopus Erythrarum et Auxiliaris Dioecesis Argentinensis, ad Sanctitatis Vestrae pedes maxima cum reverentia provolutus, enixe petit, ut omnibus Christifidelibus indulgentiam trecentorum dierum toties quoties concedere benignissime dignetur, qui pie ac devote recitant orationes sequentes:

« Oremus.

« Domine Iesu, clementissime Salvator mundi, Te per « Sacratissimum Cor Tuum supplices exoramus, ut omnes « oves errantes nunc ad Te Pastorem et Episcopum animarum « suarum convertantur, qui vivis et regnas cum Deo Patre « in unitate Spiritus Sancti Deus per omnia saecula saeculorum. Amen ».

Iuxta preces.

Die 26 Octobris 1905.

PIUS PP. X.

Praesens Rescriptum exhibitum fuit huic Secretariae Sa-

crae Congregationis Indulgentiis Sacrisque Reliquiis praepositae. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, ex eadem Secretaria, die 22 Novembris 1905.

IOSEPHUS M. Can. COSELLI, *Substitutus.*

E SACRA CONGREGATIONE INDICIS

DECRETUM

Duo damnantur opera.

Feria III, die 12 Decembris 1905.

S. Congr. Em.orum ac Rev.morum S. R. Ecclesiae Cardinalium a S.mo D.no N.ro Pio Papa X Sanctaque Sede Apostolica Indici librorum pravae doctrinae, eorumdemque proscriptioni, expurgationi ac permissioni in universa christiana republica praepositorum et delegatorum, habita in Palatio Apostolico Vaticano, die 12 Decembris 1905, damnavit et damnat, proscripsit proscribitque, atque in Indicem librorum prohibitorum referri mandavit et mandat quae sequuntur opera:

ONIELLO LIZZOCCI, *Nuovi orizzonti filosofici, ossia avviamento a nuovi studi di filosofia.* Pistoia, G. Flori e C., 1904.

Dr FRANCO MAGGIONI, *Questioni delicate.* Roma, Forzani e C., 1904.

Itaque nemo cuiuscumque gradus et conditionis praedicta opera damnata atque proscripta, quocumque loco et quocumque idiomate, aut in posterum edere, aut edita legere vel retinere audeat, sub poenis in Indice librorum vetitorum indictis.

ANTONIUS VOGRINEC decreto S. Congregationis, edito die 3 Iunii 1904, quo liber ab eo conscriptus notatus et in Indicem librorum prohibitorum insertus est, laudabiliter se subiecit.

Quibus Sanctissimo Domino Nostro Pio Papae X, per me infrascriptum Secretarium relatis, Sanctitas Sua decretum probavit, et promulgari praecepit. In quorum fidem, etc.

Datum Romae, die 13 Decembris 1905.

ANDREAS Card. STEINHUBER, *Praefectus.*

L. ✠ S.

Fr. THOMAS ESSER, Ord. Praed., *a Secretis.*

Die 15 Decembris 1905 ego infrascriptus Mag. Cursorum testor supradictum decretum affixum et publicatum fuisse in Urbe.

HENRICUS BENAGLIA, *Mag. Curs.*

ANALECTA VETERA

Documenta inedita Sacrae Congregationis Concilii, ab anno 1676 ad ann. 1717.

XXXI. Die 10 Septembris 1678.

FLORENTINA. — Vicariae. — R. *Affirmative ad utrunque.*

PENNEN. — Iurisdictionis. — R. *Ad primum, Episcopus solus non potest. Ad secundum, affirmative.*

BRITONORIEN. seu RAVENNATEN. — Restitutionis in integrum. — R. *Negative.*

BOVINEN. seu SYPONTINA. — Ordinationis. — R. *Ad primum dilata; ad secundum pro dispensatione ad cautelam quatenus opus sit.*

FRINSIGEN. — Residentiae. — R. *Dilata et ad mentem mens est ut dentur novae litterae Episcopo consignandae D. Emerix, cui dicatur ut Episcopus non molestet praepositum.*

ALEXANDRINA. — Restitutionis in integrum. — R. *Affirmative.*

ADIACEN. — Punctorum et Celebrationis. — R. *Ad primum affirmative; ad secundum negative.*

BISUNTINA. — Commendae. — R. *Negative.*

MEDIOLANEN. — Patrimonii. — R. *Negative.*

102. Pennen. — Iurisdictionis.

Extat in civitate Pennen. Monasterium monialium Ordinis S. Ioannis Hierosolymitani. De hoc Episcopus exponens nullum in civitate, nec in provincia adesse superiorem ab ipsa religione deputatum, inter caetera petiit decerni: 4° An administratores bonorum Monasterii, licet exempti, possint ab Episcopo compelli ut eidem rationem reddant. Et die 23 februarii 1669, ad quartum, rescriptum affirmative. Vigore talis decreti Episcopus uti delegatus apostolicus praecepit abbatissae, et priorissae, ut administrationis rationem redderent. Appellarunt dd. moniales ab hoc praecepto, et ab A. C. Cavallerino obtinuerunt monitorium super observatione privilegiorum et exemptionis; sed quoniam Episcopus processit in vim decreti huius S. Congregationis, ad eamdem recurrit, sed petitur e contra causam remitti ad Iudicem coram quo praeventum fuit, ac ulterius subditur, rationes iam redditas fuisse deputatis a priore Capuae, cuius curae Monasterium subest. Citata igitur parte decernendum videtur:

1° An Episcopus possit solus exigere rationes administrationis cuius iam superioribus fuit reddita ratio, et quatenus affirmative:

2°. An tam in praemisso casu, quam in casu rationis nondum redditae, debeat adhibere alios, quibus ratio reddi consuevit.

R. *Ad primum Episcopus solus non potest. Ad secundum affirmative.*

103. Bovinen. seu Sypontina. — Ordinationis.

Marius Antonius Casata, natus Ilıceti Bovinen. dioecesis, patre defuncto, adhuc sexennis ad matris patriam in Sypontina dioecesi cum ipsa muliere perrexit. Ibi cum esset commoratus per septennium anno 1653, Sede archiepiscopali vacante, obtinuit ad primam tonsuram, cum expressione domicilii septennalis, post annum luctus a Vicario Capitulari dimissoriales, et illarum vigore ab Episcopo Troiano insi-

genitus, continuato postmodum per plures alios annos domicilio, a R.mo Cappelletto, tunc Archiepiscopo, ad reliquos ordines, et anno 1663, ad presbyteratum promotus fuit peracto debito processu super legitimis naturalibus, vita et moribus. Iniecto ab emulis malae promotionis obice ad S. Congregationem pro declaratione supplex recurrit.

Vicarius apostolicus Bovini, ex quo domum habet, et bona possidet, ac modo degit in terra Iliceti, deducit, Oratorem non habuisse animum contrahendi domicilium in Sypontina dioecesi, ubi non possidet bona, et moram traxit in domo matris, ut inquit in una epistola, in domo consanguineorum matris, ut inquit in altera.

E contra Eminentissimus D. Cardinalis Archiepiscopus censet, oratorem licite ordinatum, et orator ex continuata mansione per plusquam 10 annos tam ante, quam post ordines, animum contrahendi domicilium ostendit. Proindeque se legitime promotum credit. Quaeritur ergo:

1° An iuxta praemissam facti speciem, orator sit licite ordinatus, et quatenus negative;

2° An cum eo dispensandum.

R. *Ad primum dilata; ad secundum pro dispensatione ad cautelam, quatenus opus sit.*

104. **Adiacen. — Punctorum et celebrationis.**

Antonius Fortuna, Canonicus Cathedralis, exponit, qualiter Episcopus quandoque ipsi mandat, ut conciones habeat in Cathedrali, ac dioecesi; supplex proinde quaerit:

1° An Canonicus cathedralis concionem habens diebus Adventus et toto tempore Quadragesimae de mandato Episcopi, tam in Cathedrali quam in dioecesi, teneatur solvere punctaturas, sicuti tenentur solvere canonici non interessentes choro.

2° An tunc temporis missas, quas pro benefactoribus vi fundationis celebrare tenetur in cathedrali, possit celebrare in eodem loco, ubi reperitur.

R. *Ad primum, affirmative; ad secundum, negative.*

ANALECTA VARIA

ROMANAE INSTITUTIONES

Casus Conscientiae propositi et soluti Romae, ad S. Apollinarem, in Coetu S. Pauli Apostoli, A. 1904-905.

IX.

De absolutione a censuris reservatis Romano Pontifici.

Die 22 Maii 1905, hora 17 $^3/_4$ (5 $^3/_4$ pom.).

Die dominico Titius summo mane Ecclesiam parochialem petit, et ad Caium accedit, ut sacramentaliter confiteatur. Inter caetera se accusat de peccato, cui adnexa est excommunicatio specialiter Papae reservata. Caius, qui potestate absolvendi ab huiusmodi casibus destituitur, negat, se ab hoc casu eum absolvere posse, usque dum facultatem ad id requisitam petat et obtineat.

Instat nihilominus Titius, ut statim absolvatur; tum quia durum est ei in mortali tamdiu permanere, tum quia mox nuptias est celebraturus et simul cum sponsa Eucharistiam sumere sibi oportet, ne secus scandalum praebeat et infamiam certissimam incurrat: « Quidquid sit, ait Caius, ego in tali causa nihil possum ». Interrogat Titius, an saltem in tanta casus urgentia possit sibi providere per contritionem charitate perfectam. « Absit, reponit Caius; nam censura ligatus nec sacramenta suscipere, nec administrare potest, nisi prius censurae vinculo solvatur ».

Quaeritur:

1° *An, et quibus sub conditionibus, confessarius, non habens facultatem in censuras Pontifici reservatas, absolvere possit poenitentem iisdem irretitum, si alioquin inabsolutus dimitti nequeat sine gravi incommodo?*

2° *An unaquaeque ex duplici ratione a Titio allata, fuisset sufficiens ad eum statim et directe absolvendum?*

3° *An Titius non absolutus potuisset sibi providere per contritionem charitate perfectam et ad Eucharistiam accedere ac matrimonium celebrare, non obstante censura?*

Ad I^um^. Iam a die 23 Iunii 1886 Suprema S. O. Congregatio, facto verbo cum SS.mo, declaraverat posse simplicem Confessarium « in casibus vere urgentioribus, in quibus ab- « solutio differri nequeat absque periculo gravis scandali vel « infamiae, super quo confessariorum conscientia oneratur. « dare absolutionem, iniunctis de iure iniungendis, a censuris « etiam speciali modo Summo Pontifici reservatis, sub poena « tamen reincidentiae in easdem censuras, nisi saltem infra « mensem per epistolam, et per medium Confessarii recurrat « ad S. Sedem ».

Sed anno 1897 Episcopus Mimatensis proposuit dubium: « Utrum in casu, quo nec infamia, nec scandalum est in « absolutionis dilatione, sed durum valde est pro poenitente « in gravi peccato permanere per tempus necessarium ad « petitionem et concessionem facultatis absolvendi a reser- « vatis, simplici confessario liceat a censuris S. Pontifici « reservatis directe absolvere, iniunctis de iure iniungen- « dis etc. ». Ad quod dubium respondit Suprema S. O. Congregatio, sub die 16 Iunii 1897: *Affirmative, facto verbo cum SS.mo* (1).

Item cum explicite non constaret a quibus reservatis censuris posset simplex Confessarius absolvere, extra mortis periculum, quaesitum fuit: « Utrum... clausula sub poena tamen rein- « cidentiae in easdem censuras (quae legitur in responsione « supra allata diei 23 Iunii 1886) referatur solummodo ad « absolutionem a censuris et casibus *speciali modo* S. P. re- « servatis, an etiam ad absolutionem a censuris et casibus *sim-* « *pliciter* Papae reservatis? » Cui eadem Suprema S. O. Congregatio, sub die 17 Iunii 1891, respondit: *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*

Ex his igitur apertissime patet posse simplicem Confessarium absolvere a casibus et censuris Summo Pontifici vel *simpliciter*, vel *speciali modo* reservatis quoties ex dilatione absolutionis infamia aut scandalum vere timeatur, vel etiam quoties valde durum sit poenitenti in peccato permanere per totum tempus necessarium ad facultatem obtinendam. Hisce tamen in casibus debet Confessarius poenitenti iniungere quae sunt, iuxta casuum diversitatem, a iure iniungenda,

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. V, p. 381.

eique onus imponere recurrendi infra mensem per epistolam et per ipsum Confessarium ad S. Sedem sub poena reincidendi in easdem censuras.

Ad IIum. Ex dictis clarissime patet Titium potuisse absolvi, iniunctis iniungendis, a censuris Summo Pontifici *specialiter* reservatis, et quidem ex duplici illa ratione ab ipso Titio adducta: imo alterutra a Confessario ut vere sufficiens habenda erat. Certo enim timenda erant infamia et scandalum, si Titius mox nuptias celebraturus cum sponsa ad Eucharistiam non accederet; simulque eidem durum admodum fuisset, si cogeretur nuptias inire mortali culpa gravatus.

Ad IIIum. Concilium Tridentinum (sess. 13. c. 7) generali lege statuit neminem sibi conscium mortalis culpae posse accedere ad S. Eucharistiam, *quamtumvis sibi contritus videatur,* nisi prius sacramentali confessione animam purgaverit; hoc enim *perpetuo servandum esse decrevit a Christianis omnibus, etiam ab iis Sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare.* Exceptionem tamen posuit idem Concilium, verbis insequentibus videlicet: *modo non desit illis copia Confessarii. Quod si, necessitate urgente, Sacerdos absque praevia Confessione celebraverit, quam primum confiteatur.* Hinc DD. concludunt duo esse absolute necessaria, ut quis, mortali labe infectus, sola praemissa contritione, ad Eucharistiam accedere possit, nempe necessitas communicandi et defectus Confessarii. Quoad necessitatem communicandi, certe adesse dicenda foret, si ex omissa Communione scandalum oriri posset vel infamia. E contra non deficeret confessarius, si tantum ille deesset, cui quis ordinario confitetur peccata sua. Pariterque pro eo, qui tenetur Eucharistiam suscipere, ad vitandum grave scandalum, et est censuris S. P. reservatis innodatus, non deficeret confessarius, si ex praesentibus nullus iurisdictionem in reservata haberet; data enim necessitate scandali vitandi, quilibet Confessarius potest, ut vidimus, ab huiusmodi reservatis absolvere. Unde, data absentia cuiuslibet Confessarii, etiam reservata excommunicatione innodatus, potest absque praemissa Confessione ad Eucharistiam accedere, si secus scandalum oriretur.

Hinc cum Titius teneatur ad Eucharistiam accedere cum sponsa sua, ne scandalum oriatur, cumque unicus, qui adesse supponitur Confessarius eidem absolutionem recuset, poterit Titius sibi providere per contritionem caritate perfectam, et ad Eucharistiam accedere, et matrimonium celebrare, non obstante censura: quandoquidem censura est tantum iuris ecclesiastici, et praeceptum vitandi scandalum pertinet ad ius divinum.

JOACHIMUS FERRINI
Ministrantium Infirmis.
Epitomator ex officio.

Casus Liturgicus propositus et solutus Romae, in Academia Liturgica.

De cantu et organo in sacris.

Die 29 Iunii 1905, hora 6 1/4 a meridie.

Ioannes presbyter et cuiusdam Ecclesiae Rector, omni ope conatur, ut organorum sonitus et cantus qualitas *Motu-proprio* (1) a Pio Pp. X nuper emanato adamussim respondeant. Nihilominus saepe dubiis angitur circa repetitiones verborum in musicali cantu, per Ecclesiae suae magistrum exarato: sive illae hymnorum initia spectent, sive alias liturgici textus partes, quas officium agens iam intonavit, sive alias plures. Verborum namque iterationes, saltem indebitae, quas tamen distinguere nescit a debitis, in *Motu-proprio* interdicuntur. Item dubitat, utrum organa comitari cantum possint, qui liturgicus seu gregorianus dicitur, et peculiariter si de Missa defunctorum agatur, in qua nunc musicalis nunc liturgica modulatio adhibetur. Denique Caeremoniali Episcoporum adhaerens in Dominicis Adventus, tertia excepta, et Quadragesimae, excepta quarta, organa in sua Ecclesia silere iubet, non tamen in dicti temporis feriis: super quo plures audit querelas, ac si solemnius quam Dominicae, feriae Adventus et Quadragesimae celebrandae forent. *Quaeritur:*

1. *Quomodo intelligendum Motu-proprio Pii Pp. X,* art. 9 quod sic se habet: *Textus liturgicus canendus est prout extat in libris, nullo verbo corrupto, nullo postposito, indebitis iterationibus prorsus amotis?*

2. *Utrum huiuscemodi iterationes verborum, Ecclesia antiqua, sive graeca sive latina saltem, tacite unquam admiserit.*

3. *Utrum, et qua lege, debitae iterationes admittendae sint?*

Ad Ium. Praecipit SS.mus D. N. Pius Pp. X, in suo *Motu proprio,* ut textus liturgicus cantetur prout extat in libris, *nullo corrupto verbo, nullo postposito, indebitis iterationibus prorsus amotis.* De corruptione verborum nihil dicimus, siquidem quid sit, eamque proinde omnino esse illicitam, facile lectores intelligent; ad hoc observandum, uti unusquisque videt, sufficit quod cantores legere sciant. Quod gravissimam inducit inordinationem in textum liturgicum, est postpositio verborum, eorumque indebitae iterationes, quae, ita sensum textus subvertere possunt, ut etiam haeresim aliquando significent. Sic, si quis v. g. canendo verba illa Symboli: *Genitum non factum consubstantialem Patri,* anteponeret vel post-poneret ad placitum particulam *non,* nemo non videt quantas haereses caneret: diceret enim *non genitum, non consubstantialem Patri,* quod absit ut hoc accidat in Ecclesia sancta Dei. Verum etiam immodica repetitio verborum omnino vitanda est, quae ut plurimum textum liturgicum ridiculum reddit, ex. gr. *Credo, Credo, Credo, Credo, Credo, Credo, in unum Deum. Credo, Credo Credo in unum Deum Patrem,* etc. Sic, clar.mus Mercadante inter plurima menda, illud patrat in hymni angelici conclusione consistens per verba: *Cum sancto Spiritu in gloria Dei Patris. Amen,* cum numeris musicis *(battute)* 106!!! verbaque interiiciendo *Laudamus* et *Glorificamus,* ita ut sensus sit: *Laudamus Te, glorificamus in gloria Dei Patris,* quod non tantum est inordinata subversio verborum, sed et sensus hymni torquetur, et mendosus redditur.

Idem agit celeberrimus Rossini, in conclusione Sequentiae *Stabat Mater,* notae lippis et tonsoribus; In ea, quae 162 numeris (*battute)* constat, Sopranus 36 vicibus repetit verbum *amen,* et quod mirandum est, arbitrarie auctor simul cum *amen* inducit verba *in sempiterna saecula,* quae in textu non sunt, 32 vicibus, ita ut non semel Sopranus dicat, *in sempiterna, amen.* Plurima adduci possent exempla, sed superfluum iudicamus, cum ex dictis satis superque appareat in quo consistat verborum postpositio, ac eorundem indebita repetitio, quam lex vetat in liturgicis concentibus.

Ad IIum. Iterationes verborum indebitas de quibus supra, constat ex plurimis documentis, quae, brevitatis causa omittimus, nunquam admissas fuisse in utraque Ecclesia. Attamen in aliquibus adest simplex Ecclesiae tolerantia, cum scilicet in cantu figurato ratione rythmi necessarium sit aliquando iterare verba.

(1) Cfr. *Anal. Eccl.* Vol. XII, p. 3.

Ad III^um. Iterationes debitae eae sunt primo quae praecipiuntur ex ipso textu liturgico, non ratione cantus, sed ratione sermonis, v. g., in utraque Ecclesia latina et graeca, *Alleluia, Kyrie eleyson, Sanctus* in Missa; invocationes, quinquies, ἅγιος ὁ Θεός, ἅγιος ἰσχυρός, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς in graeca, quae invocationes etiam vigent apud liturgiam Ordinis Carmelitarum, litteris tamen latinis scriptae, videlicet: *Agios o Theos. Agios Ischyros. Agios athanatos, eleison imas*, quae ter cantantur Feria sexta in Parasceve in discooperitione Crucis. Verum non de istis iterationibus agitur *Motu proprio*, sed de iis quae 2°, tantum fiunt ratione cantus.

Porro iterationes istae, data causa, et amoto excessu, in cantu sacro non prohibentur. Summus Pontifex sapientissime ad rem dicit, textum esse canendum *indebitis iterationibus amotis;* ergo debitae iterationes haberi possunt. Etenim si consideretur, textum sacrum ut plurimum esse prosaicum, facile intelligitur, aliquando iterationem verborum necessariam esse, ut rythmus in verbis non deficiat. Parca igitur, iusta et moderata admittitur iteratio verborum, dummodo sensus non corrumpatur, ut prosa, quae metrica caret mensura, hanc quodammodo, aliquod verbum iterando, exaequet, atque ita musicali periodo facilius conformetur.

P. Elias M. Coccia, Ord. Carm.
S. R. C. Consultor,
Censor Pontif. Academiae Liturgicae.

EPHEMERIDES CURIÆ ROMANÆ

NE PEREANT

Décembre 1905.

2 Samedi.

S. Exc. le Duc de Norfolk est reçu en audience.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Vivés y Tuto est nommé Protecteur des Sœurs de la Providence de Grenoble.

3 Dimanche.

S. G. Mgr Joseph-Thomas Duhamel, Arch. d'Ottawa, est reçu en audience.

4 Lundi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Joachin Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti, Arch. de Rio-Janeiro; — et Mgr Stanislas Touchet, Ev. d'Orléans.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Vivés y Tuto est nommé Protecteur de l'Institut de St-Charles pour les Italiens émigrants à l'étranger.

5 Mardi.

S. G. Mgr Ignace Montes de Oca y Obregon, Ev. de St-Louis-de-Potosi, est reçu en audience.

— Congr. Ordinaire des S. Rites, tenue au Vatican, pour y examiner les affaires suivantes:

1. Introduction de la cause du serviteur de Dieu François-Joseph Rudigier, Evêque de Linz.
2. Confirmation du culte rendu de temps immémorial aux serviteurs de Dieu Placide, martyr, et Sigisbert, Abbé, de l'Ordre de St-Benoît, fondateurs du Monastère de Dissentis, au diocèse de Coire; approbation de leur office et inscription de leurs noms au martyrologe.
3. Confirmation du culte rendu de temps immémorial à la servante de Dieu Marguerite de Louvain, vierge et martyre.
4. Approbation pour le diocèse de Fiesole d'un office et d'une messe en l'honneur du Saint roi David.
5. Approbation d'un office et d'une messe en l'honneur du Bienheureux Christophe de Romandiola, de l'Ordre des Frères Mineurs, confesseur.
6. Approbation pour l'Ordre Franciscain des Mineurs de deux offices et de deux messes, l'une des Mystères du Chemin de la Croix et l'autre des Sept Allégresses de la Sainte Vierge.
7. Approbation du choix qu'a fait la Province de Santander de la Bienheureuse Vierge Marie pour sa Patronne principale.
8. Pareillement du choix qu'a fait de St Sébastien, martyr, le diocèse de Pouso Alegre.
9. Révision des écrits des Vén. Joseph-Marie Diaz Sanjurjo, et Melchior-Garcias Sampedro, Ev. et Vic. Apost. du Ton-Kin, de l'Ordre des Frères Prêcheurs.
10. Solution de plusieurs questions liturgiques.

6 Mercredi.

Le T. Rév. P. Emmanuel Bailly, Sup. Gén. des Augustins de l'Assomption, est reçu en audience.

— Premier sermon de l'Avent, prêché au Vatican, *coram SS.mo.*

7 Jeudi.

Le St-Père reçoit en audiences: S. G. Mgr Jean-Marie Santarelli, Arch. d'Urbin; — et le Rév. P. Provincial des *Christians Brothers* en Australie.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Cardinal Vincent Vannutelli est nommé Protecteur de l'Association de Notre-Dame du Salut.

9 Samedi.

Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, S. Em. le Card. Antoine Agliardi est nommé Protecteur de la Société Ouvrière Catholique de St Joachin, à Rome; — et S. Em. le Card. François Satolli est nommé Protecteur de la Vénérable Confrérie du T. S. Rosaire, érigée dans l'Eglise de St-Clément, à Rome.

10 Dimanche.

Proclamation de quatre Décrets de la S. Congr. des Rites, faite au Vatican, *coram SS.mo.*

11 Lundi.

Consistoire secret, tenu au Vatican, pour la création de quatre Cardinaux, et la préconisation d'Evêques. *(Voir aux Anal. Nova,* p. 481).

12 Mardi.

Le St-Père reçoit en audiences: LL. GG. Mgr Parodi, Arch. de Sassari; — Mgr François Morelli, Ev. de Narni; — et Mgr Ludovic Balàs de Lipek, Ev. de Rosnavia.

13 Mercredi.

Deuxième Sermon de l'Avent, prêché au Vatican, *coram SS.mo.*

— Le St-Père impose la barrette cardinalice aux deux nouveaux Cardinaux Arcoverde de Albuquerque et Cagiano de Azevedo.

14 Jeudi.

Consistoire public, suivi du Consistoire secret *(Voir aux Anal. Nova,* p. 483).

— Par Billets de la Secrétairerie d'Etat, le St-Père assigne aux deux nouveaux Cardinaux, les Congrégations suivantes:

A S. Em. le Card. Joachin Arcoverde de Albuquerque Cavalcanti: Consistoriale, Ev. et Rég., Laurétane, Etudes;

A S. Em. le Card. Octave Cagiano de Azevedo: Concile, Rites, Cérémonial, R. Fabrique de St-Pierre.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Gaëtan Bisletti, est nommé Majordome, tout en conservant les attributions de Maître de Chambre de Sa Sainteté.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Louis Misciatelli, est nommé Sous-Préfet des S. Palais Apostoliques.

— Par Billet de la Secrétairerie d'Etat, Mgr Camille Caccia-Dominioni, est nommé Camérier Secret Participant. F. C.

Imprimatur: Fr. Albertus Lepidi O. P. S. P. Ap. Magister
Imprimatur: Josephus Ceppetelli Patr. Constant. Vicesg.
Salvatore Marinelli, *gerente.*
Tipografia Editrice Romana — Via della Frezza 59-61.

INDICES DECIMI TERTII VOLUMINIS

ROMANA COLLECTANEA

ANALECTA ECCLESIASTICA

JANUARIUS-DECEMBER 1905

I. — INDEX ANALYTICUS RERUM

JANUARIUS.

ANALECTA NOVA

ANALECTA VETERA

ANALECTA VARIA

FEBRUARIUS.

ANALECTA NOVA

ANALECTA VETERA

ANALECTA VARIA

MARTIUS.

ANALECTA NOVA

ANALECTA VETERA

ANALECTA VARIA

NOVEMBER.

ANALECTA NOVA

ANALECTA VETERA

ANALECTA VARIA

DECEMBER.

ANALECTA NOVA

ANALECTA VETERA

ANALECTA VARIA

II. — INDEX ALPHABETICUS

A

CONGREGATIONES RELIGIOSAE.

SS. CONGREGATIONES ROMANAE.

Ex Actis Summi Pontificis et e Secretar. Brevium. Pius IX praerogativas concedit Capitulo Patriarchali Venetiarum, 16 Iulii 1865, p. 59. — Pius X encomia rependit Instituto a Charitate, 10 Feb. 1904, p. 12. — *Motu proprio* de clericis Apulis in Seminarium Vaticanum cooptandis, 12 Maii 1904, p. 104. — Templum extructum Hierosolymis in honorem S. Stephani Protom., erigitur in Basilicam Minorem, 10 Iunii 1904, p. 65. — Pius X grates rependit observantiamque testatur industrio populo Americae Superioris, 13 Iunii 1904, p. 12. — Indulg. conceduntur Sodalibus Pii Operis « a Maria Imm. » nuncupati, 21 Iunii 1904, p. 64. — Breve Beatif. V. S. D. Gasparis del Bufalo, 29 Aug. 1904, p. 97. — Breve Beatificationis V. S. D. Ioannis Mariae Baptistae Vianney, 8 Sept. 1904, p. 7. — Breve Beatificationis VV. SS. D. Agathangeli Vendomensis et Cassiani Nannetensis, ex Ord. Cap., 23 Oct. 1904, p. 6. — Breve Beatif. V. S. D. Stephani Bellesini, 1 Nov. 1904, p. 3. — Breve Beatificationis VV. SS. D. Marci Crisini, Stephani Pongraczii et Melchioris Grodeczii, 1 Nov. 1904, p. 10. — Pius X Caecilianae Societati germanicae, de musica sacra optime meritae, grates et hortamenta rependit, 10 Nov. 1904, p. 11. — Bulla Canonizationis Beati Alexandri Sauli, 11 Dec. 1904, p. 433. — Bulla Canonizationis Beati Gerardi Maiella, 11 Dec. 1904, p. 438. — Pius X Indulg. concedit recitantibus quamdam iaculatoriam in honorem SS. Cordis Jesu Eucharistici, 19 Dec. 1904, p. 13. — Pius X prosperum ominatur exitum Tertio Conventui ad abolendam captivitatem, Tarenti coadunando, 20 Dec. 1904, p. 12. — Pius X iubet ut omnes sacerdotes saeculares Urbis spiritualibus exercitiis vacent saltem tertio quoque anno, in tribus adsignatis Asceteriis, 27 Dec. 1904, p. 61. — Pius X iubet ut in singulis Parochiis Urbis, Prima Communio solemniter quotannis ministretur pueris, 12 Ian. 1905, p. 62. — Pius X Comitatum Nationalem Italicum pro Palaestina et Sanctuario Lapurdensi commendat, 17 Ian. 1905, p. 60. — Pius X gratulatur de mox cogendo conventu, Argentinae, circa cantum gregorianum, 23 Ian. 1905, p. 65. — Pius X commendat symbolas pro Lycaeo Magno Insulensi, 31 Ian. 1905, p. 105. — Pius X hypogei Cassinensis ornatum summa laude commendat, 5 Feb. 1905, p. 64. — Pius X nonnulla decernit circa Pontificios Ordines Equestres, 7 Feb. 1905, p. 99. — Pius X probat conventum circa christianam catechesim, Placentiae mox celebrandum, 8 Feb. 1905, p. 104. — Plures indulgentiae Ordini Min. Cap. iam concessae confirmantur et novae conceduntur, 10 Feb. 1905, p. 101. — Conceditur indulg. plen. visitantibus Ecclesias Carmelitarum die festo B. Franci, 11 Feb. 1905, p. 152. — Pius X Arcadicum Coetum de Urbe benevolenti animo prosequitur, 13 Feb. 1905, p. 65. — Pius X gratulatur cl. Paquet, de opere super doctrina S. Thomae Aq. Sibi oblato, 20 Feb. 1905, p. 105. — *Motu proprio* de Protonotariis Apl., Praelatis Urbanis, et aliis qui nonnullis privilegiis Praelatorum propriis fruuntur, 21 Feb. 1905, p. 53. — Pius X saecularem natalem Asceterii, vulgo *Ponterotto*, de Urbe, summopere commendat, 26 Feb. 1905, p. 151. — De translatione Abbatis Gen. Congr. Benedictinae Brasiliensis, ab Abbatia S. Mariae de Monteserrato, Fluminis Ianuarii, ad Abb. S. Sebastiani, Bahiae, 28 Feb. 1905, p. 190. — R. P. Gerardus Van Caloen, Abbas S. Benedicti apud Olindam, nominatur Abbas S. Mariae Fluminis Ianuarii, 28 Feb. 1905, p. 191. — Pius X reprobat modum agendi italorum qui vulgo nuncupantur democratici christiani autonomi, 1 Martii 1905, p. 103. — Pius X hortatur Epos Austriae ad fidem in subditis tuendam, 6 Martii 1905, p. 151. — Indulg. conceduntur pro concionibus Fratrum Min. Provinciae Franciae, 17 Martii 1905, p. 191. — Collegium Urbis Pium-Latinum-Americanum, pontificali titulo augetur, 19 Martii 1905, p. 149. — Conceduntur indulg. illis qui intersunt concionibus... Fratrum Min. Provinciae Thuringiae, 27 Martii 1905, p. 192. — Litt. Encycl. *Acerbo nimis* de christiana doctrina tradenda, 15 April. 1905, p. 145. — Pius X laudat ephemeridem l'*Eco di Bergamo*, 26 April. 1905, p. 191. — *Motu proprio* de confoederatione Ursulinarum, 8 Maii 1905, p. 189. — *Motu proprio* quo conceditur Cardinalibus non Episcopis, usus crucis pectoralis, 24 Maii 1905, p. 238. — Pius X laudat zelum sac. I. Vezzini, qui praeest « Bibliothecae SS. Patrum » edendae, 26 Maii 1905, p. 442. — Indulg. conceduntur pro piis exercitationibus... praecedentibus festum S. Dominici, 7 Iunii 1905, p. 442. — Pius X plura decernit circa actionem catholicam moderandam in Italia, 11 Iunii 1905, p. 233. — Pius X novum et unicum Catechismum pro tota Provincia Romana imponit, 14 Iunii 1905, p. 367. — Pius X genti Maronitae de pietatis observantiaeque testimoniis gratulatur, 29 Iunii 1905, p. 277. — *Motu proprio* de examinibus subeundis in Urbe ab omnibus ordinandis, 16 Iulii 1905, p. 321. — An et sub quibus conditionibus sacerdotes aliarum dioecesium adire Urbem, ibique commorari possint, 6 Aug. 1905, p. 367. — Pius X commendat LII conventum catholicorum germanorum, mox Argentorati cogendum, 14 Aug. 1905, p. 368. — Pius X concordiam commendat occasione conventus catholicorum totius Austriae, mox Vindobonae cogendi, 4 Sept. 1905, p. 443. — Indulg. conceduntur recitantibus Coronam Franciscanam Septem Gaudiorum B. Mariae Virg., 15 Sept. 1905, p. 366. — Pius X hortatur Gallos ut Deo preces fundant ad avertendas imminentes in Religionem calamitates, 4 Oct. 1905, p. 368. — Pius X Anglos catholicos hortatur ut indefesse scholas catholicas pro iuvenum instructione foveant, 18 Oct. 1905, p. 442. — Pius X commendat Pium Opus a Praeservatione Fidei, illiusque favore, indulgentias ac Privilegia largitur, 1 Nov. 1905, p. 479. — Pius X ad Polonos Imperio Russico subiectos, 3 Dec. 1905. p. 477.

Ex Actis Consistorialibus. *Nullius* seu *Santaremsis et Belemensis de Para in Brasiliana Republ.* Denuo definiuntur limites Praelaturae Nullius seu Santaremsis, et Dioecesis de Pará, 25 Oct. 1904, p. 13. — Ecclesia Cathedralis erecta Clavari, in honorem B. M. V. de Horto, in Basilicam minorem erigitur, 27 Nov. 1904, p. 66. — Consistorium secretum diei 27 Martii 1905: Allocutio SSmi; provisiones ecclesiarum, p. 105. — Territorium « Wackelbeckerfeld » distrahitur ab Archid. Coloniensi et incorporatur dioec. Monasteriensi, 5 Maii 1905, p. 369. — Nonnulla insignia ecclesiastica indulgentur Canonicis Eccl. Cath. Calaguritanae, 15 Maii 1905, p. 370. — Consistorium Secretum, diei 11 Dec. 1905: Creantur Cardinales; Provisiones Ecclesiarum; Allocutio SSmi, p. 481. — Consistorium Publicum et Secretum, diei 14 Dec. 1905, p. 483.

S. C. Concilii. A. Per Summaria Precum. - *Signina - Distributionum.* Non admittitur recursus, 21 Ian. 1905, p. 14. — *Manizalen. - Dubiorum quoad S. Ordinationem*, ratione domicilii, 21 Ian. 1905, p. 16. — *Beneventana - Adscriptionis ad Clerum*, quae denegatur iuxta mentem, 25 Feb. 1905, p. 68. — *Bredanen. - Dubiorum super eleemosynis missarum*, circa earum commutationem et retentionem, 25 Feb. 1905, p. 70. — *De Pouso Alegre - Dubiorum circa Oratoria privata.* Dilata, 25 Feb. 1905, p. 323. — *Tarraconen. - Remunerationis pro collectione missarum*, 18 Martii 1905, p. 110. — *Triventina - Adiudicationis reddituum*, in favorem Vicarii curati, 18 Martii 1905, p. 111. — *Giennen. - Servitii choralis.* Non sustinetur consuetudo, 18 Martii 1905, p. 108. — *Bituntina - Concursus ad praebendam poenitentiarii.* Iteretur concursus, 20 Maii 1905, p. 194. — *Conchen. - Exonerationis.* Conceditur petita exoneratio, 20 Maii 1905. p. 195. — *Wratislavien. et aliarum - De parocho proprio quoad matrimonium.* Causa maximi momenti, 20 Maii 1905, p. 193. — *Votum* Consultoris, p. 339, p. 380, p. 451, p. 486. — *Bambergen. - Circa eleemosynas missarum*, quoad retentionem partis stipendii, 17 Iunii 1905, p. 243. — *Cadurcen. - Satisfactionis Missarum.* Aliquid conceditur ad mentem, 17 Iunii 1905, p. 240. — *Mariannen. in Brasilia - Synodi dioecesanae.* Dispensatur ad decennium super solemnitatibus, a iure praescriptis, 29 Iulii 1905, p. 326. — *De Pouso Alegre - Dubiorum circa oratoria privata.* Revertatur ad observantiam iuris communis, 29 Iulii 1905, p. 325. — *Abellinen. - Dispensationis ab irregularitate*, quae conceditur, 26 Aug. 1905, p. 370. — *Lugdunen. - Irregularitatis*, quae pro nunc non dispensatur, 26 Aug. 1905, p. 371. — *Platien. - Redditionis rationum.* Servetur ius commune, 18 Nov. 1905, p. 444. — *Compostellana - Iubilationis.* Quae conceditur cum solitis clausulis, 18 Nov. 1905, p. 446. — *Ravennaten. - Nominationis Caeremoniarii Capitularis.* Differtur discussio, 18 Nov. 1905, p. 447.

B. In Folio. - *Sabinen. - Refectionis expensarum.* Servetur pactum, ad normas iuris canonici validum, 17 Dec. 1904, p. 152. — *Mutinen. - Oneris Missarum et residentiae.* Serventur mens testatoris et tabulae fundationis, 21 Ian. 1905, p. 18. — *Taurinen. - Dismembrationis.* Quae non conceditur, 21 Ian. 1905, p. 23. — *Toletana - Distributionum.* Non est sustinenda exposita consuetudo, 21 Ian. 1905, p. 28. — *Albien. - Translationis a paroecia.* Quae

sustinetur in casu, 25 Feb. 1905, p. 73. — *Alben. Pompeien.* - *Remotionis a paroecia.* Propter odium plebis, 21 Feb. 1905, p. 156. — *Romana - Spolii* seu *redintegrationis.* Quoad exercitium iurisdictionis parochialis, 25 Febr. 1905, p. 159. — *Ostunen. - Redintegrationis in officio et solutionum.* Non conceditur redintegratio in officio Vicarii generalis, 25 Feb. 1905, p. 163. — *Nicoterien. - Cantoratus et nominationis Pro-Vicarii generalis,* 18 Martii 1905, p. 115. — *Augustae Praetoriae - Solutionis.* Infirmatur sententia Curiae, 18 Martii 1905, p. 119. — *Salutiarum - Remotionis a paroecia.* Removetur parochus, 18 Martii 1905, p. 121. — *Nuscana - Iurium* seu *privilegiorum.* Sententia diei 19 Nov. 1904 confirmatur, 18 Martii 1905, p. 165. — *Catacen. - Matrimonii.* Decernitur constare de nullitate ex defectu consensus et ex clandestinitate, 20 Maii 1905, p. 198; - Votum Consultoris, p. 199. — *Laquedonien. - Concursus.* Circa illius validitatem, 20 Maii 1905, p. 202. — *Ostunen. - Solutionis.* Controversia sub die 25 Feb. agitata, iterum redit, 20 Maii 1905, p. 203. — *Plocen. Varsavien. - Matrimonii.* Dispensatur super matr. rato et non-consummato, 20 Maii 1905, p. 278. — *S. Severinae - Concursus.* Differtur solutio controversiae, 20 Maii 1905, p. 280. — *Varsavien. Lublinen. - Nullitatis matrimonii,* ex capite vis et metus, 17 Iunii 1905, p. 244. — *Mileten. - Matrimonii.* Constat de nullitate ex capite metus gravis, 17 Iunii 1905, p. 245. — *Clavaren. - Funerum.* De iure peragendi funus et emolumenta percipiendi, 17 Iunii 1905, p. 246. — *Cantonis Ticini - Nominationis ad Canonicatus.* Interpretatur privilegium quoddam, 17 Iunii 1905, p. 250. — *S. Severinae - Concursus.* Solvitur controversia, 17 Iunii 1905, p. 281. — *Derthonen. - Privationis paroeciae.* Confirmatur sententia iuxta modum, 17 Iunii 1905, p. 282. — *Annecien. - Nullitatis matrimonii.* Ob impedimentum clandestinitatis, 29 Iulii 1905, p. 327. — *Ostunen. - Solutionis.* Tertio redit haec controversia, 29 Iulii 1905, p. 328. — *Gaudisien. - Unionis paroeciae et erectionis Collegii.* Quae non conceditur, 29 Iulii 1905, p. 329. — *Barcinonen. - Iurium parochialium.* Confirmatur decisio diei 27 Aug. 1904, iuxta modum, 29 Iulii 1905, p. 330. — *Nicosien. - Concursus.* Sustinetur validitas, 29 Iulii 1905, p. 336. — *Leodien. - Nullitatis matrimonii.* Quae causatur ex affinitate, 26 Aug. 1905, p. 372. — *Versalien. - Nullitatis matrimonii.* Ob impedimentum clandestinitatis, 26 Aug. 1905, p. 376. — *Panormitana - Nullitatis matrimonii,* ex capite vis et metus, 26 Aug. 1905, p. 376. — *Feretrana - Translationis sedis paroecialis.* Quae non conceditur, 26 Aug. 1905, p. 378. — *Sorana - Nullitatis matrimonii* ex capite vis et metus, 18 Nov. 1905, p. 449. — *Vacien. - Dispensationis matrimonii,* rati et non-consummati, 18 Nov. 1905, p. 450. — *Derthonen. - Privationis paroeciae.* Sententia diei 11 Iunii 1905 confirmatur, 18 Nov. 1905, p. 451. — *Mexicana - Nullitatis matrimonii,* propter affinitatem, 16 Dec. 1905, p. 484. — *Melevitana - Pensionis,* quae adhuc solvi debet, 16 Dec. 1905, p. 485.

Meten. Dispensatur ad triennium ab applicatione missae pro populo, etc., 11 Nov. 1904, p. 32. — *Aliphana* Dubia circa interpretationem Decreti *Ut debita,* quoad missas manuales, 19 Dec. 1904, p. 76. — *Leopolien.* Dubia quoad interpretationem Decreti *De observandis,* 27 Feb. 1905, p. 124. — *Societatis SS. Salvatoris.* Postulata circa Decretum *De observandis,* 27 Feb. 1905, p. 124. — *S. Deodati.* Duo solvuntur dubia circa missarum stipendia, 27 Feb. 1905, p. 124. — *Congr. Spiritus Sancti.* Dubia circa Decretum *De observandis,* 27 Feb. 1905, p. 123. — *Ord. Min. Conventualium.* Eleemosyna missarum in Ecclesiis Regularium taxari potest arbitrio Ordinarii, iuxta morem regionis, 8 Maii 1905, p. 285. — Normae quae agitantur coram S. Congr. Concilii, iuris ordine servato, 3 Nov. 1905, p. 458.

Senen. - Officiorum, 28 Sept. 1676, p. 36. — *Amerina.* - Matrimonii, 28 Sept. 1676, p. 35. — *Dubium.* - Restitutionis vestis regularis, 28 Sept. 1676, p. 36. — *Asculana* seu *Farfen.* - Deputationis cappellani, 28 Sept. 1676, p. 36. — *Venafrana.* - Oblationum, 13 Nov. 1676, p. 37. — *Dubium.* - Suspensionis, 13 Nov. 1676, p. 37. — *Calaritana.* - Iurisdictionis, 13 Nov. 1676, p. 37. — *Bononien.* - Ordinationis, 13 Nov. 1676, p. 37. — *Gadicen.* - Renunciationis, 23 Ian. 1677, p. 38. — *Ulixbonen.* - Decimarum, 23 Ian. 1677, p. 38. — *Indiarum.* - Negotiationis, 23 Ian. 1677, p. 38. — *Tudertina.* - Concursus, 20 Feb. 1677, p. 38. — *Aquinaten.* - Erectionis, 20 Feb. 1677, p. 39. — *Dubium* - Distributionum, 20 Feb. 1677, p. 39. — *Limana.* - Dispensationis, 20 Feb. 1677, p. 39. — *Bononien.* - Celebrationis, 13 Martii 1677, p. 83. — *Ventimilien.* - Theologalis, 13 Martii 1677, p. 83. — *Pacen.* - Restitutionis in integrum, 13 Martii 1677, p. 83. — *Ugentina.* - Irregularitatis, 27 Martii 1677, p. 84. — *Cavallicen.* - Distributionum, 27 Martii 1677, p. 85. — *Cavallicen.* - Missarum, 27 Martii 1677, p. 84. — *Leodien.* - Iurisdictionis, 27 Martii 1677, p. 85. — *Conventualium.* - Quartae funeralis, 27 Martii 1677, p. 85. — *Marsicen.* - Emolumentorum, 27 Martii 1677, p. 84. — *Meliten.* - Clericatus, 8 Maii 1677, p. 85. — *Dubium.* - Beneficii, 8 Maii 1677, p. 85. — *Dubium.* - Servitii, 29 Maii 1677, p. 133. — *Dubium,* 29 Maii 1677, p. 133. — *Canarien.* - Anniversariorum, 29 Maii 1677, p. 133. — *Comen.* - Poenitentiariae, 29 Maii 1677, p. 86. — *Dubium* - Cognationis spiritualis, 29 Maii 1677, p. 86. — *Leodien.* - Iurium canonicalium, 29 Maii 1677, p. 86. — *Nullius* - Absolutionis et dispensationis, 12 Iunii 1677, p. 133. — *Tornacen.* - Matrimonii, 12 Iunii 1677, p. 133. — *Neapolitana.* - Haereditatis, 12 Iunii 1677, p. 134. — *Eugubina.* - Processionis, 12 Iunii 1677, p. 134. — *Cavallicen.* - Distributionum, 3 Iulii 1677, p. 134. — *Mirapicen.* - Constitutionum, 3 Iulii 1677, p. 135. — *Ecclesien.* - Electionis Vicarii Capitularis, 3 Iulii 1677, p. 134. — *Dubium.* Irregularitatis, 3 Iulii 1677, p. 134. — *Nucerina Paganorum.* - Decimarum, 24 Iulii 1677, p. 173. — *Dubium* - Censurarum, 24 Iulii 1677, p. 173. — *Dubium.* - Parochi dementis, 24 Iulii 1677, p. 173. — *Buscoducen.* - Praebendarum, 21 Aug. 1677, p. 173. — *Romana* seu *Vicana.* - Absolutionis, 4 Sept. 1677, p. 174. — *Beneventana.* - Iurisdictionis, 4 Sept. 1677, p. 174. — *Asculana.* - Participationis, 18 Sept. 1677, p. 214. — *Brasilien.* - De matrimonio, 18 Sept. 1677, p. 214. — *Melphiten.* - Clericatus, 18 Sept. 1677, p. 214. — *Gedanen.* - Matrimonii, 18 Sept. 1677, p. 214. — De Communione quotidiana et domestica, 2 Oct. 1677, p. 214. — *Tricarien.* - Iurisdictionis, 27 Nov. 1677, p. 263. — *Pacten.* - Distributionum, 27 Nov. 1677, p. 263. — *Dubium.* - Beneficii, 27 Nov. 1677, p. 262. — *Nullius. Altamurae.* - Processionum, 27 Nov. 1677, p. 263. — *Bosanen.* - Consecrationis, 27 Nov. 1677, p. 262. — *Indiarum.* - Cappellaniae, 11 Dec. 1677, p. 263. — *Mediolanen.* - Matrimonii, 11 Dec. 1677, p. 263. — *Squillacen.* - Cappellaniarum, 11 Dec. 1677, p. 264. — *Amalphitana.* - Erectionis Dignitatum, 11 Dec. 1677, p. 263. — *Dubium.* - Distributionum, 15 Ian. 1678, p. 264. — *Sarzanen.* - Participationis, 15 Ian. 1678, p. 264. — *Neapolitana.* - Iurisdictionis, 29 Ian. 1678, p. 264. — *Romana.* - Distributionum, 29 Ian. 1678, p. 265. — De Communione quotidiana et domestica, 5 Feb. 1678, p. 215. — *Novarien.* - Iubilationis, 5 Feb. 1678, p. 215. — *Dubium.* - Cognationis spiritualis, 5 Feb. 1678, p. 215. — *Dubium.* - Cognationis spiritualis, 5 Martii 1678, p. 302. — *Romana.* - Concursus, 5 Martii 1678, p. 302. — *Squillacen.* - Cappellaniarum, 26 Martii 1678, p. 304. — *Carmelitarum* - Iuris disponendi, 26 Martii 1678, p. 303. — *Regularium.* - De casibus reservatis, 26 Martii 1678, p. 302. — *Nullius Altamurae.* - Processionum, 26 Martii 1678, p. 304. — *Lauden.* - Iurisdictionis, 26 Martii 1678, p. 303. — *De observandis et evitandis in celebratione missarum,* 26 Martii 1678, p. 303. — *Dubium.* - Reductionis missarum, 30 April. 1678, p. 305. — *Amalphitana.* - Archipresbyteratus, 30 April. 1678, p. 305. — *Nuceriae Paganorum.* - Decimarum, 30 April. 1678, p. 304. — *Hortana.* - Moderationis oneris, 30 April. 1678, p. 304. — *Brunswicensium.* - Indulti, 30 April. 1678, p. 304. — *Dubia.* - Super collocutione Regularium cum Monialibus, 21 Maii 1678, p. 355. — *Dubia.* - De Sacramento Poenitentiae, 21 Maii 1678, p. 355. — *Placentina.* - Dispensationis, 21 Maii 1678, p. 356. — *Neapolitana.* - Missarum, 21 Maii 1678, p. 355. — *Mutinen.* seu *Carpen.* - Iurisdictionis, 18 Iunii 1678, p. 419. — *Dubium.* - Cappellaniae, 18 Iunii 1678, p. 419. — *Hibernien.* - Gravaminum, 18 Iunii 1678, p. 419. — *Cremonen.* - Commodi missae, 18 Iunii 1678, p. 419. — *Dubium.* - Cappellaniae, 2 Iulii 1678, p. 420. — *Dubium.* - Cognationis legalis, 2 Iulii 1678, p. 420. — *Cremonen.* - Commodi missae, 2 Iulii 1678, p. 420. — *Auximana.* - Quartae funeralis, 30 Iulii 1678, p. 421. — *Tiburtina.* - Celebrationis, 30 Iulii 1678, p. 421. — *Neapolitana.* - Testamenti, 30 Iulii 1678, p. 421. — *Lauden.* - Iurisdictionis, 30 Iulii 1678, p. 469. — *Romana.* - Distributionum, 20 Aug. 1678, p. 471. — *Dubia.* - Procurationis, 20 Aug. 1678, p. 471. — *Leodien.* - Ordinationis, 20 Aug. 1678, p. 471. — *Indiarum.* - Profes-

sionis regularis, 20 Aug. 1678, p. 471. — *Pennen.* - Iurisdictionis, 10 Sept. 1678, p. 493. — *Bovinen. seu Sypontina.* - Ordinationis, 10 Sept. 1678, p. 493. — *Adjacen.* - Punctorum et celebrationis, 10 Sept. 1678, p. 494.

S. C. Ep. et Reg. Epistola ad Ordinarios circa confoederationem Ursulinarum, 21 Iulii 1899, p. 490. — *Alben. Pompeien.* - *Iurium.* Circa privativam benedictionem aquae baptismalis, 26 Iunii 1903, p. 386. — *S. Iacobi de Chile.* - *Iurispatronatus.* Interpretantur dispositiones testamentariae, 26 Iunii 1903, p. 387. — Approbatur Unio Ursulinarum, 17 Iulii 1903, p. 491. — *Parisien.* - *Exemptionis.* Lazaristarum quoad confessionem, 11 Dec. 1903, p. 389. — *Derthonen.* - *Iurisdictionis parocnialis.* Circa Nosocomium reaedificatum in eodem loco, 20 Feb. 1904, p. 391. — *Matriten.* - *Crediti.* Favore conventus incorporantis, non vero Ordinarii, 12 Martii 1904, p. 393. — *Ordinis S. Benedicti.* - *Dimissionis.* Quae non sustinetur, 13 Maii 1904, p. 397. — *Bambergen.* - *Translationis.* Confirmatur translatio, 13 Maii 1904, p. 397. — *Tusculana* - *Exemptionis ac iurium.* Controversia inter Carmelitas Discalceatos et Curiam Epalem necnon et parochum loci, 13 Maii 1904, p. 395. — *Savonen.* - *Funerum.* Designatio ecclesiae pro absolutione cadaveris, importat in casu electionem sepulturae, 29 Iulii 1904, p. 399. — *Meliten.* - *Translationis Confraternitatis.* Quae permittitur, 19 Iulii 1904, p. 400. — *Ursulinarum.* Tolerari potest consuetudo ingrediendi clausuram pro monialium funeribus persolvendis, 12 Nov. 1904, p. 76. — *Trinitariorum.* Circa admissionem novitiorum ad professionem; eorumve dimissionem, standum Decreto *Regulari disciplinae*, 25 Nov. 1904, p. 77. — *Utinen.* - *Iurium et exemptionis.* Quoad Ecclesiam Regularibus ad solum usum concessam, 27 Ian. 1905, p. 459. — *Caietana* - *Iurisdictionis.* Poenae ab Archiepo inflictae non sustinentur, 27 Ian. 1905, p. 401. — De Tertiariis in communitate viventibus Ordini Minorum aggregatis, 30 Ian. 1905, p. 165. — *Ord. Cisterciensis.* Circa iura professorum votorum simplicium, 20 Feb. 1905, p. 285. — *Mission. Filiorum Imm. Cordis B. M. V.* Dubia circa electionem superiorum, 5 Maii 1905, p. 239. — *Pisauren.* - *Funerum.* Quid veniat sub terminis *recto tramite et sine pompa*, 5 Maii 1905, p. 489. — Dilata professione solemni, post Capituli Conventualis votum, superior non tenetur illud iterum exquirere, 18 Aug. 1905, p. 402. — Circa designationem confessarii pro monasteriis Monialium et Sororum, 1 Sept. 1905, p. 402.

S. C. Indicis. Varia damnantur opera, 11 Dec. 1905, p. 493.

S. C. Indulg. *Ord. Praed.* Indulg. adnexae recitationi parvi Officii B. M. V. secundum ritum Ord. Praed., ad eiusdem vulgarem recitationem privatam extenduntur, 8 Iulii 1904, p. 80. — Ordini Min. Cap. conceduntur in perpetuum variae facultates et indulta, 14 Dec. 1904, p. 81. — Indulg. adnexa orationi B. M. V. Imm. occasione eiusdem Jubilaei, in perpetuum lucrari poterit et applicari animabus Purgatorii, 11 Ian. 1905, p. 80. — Indulg. conceditur quamdam orationem recitantibus, 21 Ian. 1905, p. 81. — *Puellarum charit. S. Vincentii a Paulo.* Altare Sodalitii est privilegiatum pro omnibus missis inibi celebratis, 1 Feb. 1905, p. 169. — *Ord. Min. Capucc.* Superior impertiens subditis Absolutionem gen., ipsemet eius beneficio gaudet, 1 Feb. 1905, p. 259. — Plures in eadem Ecclesia constitui possunt Congr. Tertii Ord. Saec. S. Fr., propter diversas sodalium nationes, 8 Martii 1905, p. 212. — Indulg. conceditur recitantibus iaculatoriam pro resarciendis blasphemiis in B. Virginem prolatis, 21 Martii 1905, p. 259. — *Decretum* de indulg. lucrandis in sacellis Tertiariorum in communitate viventium et vota simplicia nuncupantium, 22 Martii 1905, p. 212. — Indulg. 300 d. conceditur recitantibus Actus adorationis et gratiarum actionis SS. Trinitati, 22 Martii 1905, p. 170. — Indulg. conceditur recitantibus iaculatoriam in honorem B. Mariae V. vulgo *della Guardia*, 10 April. 1905, p. 301. — Indulg. conceduntur semel in mense sodalibus SS. et Imm. Cordis Mariae, 14 April. 1905, p. 213. — Indulg. 300 d. conceditur recitantibus precem ad obtinendam rectam electionem proprii status, 6 Maii 1905, p. 212. — Indulg. conceduntur Sodalibus Piae Unionis *Du Crucifix du Pardon*, 1 Iunii 1905, p. 347. — Indulg. 300 d. conceditur recitantibus quamdam precem in honorem B. Mariae Virg., 2 Iunii 1905, p. 260. — Indulg. conceduntur recitantibus precem pro diffusione pii usus Communionis quotidianae, 3 Iunii 1905, p. 259. — De translatione privilegii Viae Crucis, 7 Iunii 1905, p. 301. — *Decretum Urbis et Orbis.* Indulg. conceduntur occasione Primae Communionis, 12 Iunii 1905, p. 347. — Probatur Summarium Indulg. privil. et indultorum Ordin Min. Cap. concessarum, 23 Iunii 1905, p. 348. — Sanantur receptiones ad Confrat. B. M. V. de Monte Carmelo usque nunc invalide peractae, 28 Iunii 1905, p. 301. — Puellae a Charitate lucrari possunt in propriis Oratoriis indulg. de Portiuncula, absque clausula distantiae, 28 Iun. 1905, p. 414. — *Decretum Urbis et Orbis.* Indulg. conceduntur pro pio exercitio in obsequium Deiparae primis cuiusque mensis sabbatis..., 1 Iulii 1905, p. 301. — Indulg. conceditur recitantibus quamdam precem in honorem SS. Brigidae et Catharinae, 5 Iulii 1905, p. 415. — Omnes indulg. Ord. Min. Capucc. concessae applicari possunt defunctis, 7 Iulii 1905, p. 348. — Addenda in Summario indulg. nuper Ord. Capuccinorum concessarum, 11 Aug. 1905, p. 414. — Indulg. conceditur recitantibus iaculatoriam in honorem S. S. Cordis Jesu, 19 Aug. 1905, p. 347. — Corona Franciscana Septem Gaudiorum B. Mariae Virg. indulgentiis ditatur, 23 Aug. 1905, p. 415. — De Archisod. Custodiae honorariae SS. Cordis Jesu..., 1 Sept. 1905, p. 414. — Indulg. conceditur toties quoties recitantibus iaculatoriam: *Jesu mitis*, etc., 15 Sept. 1905, p. 414. — Indulg. conceditur in honorem SS. Cordis Iesu, 26 Oct. 1905, p. 492.

S. C. super Neg. EE. EE. Erigitur in Columbiana republica Praefectura Apl. vulgo *Caquetá* et concreditur Min. Capuccinis, 20 Dec. 1904, p. 107. — Erigitur Vicariatus Apl. de Goajira, in Republ. Columbiana, 17 Ian. 1905, p. 417. — Variae facultates conceduntur pro Fratribus Min. in America Latina, 23 Maii 1905, p. 352. — Indulg. ac privilegia conceduntur Societati Immac. Concept. a S. Numismate, 3 Iulii 1905, p. 353.

S. Poenit. Conceditur facultas sanandi in radice matrimonium quoddam, 25 April. 1890, p. 141.

S. C. Prop. Fidei. Canonici titulares Capitulorum Cathed. in Anglia, si iustis de causis a canonicatu se abdicant, inter Canonicos honorarios ab Epo cooptari poterunt, 7 Iulii 1904, p. 81. — Archiepiscopalis residentia transfertur ab urbe Verapoli, ad urbem Ernaculam, 20 Dec. 1904, p. 33. — Indulg. 300 d. conceditur recitantibus orationem in honorem S. Pauli Ap., 13 Ian. 1905, p. 82. — Erigitur Praefectura Apl. « Bornaei Hollandici » et Ord. Capucc. concreditur, 11 Feb. 1905, p. 131.

S. C. Rituum. *Ord. Carm. Excalc.* In ecclesiis Regularium, permittente ritu, celebrari possunt officia et missae defunctorum diebus 3, 7 et 30 a depositione, 29 Nov. 1901, p. 346. — *Ord. Carm. Excalc.* In Ecclesiis Regularium, permittente ritu, celebrari possunt officia et missae de Requie, in diebus anniversariis defunctorum, 24 Ian. 1902, p. 347. — *Congr. Missionis.* Providetur circa translationem duorum festorum propriorum, 2 Dec. 1904, p. 34. — *Montispessulani* - *Decretum* introd. Causae Beatif. V. S. D. Andreae Soulas, 14 Dec. 1904, p. 207; - informatio Advocati, p. 209, p. 256. — *Plurium Dioecesium.* Circa qualitatem cerae pro sacris functionibus adhibendae, 14 Dec. 1904, p. 33. — *Soc. Parisien. Miss. ad exteros.* Color violaceus adhibeatur pro missa votiva de Fidei propagatione, 14 Dec. 1904, p. 34. — *Blesen.* seu *Briocen.* - *Decretum* Confirmationis cultus praestiti Beato Carolo de Blesis, Duci Britanniae, 14 Dec. 1904, p. 78. — *Dubiorum.* Circa iura Titularium Abbatiae destructae aut penitus extinctae, 14 Dec. 1904, p. 33. — *Ord. S. Ben. Congr. Austriacae.* In parochiis Monasterio incorporatis, nequit celebrari festum neque dici suffragium Titularis Ecclesiae Abbatialis, 26 Ian. 1905, p. 78. — *Ratisbonen.* Omnes sacerdotes celebrantes in Ecclesia saeculari Regularibus ad tempus concredita, illorum Calendarium sequi debent, 27 Ian. 1905, p. 77. — *Ordinis S. Benedicti.* Sacerdos saecularis sequi debet Calendarium Ecclesiae Regularis in qua celebrat, etiam habitualiter ex officio, 3 Feb. 1905, p. 77. — *Compostellana.* Toleratur consuetudo transferendi solemnitatem externam festi SS. Corporis Christi, 3 Feb. 1905, p. 78. — *Decretum.* Litaniis SS. Nominis Jesu addatur obsecratio: « Per SS. Eucharistiae institutionem tuam, libera nos Jesu », 8 Feb. 1905, p. 125. — *Romana* seu *Parisien.* - *Decretum* de virtutibus heroicis V. S. D. Magdalenae Sophiae Barat, 12 Feb. 1905, p. 79. — *Caiacen.* Epus canonicus nonnisi cum Cappa, missae conventuali ex throno assistere debet, 17 Feb. 1905, p. 346. — Indultum pro sacerdotibus saecularibus III Ord. S. Fr. dicendi missam votivam de Imm. singulis sabbatis, 22 Martii 1905, p. 204. — *Ord. Min. Capucc.* Pro absolutione generali post sacramentalem absol., formulam breviorem adhiberi posse conceditur, 22 Martii 1905, p. 204. — *Missionar.*

Iurisdictionis, 26 Martii 1678, p. 303. — Circa nonnullas prohibitiones factas ab Epo cappellanis favore parochi. S. C. Conc. *Squillacen. - Cappellaniarum*, 26 Martii 1678, p. 304. — Ius conferendi archipresbyteratum non fuit devolutum ad Archiepum in casu, nec potuit dividere archipresbyteratum a parochialitate. S. C. Conc. *Amalphitana - Archipresbyteratus*, 30 April. 1678, p. 305. — Contra Episcopos regionis, Regulares Hiberniae obtulerunt quaerimonias. S. C. Conc. *Hibernia - Gravaminum*, 18 Iunii 1678, p. 419. — Ad nonnulla dubia circa victualia et expensas in peragenda S. Visitatione pastorali, respondebitur in casibus particularibus. S. C. Conc. *Dubia - Procurationis*, 20 Aug. 1678, p. 471. — Ordin. nequit dare licentiam auferendi alio, religiosis invitis, imaginem S. asservatam in Oratorio pertinente ad Regulares. S. C. Ep. et Reg. *Tusculana - Exemptionis ac iurium*, 13 Maii 1904, p. 395. — Propter gravissima dissidia cum magistratibus civilibus et scandalum populi, Epus removere potest oeconomice parochum inamovibilem, illum transferendo ad aliud beneficium simplex. S. C. Ep. et Reg. *Bambergen. - Translationis*, 13 Maii 1904, p. 397. — Epus procedere potest in particulari, servatis de iure servandis, etiam cum censuris, contra transgressores art. IV, Decreti *Ut debita*. S. C. Conc. *Aliphana*, 19 Dec. 1904, p. 76. — Ecclesia Regularibus ad solum usum et custodiam concessa, non est exempta a iurisdictione Ordinarii. S. C. Ep. et Reg. *Utinen. - Iurium et exemptionis*, 27 Ian. 1905, p. 459. — Quum alumni Institutorum non exemptorum, proprio Epo subesse propriaeque dioecesi pertinere non desinant, nec in casu accusationes contra sacerdotem recurrentem sustineantur, poenae ab Archiepo in illum inflictae nequeunt sustineri. S. C. Ep. et Reg. *Caietana - Iurisdictionis*, 27 Ian. 1905, p. 401. — Non obstante immemorabili consuetudine contraria, Epus canonicus, nonnisi cum Cappa, Missae Conventuali ex throno assistere debet. S. C. Rit. *Caiacen.*, 17 Feb. 1905, p. 346. — Sustinetur in casu translatio parochi inviti peracta ab Ordinario sine causa canonica, sed propter bonum commune et attenta civilis potestatis violentia. S. C. Conc. *Albien. - Translationis a paroecia*, 25 Feb. 1905, p. 73. — Ad art. 7 Decreti *De observandis*, sub nomine Ordinariorum veniunt quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis. S. C. Conc. *Congr. Spiritus S.*, 27 Feb. 1905, p. 123. — Ordinarius nequit permittere ut parochi qui ex Indulto Aplico percipiunt stipendia pro secunda missa vel pro missis dierum festorum suppressorum, non transmittant ad Curiam Ep.alem nisi eleemosynam synodalem, quaecumque sit quantitas eleemosynae receptae. S. C. Conc. *S. Deodati*, 27 Feb. 1905, p. 124. — Dubia circa interpretationem Decreti *De observandis*. S. C. Conc. *Leopolien.*, 27 Feb. 1905, p. 124. — Provisiones ecclesiarum in Consistorio diei 27 Martii 1905, p. 105. — Ordinar. taxare poterit, iuxta morem regionis, eleemosynas missarum in ecclesiis regularium. S. C. Conc. *Ord. Min. Conventualium*, 8 Maii 1905, p. 285. — Ad Ordin. non spectat, sed ad S. Sedem, iudicare an adsint rationes sufficientes pro obtinenda dispensatione super matr. rato et non consummato. S. C. Conc. *Plocen. Varsavien. - Matrimonii*, 20 Maii 1905, p. 278. — Quamvis beneficia eccl. sine diminutione conferri debeant, potest tamen Ordinarius novum onus imponere, non quidem reale beneficio, sed personale beneficiato... S. C. Conc. *Conchen. - Exonerationis*, 20 Maii 1905, p. 195. — Peracto concursu, Epus conferre potest ecclesiam magis idoneo, posthabito altero ex approbatis, ob aliquam sibi ipsi tantum notam causam, quam non tenetur revelare, nisi iudici appellationis, vel Emo Congr. Praefecto, sub inviolabili lege secreti. S. C. Conc. *Laquedonien. - Concursus*, 20 Maii 1905, p. 202. — Etiam in Regno Neapolitano, quoties Ordinarius intra semestre tempus paroeciae non dederit provisionem, collatio devolvitur S. Sedi, transmissis ad Ap. Datariam actibus concursus. S. C. Conc. *S. Severinae - Concursus*, 20 Maii et 17 Iunii 1905, p. 280. — Ob peculiares circumstantias, Ordinarius prohibere potest ne missa de Requie in Oratoriis privatis, praesente cadavere, a quoquam, etiam ab extraneo Episcopo, celebretur. S. C. Rit. *Dubiorum*, 8 Aug. 1905, p. 404. — Epus licite potest designare confessarium ordinarium Monialium unius monasterii, pro altero Monasterio; vel pro sororibus votorum simplicium; vel etiam pro duabus Communitatibus sororum. S. C. Ep. et Reg., 1 Sept. 1905, p. 402. — Servet ius commune, in casu, circa redditionem rationis ex parte administratorum, quoad patrimonium ecclesiae parochialis. S. C. Conc. *Platien. - Redditionis rationum*, 18 Nov. 1905, p. 444. — Utrum censuras infligere possit, si crimen patretur extra dioecesim, vel in loco exempto dioecesis eiusdem. *Cas. Consc*, p. 362. — Nequit mutare titulum ecclesiae sive consecratae, sive benedictae. *Cas. Lit.*, p. 142. — Episcopus extraneus potest-ne celebrare Pontificalia, irrequisito Ordinario, et si fuerit invitatus, quibus cum ornamentis. *Cas. Lit.*, p. 474. — Provisiones Ecclesiarum in Consistoriis d. 11 et 14 Dec. 1905, p. 481. — V. *Congregatio Missionis*. — V. *Distributiones*. — V. *Missa*. — V. *Punctatura*. — V. *Synodus dioecesana*. — V. *Vicarius Capitularis*.

Erectio. — V. *Via Crucis*.

Eucharistia. In Litaniis SS. Nominis Jesu, post obsecrationem: « Per Ascensionem tuam », addatur obsecratio: « Per SS. Eucharistiae institutionem tuam, libera nos Jesu ». S. C. Rit. *Decretum* 8 Feb. 1905, p. 125. — De tabernaculo, pyxide, throno, ostensorio, et corporali. *Cas. Lit.*, p. 363. — V. *Communio*. — V. *Conventus Eucharisticus*.

Examinatores synodales. — V. *Concursus*.

Exegesis. — V. *Scriptura Sacra*.

Exemptio. — V. *Conservatorium*. — V. *Episcopus*.

Exequiae. — V. *Absolutio ad tumulum*. — V. *Adsociatio cadaveris*. — V. *Funera*. — V. *Missa*. — V. *Tumulatio*.

Exercitia spiritualia. — Pius X iubet ut omnes sacerdotes saeculares Urbis spiritualibus exercitiis vacent saltem tertio quoque anno, in tribus adsignatis Asceteriis. Secret. Brev., 27 Dec. 1904, p. 61. — Sacerdotes saeculares Urbis semel saltem quolibet triennio peragant spiritualia exercitia. E Vicar. Urbis, 25 Ian. 1905, p. 82.

Exercitus. — V. *Milites*.

F.

Festum. Festum translationis reliquiarum S. Vincentii a Paulo, si impediatur die propria, dominica secunda post Pascha, reponatur in feriam secundam sequentem, pro Lazaristis et Filiabus a Charitate. S. C. Rit. *Congr. Missionis*, 2 Dec. 1904, p. 34. — Festum Manifestationis B. M. V. a Sacro Numismate, si impediatur die propria 27 Nov., transferatur ad diem 28 Nov. pro Lazaristis et Filiabus a Charitate. S. C. Rit. *Congr. Missionis*, 2 Dec. 1904, p. 34. — In Festo SS. Corporis Christi, toleratur consuetudo transferendi solemnitatem externam, in casu. S. C. Rit. *Compostellana*, 3 Feb. 1905, p. 78. — Festum Beati I.-B. Vianney, si occurrit cum festo S. Dominici, transferatur in diem primam sequentem liberam, pro Gallia. S. C. Rit. *Vivarien.*, 12 Maii 1905, p. 253. — In festo S. Bedae Vener, ex quo ad Ecclesiam universam extensum fuit, utentes Breviario Monastico tenentur recitare Lectiones pro universali Ecclesia per dictum Decretum approbatas, non autem illas iampridem pro Ord. S. Benedicti concessas. S. C. Rit. *Congr. Erem. Camald. Montis Coronae* ad 1um, 12 Maii 1905, p. 344. — Circa translationem festorum S. Hilarii, SS.mi Nominis Jesu, Purificationis B. M. Virg., et SS. Cordis Jesu. S. C. Rit. *Agennen.*, 19 Maii 1905, p. 252. — De occurrentia Festi Patroni et Tituli Ecclesiae cum Dominica in Albis vel Trinitatis. S. C. Rit. *Agennen.*, ad 6um, 19 Maii 1905, p. 252. — Circa Festum Patrocinii S. Ioseph, concessiones particulares revocatae censentur, in iis quae non consonant Decretis 3808 et 3881. S. C. Rit. *Societatis Jesu* ad 1um, 7 Iulii 1905, p. 289. — In Festo S. Marthae, in Ditione Gallica, in I Nocturno assignantur Lectiones de Scriptura occurrente. S. C. Rit. *Atrebaten.* ad 2um, 7 Iulii 1905, p. 286. — In Festo S. Benedicti Iosephi Labre, in Dioecesi Atrebaten., in I. Nocturno, assignantur Lectiones de Scriptura occurrente. S. C. Rit. *Atrebaten.* ad 2um, 7 Iulii 1905, p. 286. — Pro Festo B. Gasparis del Bufalo assignatur dies XXIII Iunii pro Urbe. S. C. Rit. *Urbis eiusque Districtus*, 4 Aug. 1905, p. 403. — In locis ubi deest Patronus praecipuus Loci, Regulares tenentur ad Officium Patroni praecipui Dioecesis, si velint, prout extat in Propriis respectivarum Dioecesium, et quidem cum obligatione audiendi sacrum et abstinendi ab operibus servilibus. S. C. Rit. *Ord. Min. Cap. Prov. Rheginensis*, 22 Aug. 1905, p. 402. — De festis duplicibus: origo, distinctio, etc. *Cas. Lit.*, p. 93. — V. *S. Dominicus*. — V. *Octava*. — V. *Regulares*. — V. *Rosarium*. — V. *Titularis*.

Fideles. — V. *Indulgentiae*. — V. *Sepultura*.

Functiones sacrae. Circa qualitatem cerae adhibendae. S. C. Rit. *Plurium Dioecesium*, 14 Dec. 1904, p. 33. — Circa usum musicorum instrumentorum in sacris functionibus. S. C. Rit. *Compostellana*, 15 April. 1905, p. 205. — V. *Festum*.

Funera. Tolerari potest consuetudo ingrediendi clausuram

G.

H.

I

J

L

M

Mutinen. - *Oneris missarum et residentiae*, 21 Ian. 1904, p. 18. — Regulares ius habent, invito parocho, celebrandi missam de requie die tertia ab obitu, etiamsi missa exequialis non fuerit celebrata in Ecclesia parochiali. S. C. Ep. et Reg. *Tusculana* - *Exemptionis ac iurium*, 13 Maii 1904, p. 395. — Missa votiva de Immac. Conc. persolvi poterit primo cuiusvis mensis sabbato, a Clericis Reg. Ministr. Infirmis. S. C. Rit., 10 Iunii 1904, p. 125. — Dispensatur ad triennium ab applicatione missae pro populo in diebus festis suppressis, et permittitur perceptio eleemosynae pro secunda missa. S. C. Conc. *Meten.*, 11 Nov. 1904, p. 32. — In missa votiva de Fidei propagatione, adhibeatur color violaceus. S. C. Rit. *Societatis Paris. Miss. ad exteros*, 14 Dec. 1904, p. 34. — In missae celebratione, duae candelae accendendae sint ex cera apum, saltem in maxima parte. S. C. Rit. *Plurium Dioecesium*, 14 Dec. 1904, p. 33. — Dubia circa interpretationem Decreti *Ut debita*, quoad missas manuales. S. C. Conc. *Aliphana*, 19 Dec. 1904, p. 76. — Omnes sacerdotes in Ecclesia saeculari Regularibus ad tempus concredita, illorum Calendarium sequi debent. S. C. Rit. *Ratisbonen.*, 27 Ian. 1905, p. 77. — Sacerdos saecularis sequi debet Calendarium Ecclesiae regularis, in qua celebrat etiam habitualiter ex officio. S. C. Rit. *Ord. S. Ben.*, 3 Feb. 1905, p. 77. — Non obstante immemorabili consuetudine contraria, Epus Canonicus nonnisi cum Cappa, Missae Conventuali ex throno assistere debet. S. C. Rit., 17 Feb. 1905, p. 346. — Tria dubia circa commutationem et retentionem partialem eleemosynarum missarum. S. C. Conc. *Bredanen.* - *Dubiorum super eleemosynis missarum*, 25 Feb. 1905, p. 70. — Ad art. 7 Decreti *De observandis*, sub nomine Ordinariorum veniunt quoque Praelati Regulares pro suis respectivis subditis etc. S. C. Conc. *Congr. Spiritus S.*, 27 Feb. 1905, p. 123. — Parochi qui ex indulto Aplico percipiunt stipendium pro secunda missa, vel pro missis dierum festorum suppressorum, illud integrum ad Curiam tradere debent. S. C. Conc. *S. Deodati*, 27 Feb. 1905, p. 124. — Dummodo excessus in modo aut alius abusus non oriatur, retineri valet mos ut vicarii apud parochos in domo curiali degentes, pensionem exsolvant non argento, sed missae quotidianae eleemosynam parocho dimittant. S. C. Conc. *Sancti Deodati*, 27 Feb. 1905, p. 124. — Dubia quoad interpretationem Decreti *De observandis*. S. C. Conc. *Leopolien.*, 27 Feb. 1905, p. 124. — Postulata circa Decretum *De observandis*. S. C. Conc. *Societatis SS. Salvatoris*, 27 Feb. 1905, p. 124. — Conceditur ex gratia ad quinquennium, facto verbo cum SSmo, ut collector dioecesanus Missarum retinere possit in casu tria pro centenis ex eleemosynis missarum, pro laboris retributione, librorum emptione, et monetae adulteratae compensatione. S. C. Conc. *Tarraconen.* - *Remunerationis pro collectione missarum*, 18 Martii 1905, p. 110. — Indultum pro sacerdotibus saec. Tertiariis S. Fr. recitandi missam votivam de Immac. Conc. singulis sabbatis. S. C. Rit., 22 Martii 1905, p. 204. — In missa de requie, permittitur sonus organi aliorumque instrumentorum, tantum ad sustinendas voces. S. C. Rit. *Compostellana*, 15 April. 1905, p. 205. — Eleemosyna missarum in Ecclesiis Regularium taxari poterit arbitrio Ordinarii, iuxta morem regionis. S. C. Conc. *Ord. Min. Conventualium*, 8 Maii 1905, p. 285. — Temperatur *ad mentem* Decretum 11 Maii 1904, relate ad immemorabilem consuetudinem quoad miss. collectionem et celebrationem. S. C. Conc. *Cadurcen.* - *Satisfactionis missarum*, 17 Iunii 1905, p. 240. — Postulanti Archiepiscopo Bambergen. an sacerdotes, in casu, missam cum cantu celebrantes, possint tradere taxam dioecesanam pro missis lectis statutam, reliquam partem pro se retinendo, responsum fuit: communicetur resolutio diei 11 Martii 1879. S. C. Conc. *Bambergen.* - *Circa eleemosynas missarum*, 17 Iunii 1905, p. 243. — Missa votiva SSmi Rosarii, nequit celebrari in Sanctuario Pompeiano intra Octavas festorum B. Mariae Virg. S. C. Rit. *Basilicae sub tit. SS. Rosarii B. M. V. in Valle Pompeiana*, 30 Aug. 1905, p. 404. — Circa paramenta s. et pallam calicis in Missis defunctorum. S. C. Rit. *Dubium*, 24 Nov. 1905, p. 492. — Circa celebrationem Missae exequialis translatae in die non impedita. S. C. Rit. *Buscoducen.*, 24 Nov. 1905, p. 492. — De missa pontif. ab alieno Epo vel a Protonotario celebranda necne. *Cas. Lit.*, p. 474. — V. *Cappellania.* — V. *Oratorium.* — V. *Vicarius Capitularis.*

Monasterium. — V. *Moniales.* — V. *Regulares.*

Moniales. *Dubia* super collocutione Regularium cum Monialibus. S. C. Conc., 21 Maii 1678, p. 355. — Tolerari potest consuetudo ingrediendi clausuram pro monialium funeribus persolvendis. S. C. Ep. et Reg. *Ursulinarum*, 12 Nov. 1904, p. 76. — V. *Confessarius.* — V. *Episcopus.* — V. *Regulares.*

Mons Pietatis. Episcopus visitare potest, in casu, Montem Pietatis loci N., non obstante praeventione magistratus in revisione computorum. S. C. Conc. *Lauden.* - *Iurisdictionis*, 26 Martii 1678, p. 303.

Musica Sacra. Pius X Caecilianae Societati Germanicae, de musica sacra optime meritae, grates et hortamenta rependit. Secret. Brev., 10 Nov. 1904, p. 11. — Circa usum musicorum instrumentorum in sacris functionibus. S. C. Rit. *Compostellana*, 15 April. 1905, p. 205. — V. *Cantus gregorianus.*

N

Negotiatio. Omnes ecclesiastici, etiam non missionarii, comprehenduntur sub Constitutione Clementis IX prohibente quamcumque negotiationem in Indiis Orientalibus. S. C. Conc. *Indiarum* - *Negotiationis*, 23 Ian. 1677, p. 38.

Nigritae. Pius X laudat et commendat Pium opus vulgo « *du relèvement social des Noirs* ». Secret. Status, 28 Iunii 1905, p. 417. — V. *Captivitas.*

Nocturnum. — V. *Festum.*

Nomen (SS.) Jesu. In Litaniis SS. Nominis Jesu, addatur obsecratio « Per SS. Eucharistiae institutionem tuam, libera nos, Jesu ». S. C. Rit. *Decretum*, 8 Feb. 1905, p. 125. — De translatione illius festi. S. C. Rit. *Agennen.* ad 2um, 19 Maii 1905, p. 252.

Nosocomium. — V. *Parochia.*

Novitii. Circa admissionem Novitiorum, eorumve dimissionem, standum Decreto *Regulari disciplinae*. S. C. Ep. et Reg. *Trinitariorum*, 25 Nov. 1904, p. 77. — V. *Regulares.*

Numisma a Manifestatione Immac. Deiparae Conceptionis. Festum, si die propria 27 Nov. impediatur, transferatur ad diem 28 Nov. pro Lazaristis et Filiabus a Charitate. S. C. Rit. *Congr. Missionis*, 2 Dec. 1904, p. 34. — Indulgentiae ac privilegia conceduntur Societati Imm. Concept. a S. Numismate. S. C. super Neg. EE. EE., 3 Iulii 1905, p. 353.

O

Oblationes. Ex oblationibus quae fiunt ad imaginem B. M. V. in Ecclesia rurali N. non debetur quarta Episcopo. S. C. Conc. *Venafrana* - *Oblationum*, 13 Nov. 1676, p. 37.

Oblivio. — V. *Censura.*

Oceania. Erigitur Praefectura Aplica Bornaei Hollandici et Ord. Capucc. concreditur. S. C. Prop. Fide, 11 Feb. 1905, p. 131.

Octava. Anniversarium Dedicationis Ecclesiae etiam a Regularibus celebrandum est cum octava, in ecclesiis tam consecratis quam non consecratis. S. C. Rit. *Societatis Jesu* ad 1um, 7 Iulii 1905, p. 289. — Infra Octavas festorum B. Mariae Virg., Missa vot. SS. Rosarii celebrari nequit in Basilica Pompeiana. S. C. Rit. *Basilicae sub tit. SS. Rosarii B. M. V. in Valle Pompeiana*, 30 Aug. 1905, p. 404. — De octavis diebus festorum solemniorum primariorum Domini, an sint duplicia maiora. *Cas. Lit.*, p. 93.

Officium. Officia defunctorum, ritu permittente, in ecclesiis regularium celebrari possunt diebus 3, 7 et 30 a depositione. S. C. Rit. *Ord. Carm. Excalc.*, 13 Maii 1901, p. 346. — *Item* in diebus anniversariis, 24 Ian. 1902, p. 346. — Indulgentiae adnexae recitationi Officii parvi B. Mariae V. secundum ritum Ord. Praed., ad eiusdem vulgarem recitationem privatam extenduntur. S. C. Indulg. *Ord. Praed.*, 8 Iulii 1904, p. 80. — Usus instrumentorum, etiam harmonii, prohibetur in officio defunctorum. S. C. Rit. *Compostellana*, 15 April. 1905, p. 205. — Circa tempus anticipandi privatam recitationem Matutini, consulantur probati auctores; - publica recitatio incipi nequit, nisi habeatur indultum, hora secunda pomeridiana; - pro utraque recitatione, hora desumi potest vel ex meridiano circulo locali, vel ex circulo officiali dicto *Greenwich*. S. C. Rit. *Placentina in Hispania*, 12 Maii 1905, p. 253. — In Officio tam festivo quam votivo Passionis D. N. J. C. deficientibus propriis vesperis, hymni transponantur. S. C. Rit. *Congr. Erem. Camald. Montis Coronae* ad 5um, 12 Maii 1905, p. 344. — Officium votivum de Imm. Conc. persolvi poterit a Clericis Reg. Ministrantium Infirmis primo cuiusvis mensis sabbato. S. C. Rit., 10 Iunii 1905, p. 125. — V. *Commemoratio.*

P

Q

R

S

T

U

V

III. — INDEX NOMINUM

A

B

C

Felix Cadène.


UNIVERSITY OF ST. MICHAEL'S COLLEGE TORONTO
LIBRARY